
RERVM
ITALICARVM
SCRIPTORES









RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS SEPTIMUS.



Maſsucci Delin.

Girolamo Frezza scul: Roma con lic de supe


KAISERLICHE KOENIGLICHE
HOFBIBLIOTHEK

RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS, ALIARUMQUE INSIGNIUM BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS SEPTIMUS.



MEDIOLANI, MDCCXXV.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ IN REGIA CURIA.

SUPERIORUM FACULTATE.




Ant. Consettus Mutinensis delin
M Francia Bonon. inc.

SERENISSIMO. PRINCIPI.

RAYNALDO.

ESTENSI.

MUTINAE. REGII.

MIRANDULAE. &c.


DUCI.

CARPI. CORRIGII. &c. PRINCIPI.

OB. EXIMIAM. RELIGIONEM.
JUSTITIAM.
CONSTANTIS. ANIMI. FORTITUDINEM.
REGIOSQUE. MORES.
AVORUM. FORTUNA. DIGNISSIMO.

QUEM.
NULLIS. PRAETERITORUM. TEMPORUM. ANGUSTIIS.
FRACTUM.
BONAE. ARTES. AC. LITERAE.
PERPETUUM. HABENT. PATRONUM.

RERUM. ITALICARUM. SCRIPTORIBUS.
UNDIQUE. COLLECTIS.
TOMUM. HUNC. SEPTIMUM.
MEDIOLANENSES. PALATINI. SOCI.
NOMINI. EJUS. ET. VIRTUTIBUS.
DEVOTI.
D. D. D.



SERENISSIMO PRINCIPI

RAYNALDO I.

MUTINÆ, REGII, MIRANDULÆ &c.

DUCI,

PRINCIPI CARPI, CORRIGII &c.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS

S. P. D.



A est humanæ naturæ vel imbecillitas vel industria, DUX SERENISSIME, *ut cùm rependendis pro merito acceptorum beneficiorum gratiis se imparem agnoscat, Principibus potissimùm Viris, quos supra communem sortem Dignitas evexit, satis debito suo fecisse putet, si ex acceptorum munerum cumulo par-*

tem aliquam, exiguam licèt, benefactori offerat, atque iterum reddat, sola debiti professione auctam atque ornatam. Hinc, ni fallor, oblationes & primitiæ frugum erga Deos institutæ: hinc munera Principibus Viris oblata, quorum non raro quanto minor æstimatio, tanto major devoti animi affectus demonstratur. Ea mente Palatini Mediolanenses Socii ex ingenti librorum copia, quam ex florentissima Mutinensi Tua Bibliotheca ad ornamentum & commodum Italiæ nostræ per Muratorium Tuum communem nobis fecisti, immo Nationibus universis; partem hanc, quæ tomo VII. continetur, Serenissimo Nomini Tuo dicatam voluimus, quæ Tua sunt humili obsequio reddentes, ut sit nobis æternum debitionis gratique animi monumentum. Neque una hæc ratio id à nobis expetebat: inofficiosi namque in ipsum Muratorium juremerito diceremur, si quem auctorem collectoremque operis universi habuimus, desiderio suo fraudari pateremur: imovero literariæ universæ Reipublicæ, quam Tibi liberalitate tua devinxisti. Habet enim in collectione nostra unde minùs doleat Italicarum rerum jacturam, ac erepta nobis veterum monumenta: tot namque MSS. Codices produxisti, eosque pretiosissimos, ut vix aliquid optandum supersit, & miraculo ferme posteris futurum sit tot illustrium virorum Commentarios in Bibliothecam Tuam, velut in ærarium publicum, fuisse depositos.

Ve-

Verumenimvero mirari quisque desinet cùm animadverterit Estensium ædes, & gazas per omnem ætatem Musis omnibus, bonisque literis dicatas, & eorum potissimùm ope, atque auspicio ab Italia nostra veternosam illam præteritorum temporum excussam fuisse barbariem, eaque sibi dicendi ornamenta comparasse, ut jam cum vetustioribus ipsis Latinis, Græcisque Scriptoribus doctrinâ, & elegantiâ certare possint Matthæus Bojardus, Ludovicus Areostus, Torquatus Tassus, Joannes Baptista Guarinus, Lilius Giraldus, Joannes Baptista Pigna, Carolus Sigonius, Alexander Tassonus, Fulvius Testius, Bernardinus Ramazzinus, Franciscus Tortus, & *innumeri alii Estensium alumni, quos omnes à Serenissimis Majoribus tuis ad eximia studia liberalitate perpetua invitatos nemo est qui nesciat. Eorum exemplo* PRINCEPS SERENISSIME, *hoc ævo* Muratorium *Tuum Tibi addictum voluisti, quæ tua laus est, & hominem de literaria Republica, exterorum etiam frequenti testimonio, benemeritum patrocinio Tuo foves & ornas. Patiatur ille ab amicis apud* SERENITATEM TUAM *sinè modestiæ injuria laudari, ubi nullus adulationi locus. Multa equidem hactenus ille in medium produxit, quæ nomini suo æternitatem comparabunt, plura etiam queis vetusta* SERENISSIMÆ FAMILIÆ TUÆ *ornamenta collegit, & omnium ante se gloriam veritatis amore ac diligentia superavit; sed postrema,*

ni

ni fallor, communis hæc laus in colligendis Italorum historicis præ ceteris optanda fuerat. Optimo namque Principe dignum opus, & literato Viro aptissimum consilium de patria, de gente, ac de natione universa benemereri. Neque bene id impleri poterat nisi per Te, SERENISSIME PRINCEPS, *ad quem adversùs temporis injurias tot Scriptores confugerant, & optatam olim viventibus ipsis lucem expectabant, & ut arbitror felices illustresque Majorum tuorum Manes flagitabant, ut clarissima eorum gesta in Scriptorum hujusmodi commentariis notata iterum vulgarentur, nullusque superesset, qui ereptam sibi silentio laudem doleret. Et sanè per ea quæ hactenus edidimus* MARCHIONIS ALBERTI ACTII *vel* AZONIS *inclytum nomen, & cognationes satìs cognovimus.* MARCHIONEM, *inquam,* AZONEM *illum, unde Atestina Familia in duas propagata, celeberrimam Marchionum Estensium, & Ducum Ferrariensium ac Mutinensium lineam, in Te felicissimè vigentem constituit; tum alteram in Germania (unde in Italiam cum Langobardìs olim genus tuum migraverat) latissima dominatione amplificavit, Serenissimam nempe* BRUNSVICENSIUM *gentem, fortitudine ac numero illustrium Heroum, & opum copia celebratissimam, ad Regiam tandem Sedem in Anglia elatam, ubi gloriosissimè regnat hoc ævo: Atque hoc præcipuum est nobilissimæ Familiæ decus, ut utraque*

cul-

cultissimarum Nationum regat imperium, & ubi Artibus atque Literis ullum sit pretium, è Familia Tua sint comparandi patroni. Subsequentium etiam Principum frequentissimæ in historiis hisce nostris laudes, sed nusquam majores, quàm cùm ad ea tempora veniemus, in quibus Italiæ calamitates sub Eccelino tyranno à Scriptoribus nostris referuntur, cujus immani impotentiæ evertendæ nulla vis umquam sufficere potuit, nisi postquam Majores Tui cum Mediolanensibus nostris in commune bonum conspiravere, cui rei testimonium Rolandinum, Monachum Patavinum, *atque alios ejus ævi Scriptores in sequenti tomo producemus. Sed ut ad collectionem nostram revertar; Macte virtute*, SERENISSIME PRINCEPS, *& quod incœptum à Te opus in dies tractamus, præsidio atque auctoritate Tua fove, quo bonum habeat incrementum, & absolvatur, cùmque in Italia nostra tam vetustæ ac invidendæ nobilitatis censu emineas, id etiam in Familia Tua præcipuum serva, ut literis fautorem Te præbeas atque patronum inter hæc* otia pacis, *in quibus à præteritorum temporum infortuniis beneficentiâ* CÆSARIS *respiramus. Bonitate verò, qua soles, munus hoc nostrum accipe ac Palatinos Socios, meque* SERENITATI TUÆ *multis nominibus addictissimum protege, dum operi absolvendo vacamus.*

Dabam Mediolani VIII. Kal. Decembris MDCCXXV.

ELENCHUS
TOMI SEPTIMI.

CHRONICON
ROMUALDI II.
ARCHIEPISCOPI SALERNITANI

Nunc primùm editum ex MSto Codice

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ,

CUM ANIMADVERSIONIBUS

CLARISSIMI VIRI

JOSEPH ANTONII SAXII

EIDEM BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI.

IN CHRONICON ROMUALDI II. ARCHIEPISCOPI SALERNITANI
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

QUod hucusque publica luce caruerit Romualdi Archiepiscopi Salernitani Chronicon, tot aliis minoris certe pretii libris in diem prodeuntibus, socordiam potius quam rei difficultatem in caussa fuisse reor. Neque enim adeo rari illius Codices MSS., quorum unum Vaticana Bibliotheca, alterum Salernitana, tertium Regia Parisiensis, quartum vero Ambrosiana custodiunt, ut sane mireris, cur nulli hucusque literatorum in mentem venerit, hunc librum tenebris eripere. Uberrimas quidem ex eo lacinias Cardinalis Baronius in celeberrimos Annales suos olim intulerat. Verum siti eruditorum non inde factum est satis. Quamobrem hanc mihi provinciam suscipiendam arbitratus, ex Ambrosiano Codice Chronicon descriptum publici juris facio. Qua in re quam non leve beneficium literis praestetur, nemo non intelligat, si Auctoris gravissimi cum fidem tum antiquitatem spectet, in tanta praesertim Historicorum caritate, qui rudium seculorum acta literis fideliter consignarint. Quis autem Romualdus fuerit, paucis describam post Baronium, & Ughellum, quorum scripta, facile consulenda, heic suffarcinare mihi non est animus. Illi origo illustris, non minor prudentia, ac pietas fuit. Anno 1153. aut 1154. ad Salernitanum Archiepiscopatum evectus, Ecclesiam suam ad Annum usque 1181. sapientissime rexit, quo Anno e vivis sublatus magnam sui nominis celebritatem post se reliquit. Medicinae, aliisque Artibus ac Scientiis operam dedit. Carissimus Siciliae Regibus, & Willelmo praecipue Secundo, cujus Legatus Venetias se conferens, paci inter Alexandrum III. Pontificem Maximum, & Fridericum Imperatorem constitutae summo cum honore interfuit. Eumdem Willelmum cognomento Bonum antea coronaverat, eique aderat a consiliis. Publicis quoque negotiis immixtum illum fuisse, tradit Hugo Falcandus ejusdem temporis Scriptor. Praeter Chronicon, quod heic damus, aliquot Sanctorum vitas Romualdus scripsisse fertur, fuitque auctor Breviarii a Romano diversi, quo ad Annum usque 1587. usa est Salernitana Ecclesia.

Ceterum ab orbe condito initium Chronici sui Romualdus fecit, illudque ad Annum 1178. perduxit. Quo tempore, cum teterrima inter Sacerdotium, & Imperium lis exarserit, Venetiis demum composita, ejusque non exigua pars Romualdus fuerit, alium frustra, si non luculentiorem, certe graviorem illius aetatis testem desideres. Quod perspiciens Baronius, ut vulgarem fabellam de Alexandro Pontifice Friderici collum tamquam Aspidis ac Basilisci premente amoveret, praeter alia argumenta, Romualdi potissimum auctoritatem adhibuit, fortissimum in hujus Chronico veritatis praesidium nactus. Annorum & Indictionum cum rebus gestis alligatio mihi non satis firma visa est in Codice MSto, quo sum usus; haec enim facile Librarii desormant atque pervertunt. Certe illi hominum generi non raro tribuendae sunt antilogiae Chronologicae, quae in diversis Scriptoribus eandem rem describentibus occurrunt. Sed ne amplius Lectorem detineamus, post Clarifs. Viri Joseph Antonii Saxii Praefationem, cujus diligentiae commendata haec editio est, ipse Romualdus loquatur.

LECTORI BENEVOLO JOSEPH ANTONIUS SAXIUS COLLEGIO ET BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTUS.

CUm Cl. Muratorius olim in hac Ambrosiana Bibliotheca resideret, atque ex hisce ditissimis pluteis pinguem manuscriptæ suppellectilis censum in totius Literariæ Reipublicæ proventum pararet, inter cætera venerandæ antiquitatis monumenta hinc educta, Chronicon quoque Romualdi II. Salernitani descripserat, non integrum tamen; Videbatur siquidem Doctissimo Viro supervacaneam operam se lusurum, si universas à Romualdo collectas merces in lucem efferret. Eccur enim, ajebat, paginas onerare scriptis parum aut nihil profuturis, cùm quidquid ea historia complectatur breve sit ac millies ab aliis repetitum? Præterea laudabilis & rationi consona Eruditorum consuetudo obtinuit, ut fontibus potiùs quàm rivulis utamur, neque Scriptorum, qui seculis ferreæ ignorantiæ damnatis vixere, testimonia ut plurimum proferamus in iis, quæ longè ab eorum temporibus acta sunt, atque à vetustis historicis uberiùs ac tutiùs peti possunt. Mens itaque illi erat ab Anno DCCCCXXVI. usque ad calcem Romualdum evulgare; Nec dispar hac in re fuisset Palatinæ Societatis consilium, nisi nonnulla, quæ momentum facerent ad integram hanc editionem curandam, à me exposita forent, quibus etiam effectum est ut non tam illa, quàm Muratorius ipse lubens in hanc sententiam concederet. Ea erant: desideratam ab Eruditis Viris tandiu hanc historiam, non nisi per lacinias & fragmenta hactenus in lucem prodiisse; ut quid ergo illam adhuc in frusta discerpere, & in obvia integra messe spicilegium sectari? Dandum hoc auctoritati ac nomini Salernitani Antistitis, non tam doctrinâ, prudentiâ, ac rebus optimè gestis, quàm dignitate, & sanguinis splendore conspicui (cùm teste Petro Blesensi coævo, (*) Avunculus esset Willelmi II. Siciliæ Regis), ut qui supersunt literarii ejusdem labores è tenebris eruantur: periisse plura ab ipso exarata, quæ nobis temporum invidit injuria; quid ni saltem quæ ad nos religiosior transmisit antiquitas, benignè excipiamus, ac veluti in tuto posita à venientium ætatum desidia & interitu vindicemus? Inesse suum etiam compendiariis hisce narrationibus beneficium, cùm quandoque ex iis commodè Lector percipiat, quæ non nisi longo labore aut etiam frustra in antiquiorum Codicibus quæsiisset: Demum non eam esse manuscripti hujus Operis molem ut fatigare Lectorem possit, aut fastidiosi emptoris querelas mereri.

Accedebat validius aliud argumentum, quod hìc subjicio. Cùm Ecclesiasticæ historiæ parens Baronius, in postremo Annalium volumine, vulgatam fabellam de occulto Alexandri III. adventu Venetias, & conculcato ab eodem Friderici I. in genua provoluti capite, nixus præcipuè Romualdi Salernitani testimonio exsufflasset: acerrimus profligati illius commenti propugnator insurrexit Fortunatus Ulmus Monachus Casinensis Venetus, utque falcem ad radicem mitteret, machinis omnibus in Romualdi historiam invectus, ejusdem auctoritatem hac in re infringere & abolere summo studio contendit. Inter cætera verò, quibus illam impetiit, Achillem hunc armat, postremam ejus historiæ partem haud esse genuinum Romualdi fœtum, sed Appendicem consutam ab imperito Anonymo, quem ipse Pseudo-Romualdum appellat; Quod ut evincat, ait feliciter secum actum esse, ut universæ hujus historiæ exemplar, beneficio Equitis Aloysii Cornelii consequeretur; fidenter asseverans ab integra historia securius ejusdem examen iniri, ac colligi posse quantum in ipsa peccatum sit. Contra, Felix Contelorius in Libro de Concordia Alexandri III. cum Friderico I. inanem hanc calumniam strenuè depellens, hæc inter alia subdit: Accedit quòd eloquutio eadem est ac in reliqua Chronicorum parte. At quis alterutri ex iis facilè fidem præstet, cùm nondum integra hæc Chronica emerserint, ex quibus de æquali ubique stylo, aut contextus fide judicium ferre quilibet possit? Necesse igitur erat ut aliquando in lucem prodirent; nullumque opportunius tempus, quàm cùm de inserenda huic Collectioni hujusmodi historia consilium agitaretur: Ita enim & gloriæ optimi Præsulis altiùs promovendæ, & veritati in dubium vocatæ, dilucidiùs obfirmandæ, unico sumptu consuluissemus. Hæc ad sententiæ meæ præsidium proferebam; quid autem actum sit in præsens, accipe.

Primus, qui è Romualdi Chronicis plura ad Annales suos contexendos decerpserit, atque in vulgus emiserit, Laudatus Baronius fuit. Hunc subsequutus est Felix Contelorius, qui post vindicatam impigrè hanc historiam ab Ulmi criminationibus, in calce operis superiùs memorati, eandem ab Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXIII. usque ad finem impressit. Postremò Joh. Bapt. Carusius Bibliothecæ historicæ Regni Siciliæ, recentissimè adornatæ, Appendicem adji-

(*) Epist. X. ad ejusdem VVillelmi Capellanum.

adjiciens, Romualdi Salernitani Chronicon edidit, non ab Anno Christi 814. ad 1212. ut per errorem in Indice Scriptorum tomi II. adnotatur, sed ab Anno MCLIX. ad Annum MCLXXVII. quemadmodum in ejusdem fronte Auctor Lectorem admonuit hæc scribens: „ Nos ne toties Romualdi Salernitani Chronicon à Scriptoribus Historiæ Siculæ citatum desi„ deretur, ex universa ejus historia, quæ ab initio Mundi incipit, & de rebus Siculis ante sua „ tempora nimis breviter aliqua tantùm attingit, illa dumtaxat seligimus, quæ in fine sui „ Chronici copiosiùs enarrat, cunctaque passim ad Siculam historiam magìs illustrandam perti„ nentia, & ad illam partem in qua supra allata synchrona monumenta deficiunt. Quippe „ ea narrat Romualdus ab Anno 1159. ad Annum 1177. (ubi desinit Chronicon) quæ præ„ sens ipse vidit & egit. „ Palatini Socii, ne ultra quidpiam in Eruditorum votis esse possit, integrum protulere. Quandoquidem verò in Apographum nostrum, jam à pluribus supra centum annis è Codice Vaticano descriptum, nonnulla irrepsisse menda deprehendi, emendare opere pretium duxi, atque ubi necessitas postularet aliquas sparsim adnotationes adjicere. Quin immo exemplar Ambrosianum cum supradictis impressis fragmentis conferre non piguit, ut castigatiorem Romualdi Editionem, Lector, acciperes: quamvis, ut verum fatear, longè melior ampliorque contextus noster sit, quàm qui à Carusio producitur; in eo siquidem ita frequentes occurrunt detortæ à grammaticis legibus voces, fractæ periodi, ac involuti obscuris narrationibus rerum eventus, ut ille potiùs ex nostro corrigi mereatur. Nibilominus si quid conformius ad historiæ veritatem, (raró tamen) repertum est, variæ lectionis loco in calce descriptum leges, ne omnino laude sua careat tanti viri diligentia. Interim studia nostra benignè complectere, & majora in dies operire. Vale.


Tiepolo del. Zucchi Sc.

CHRONICON ROMUALDI II. ARCHIEPISCOPI SALERNITANI.

In Christi nomine incipit Chronica.

DE ÆTATIBUS.


Prima mundi ætas est ab Adam usque ad diluvium, cõtinens annos, juxta Hebraicam veritatem mille sexcentos quinquaginta sex, juxta septuaginta verò Interpretes duo millia ducentos quadraginta duos; generationes verò juxta utramque editionem numero decem, quæ universali est deleta diluvio, sicut primam cujusque hominis oblivio demergere consuevit ætatem. Fuerunt Noë filii tres, ex quibus ita sunt ortæ gentes. De Japhet quindecim. De Cham triginta. De Sem XXVII. Sem annos duos post diluvium genuit Salem: à quo Samaritæ & Indi. Sale genuit Heber: à quo Hebræi. Heber genuit Falech, cujus tempore turris ædificatur, & linguarum divisio fit. In solo Heber prisca remansit lingua, quia in ea conspiratione non fuit. Turris verò duo millia CLXXIV. dicitur passuum. Hanc Nembroth gigas construxit. Hac ætate Scitharum regnum oritur, ubi primus regnavit Ihannus. Tunc & regnum Ægyptiorum ubi primus regnavit Thoës. Dehinc regnum Assiriorum, ubi primus regnavit Belus, quem dicunt Saturnum quidam: deinde Ninus, qui condidit

A Ninivem. Hoc tempore Abraham nascitur: & post mortem Nini à Semiramide Regina reædificata est Babylonia, ubi regnavit annos quadraginta.

Secunda ætas à Noë usque ad Abraham generationes juxta Hebraicam veritatem complexa decem, annos autem ducentos nonaginta duos; porrò juxta septuaginta Interpretes anni MLXXII. Generationes verò XI. hæc verò quasi pueritia fuit generationis populi Dei, & ideo in lingua inventa est Hebræa, à pueritia namque homo incipit noscere loqui, quæ idcirco appellata est, quòd fari non potest. Ab Adam itaque usque ad Abraham juxta Hebraicam veritatem computantur anni mille B nongenti quadraginta octo, secundùm septuaginta Interpretes fiunt anni tria millia trecenti quatuordecim.

Tertia ab Abraham usque ad David generationes juxta utramque auctoritatem XIV. annos verò, secundùm Hebræorum auctoritatem nongentos quadraginta duos complectens; juxta septuaginta verò Interpretes anni tria millia CXXXVII. hæc velut quædam adolescentia fuit populi Dei, à qua ætate incipit homo posse generare, propterea Matthæus Evangelista generationum ab Abraham sumpsit exordium, qui etiam pater multarum gentium constitutus est, quando mutatum C nomen accepit. Ab Adam verò juxta Hebræorum auctoritatem usque ad David fiunt anni duo millia octingenti nonaginta, secundùm septuaginta Interpretes tria millia CV. Cur autem annorum hæc diversitas sit, in sequentibus ostendetur.

Quarta à David usque ad transmigrationem Ba-

Babilonis annos habens, juxta Hebraicam veritatem, quadringentos septuaginta tres; juxta verò Septuaginta translationem XII. amplius generationes juxta utrosque Codices XVII., quas tamen Evangelista Matthæus certi misterii gratiâ XIIII. ponit, à qua velut juvenili ætate in populo Dei Regum tempora cœperunt; hæc namque in hominibus ætas apta gubernando solet existere regno. Ab exordio autem primæ ætatis, usque ad transmigrationem Babilonis computantur anni tria millia CCCLXXIII. secundùm Hebræorum auctoritatem, juxta septuaginta verò Interpretes anni tria millia quingenti nonaginta.

Quinta quasi senilis ætas à transmigratione Babilonis usque in adventum Domini Salvatoris in carne generationibus & ipsa XIIII. Porrò annis, secundùm Hebræorum auctoritatem, quingentis octoginta novem extenta; juxta Septuaginta octo, in qua grave senectute fessa malis crebrioribus plebs Hebræa quassatur. Taliter itaque ab exordio temporum usque ad Incarnationem Christi Domini, secundùm Hebræorum auctoritatem prosequendo Beato Hieronymo fiunt anni tria millia DCCCCLII. Verùm juxta septuaginta Interpretes, quos omnino Græci sequuntur, numerantur anni MMMMMDVIII. Eusebius autem, quem Orosius secutus est, inter utrosque numerat annos MMMMMCXCVIIII. quibus penè omnes Latini utuntur.

Sexta ætas, quæ nunc agitur, nulla generationum, vel temporum serie certa, sed ut ætas decrepita, ipsa totius sæculi morte consumenda: has ærumpnosas, plenasque laboribus mundi ætates, quique Beati felici morte vicerunt septimam jam Sabbathi perennis ætatem suscepti, octavam beatæ resurrectionis ætatem, in qua semper cum Domino regnent, expectant.

Ætas quippe duobus modis dicitur; aut enim hominis, sicut à nativitate infantia usque in annos septem, pueritia usque ad annos quatuordecim, adolescentia à quintodecimo usque in vicesimum octavum, juventus usque nd quadragesimum nonum, senectus à quinquagesimo usque ad LXXVIIII. decrepita ab anno octogesimo quousque vita finitur. Aut Mundi, cujus prima ætas ab Adam usque ad Noë, secunda à Noë usque ad Abraham, tertia ab Abraham usque ad David, quarta à David usque ad captivitatem Judæorum in Babiloniam, quinta deinde usque ad adventum Salvatoris, sexta, quæ nunc est usque quo mundus iste finiatur, quarum decursus per generationes, & regna evidentiùs infra, prout invenire potui, explicabo.

Creator omnium visibilium & invisibilium, qui trinus & unus Deus est, in principio creavit cœlum, terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, tempora quoque instituit, nam prima die in lucis nomine condidit Angelos, secunda die Cœlos in appellatione firmamenti, tertia die in discretionis vocabulo speciem aquarum, quarta luminaria Cœli, videlicet Solem, & Lunam, & Stellas, quæ temporum sunt ordinationes, quinta animantia ex aquis, sexta animantia ex terra, & hominem, quem appellavit Adam, & posuit in Paradiso, cujus de latere dormientis costam tollens, mulierem ædificavit, ut ejus adjutorio genus propagaret humanum, septima autem die requievit Deus

A ab omni opere primæ ac novæ conditionis; hoc autem secundùm literam.

INCIPIT PRIMA ÆTAS.

PRimo igitur anno, postquam de Paradiso Adam ligni vetiti culpa projectus est, cognovit uxorem suam, genuitque Cain, deinde Abel, quorum unus, videlicet Abel, justus simplex, ac innocens fuit, & Deo placens, ideoque justus. Cain verò superbus, invidus, ac nocens, & Deo displicens, ideoque injustus, qui solâ invidiâ fratrem occîdit. Unde & fratricidæ Deus iratus, maledictionem intulit, ejusque progeniem execratus est, atque ex eo filii hominum dicti sunt.

B Adam verò cùm centum triginta esset annorum, genuit filium, nomine Seth; hic fuit vir bonus, & justus, de cujus prosapia homines exorti, filii Dei dicti sunt. Supervixit autem Adam, postquam genuit Seth, annis DCCC. secundùm Hebraicam veritatem, usque ad quinquagesimum sextum annum nativitatis Lamech. Verùm septuaginta Interpretes ante natum Seth posuere annos CCXXX. postea DCC. Seth interpretatur resurrectio, significans resurrectionem Christi à mortuis, cujus mortem illatam à Judæis significat Abel, qui dicitur justus, à fratre Cain occisus secundùm Septuaginta, annos CCCXXXV. secundùm

C Hebræos CCXXXV.

Seth habens annos CV. genuit Enos, cui supervixit ann. DCCCXVI. usque ad CLXVII. annum nativitatis Lamech, porrò septuaginta Interpretes ante natum Enos annos CCV. postea posuere annos DCCVII. Enos interpretatur homo, de quo Deus benedicitur, iste cœpit invocare nomen Domini, quia hominum est proprium, ut suæ fragilitatis memores, invocent Conditoris auxilium, eorum dumtaxat, qui in fide Christi viventes, filii resurrectionis sic esse lætantur, secundùm Septuaginta, annum DCXXV. Hebræi CCCXXV.

Enos habens annos XC. genuit Cainam, cui

D supervixit annos DCCCXV. secundùm Hebræos, idest usque ad LXXXIV. annum nativitatis Noë, sed septuaginta Interpretes ante natum Cainam CXC. annos, postea DCCXV. posuere, secundùm Septuaginta annum DCCXXV. juxta Hebræos CCCXCV.

Cainan habens annos LXX. genuit Malalehel, post cujus ortum vixit annos DCCCXL. idest usque ad CLXXIX. annum nativitatis Noë; septuaginta Interpretes ante natum Malalehel CLXX. postea dixere DCCXL. secundùm Septuaginta annum DCCCCXCV. juxta Hebræos CCCCLX.

Malalehel annorum LXV. genuit Jareth,

E cui supervixit annos DCCCXXX. usque ad CCXXXIV. annum nativitatis Noë; Septuaginta verò ante natum Jareth CLXV. postea posuere DCCXXX. Septuaginta ann. MCXXII. Hebræos DCXXII.

Jareth annorum CLXII. genuit Enoch, cui supervixit annis DCCC. usque ad CCCLXVI. annum nativitatis Noë. In hac generatione nusquam codices discrepant. Hunc Enoch nonnulla divina scripsisse Juda Apostolo attestante comperimus. Sed ut Beatus Augustinus dicit, non frustra non sunt in eo canones scripturarum, qui servabantur in templo Hebræi populi succedentium diligentia Sacerdotum, nisi quia ob an-

antiquitatem suspectæ fidei judicata sunt, nec verum esse, quæ ille scripsisse poterat invenire(*), unde illa, quæ sub ejus nomine proferunt, & continent illas de Gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus judicantur non ipsius esse credenda. Septuaginta MDCCLXXXVII. Hebræi DCLXXXVII.

Enoch annos LXV. genuit Mathusalem post ejus ortum ambulavit cum Deo CCC. annis, idest usque ad CXIII. annum nativitatis Lamech secundùm Hebræos. Septuaginta Interpretes ante natum Mathusalem posuere CLXV. annos, postea CC. Iste quidem non apparuit mortalibus, quia tulit illum Deus ab eis. Bene autem in septima generatione Enoch, qui interpretatur dedicatio, tulit à mortalibus Deus, quia civitas electorum in sex hujus sæculi pro Deo laborans ætatibus, in septima Sabbathi futuri gloriam dedicationis expectat, atque reprobi sola præsenti sunt felicitate contenti. Cain verò civitatem, quam statuit non in septima generatione, sed in primogenito Enoch filio consecrat. Septuaginta MCCCLIV. Hebræi DCCCLXXIV.

Mathusalem annos CLXXXVII. genuit Lamech, cui supervixit annos DCCLXXXII idest usque ad diluvium. Septuaginta Interpretes ante natum Lamech CLXVII. ponunt annos, postea DCCCII. qui numerus, ut lector facillimè videbit, juxta Hebraicam veritatem XX. annos; juxta ipsorum verò auctoritatem XIV. annis diluvii tempora transiit. De qua famosissima quæstione doctissimi patres Hieronymus in libro quæstionum Hebraicarum, Augustinus in libro de Civitate Dei quinto decimo plenissimè disputant. Septuaginta MDCXLVI. Hebræi MLVI.

Lamech annos CLXXXII. genuit Noë, cui supervixit annos DXCV. usque ad sextum annum ante diluvium. Septuaginta ante nactum Noë ponunt annos CLXXXVIII. & postea DLXV. In hac sola generatione summa universitatis discrepat, quia XXIV. annis plus vixisse Lamech in Hebræis, quàm in septuaginta Translatorū codicibus invenitur. Septuaginta duo millia CCXLII. Hebræi MDCLVI.

Noë anno DC. diluvium factum est, mense secundo septima decima die mensis. Hîc perficitur prima ætas continens secundùm Hebraicam veritatem annos MDCLVI. juxta Septuaginta verò annos MMCCXLII. sanè de differentia annorum inter Hebræam, & septuaginta Interpretum auctoritatem ne quis nos laceret, novas movisse quæstiones, legat præfatorum Patrum memorata opuscula, & intelliget hanc jam olim notissimam fuisse distantiam, cujus originis distantiam cùm Beatus Augustinus solertissimè quæsisset, dixit in libro suprascripto, capitulo tertio decimo inter alia sic: „ credibilis ergo quis dixerit cùm primò de Bibliotheca Ptolomæi describi ista cœperunt tunc „ aliquid tale fieri potuisse in codice uno, sed „ primitus inde scripto, unde jam latiùs emanaret, ubi potuit quidem accidere etiam „ scriptoris error. Sed hoc in illa quæstione de vita Mathusalem, non absurdum est suspicari: quamvis de eo quidam dicant, quòd tempore diluvii Mathusalem, ubi pater ejus Enoch Deo volente servatus fuerit, posteaque in hoc mundo XX. annis vixerit: Et post aliquanta Beatus idem Augustinus in eodem:

A „ rectè, inquit, fieri nullo modo dubitaverim, „ ut cùm diversum aliquid in utrisque codicibus inveniatur, quandoquidem ad fidem „ rerum gestarum utrumque esse non potest, „ verùm ei linguæ potiùs credatur unde est in „ aliam per Interpretes facta translatio.

Explicit prima Ætas.

INCIPIT SECUNDA.

Secunda sæculi ætate, prima hujus diei, quæ est vicesima septima mensis secundi, egressus est Noë de Arca, in qua pauci, idest octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod commemorans in Epistola Beatus Apostolus Petrus mirificè statim exponere curavit, cùm „ subjunxit: quos, & vos nunc similis formæ B „ salvos fecit baptisma non carnis depositio „ sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio „ in Deum per resurrectionem Jesu Christi, „ qui est in dextera Dei. In aqua diluvii „ baptismum in Arca, & his quæ continebat „ Ecclesiam, & fideles illius in octonario „ animarum numero mysterium dominicæ re„ surrectionis, in cujus fide baptizamur, do„ cens esse figuram.

Vixit quoque Noë post diluvium annos CCCL. usque ad LVIII. annum nativitatis Abrahæ; Sem verò centum ac duorū annorum genuit Arfaxat, biennio post diluvium ab Arfaxat Chaldæos originem duxisse Hieronymus scribit. Supervixit autem seminato Arfaxat C quingentis annis, idest usque ad quinquagesimum annum nativitatis Jacob. Septuaginta MMCCCLXXIX. Hebræi MDCXCIII.

Arsaxat annos XXXV. genuit Sale. Hîc septuaginta Interpretes unam generationem plus quàm Hebraica veritas posuere, dicentes, quòd Arfaxat cùm esset CCCXXXV. annorum genuerit Cainan, qui cùm CXXX. annorum fuerit, ipse genuerit Sale, quorum translationem Evangelista Lucas hoc loco videtur esse secutus. Verùm Chronographi Græcorum cùm generationum seriem ad auctoritatem Hebraicam castigassent, ablata una generatione Cainan, nec tamen numerum annorum in generationibus, quas cum eis habuere D communes, ad eorum auctoritatem castigare curassent, propriam secuti auctoritatem dederunt huic ætati annorum summam minore quidem septuaginta Translatorum editione annis CXXX. sed super Hebraicam veritatem annis DCL. majorem, idest annos DCCCCXLII. Vixit autem Arfaxat post natum Salem annis CCCIII. cui tamen septuaginta Interpretes post natum Cainan scribunt annos CCCCXXX. & Cainan post natum Salem CCCCXXXVIII. A Salem Samaritani, & Indi. Septuaginta MMDCXXXIX. Hebræi MDCCXXIII.

Sale annos XXX. genuit Heber, cui supervixit annos CCCCIII. usque ad XVI. annum nativitatis Jacob. Septuaginta Interpretes ante E natum Heber posuere annos CXXX. postea CCCIII. Ab hoc Heber Hebræorum nomen, & genus oritur. Septuaginta duoM. septingenti XXXIX. Hebræi M. octingentos LVII.

Heber annos XXXIV. genuit Falech, cui supervixit annos CCCCXXX. usq;ad LXXIX. annum nativitatis Esau, & Jacob. Septuaginta ante natum Falech annos posuere CXXXIV. postea CCCXXX. Falech interpretatur divisio, cui propterea tale nomen imposuere parentes, quia tempore nativitatis ipsius, turris

(*) Verba sunt hæc Beati Augustini, sed malè ab amanuense prolata; Libro enim 15. de Civ. Dei cap. 23. Tom. VII. collect. Antvverpiæ: *non frustra non sunt in eo Canone Scripturarum, qui servabantur in templo Hebræi populi succedentium diligentia Sacerdotum, nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei judicata sunt, nec utrum hæc essent, quæ ille scripsisset, poterat inveniri.*

ædificata, & terra per linguarum confusionem divisa est, cujus divisionis Arnobius Rhetor in expositionē Psalmi CIV. ita meminit: Sem primogenito Noë pars facta est à Persida,& Bactus usque in Indiam longè, & usque Prinocururis, quæ spacia terrarum habent linguas sermone barbarico XXVII. in quibus linguis gentes sunt patriarum quadringentæ & sex, non diversarum linguarum, sed, ut dixi, diversarum patriarum, verbi gratiâ, cùm una lingua Latina sit, sub una lingua diversæ sunt patriæ, Apulorum, Calabrorum, Lucanorum, Brutiorum, Samnitum, Picenorum, Tuscorum, ex his, atque hujusmodi similia si dicamus. Cham verò filius secundus Noë Arino (1) cururis usque Gadira habens linguas sermone Punico à parte Garamantum, Latinum à parte Boreæ, Barbaricum à parte Meridiei. Ethiopum, & Ægyptiorum à Barbaris interioribus vario sermone viginti duabus linguis in patriis CCC. nonaginta quatuor; Jafeth autem tertius à Media usque ad Gadira ad Boream: habet autem Jafeth flumen Tigridem, qui dividit Mediam, & Babyloniam in patriis ducentis sermones varios in linguis viginti & tribus. Sunt omnes simul linguæ septuaginta duæ; patriæ autem generationum mille, in tripertito secundo hoc ordine sitæ sunt. Habet autem, ut diximus, Jafeth flumen Tigridem, qui dividit Mediam, & Babyloniam: Sem autem Eufratem: Cham verò Geon,qui vocatur Nilus.

Septuaginta MMDCCCCIII. Hebræi MDCLXXXVII.

Falech annos XXX. genuit Reu, cui supervixit annos CCIX. septuaginta ante natum Reu, CXXX. annos ponunt, postea CIX. His temporibus primùm templa constructa, & quidam Principes gentium tanquam Dii sunt adorati. Septuaginta MMMXXXV. Hebræi MDCCCXIX.

Reu annos XXXII. genuit Seruch, cui supervixit annos CCVII. Septuaginta ante natum Seruch CXXXII. posuere annos, postea CCVII. Tunc Scitharum Regnum dicitur exortum, ubi primus regnavit Thanaus. Septuaginta MMMCLXV. Hebræi MDCCCXLIX.

Seruch annos XXX. genuit Nahor, cui supervixit annos CCC. Septuaginta ante natum Nahor ponunt annos CXXX. postea CC.Tunc Ægyptiorum imperium dicitur inchoasse, primò eis regnante Vizoves, secundùm Septuaginta MMMCCXLIV. Secundùm Hebræi MDCCCCLXXVIII.

Nahor annos XXIX. genuit Thare, cui supervixit annos CXVIII. Septuaginta ante natum Thare ponunt annos LXXIX. postea CXXIX. Tunc Assiriorum, Siciniorumque Regnum nascitur, his primùm Belo, illis Agialeo regnante.

Hebræi MDCCCCXLVIII.

Thare annos LXX. genuit Abraham, cui supervixit annis CXXXV. Hactenus sæculi secunda ætas protenditur, cujus tota series recensita, Beatus Augustinus in libro de civitate Dei XVI. Capitulo X. hoc modo conclusit. „ Fiunt itaque anni à diluvio usque „ ad Abraham mille septuaginta duo, secundùm vulgatam editionem, hoc est Interpretum septuaginta: in Hebræis autem Codicibus longè pauciores, annos videlicet „ CCXCII. perhibent inveniri, de quibus, „ rationem nullam, aut difficilem reddunt.

(*Orosius.*)

Ab Adam primo homine usque ad Ninum magnum Regem, cujus anno XLII. natus est Abraham, fiunt anni tria millia CLXXXIV. A Nino autem vel Abraham, usque ad Cæsarem Augustum, idest usque ad Nativitatem Christi, quæ fuit anno Imperii Cæsaris XLII. cùm facta pace cum Parthis, Jani portæ clausæ sunt, & bella toto orbe cessarent, colliguntur anni duo millia XV.

INCIPIT TERTIA ÆTAS.

Tertia Mundi ætas à nativitate cœpit Abrahæ Patriarchæ, qui cùm septuaginta quinque annorum esset, relicta gente, & patria ad imperium Dei vênit in terram Canaan, accipiens promissionem nascituro de semine suo Salvatore, in quo benedicentur omnes gentes simul, & se ipsum in gentem magnam esse futurum, quarum una spiritualis, altera promissio carnalis. His temporibus Ninus, & Semiramis ejus uxor Assiriis regnabant. Zoroas magicam artem tunc primùm invênit.

(*Orosius.*)

Ante annos Urbis conditæ MCCC. Rex primus apud Assirios, qui eminere cæteris potuit, Ninus fuit, quique primus dominationis libidine arma foris extulit, atque cruentam vitam per totam Asiam bellis egit: quamvis pater ejus Belus prius obscurè regnaverit. Regnavit autem Ninus annis LII. quo occiso, successit ei uxor sua Semiramis, quæ cùm & ipsa XLII. annos regnaverit, non minùs crudeliter medio imperii sui tempore totius Asiæ Regina Babylonem urbem instauravit, caputque Regni Assiriorum ut esset, instituit, MMXXXIII.

Abraham anno LXXXVI. genuit Ismahel, à quo Ismaëlitæ. Genuit autem Ismahel duodecim Duces, & vixit annos CXXXVII. MMXLVIII.

Idem Abraham cùm esset annorum centum genuit Isaach, qui primus, & solus in tota Testamenti veteris serie legitur octava die circuncisus, quod non sinè magno mysterio privilegium est filio promissionis donatum, & postquam genuit Isaach vixit Abraham LXXV. annos usque ad XV. annum nativitatis Esau, & Jacob, MMCVIII.

Isaach habens annos LX. genuit Esau, & Jacob Patriarchas Idumeæ, & Israëliticæ gentis, post quorum ortum vixit Isaach annos CXX. His temporibus primus Argos regnavit Inachus cujus filia Yò, quam Ægyptii mutato nomine Ysidem colunt.

Duo millia C. nonaginta IX.

Jacob habens annos XCI. genuit Joseph: Joseph autem annorum XVI. erat, quando venditus est à fratribus suis, quique XXX. erat annorum cùm post vincula carceris stetit in præsentia Pharaonis, & cùm XXXIX. annorum esset ætatis, Jacob pater ejus descendit in Ægyptum in animabus LXX. ipse autem Jacob tunc erat CXXX. annorum, qui po-

(1) Lege à *Rhinocurura*; torrentem Ægypti vocat S. Hieronymus lib. VIII. commentariorum in Cap. XXVII. Isaiæ, inquiens: *Pro torrente Ægypti LXX. Rhinocururam transtulerunt*. Certè Urbem istam nomine Rhinocururam, seu Rhinoculuram longè post Chami tempora ædificatam fuisse ab Actisane Æthiopiæ & Ægypti Rege legimus in Diodoro lib.I.cap.XXXVIII.

postea in Ægypto vixit annos XVII. Hujus temporibus Memphis in Ægypto ab Ape Argivorum condita, Sparta quoque à Sparto filio Foronei Regis Argivorum condita. Ab Abraham verò usque ad introitum filiorum Israël in Ægypto fiunt anni CCXC.

(*Orosius*.)

Ante annos Urbis conditæ MXL. in Achaja fuit sævum diluvium totam eandem provinciam vastans.

(*Item Orosius*.)

Ante annos Urbis conditæ MVIII. fuit apud Ægyptum insolita fastidiendaque ubertas, deinde jugis & intolerabilis fames, cui Joseph vir justus & sapiens divina provisione subvênit. Eo tempore Foroneus Græciæ leges dedit. Juxta Hebræos anni MMCCCCLII.

Habitatio filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto fuit annorum CCCCXXX. quibus expletis eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti, ut Scriptura testatur Exodi. Quorum tamen summam annorum Chronographi ejus à septuagesimo quinto anno nativitatis Abrahæ, quando terram repromissionis intravit, computant, sequentes editionem septuaginta Interpretum, quæ dicit: habitatio autem filiorum Israël qua „ intraverunt in Ægypto, & in terra Cha- „ naan, ipsi, & patres eorum à septuagesi- „ mo quinto anno nativitatis Abrahæ anni „ CCCCXXX. „ quam necessariò sequendam & ipsa Hebraica veritas ostendit, quæ narrat Chaat filium Levi, quem natum esse constat in terra Chanaan, vixisse ann. CXXXIII. & filium ejus Amram patrem Moysi annos CXXXVII. & ipsum Moysen LXXX. fuisse annorum tempore egressionis de Ægypto; quia nimirum horum summam annorum constat quadringentos & triginta implere non posse: annuit autem horum translationi & Apostolus, cùm ait: „ Abrahæ dictæ sunt re- „ promissiones, & semini ejus: non dicit „ & seminibus, quasi in multis, sed quasi in „ uno. Hoc autem dico Testamentum con- „ firmatum à Deo, quæ post quadringentos „ & triginta annos facta est lex non irritam „ fecit ad evacuandas promissiones patrum. „ Erat autem Moyses LXXX. annorum & Aaron LXXXIV. annorum, quando locuti sunt ad Pharaonem, qui postea vixerunt annos XL. donec habitatio filiorum Israël fuit per desertum.

(*Orosius*.)

Ante annos Urbis conditæ MCCCX. Ansectione Athenius tertius à Cerope (2) regnavit, cujus temporibus aquarum illuvies majorem partem populorum Thessaliæ assumpsit, paucis per refugia montium liberatis, maximè in montem Parnasso: in cujus circuitu Deucalion tunc regno potiebatur, qui tunc ad se ratibus confugientibus susceptos per gemina Parnassi juga fovit aluitque, à quo propterea genus hominum reparatum ferunt. Tunc etiam in Æthiopia partes plurimas dirosque morbos penè usque ad desolationem exæstuavisse, & ne fortè divisa tempora esse credantur, ut Dei furoris bellici, & tempestate subacta, (3) Mediam Liber pater sanguine madefecit, cædibus opplevit, libidinibus polluit, gentem utique nulli unquam hominum obnoxiam vernacula tantùm quiete contentam.

(*Item Orosius*.)

Anno ante Urbem conditam DCCCV. Ægyptus decem plagis attrita est per manum Moysi ducis, quem Deus misit ad Pharaonem, ut dimitteret populum suum. Postquam verò Pharao dimisit Israëlem, insecutus est eum cum omni suo exercitu usque ad mare rubrum: & Hebræis per medium sicci maris tutò gradientibus, universa Ægyptiorum multitudo simul cum Rege suo aquarum inundatione in mari necata est, quorum multitudo hoc solo vel maximè argumento conjicere possumus, quòd eos sexcenta millia virorum timuerunt atque fugerunt. Tunc quoque temporis Athlas Astrologiam invênit. MMDCCCCXCIII.

Moyses autem annos XL. eductum ex Ægypto regit populum Israël in deserto. Quorum primo anno Tabernaculum Domino construit, & VII. mensibus opus perficiens, mense primo anni secundi prima die mensis erexit. Hucusque ut Eusebius commemorat quinque libri Moysi continent gesta annorum tria millia DCCXXX. secundùm septuaginta Seniorum interpretationem, quot verò annos hujus temporis Hebraica veritas contineat Josephus in primo contra Appionem Grammaticum libro ita commemorat; „ neque igitur apud „ nos habentur innumera volumina inter se „ discordantia, sed duo tantùm & XX. sunt „ libri, qui omnium temporum seriem conti- „ nent, qui & justè creduntur divinitus inspi- „ rati, ex quibus quinque sunt Moysi conti- „ nentes leges vitæ, & successionis humanæ „ prosapiam usque ad ipsius Moysis terminum „ pertendentes, qui paulo minùs ad tria mil- „ lia annorum continentiam gerunt. A Moyse verò Hebræi literas habere cœperunt. His autem temporibus Job de filiis Edom quintus ab Abraham, pronepos Isaac in terra Hus, quæ est in regione Philistinorum, tunc patriæ rector principabatur. Esau namque ipse est Edom, qui genuit Rahuel, Rahuel autem genuit Zara; hic itaque Zara genuit Job, qui alio nomine dicitur Johab. Hucusque ex libro Genesis prosecuti sumus. Ex hoc autem ex libro Josue, & Judicum usque ad Regum tempora MMDXIX.

Josue annos XXVI. regit populum, ut Josephus docet. Nam Scriptura Sancta quot fuerint anni Ducatus illius tacet. Quare autem Eusebius in Chronicis XXVI. annos posuerit infra dicemus. Primo namque Ducatus sui anno decimo die primi mensis populum, patefacto Jordanis alveo, in terram repromissionis induxit, quo videlicet anno, ut in Chronicis præfati Eusebii reperimus, principium erat quinquagesimi primi Jobelei, secundùm Hebræos: idest anni duo millia quingenti erant ab initio Mundi completi, singulis Jobeleorum ordinibus per quinquagenos deputatis. Constat enim à principio quia MDCLVI. ad diluvium usque fuere anni. Inde ad Abraham CCXCII. qui LXXV. erat annorum, quando promissionem Dei acceperit. Promissionis anni CCCCXXX. Ducatus Moysi anni XL. qui profectò numerus non duo millia quingentos, sed septem minùs, idest duo millia CCCCXCIII. ut prænotamus, annos implent. Josue autem impetravit à Deo, & Solem versùs in meridiem in eodem loco stare fecit

(2) *Corrige* Amphicthyon Athenis tertius à Cecrope

(3) Locus corruptus.

fecit diei unius spatio, ut non effugiendi solatium hostibus, cum quibus pugnabat, minimè præberet, quousque idem Josue de inimicis ulcisceretur. Erant ipsi enim quinque Reges Amorrhæorum. Dominus quoque misit super eos lapides magnos de Cœlo, & multo plures mortuo sunt lapidibus grandinis, quàm gladio. Josue CX. annorum mortuus est. Eo tempore Troja in quadrigis vigebat, in qua Trous priùs regnavit MMDLIX.

Othoniel annos XL. populum Dei rexit. Hic autem de Tribu Juda primus in Israël, Domino jubente, constituitur. Hujus temporibus primis, filii Israël serviere Chusan Barisathaim Regi Mesopotamiæ annis VIII. Eodem tempore Charinus filius Agenoris literas Græciæ dedit MMDCXXXIX.

B

Aod annos LXXX. filius Gera, filius Gemini, qui utraque manu utebatur pro dextera, cujus in principiis servivit Israël Eglon Regi Moab annis XVIII. donec eum ipsum percusso Eglon ipse liberavit. Hoc tempore Cyrene civitas condita est in Libia. Tunc quoque fabulæ fictæ de rebus gestis ab hominibus sceleratis MMDCLXXX.

Debora Prophetissa annos XL. de Tribu Ephraim cum Barac de Tribu Nephtalim, cujus in initio Ducatus oppressit filios Israël Jabin Rex Chanaan XX. annis qui regnabat in Azor. Sed occiso ab Israël Principe militiæ ejus Sisara, prostratus tandem, ac humiliatus est. Hoc tempore Miletus condita. Et tunc Apollo cytharam reperit MMDCCXXX.

C

Gedeon, qui & Jeroboal XL. annis de Tribu Manasse, sub quo servivit Israël Madianitis, & Amalechitis VII. annis. Sed Gedeon pugnante liberatus est. Nam per velleris signum, sicut à Deo petiit, confortatus ipse cum trecentis solumodo viris, quos secum habuit, vicit hoc bellum, in quo cæsa sunt CXX. millia virorum. Eo tempore Tyrus condita ante templum Hierosolymorum anni CCXL. ut scribit Josephus. Mercurius Lyram condidit. In Italia primus Janus regnavit MMDCCXLII.

D

Abimelech Gedeonis filius annos tres, qui regnabat in Sichem. Hic autem Gedeonis filius ex concubina occidit septuaginta fratres suos filios patris ejus ex matrimoniis. Remansitque Jonathas filius Jeroboal minimus, & absconditus est. Ipso quoque tempore Hercules Ilium vastat. Saturnus in Italiam fugiens, ibi post Janum regnavit MMDCCXLV.

Thola annis XXIII. filius Phua patrui Abimelech, vir de Isachar, qui habitabat in Samir montis Ephraim. Fuitque his temporibus bellum Laphitarum, & Centaurorum, quod scribit Palefatus primo de incredibilibus libro. Notabiles fuisse dicuntur equites Thessalorum. In Troja post Laomedontem regnavit Priamus MMDCCLXVII.

E

Jair annis XXII. ex Tribu Manasse. His diebus Hercules Agonem Olimpiacum constituit, à quo usque ad primam Olimpiadem supputantur anni CCCCXXX. Carmentes literas latinas invenit MMDCCLXXIII.

Jephte Galaadites annis VI. Philistim, & Ammanitæ deprimunt Israël, ex quibus Ammanitæ debellantur à Jephte, qui in Libro Judicum ab ætate Moysi usque ad semetipsum ait supputari annos CCC. Hercules in flammis se injecit. Amazonum tunc regnum vigebat, quod usque ad Alexandri Magni tempora mansisse legimus MMDCCLXXX.

A

Abesam de Bethlehem annos VII. Agamenon Misenis imperat annos XXXV. cujus anno XV. Troja capitur MMDCCXC.

Achilon Zabulonites annis X. Hic cùm annis X. suis in septuaginta Interpretibus non habetur, pro quo annos supplendo Eusebius Josue filio Nun, Samueli, & Sauli, quorum annos Scriptura non dicit, plures annos, quàm in Josepho legebat, annotavit, quatenus ab egressu filiorum Israël ex Ægypto, usque ad ædificationem templi CCCCLXXX. annorum summam Scriptura prædicat habere.

(*Orosius*.)

Ante Urbem conditam CCCCXXX. annos raptus Helenæ, conjuratio Græcorum, & concursus mille navium, dehinc decennis obsidio, ac postremò famosum Trojæ excidium prædicatur. In quo bello per decem annos cruentissimè gestos; quas nationes quantosque populos idem turbo involverit, Homerus Poëta in primis clarus luculentissimo carmine palàm fecit.

Dares autem Phrygius, qui Trojæ historiam scripsit, dicit: quia in illo bello perierunt ex Achivis CCCLXII. millia. Ex Trojanis autem usque ad civitatem perditam CLXVI. millia; civitate verò perdita CCLXVI. millia MMDCCXCVIII.

Labdon de Tribu Ephraim annis VIII. Hujus anno tertio Troja capta est, regnante in Italia Latino, completis à primo anno Cecropis, qui primus apud Atticam regnavit CCCLXXV. à quadragesimo autem & tertio anno Nini Regis Assiriorum. Juxta Eusebium autem expletis à mundi principio annis quatuor millia XIX. A diluvio anni MLXXXVII. A nativitate Abrahæ, & quadragesimo tertio anno Nini Regis annos DCCCXXXV. A nativitate Moysi anni CCCCX. Captâ igitur Trojâ, Æneas, paucis intervenientibus annis, in Italia profugus veniens, arma commovit, bella excitavit cum Turno Dauni filio Regis Tuscorum, dimicans eum interemit, ejusque sponsam sibi uxorem accepit, & per triennium regnans multos populos implicuit odio, excidioque afflixit MMDCCCXXXIX.

Mortuo autem Labdon, servivit Israël Philistæis annis XL. MMDCCCXCIX.

Sanson de Tribu Dan annos XX. Hactenus Judicum tempora liber signat habens annos CCCCXCIX. Quibus transactis ex libris Regnorum, & Prophetarum, & ex Romanorum historiis diu jam inchoatis acta prosequuntur.

Judices autem Latini duodecim, qui postea Romani nuncupati sunt, post tertium annum captivitatis Trojæ, (ut quidam volunt) octavum, regnavit Æneas annis tribus. Post quem Ascanius annis XXXIX. Ante Æneam verò Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus in Italia regnaverunt annis circiter CL. Ascanius Æneæ filius Albam urbem condidit MMDCCC.

Heli Sacerdos annis XL. In Hebræorum libro XL. anni inveniuntur. In Septuaginta autem interpretatione XX. Hectoris filii Ilium receperunt, expulsis Antenoris posteris, Heleno sibi subsidium ferente. Latinorum tertius Silvius Æneæ filius frater Ascanii regnat annis XXIX. quique post mortem patris editus ruri fuerat educatus, & Silvii, post Junii nomen accepit, à quo omnes Albanorum Reges Silvii vocati sunt. Reges Sicioniis defecerunt, qui ab Egealeo usque ad Zeuxippum re-

regnaverunt annis nongentis LXII. Post quos Sacerdotes Carnii constituti sunt MMDCCC.

Samuel annos XII. ut docet Josephus: in Scriptura enim Sancta quandiu præfuerit minime patet. Ab hoc tempora Prophetarum incipiunt.

Latinorum quartus Æneas Silvius regnat annis XXXI. Tunc temporis Homerus Poëta clarus fuisse putatur, juxta Isidorum MMDCCCXC.

Saul primus Hebræorum Rex annos XX. & hujus quia in canonica Scriptura non habetur, de antiquitatis Josephi libro, tempus Regni notavimus. In Lacedæmone regnavit primus Euristæus annos XLII. Corinthi primus Arethis annis XXXV.

QUARTA ÆTAS.

QUarta mundi Ætas non solùm cum inchoato Judeæ gentis imperio, sed & cum innovata promissione, quæ patribus olim data est, imperii Christiani sumit exordium, jurante Domino David veritatem: de fructu ventris ejus sedere super sedem ejus. Ex hoc autem Reges Juda designantur. MMDCCCCXXX.

David ex Tribu Juda Rex regnavit annis XL. Hunc Propheta Nathan arguit propter peccatum, atque legem Dei docuit eum. Quo tempore regnavit Latinorum quintus Latinus Silvius annis L. Tunc Ephesus condita ab Andronico. Carthago quoque condita est, ut quidam volunt, à Carchedone Tyrio, ut verò alii, à Didone filia ejus anno CXLIII. post Trojanum excidium MMDCCCCLXX.

Salomon filius David annos XL. qui quarto regni sui anno, mense secundo templum Domino ædificare cœpit in Hierusalem, collectis ab ingressu Israëlis ex Ægypto annis CCCCLXXX. ut Regum quoque liber testimonio est, quod in figura universa temporis, quo in hoc seculo Christi ædificatur Ecclesia, quæ in futuro perficitur; septem annis perfecit, & septimo octavi anni mense dedicavit. Achias Sylonites Propheta Salomoni Regi prædixit quòd per mulieres à mandatis Domini declinaret. Regina Saba vênit audire sapientiam Salomonis. Latinorum sextus Alba Silvius Silvii Æneæ filius regnavit annis XXIX. MMDCCCCLXXXVII.

Roboam filius Salomonis annos XVII. Ex eo quippe regnum Israël à Juda dividitur. Hieroboam namque de Tribu Ephraim separavit decem tribus à domo David, & à Domino: in figuram Hæreticorum, qui se suosq; sequaces à Christo, & Ecclesia segregant. Hujus quinto anno Sisac Rex Ægypti Hierosolymæ templum expoliavit. Addo Propheta in Samaria natus. Hic ad Jeroboam immolantem vitulis missus in sermone Domini vênit, eumque arguit immolantem. Hunc ad propria revertentem leo in viam strangulavit, eo quòd Propheta alius eum fefellit. Latinorum septimus Egippus Silvius Albæ superioris Regis filius regnavit annis XXXIV. Samus condita, & Smirna in urbis modum amplificata. MMDCCCCXX.

Abia filius Roboam annos III. Hic pugnantem contra se Jeroboam superavit, occisis de exercitu ejus MD. eo quòd sperasset in Domino. Sub hoc Abimelech Pontifex fuit. MMMXXXI.

(4) *Lege* Tiberis.

A

Asa filius Abia annos XLI. Ab hoc conductus Benadab Rex Syriæ contra Israël percussit omnem terram Nephtalim. Asa Idola destruit, templum mundat, egredientem contra se Zaram Æthiopem cum suo sternit exercitu. Amri Rex Israël emit montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti, & ædificavit eum. Hajel de Bethel Hierico instaurat. Latinorũ octavus Capis Silvius Egippi superioris regis filius regnavit annis XXVIII. Hic Capuam in Campaniam condidit. MMMLVI.

B

Josaphat filius Asa regnat annis XXV. Iste fecit rectum coram Domino. Helias Thesbites de terra Arabum de Tribu Aaron tres semis annos pluviam continuit propter peccatum Achab, & populi Israël. Et inter cætera magnalia Helisæum filium Saphath de terra Ruben, qui erat de Abel Meula pro se unxit Prophetam. Israël, & Juda hoc inter se differunt, quòd omnis populus priùs appellabatur Israël: Et qui regnabat de genere David in Hierusalem appellabatur Juda. Et quoniam ab Israël vituli aurei colebantur in Dan, & in Bethel: propterea ab Assyriis capta est Samaria, non tamen omnino deleta. Et multo post tempore Judas à Chaldæis ductus est in Babylonem: quia minora peccaverunt. Latinorum nonus Carpentus Silvius superioris Regis filius Capis regnavit annis XIII. à quo, & fluvius appellatus est Tiberius (4), qui priùs Albola dicebatur. Post quem Agrippa Silvius filius ejus annis XL. cujus temporibus Homerus fuisse, in Græcia perhibetur. MMMLXIV.

C

Joram filius Josaphat annis VIII. cujus diebus recessit Edom, ne esset sub Juda, & constituit sibi Regem. Ambulavit autem Joram in viis domus Achab: filia quippe Achab erat uxor ejus. Helias curru igneo rapitur quasi usque ad Cœlum. Et Helisæus hæres prophetiæ derelictus, primo miraculo aquam Jericho sanat (5). Abdias Propheta de Tribu Sichem in agro Bethacaran natus discipulus Heliæ fuit: tertius quinquagenarius cum quinquaginta militibus ab Ochozia ad Heliam missus, cui & petitus pepercit Helias, ne eum ignis, sicut duos ante quinquagenarios, consumeret. Hic ergo Hochoziæ relicto ministerio prophetavit. Michæas de Tribu Ephrem in Morasti ortus: quoniam peccantem Achab sæpiùs arguebat, sub Joram filio ejus præcipitio valde porrecto jactatus occubuit. MMMLXV.

D

Azarias filius Joram anno primo. Hunc Azariam cum filio Joas, & nepote Amasia ob enormitatem scelerum, & quia nec patrem, filiumve quispiam eorum bonum habebat, inde eos Matthæus Evangelista à Domini Salvatoris genealogia secludit. Jojadab filius Rechab clarus Sacerdos habetur, qui vixit annis CXXX. MMMLXXI.

E

Athalia mater Azariæ annis VI. quæ videns interfectum ab Hieu Rege Israël filium suum Azariam, interfecit omnem stirpem regiam domus Joram, præter solum Joas filium Azariæ, quem Josabet soror Azariæ uxor Jojadæ Pontificis furata est de medio filiorum Regis, cùm interficerentur. In septuaginta Interpretibus VII. annis regnasse Athalia narratur. Zaccharias prophetavit. MMMCII.

Joas filius Azariæ annis XL. Iste bono prin-ci-

(5) *Locus corruptus; fortasse legendum aquam Jordanis secat.*

A cipio, & fine usus pessimo. In principio sui regni templum innovat. In extremis inter cætera facinora Zachariam quoque filium Jojadæ tutoris quondam, ac regnificatoris sui inter templum, & altare lapidare præcepit, quem ob meritorum gratiam Dominus in Evangelio filium Barrachiæ, idest benedicti Domini, cognominavit. Latinorum duodecimus Aremus Silvius Agrippæ superioris Regis filius regnavit annis XVIII. qui præsidium Albanorum inter montes, ubi nunc Roma est, posuit. Hujus filius fuit Julius proavus Julii Proculi, qui cum Romulo Romam commigrans fundavit Juliam gentem. MMMCXL.

B Amasias filius Joas annis XXIX. Helisæus Propheta sepelitur in Samaria. Azahel Rex Syriæ afflixit Israël. Latinorum tertius decimus Aventinus Silvius superioris Regis filius major regnavit annis XXXVII. atque in eo monte, qui nunc pars est urbis, mortuus, ac sepultus æternum loco vocabulum dedit. MMMCXCII.

Azarias, qui & Ozias filius Amasiæ annis LII. Isaias prophetare cœpit in diebus Oziæ Regis Juda ante duos annos terræmotus, quem volunt eo tempore accidisse, quo ingressus Ozias templum Dei, sibi Sacerdotium vendicabat, & terra percussa est, & cineres altaris effusi sunt, & ipse Rex percussus lepra.

(*Item Hieronymus.*)

C Ozias qui & Azarias duplici nomine, & uno quidem atque eodem tempore Isaiam, Oseæ, Johel, & Amos prophetasse ex rebus quæ ponuntur in titulo cognoscimus, quod principium verbi Domini fuit in Oseæ filio Beri. Amos autem pater Isaiæ, non ut plerique autumant, tertius duodecim prophetarum est. Sed aliis diversisque apud Hæbreos scribuntur literis. Iste quidem primam, & extremam literam habet Aleph, & Sade. Ille verò Ayn, & Samech. Tradunt autem Hebræi Oseæ, & Amos, & Isaiam, & Johel, ac Jonam iisdem prophetasse temporibus, videlicet in diebus Oziæ, Johatam, Achaz, &
D Ezechiæ Regum Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas Regis Israël. De Jona quidem in Regum volumine ita scriptum est: Anno XV. Amasiæ filii Joas Regis Juda regnavit Jeroboam filius Joas Regis Israël in Samaria annis XLI. & fecit quod malum est coram Domino, & non recessit ab universis peccatis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israël. Ipse convertit fines Israël in Samariam ab introitu Emath usque ad mare solitudinis, juxta verbum Domini Dei Israël, quod locutus est in manu servi sui Jona filii Amathi prophetæ, qui fuit Deleth. Dicunt autem Hebræi hunc esse filium viduæ Sareptenæ, quem Hælias Propheta mortuum suscitavit. Assyriorum Rex
E tricesimus sextus Thonos Concoleros, qui vocatur græcè Sardanapalus, Tharsum, atque Anchialem condidit, & in prœlio victus ab Arbato Medo semet incendio concremavit. Usque ad id tempus fuisse Reges Assyriorum historia refert, & fiunt simul anni MCXCVII. Omnes autem anni Regni Asyriorum à primo anno Nini supputantur. MCCXL.

(*Orosius.*)

Anno ante Urbem conditam LXIV. novissimus apud Assyrios regnavit Sardanapalus vir muliere corruptior, qui inter scortum gregis (6) fœminæ habitu purpuram collo gestans à Præfecto suo Arbato, qui tunc Medis præerat invisus atque execrationi habitus, excitis Medorum populis ad bellum provocatus, & victus, ardenti piræ se injecit: exin Arbates Medus, Assyriorum imperio destructo, regnum in Medos transtulit, ubi primùm ipse regnavit annis XXVIII. Lacedæmoniorum Reges deficiunt, Lidorum incipiunt. Latinorum quartus decimus Procax Silvius Aventini superioris Regis filius regnavit annis XXIII. Post quem quintus decimus Amulius Silvius annis quadraginta. MMMCCVIII.

Joatham filius Oziæ Rex justus annos XVI. Hic inter cætera virtutum bonarum opera, portam Domus Domini sublimissimam ædificavit, quæ in actibus Apostolorum speciosa vocatur. Omnes siquidem portæ templi in terra fuerunt, exceptâ speciosâ, quæ pendebat, quæ ab Hebræis vocabatur Joathan. Olimpias prima ab Ellienfibus constituitur post annos Trojanæ captivitatis CCCXCV. Remus, & Romolus generantur Marte & Ilia MMMCCXXIII.

Achaz filius Joatham annis XVI. Raasim Rex Damasci victo Achaz multos de Juda Damascum transtulit. Et Faceæ filius Romeliæ Rex decem tribuum, quæ appellabantur Israël, & regnabat in Samaria, centum viginti millia percussit de Juda hominum bellatorum, & ducenta mulierum, puerorumque, & puellarum cum infinita præda in Samaria duxit captiva. Rursumque iidem ipsi experimentum habentes fortitudinis suæ atque victoriæ veniunt ad Judæam, & Hierusalem, cupiuntque debellare, & non potuerunt: quia auxiliatus est eis Dominus sub occasione misericordiæ, qua populum liberaret obsessum, Filium suum per Prophetam nuncians de Virgine nasciturum. Tunc Isaias Propheta missus est cum Assub filio suo in occursum Achaz, ut diceret ei, ne timeret, & cor ejus ne formidaret à duabus istis caudis titionum fumigantium, quos vocat Raasim, & Faceæ: eo quòd in ipsis esset finiendum Regnum Syriæ, idest Damasci, & Regnum Samariæ, idest decem tribuum, quæ alio nomine appellabantur Ephraim.

(*Hæc Hieronymus.*)

Legimus, quòd regnante Joas, Zacharias filius Barrachiæ, quem Prophetam fuisse dubium non est, Sacerdos fuerit templi Domini, cui præcepit Achaz, ut altare simile altari Damasci faceret, quod minimè fecit. Et Dierum narrat liber, quòd Ezechias filius Achaz quæsierit Dominum in diebus Zachariæ erudiri in timore Domini. Achaz filius Joatham Rex impiissimus, qui clausit Januas templi, & in Valle Gennon adoravit Baalim, & filium suum Idolis consecravit: ab hoc conductus Thegat Falasar Rex Assiriorum, & Rasin Regem Syriæ interfecit, & habitatores Damasci transtulit Cyrenen.

Anno post eversionem Trojæ CCCCXVIII. sive, ut placet Orosio, annis CCCCIV. Olimpiade autem sexta, quæ quinto demum anno, quatuor in medio expletis, apud Heliden Græciæ civitatem Agone, & ludis exercere solet Urbem XI. Kal. Majas, ante sex Annos quàm decem Tribus Israël à Sennacherib Rege Chaldæorum transferrentur, Roma in Ita-

(6) *Lege* scortorum greges.

A

Italia condita in Monte Palatino à Remo, & Romulo geminis auctoribus natis annos XVIII. filii (*) Rheæ Silviæ, quæ erat filia Numitoris fratris Regis Amulii Virgo Vestalis, sed constuprata Consualibus ludis. Sabinæ raptæ anno ab Urbe condita tertio Remus rostro pastorali à Fabio Romuli duce occisus est. Regnumque Romulus parricidio imbuit, atque raptas Sabinas impiis nuptiis confœderatas, maritorum, & parentum cruore dotavit. Romulus itaque interfecto primùm avo Numitore, dehinc Remo fratre arripuit Imperium, Urbemque constituit; regnum avi, muros fratris, templum soceri sanguine dedicavit. Sceleratorum manum promissa impunitate collegit. Primus illi campus ad bellum forus fuit, mixta sibi

B

bella civilia, & externa nunquam desutura significans. Titum Tacium Sabinorum Ducem honestum, postquam in societatem regni assumpsit, occidit. MMMCCLIII.

Ezechias filius Achaz annis CCCXL. Hujus anno sexto Salamanassar, Rex Assyriorum captâ Samariâ decem tribus Israël transtulit in Assyrios, cujus regnum à primo Jeroboam steterat annis CCCXL. Thobias tunc cum eis ab eisdem Assyriis ductus est in civitate Ninive.

(*Hieronymus*.)

Ninives Metropolis fuit Assyriorum, quorum Reges Phul, & Thegat, Phalassar, & Sennacherib decem tribus ceperant. Scriptum est enim, quòd Thegath Phalassar Rex Assyriorum sub Rege Achaz ascenderet in Da-

C

mascum, & vastaverit eam, & transtulerit habitatores ejus Cirenem, & Roresin interfecerit, & quòd tetenderit insidias Faceæ filio Romeliæ, Oseæ filius, Elam, & percusserit eum, & interfecerit, & regnavit pro illo annis novem. Et quòd venerit Salmanassar Rex Assyriorum, & obsederit Samariam, quæ nunc Sebaste vocatur tribus annis, & nono anno regni Oseæ ceperit eam, victamque Oseæ in carcerem miserit, & transtulerit Israël in Assyrios, posuitque mala, & in Hor juxta fluvium Gozam in civitatibus, & in Montibus Medorum. Septimo anno post mortem Achaz

D

duæ & semis tribus sub eo captæ sunt: reliquæ autem tribus sub Ezechia qui ei successit in regnum. Omnia hæc decem tribus perpessi sunt, eo quòd semper contra Judam præbebat auxilium. Fugato Assyrio regnavit Judæ Ezechias vir justus. Ezechias enim percussit Philistim usque Gazam, & depopulatus est, & usque ad Urbes munitas: quamvis Sennacherib Assyrius priùs inter cæteras nationes eos devastaverit Philisteos. Sennacherib captivum duxit Israël. Et Nabuchodonosor subvertit Hierusalem. Ezechiæ verò super dies suos, XI. annos ad vitam Deus adjecit. Mortuo Romulo qui XXXVIII. annos regnavit, per quinos dies Senatores rempublicam rexerunt, atque ita

E

unus expletus est annus. Post quos Numa Pompilius annis XLI. regnavit, qui Capitolium à fundamentis ædificavit, & leges, ac mores primus Romanis instituit, annumque in menses primus composuit. MMMCCCVIII.

Manasses filius Ezechiæ annis LV. Hic ob scelera sua catenatus & compeditus in Babyloniam ducitur: sed ob pœnitentiam, & preces restituitur in Regno. Cujus diebus Isaias Propheta secatus in duas partes occubuit.

(*Hieronymus*.)

Tradunt Hebræi Isaiam socerum fuisse Manasses filii Ezechiæ Regis Juda. Romanorum tertius Tullius Hostilius regnavit annis XXXI. qui primus regum Romanorum purpura, & fascibus usus est, & adjecto monte Cœlio Urbem ampliavit, qui fulminis ictu cum domo sua arsit. His temporibus Bizantium civitas à quodam Pausania Rege Sparthanorum condita quæ postea Constantinopolis est appellata. Tunc quoque Sibilla claruit. MMMCCCXLI.

Ammon filius Manasse annis II. in Hebraica veritate II. annis, in Septuaginta legitur regnasse XII. Hic à servis suis interficitur. Histius civitas in Ponto condita.

Josias filius Ammon annis XXXI. Hic mundata Judæa & Hierusalem, templo etiam innovato, post abjectas idolatriæ sordes, Pascha Domino celeberrimum fecit octavo decimo anno regni sui. Et cum Nechaone Ægyptiorum Rege congressus occiditur in campo Magedo, quæ nunc Maximianipolis vocatur. In Hebræo XXXI. annum regnasse Josias, in septuaginta Interpr. XXXII. legitur. Sed Eusebius inter regnum ejus, & Joachin alium de suo addidit annum propter menses bisternos, quibus Joachaz, & Joachim regnaverunt. Verùm quid veritas habeat Hieremias pandit, qui se à tertio decimo anno Josiæ usque ad annum quartum Joachim XXIII. annos prophetasse perhibet, cùm Nabuchodonosor quarto anno Joachim regnare cœpisset. Nonodecimo autem imperii ejus anno Hierusalem fuisse destructam.

(*Hieronymus*.)

Hieremias cùm esset puer cœpit à tertio decimo anno Josiæ Regis Juda filii Amos, prophetavitque imperio ejus annis XIX. Et postea sub Joachim filio ejus annis XI. usque ad quintum mensem, quando à Babylonis capta est Hierusalem. Joachaz verò, & Jechoniam ternos menses, quorum alter in Ægyptum, alter cum matre ductus est in Babylone, in supradictis annis computantur, ac per hoc ab exordio prophetiæ suæ, usque ad captivitatem Hierusalem, in qua & ipse captus est, prophetavit annis XL. præter illud tempus, quando ductus est in Ægyptum, ibique prophetavit in Taphnis. Fuit autem Hieremias de genere Sacerdotum, qui habitabant contra Septentrionem in vico Anathot, qui tertio milliario distat ab Hierusalem.

Romanorum quartus Ancus Martius Numæ ex filia nepos regnavit annis XXIII. qui Aventinum montem, & Janiculum urbi addidit, & supra mare XVI. ab urbe milliario Hostiam condidit. Post quem Tarquinius Priscus annis XXXVII. qui Circum Romæ ædificavit, numerum Senatorum auxit, Romanos ludos instituit, muros, & cloacas ædificavit, Capitolium extruxit. His diebus Arion Methimneus à delphino in thermis transportatus est. Tunc etiam Massilia condita. Tempore Tarquinii Epidaurus est condita, quæ postea Dirratium est nominata.

(*Hieronymus*.)

Legimus Niniven, regnante apud Hebræos Josia à Sayca Rege Judæorum fuisse destructam, quæ Dei judicio palustribus aquis postea est submersa. Ex quo intelligimus primo tempore ad Jonæ prædicationem actâ pœnitentiâ sub cura Regis Deum timentis veniam consecutos: postea verò transactis plusquam centum annis in pristinis vitiis perseverantes Dei

(*) filiis.

Dei in se provocantes (7) sententiam, quia non erat eis Rex, qui sollicitè Deum timeret, ut sui cura Dei justitiam temperaret. MMMCCCLII.

Joachim filius Josiæ annis XI. Post Josiam regnavit Joachaz filius ejus tribus mensibus, quem Nechaon Rex victum ducens in Ægyptum Joachim constituit Regem. Hujus tertio anno Nabuchodonosor capta Hierusalem, & plurimis captivitatis (8), in quibus erant Daniel Ananias, Azarias & Misahel, partem vasorum templi in Babyloniam transfert. A quarto Joachim anno scriptũ Regum (9) Nabuchodonosor computat: quia ex eo non solùm Judæis, & Chaldæis, sed & Assyriis, Ægyptiis, Moabitis, aliisque innumeris gentibus cœpit regnare Joachim, qui & Jechonias filius Joachim mensibus tribus, & diebus decem. Hic circumdata à Chaldæis Hierusalem exiit ad Regem Babylonis, & mater ejus, & ductus est in Babylonis cum populo suo anno octavo regni Nabuchodonosor. MMMCCCLXIII.

Sedecias, qui & Matthiam filius Josiæ annis XI. Hujus anno XI. Regis autem Babylonis nono decimo Judæa capta est, in Babyloniam exilio ducta est, & templum Domini combustum anno ex quo fundari cœpit CCCCXXX. Qui autem reliqui fuerunt Judæi transfugerunt in Ægyptum, qua post annos quinque percussa à Chaldæis in Babyloniam sunt, & ipsi transmigrati.

(*Hieronymus*.)

Josias filius Amon Rex justus tres habuit filios Joacham & Joachim, & Sedeciam; Josiæ quippe successit in regno filius ejus Joacham, quem Rex Ægypti Farao Necho captivum duxit in Ægyptum, ibique mortuus est. Quo statim in captivitate ducto regnum obtinuit in Hierusalem Joachim frater ejus. Quarto autem anno Joachim hujus filii Josiæ patris Nabuchodonosor in Babylone suscepit imperium, atque ita factum est, ut annus, qui primus erat Nabuchodonosor in Babylone, quartus esset in Hierusalem Regis Joachim. Denique Nabuchodonosor octavo anno regni sui veniens Hierusalem obsedit eam, & Jechoniam filium Joachim cum matre, & Principibus duxit in captivitatem, qui tribus tantùm post interfectionem patris ejus Joachim regnarat mensibus. Interfectus est enim Joachim undecimo anno regni sui in Hierusalem. Joachim filius Josiæ, sub quo etiam Holda mulier prophetavit, ipse est qui alio nomine appellatur Heliachiz, & regnavit super Judam, & Hierusalem annis undecim cui successit in Regnum filius ejus Joachim, cognomento Jechonias, qui tertio mense sui regni die decima captus à Ducibus Nabuchodonosor ductus est in Babylonem, & in loco ejus constitutus est Sedecias patruus ejus: cujus anno XI. Hierusalem capta, atque subversa est, ipseque in Babylonem ductus ultra non reversurus. In his tribus captis atque transductis regnum Juda finitum est. Jechonias non fuit filius, sed nepos Josiæ. Joachim filius Josiæ regis crudeliter regnavit, ejusque sepultura nec narratur: habente Scriptura sancta, ut omnes reges mortuos referat, & sepultos, quasi bene fuit eis in præsenti & in futuro bene erit. Hunc autem propriè narrat mortuum, & non sepultum: insepultum quidem, hoc est, à bestiis, avibusque lacerandum. Hæc est etenim Asini sepultura. Hunc itaque per Prophetam Dominus arguit superbiæ, & quòd divitiarum magnitudine abusus sit in contemptum Domini, nec audierit vocem Dei. Nemo putet eundem in Danielis principio esse Joachim qui in Ezechielis exordio Joachim scribitur: iste enim extremam sillabam Chim habet, ille Chin habet: & ob hanc causam in Evangelio secundùm Matthæum una videtur esse generatio, quia secunda tesseris ire dechas in Joachim desinit filium Oziæ, & tertia incipit à Joachim filio Joacham. Primò quidem veniente Nabuchodonosor super Hierusalem non omnes Judæi pariter in captivitatem ducti sunt; sed pars aliqua, & tertia vasorum sanctorum direpta est. Regem quoque Joachim detentum simul cum Daniele, & eis qui cum Anania fuerunt in Hierusalem, captivos in Babyloniam deduxerunt: nec non & cum eisdem civitatis Principibus. Sedeciam autem in Hierusalem constituit regem eis, qui ibidem remanserant. Magnificatur etiam & in hoc, quod fecit Joachim Rex, quia dum Nabuchodonosor ad expugnandum Hierusalem venisset, Joachim Rex videns imminens excidium civitatis, & intelligens hoc sinè ira Dei esse non posse, vitâ contemptâ cum honore proprio ultro se protulit, tradiditque manibus hostium cum aliquantis Principibus civitatis, ne civitas dirimeretur, nec templum hostili vastatione combureretur. Quod aspiciens Dominus Deus solita pietate commotus, furiosi Regis Nabuchodonosor animum mitigavit, atque frenavit, ne aut subjectos occideret, aut civitatem dirueret, templumque combureret. Joachim verò prospiciente Domino in Babylonia honoratus est, atque sublimis effectus; filius namque Nabuchodonosor major natu, qui fuit Evvilmerodac, mox ex quo regnare cœpit, honoravit eum, & multis dignitatibus decoravit omnibus diebus vitæ ejus. Sedecias verò, qui in Hierusalem Rex fuerat constitutus post Joachim, cùm hortante Hieremia Propheta ut exiret ad Regem Babyloniæ ibidem postea venientem exire noluisset; ipse malè periit, & omnis interfecta est ejus generatio, & civitas universa diruta est, templumque combustum; Senes etiam cum juvenibus sinè aliqua misericordia furiosorum gladiis interfecti sunt in circuitu templi, & sancta omnia impiorum manibus perquisita, ac sinè mora sublata sunt, ut in Babylonem transferrentur. Babylon autem fuit metropolis Chaldæorum cujus Rex Nabuchodonosor cunctis usque ad Æthiopiam gentibus superatis inter cæteras vastavit Judæam diuque obsessam. Hierusalem undecimo anno cepit Sedeciæ, quem & ipsum captum duxit Antiochiam, quæ tunc vocabatur Reblatha, ibique coram patre filiis interfectis oculos Sedeciæ jussit auferri excœcatumque misit in caveam, & in ritu ferarum traxit in Babyloniam. Quando autem à Chaldæis captivata, & vastata est Hierusalem, tunc mandavit Nabuchodonosor Rex Principibus suis, ut Hieremiam de carcere extraherent: ibi enim Sedecias, & Principes ejus illum constituerunt, eductus itaque de carcere beatus Hieremias petiit ab eis tabernaculum testimonii & sancta à Moyse conscri-

(7) *Lege* provocasse,
(8) *Lege* captivatis.
(9) *Lege* Scriptura Regnum

scripta testimonia in deserto, & Arcam, & ea, quæ in Arca habebantur, Tabulæ legis scilicet, & vas aureum plenum manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & candelabrum aureum, & omnia, quæ fecit Moyses. Hæc omnia itaque petiit ab ipsis Principibus Hieremias dicens: *Si ista omnia à Deo consecrata in Babyloniam duxeritis contrarium vobis erit, & cavete ne patiamini sicut priores alienigenæ fuerunt perpessi: quia quando Arcam Domini testamenti deprædati sunt, gravissima affecti sunt pœna, cùm manus Domini vehementissimè eos conturbaret, & percussi fuissent à Domino nimia plaga doloris*. Hæc omnia prædixit eis Sanctus Hieremias. Quæ audientes Principes universi cuncta, quæ petiit Hieremias, Tabernaculum scilicet, & Arcam, & cætera sacramenta superiùs dicta eidem tradiderunt, ex jussione videlicet & mandato Regis Nabuchodonosor. Omnia ergo hæc Sanctus Hieremias oblata secundùm mandatum Domini in monte abscondit, atque constituit. Hi verò, qui cum eo ambulaverunt scire volentes viam, vel locum non potuerunt: quia eis hoc noscere non permiserat Deus, nec digni fuerunt ut ea aliquando viderent. Hæc quidem Josephus. Sed & alia plura, quæ illo tempore contigerunt Historiæ illius commemorat per ordinem textus. Sacerdotes etiam, qui captivi sunt ducti ex Hierusalem, abstulerunt ignem sanctum de altari, quem servare cupientes, absconderunt in spelunca: quem post septuaginta annos hi, qui reversi sunt de captivitate, requirentes, invenerunt aquam crassam, & accipientes eam, super holocaustum Domino libaverunt. Principes verò Nabuchodonosor Regis rogaverunt Hieremiam plurimùm, ut veniret in Babyloniam, quo nolente, quod vellet agere permiserunt ei, & cum omni reverentia cum donis, & muneribus dimiserunt eum. Sedit itaque Sanctus Hieremias in medio eorum, qui remanserant in Masphat: quique iterum non desinentes à pravis, & illicitis rebus, abominationes prohibitas cœperunt committere Idolis serviendo, & Dominum impiè contemnendo. Adjecerunt etiam, ut ipsum Hieremiam pertraherent secum sicut captivum in Ægypto; & quod non fecerunt Barbari Babylonis, hoc isti, qui proximi videbantur, circa eum crudeliter perpetraverunt, invitumque eum in Ægypto secum deduxerunt, & ibi dicitur esse defunctus lapidibus obrutus.

(*Hieronymus*.)

Cæteri Prophetæ, ut Isaias, Osee, Johel, fuerunt ante captivitatem decem Tribuum Israël, sive duarum Tribuum Juda, & Beniamin, alii post captivitatem, ut Daniel, Aggæus, & Zacharias. Hieremias verò & Ezechiel imminente captivitate vaticinium texuerunt; sed alter eorum in terra Juda, alter in Babylone. Post exordium enim vaticinationis Hieremiæ Prophetæ Hierusalem trigesimo quinto ejus anno Ezechiel in Babylone, his, qui cum eo capti fuerant, exorsus est prophetare: quinto videlicet anno transmigrationis Jechoniæ. Sophonias verò tempore Josiæ prophetavit. Hebræi arbitrantur Danielem, & Ananiam, & Mishaëlem, & Azariam fuisse Eunuchos in Babylonem.

Explicit quarta Ætas.

INCIPIT QUINTA ÆTAS.

Quinta ætas ab exterminio cœpit Regni Judaici, quod juxta prophetiam Hieremiæ septuaginta annis permansit. MMMCCCLXXVI.

Anno XIV. postquam percussa est civitas, qui est vigesimus quintus annus Joachim, cum quo & Ezechiel captivatus est: ipse Ezechiel in visionibus Dei adductus est in terram Israël, & vidit renovationem civitatis, ac Templi ceremoniarumque ejus. Romanorum sextus Servius Tullius regnavit annis XXXIV. qui tres montes Urbi addidit, Quirinalem, Esquilinum, Viminalem. Fossas circum muros duxit. Census civium Romanorum primus instituit, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat; tunc inventa sunt capita Romanorum civium octoginta quatuor millia. MMMCCCLXXXIX.

Anno XXVI. post eversionem Hierusalem, qui est XXXVII. transmigrationis Regis Joachim sublevavit Evvilmerodach Rex Babylonis anno, quo regnare cœperat, caput Joachim Regis Judæ, & posuit thronum ejus super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone. Meminit hujus temporis adhuc futuri Propheta Hieremias ita scribens: *Ecce ego mittam, & assumam universas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & adducam eos super terram istam, & super habitatores ejus, & super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt, & interficiam eos, & ponam eos in stuporem, & in sibilum, & in solitudines sempiternas, & servient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis. Cùmque impleti fuerint anni septuaginta visitabo super Regem Babylonis, & super gentem illam, ait Dominus, iniquitates eorum, & super terram Chaldæorum, & ponam illam in solitudines sempiternas*. Et alibi scribens ad transmigrationem, quam transduxerat Nabuchodonosor de Hierusalem in Babylonem cum Jechonia Rege: *cùm cœperint impleri septuaginta anni in Babylonem visitabo vos, & suscitabo super vos nomen meum in bonum, & reducam vos ad locum istum, ait Dominus*. Rursus ejusdem temporis jam præteriti verba dierum ita recordantur: *Si quis evaserat gladium, in Babylonem ductus servivit Regi, & filiis ejus: donec imperaret Rex Persarum, & compleretur sermo Domini ex ore Hieremiæ, & celebraret terra Sabbatha sua*: cunctis enim diebus desolationis egit Sabbathum usque dum complerentur septuaginta anni. Anno autem primo Cyri Regis Persarum ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Hieremiæ, *suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum*, & cætera. Quibus verbis ostenditur quia vastatâ Judæâ Chaldæi, non ut Assyrii in Samaria, alios misêre colonos; sed desertam reliquere terram, donec post annos septuaginta in eam rediere Judæi. Consentit his Josephus in decimo antiquitatum Libro scribens Templum, & Hierusalem, & omnem Judæam septuaginta annis permansisse desolatam: qui rursus enumerando Reges Babylonis (si tamen ille sic scripsit, & non Codex fallit mendosus) centum ferè annos ab eversa Hierusalem usque ad eversionem Regni Chaldæorum facit colligi: scribit enim post Nabuchodonosor, qui, teste Scriptura Sacra, XXV. post eversam Hierusalem

salem vixit annos, Evvilmerodach filium ejus regnasse annos XIX. Post quem Eglesar filius ejus annis XL. Cui successisse filium ejus Laborsordoch mensibus novem. Hoc defuncto ad Balthasar, qui Naboan nuncupatur, transisse imperium, qui cùm jam decem & septem regnaverit annis, captam à Cyro Persarum, & Dario Medorum Rege Assueri filiis Babyloniam (*). Darius autem Astiagis filius qui Babyloniorum destruxit Imperium cum Cyro cognato suo agebat annum sexagesimum secundum, cùm Babylon fuisset invasa, qui tamen alio nomine vocabatur à Græcis, quique Danielem Prophetam sumens ad se in Mediam duxit, & omni honore eum celebravit. Hujus Darii Daniel ipse ita meminit. *In anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam Prophetam ut complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni*. Eusebius in temporum libro XXX. annos ab eversione Hierusalem usque ad initium Cyri Persarum, Julius autem Africanus LXX. computavit. Porrò Hieronymus in expositione Prophetæ Danielis ita dicit: *Tradunt Hebræi hujuscemodi fabulam usque ad septuagesimum annum, quo Hieremias captivitatem Populi Judæorum dixerat esse solvendam, de quo & Zacharias in principio voluminis sui loquitur, irritam putans Dei pollicitationem Balthassar, falsumque promissum, versus in gaudium fecit grande convivium insalutans* (10) *quodammodo spei Judæorum, & vasis Templi Dei. Sed statim ultio secuta est*. Item Hieronymus: Sciendum est Balthassar non esse filium Nabuchodonosor, ut vulgò legentes arbitrantur, testimonium de Daniele proferentes; eo quòd ipse dixerat Balthassari pater tuus Nabuchodonosor; sed juxta Berosum, qui Chaldæam scripsit historiam, & Josephum, qui Berosum sequitur, post Nabuchodonosor, qui regnavit annis XLIII. successisse in regnum ejus filium, qui vocatur Evvilmerodach, de quo scribit & Hieremias, quòd in primo anno regni sui levaverit caput Joachim Regis Judæ, & eduxerit eum de domo carceris. Refert Josephus, quòd post mortem Evvilmerodach in regnum patris successerit filius ejus Neglisar: post eum rursum filius ejus Laborsordoch: quo mortuo Balthassar filius ejus regnaverit, cui Daniel Scripturam mysticam in pariete legit, & interpretatus est. Quod autem Balthassaris patrem Nabuchodonosor vocat non facit errorem scientibus Sanctæ Scripturæ consuetudinem: quia patres omnes proavi vocantur. Balthassar autem Chaldæus Rex eadem nocte, qua Daniel arguit eum, interfectus est à Dario Rege Medorum, & qui Cyri Regis Persarum avunculus fuit, & à Cyro Persa, quæ duo regna Isaias ascensorem bigæ, cameli, & asini vocat. Darius igitur, quem Artarxersen dicunt Medi, successit in Regnum annos natus XLII. qui Danielem in Mediam transduxit. Hunc Darium quidam Astiagen alii Astiagis filium putant. Fuit autem Daniel in Susis castro, quæ Metropolis est regionis Elamitarum, in qua turrem extruxit excelsam quadrato marmore ædificatam tantæ pulchritudinis, ut usque in præsens nova esse videatur: in ea Regum Persarum, atque Medorum conduntur reliquiæ. MMMCCCCXXIII.

Persarum primus Cyrus regnavit annis XXX Hic ut impleretur verbum Domini ex ore Hieremiæ primo sui regni anno, laxata Hebræorum captivitate, quinquaginta fermè hominum millia regredi fecit in Judæam, restituens eis vasa Templi Domini aurea, & argentea quinque millia CCCC. Qui congregati in Hierusalem mense septimo ædificaverunt Altare, & à primo die mensis ejusdem cœperunt offerre holocaustum Domino; anno autem secundo adventus sui, mense secundo Templi fundamenta jecerunt anno incensionis ejus juxta Africanum LXXII. juxta Chronicam Eusebii XXXII. Sed, impedientibus Samaritis, intermissum est opus usque ad annum Darii secundũ, qui etiam in Regno Assueri, & Artaxersis scripserunt accusationem adversùs Judæos, & remisit Artaxerses, ne ædificaretur Hierusalem. Romanorum septimus Tarquinius regnavit annis XXXV. qui causâ Tarquinii junioris filii sui, qui Lucretiam corruperat, regno expulsus est: iste primùm excogitavit vincla, taureas, & fustes, lautomias, carceres, compedes, catenas, exilia, atque metalla. (*Orosius*.)

Anno post Urbem conditam CCLIV. (11) Brutus, expulso Regis imperio, Consul primùm effectus est. Eo tempore Cyrus Rex Persarum vicit Babyloniam, urbem tunc cunctis opulentiorem cepit, subvertit, atque destruxit, anno conditionis ejus millesimo centesimo sexagesimo quarto. Cyrus autem Rex Persarum proximi temporis successu Scythis bellum intulit, quem Tamiris ipsius provinciæ Regina ita cum suis obtruncavit, atque delevit, quòd de CC. millibus Persis, qui cum eo venerant, nec nuncius quidem tantæ cladis in illo bello superfuit. Anno ab Urbe condita CCXLV. Darius Cyro apud Scythas interfecto post aliquantum intervallum fortè regnum nepotis adeptus est: nam medius eorum regnavit Cambises Cyri filius. MMMCCCC. XXXI.

Cambises Cyri filius annis VIII. Hic devicta Ægypto, cunctam ejus religionem abominatus, cæremonias ejus, & templa deposuit, Babylonem in Ægypto ædificavit. Hunc ajunt ab Hebræis secundum Nabuchodonosor vocari: sub quo & Tarquinii temporibus castissima Judith Holofernem peremit. His quoq; temporibus Pithagoras Philosophus claruit, qui Samo oriundus Crotonæ deguit, novissimè Metapontum adiit, ibique sepultus est. MMM.CCCC.LXVIII.

Darius Istaspis filius annis XXXVI. Inter Darium, & Cambisen regnasse duos fratres Magos in libris Chronicorum Eusebii reperimus; verùm Hieronymus in expositione Danielis scribit, quòd interfecto apud Messegetas Cyro, qui XXX. annis regnavit in Persis, Cambises successit in Regnum: qui expletis octo annis duos Magos fratres habuit successores, quorum quidem unus Sinerdes Magus Pantapten filiam Cambisis duxit uxorem. Occisis quippe à populo Magis, qui septem solummodo regnarant mensibus, idem Darius suscepit imperium: eadem verò Pantapten nupsit Dario, qui ex ea Xersen filium genuit: Anno autem secundo Darii Regis filii Istaspis, fa-

(*) deest verbum *exequitur*, ut in Bedæ textu.
(10) *Lege* insultans.

(11) Corrige *CCXLIV*.

factus est sermo Domini ad Aggæum Prophetam priùs, & eodem anno postea ad Zachariam filium Barrachiæ filium Addo. Iste est Addo, qui juxta Paralipomenon missus est ad Jeroboam filium Nabath, sub quo altare diruptum est, & manus Regis aruit, rursumque ad preces illius restituta est. Igitur à primo anno Cyri Regis, usque ad secundum annum Darii filii Istaspis supputantur anni XL. (*Item Hieronymus*.) Secundo anno Darii septuagesimum annum desolationis esse completum. Hieremias vaticinatus est, Zacharias quoque Propheta, cùm visionis suæ titulum in secundo anno ejusdem Regis undecimo mense Sabbath vigesima quarta die præposuisset, adjecit dicens: *Domine exercituum, usquequo non misereberis Hierusalem, & urbium Juda, quibus iratus es*. Iste septuagesimus annus est. Item quarto Darii Regis anno dicit idem Propheta: *Cùm jejunaretis, & plangeretis per hos septuaginta annos numquid jejunium jejunastis mihi?* Sed & Esdras extructo tantùm altari, & jactis fundamentis Templi ad literas Regis Xerxis prohibitum opus refert. Tunc intermissum est opus Dei in Hierusalem, & non fiebat usque ad secundum annum Darii Persarum. Prophetaverunt autem Aggæus Propheta, & Zacharias filius Addo prophetantes ad Judæos, qui erant in Judæa, & Hierusalem in nomine Domini Dei Israël. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Josue filius Josedech, & cœperunt ædificare Templum Dei in Hierusalem, & cum eis Prophetæ Dei adjuvantes eos; Aggæus autem Propheta, & Zacharias, & Malachias, Nahum, & Abacuch claruerunt sub Jorobabel Principe gentis, & Jesu magno Sacerdote. (*Hieronymus*) Sexto Darii anno Templi ædificatio completur die tertia mensis Adar, qui est quadragesimus sextus annus (*) sub Cyro fundamenta sunt jacta. Unde in Evangelio dicunt Judæi; *quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc*. Cœperunt autem ædificare anno secundo Darii mense sexto die vigesima quarta, & anno sexto, ut dictum est, mense duodecimo die tertio compleverunt: ex quo apparet, opus Templi, & antea non parva ex parte peractum; annos autem septuaginta à destructione illius, usque ad perfectam restaurandi licentiam esse computandos. Quo tempore apud Romanos septimus à Romulo Tarquinius Superbus regnabat, habens annum Imperii vigesimum septimum, qui post anno octavo pulsus est à Bruto. Pulsis denique ab urbe Regibus, qui imperaverunt annis CCXLIV. Septem namque fuerunt. Vix usque ad XV. lapidem Roma sub eis tenebat Imperium. Post exactos Reges, & nomen regiæ dignitatis, primùm Consules à Bruto esse cœperunt, deinde Tribuni plebis, quasi proprii Judices defensoresque populi: inde Tribuni militares; hinc quoque Dictatores, quorum primus Largus nomine fuit majoris honoris, quàm Consules: rursum quoque Consules Rempublicam obtinuerunt per annos CCCCLXIV. usque ad Julium Cæsarem, qui primus singulare arripuit Imperium Olympiade CLXXXIV. (*Orosius*.) Anno ab Urbe condita CCLXXV. Olympiade LXXIV. Xerses Dario patri in regnum successit. MMMCCCLXXXIX.

(*) deest *ex quo*.

Xerses Darii filius annis XX. Hic Aegyptum, quæ à Dario discesserat, capit, & adversùs Græciam pugnaturus DCC. millia armatorum de Regno, & CCC. millia de auxiliis, rostratas etiam naves mille ducentas; onerarias autem tria millia ducentas habuisse narratur. Attamen victus patriam refugiit. Demosthenes Lacedæmonis tunc apud Xersen exultabat. Tunc Erodotus historiarum scriptor, & Zeusis pictor agnoscitur. Anno ab Urbe condita CCCI. Olimpiade XXV. potestas Consulum Decemviris Romæ tradita est. Tunc etenim census habitus est, & inventa sunt Civium Romanorum centum decem & octo millia CCCXXIX. MMMCCCCXC.

Artabanus mensibus VIII. Socrates nascitur. MMMDXI.

Artaxerses, qui & Macrochir idem Longimanus annis XL. Hujus anno septimo prima die mensis primi Esdra Sacerdos & Scriba legis Domini descendit de Babylonia cum epistolis Regis, & in prima mensis quinti vênit in Hierusalem cum viris mille DCC. Et inter alia strenuè gesta castigavit filios transmigrationis ab uxoribus alienigenis. Ejusdem anno vigesimo Nehemias Pincerna de Susis castro adveniens, murum Hierusalem quinquaginta duobus diebus restituit, & Ducatum genti XII. annis præbuit. Item aliter. Joachim, qui & Jechonias tempore captivitatis genuit Salathiel. Salathiel genuit Zorobabel, Jechonia quidem, & Salathiel in Babylone defuncti sunt. Zorobabel verò post obitum eorum, permittente Dario Rege, egressus est de Babylone cum omnibus, qui cum illo egredi voluerunt cum magno honore, & gratia, atque Hierusalem sunt reversi. Non enim omnes simul, sed sicut per tempora captivati sunt, sic per tempora de eadem sunt captivitate reversi. Primò namque à Cyro Rege Persarum dimissi sunt, cùm mandasset eis dicens: *qui voluerit egredi, & reverti in Hierusalem, quæ in Judæa est, eat, & Dominus ejus sit cum eo*. Hæc ergo prima egressio ejus captivitatis. Altera autem facta est sub Dario Rege Medorum. Tertia verò sub Artaxersen. Sed illi, qui primi egressi sunt sub Cyro, pauci erant, & nullus principium (12) cum eis est egressus: propterea venientes in Judæam, & Hierusalem, ibidem habitantes, cœperunt Templum Dei ædificare in Hierusalem. Sed proximæ in circuitu gentes, videntes quòd pauci essent, nec Principem quempiam habuissent, prohibuerunt eos, neque dimiserunt ædificare, & sic remansit opus cœptum Templi inconsummatum. Ex parte enim faciebant, iterum prohibiti cessabant per aliquantos menses ita usque ad Regnum Darii Regis. Et hoc est, quod Judæi in Templo Domini dicebant: *quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc*. Ex quo enim cœperunt ædificare Templum Domino hi, qui ex captivitate primò dimissi sunt, usque dum consummatum est, quadraginta sex anni completi sunt. Ergo, ut dictum est, prima dimissio captivorum ex Persida sub Cyro facta est Rege illorum paucorum, qui sinè Principe exinde profecti sunt, qui nec dum Templum, quod cœperant, explicare potuerunt. Et postea Darius Rex commonefactus est à Magnifico Zorobabel, di-

(12) Principum.

dimisit omnes egredi volentes, & reverti in Hierusalem. Eundem quippe Zorobabel ad construendum Templum Domini, quod est in Hierusalem, unde fuerat deprædata, & cum Zorobabel illo in tempore pariter egressus est Jesus filius Josedech filii Sarajæ Sacerdotis magni, sicut Propheta de eo meminit; Saraja enim Summus Sacerdos in Hierusalem, quando eadem civitas vastata est à Nabuchodonosor, cum aliis Principibus Sedeciæ interfectus est: quo interfecto, filius ejus Josedech captivus ductus in Babyloniam, ibique hunc Jesum generans defunctus est. Jesus autem hic magnus & præclarus in Divino timore fuit. Is egressus cum Zorobabel ibat in Hierusalem, qui dimissi à Dario transeuntes per Babyloniam, inde secum educentes universos, qui ibidem erant Judæos, habentes secum equites, quos eis Darius Rex injunxerat ad conducendum eos usque Hierusalem. Hæc fuit secunda egressio captivorum de Babylonia, quæ per Zorobabel filium Salathiel facta est, unà cum Jesu filio Josedech. Hi ergo sunt, qui & Templum Domini ædificaverunt, atque consummaverunt. Sub istis prophetaverunt post captivitatem Hierusalem alio anno sub Dario Rege Aggæus, & Zacharias, & Malachias. Post hæc tertiò egressi de captivitate ii, qui ibidem residebant in diebus Artaxersis Regis. Et cum eis egressus est Princeps, & Consiliator, & Dux Esdra, qui cognominatus est Scriba legis Dei, quem etiam Artaxerses Rex transmisit cum magno honore, & eos, qui cum eo egressi sunt. Exiit & cum eis Nehemias, qui in patrum laudibus commemoratus est. Hucusque Divina Scriptura temporum seriem continet. Quæ verò post hæc apud Judæos gesta sunt de libro Machabæorum & Josephi, atque Africani scriptis exhibentur, qui deinceps historiam universam usque ad Romana tempora prosecuti sunt. Et quidem Africanus in quinto temporum volumine, hujus temporis ita meminit: *mansit itaque imperfectum opus usque ad Neemiam & XX. annum Artaxersis. Quo tempore Regni Persarum centum & quindecim anni fuerant evoluti: captivitatis autem Hierusalem centesimus octogesimus & quintus annus erat. Et tunc primum Artaxerses jussit muros extrui Hierusalem; ex illo tempore, si numerare velis, septuaginta annorum hebdomadas, usque ad Christum poteris invenire*. Xerses menses II. Post quem Sogdianus menses VII. Tunc temporis Plato nascitur. Hippocrates Medicus insignis habetur. MMMDXLVIII.

Darius, cognomento Nothus, annis XIX. Aegyptus recessit à Persis. Reversis de captivitate Judæis non Reges, sed Pontifices præfuerunt, usque ad Aristobolum, qui cum dignitate Pontificis, & regale sibi cœpit usurpare vocabulum. MMMDLXVI.

Artarxerses, qui cognominatus est Minenon, Darii & Parisathidis filius, annis XL. sub hoc Rege videtur historia Hester completa; ipse quippe est, qui ab Hebræis Assuerus, & à septuaginta Interpretibus Artaxerses vocatur. Athenienses XXIV. literis uti cœperunt, cùm antea XVI. tantùm literas haberent. Carthaginensium tunc inchoatur bellum famosum. (*Orosius*). Anno ab Urbe condita CCCLXIV. Galli Senones, Duce Brenno Romam invadunt, Urbemque penetrando, excepto Capitolio, incendunt: nam mille libris auri discessionis pretium paciscuntur, & tunc Tribuni militares pro Consulibus esse cœperunt. (*Orosius*). Anno ab Urbe condita CCCC. Philippus Amintæ filius Alexandri pater Macedonum Regnum adeptus, XXV. tenuit annis. Eodem tempore dilatata est nox usque ad plurimam partem diei, saxa quoque de nubibus ciderunt. Tunc temporis Clarissimus Alexander Magnus ille gurges miseriarum Philippi filius natus est. Aristoteles Platonis auditor decem & octo ætatis annos gerebat. Ann. MMMDCXIV.

Artaxerses, qui & Ochus annis XXVI. iste Ægyptum suo junxit Imperio, Nectanebo Rege ab Æthiopia (*) pulso, in quo Ægyptiorum Regnum destructum est. Tunc idem Ochus, qui & Artaxerses post transactum in Ægypto maximum diuturnumque bellum, plurimos Judæorum in transmigrationem egit, atque in Irchania ad Caspium mare habitare præcepit, quos ibi usque in hodiernum diem amplissimis generis sui incrementis consistere, atque ex hinc quandoque eruptos opinio est. Tunc quoque temporis Demosthenes Orator omnium rumore celebratur. Romani Gallos superant. Plato Philosophus moritur, post quem Academiam Speusippus tenuit. (*Orosius*.) Anno ab Urbe condita CCCCXXII. Alexander Rex Epirotarum Alexandri illius magni avunculus, trajectis in Italiam copiis, cùm bellum adversùs Romanos pararet, & circa finitimas Romæ urbes firmare vires exercitus sui, auxiliaque vel sibi, vel hostibus subtrahere studens, bellis exerceretur acquirere, à Samnitibus, qui Lucaniæ genti suffragabantur, maximo bello in Lucania victus atque occisus est. Anno ab Urbe condita CCCCXXVI. Caudinas furculas satis celebres, & famosas insignis Romanorum fecit infamia: nam Samnitæ Romanum exercitum apud Caudinas furculas turpiter captum sub hasta missum nudum abire cœperunt (13). Posteriore verò anno Romani ad ulciscendam injuriam, victis Samnitibus, servitioque subjectis, jugum imposuerunt, quos non post multum temporis propter fidei, ruptique fœderis pertinaciam ingenti prœlio victos, stratosque confecerunt, atque contriverunt; ita ruinas ipsas urbium diruentes, ut hodie si Samnium in ipso Samnio requiratur, nec inveniri facilè possit. Anno ab Urbe condita CCCCXXVI. Alexander patri Philippo successit in Regnum MMMDCXVIII.

Arses Ochi filius annis IV. Judæorum Pontifex Maximus Jaddus clarus habetur, cujus frater Manasses Templum in monte Garizii construit. Speusippus moritur, cui successit Zenocrates. Quarto Ochi anno Alexander Philippi, & Olimpiadis filius vigesimum ætatis annum gerens regnare incipit MMMDCXXIV.

Darius Arsani filius annis VI. Alexander autem adversùs Illiricos, & Thracas feliciter dimicans, subversis Thebis, in Persas arma corripuit, & apud Granicum flumen Regis Ducibus oppressis, urbem Sardos capit, idemque capta Tyro, Judæam invadit, à qua favoraliter exceptus, Deo victimas immolat, & Pon-

(*) *in Æthiopiam pulso*.

(13) *Fortè præceperunt*.

Pontificem Templi Jaddum honoribus plurimis prosequitur. Andromacho Custode locorum dimisso septimo regni sui anno Alexandriam in Ægypto condidit. Cum Dario Rege Persarum ter dimicavit, & in his tribus prœliis, totidemque annis quinquies decies centena millium hominum cæsa feruntur. Nec mora Babyloniam obtinuit, interfecto Dario, in quo Medorum, atque Persarum Regnum destructum est, quod steterat annos CCXXXI. Quo etiam tempore Latini à Romanis perdomiti sunt. MMMDCXXXIX.

Alexander post mortem Darii annos V. regnavit, nam antea VII. (*Orosius*.) Is autem post mortem Darii Regno Persarum adepto Scythis bellum intulit, atque contrivit. Hircanos quoque, & Mardos subegit ubi etiam Alexandris(14)sive Minothea Amazonū Regina excita, suscipiendæ ab eo sobolis gratiâ vênit ad eum cum trecentis mulieribus. Post hæc Parthos delevit propemodum antequam vicit. Inde Drancas, Evergias, Parapamenos, Adaspios, cæterosque populos, qui in radice Caucasi montis morabantur, subegit. Urbem ibi Alexandriam super amnem Tanaim constituit. Nec minor ejus in suos crudelitas, quàm in hostes rabies fuit. Deinde Indiam petiit, ut Oceano, ultimoque Oriente finiret Imperium. Nissan urbem adiit, Dædalos montes, regnaque Cleofilis Reginæ expugnavit, quæ cùm se dedisset, concubitu regnum redemit. Cum Poro fortissimo Rege Indorum cruentissimè dimicavit, quo occiso Regnum ejus substinuit. Inde Arestas, Cateros (15), Præsidas,& Gangaridas,nec nō Consides(16)laboriosis bellis subegit. Peragratâ perdomitâque Alexander Indiâ; ad amnem Ægyssenem pervênit, per hunc in Oceanum divehitur; ibi Gesonas, Sibosque oppressit. Hinc Mandros,Subagras(17)navigat, quę gentes cùm armatis octuaginta millibus peditum, & sexaginta millibus militum (18) illum excipiunt: cruentissimo igitur commisso prœlio, & fusis hostium copiis, Alexander exercitum ad urbem deduxit, & cùm murum primus ascendisset, solus introrsus desilivit, quem cùm undique hostes circumdedissent, muri obice posteriora tutatus, contrarios eousque sustinuit, donec ad periculum ejus, & clamorem hostium, perfractis muris, exercitus omnis irrumperet. Inde conscensis navibus, cùm Oceani litora peragraret, ad urbem, cui Ambira Rex præerat, pervênit, ipsamque urbem expugnavit, & cepit. Post quasi circumactus, & de Oceano Indum flumen ingressus Babyloniam rediit, ubi eum exterritarum totius orbis Provinciarum Legati expectabant. Rumores ejus quippe totum orbem peragrarant, quòd Dii concessissent ei totius orbis victoriam, quod ipse hac arte composuit. Cùm igitur quasi voti causâ, unà cum suis templum Ammonis, quod apud Alexandriam fuerat adisset, secretò vocavit ad se illius ora Dei Pontificem, promittens, ac tribuens ei dona plurima auri, atque argenti, ut occultatus apud Dii Ammonis statuam, quasi ipse Deus ore suo cunctis audientibus responsa daret Alexandro, sicut ipse in ejus ore verba posuerat, & eum ubique, & in omnibus victorem nunciaret: quod dum fecisset, fama hæc terras ac mare perterruit. Unde ex omni gente, ac natione ad eum Legati concurren-

(14) In Orosio *Thalestris*.
(15) In Orosio *Adrestas*, *Cathaos &c.*
(16) *Cosides*.

A tes veniebant, expetentes, ut eis sinè bello dominaretur; Alexander autem apud Babyloniam Ministri insidiis veneni haustu interiit anno vitæ suæ trigesimo secundo, Regni verò sui duodecimo (*Hieronymus*.) Alexander ab Illyrico, & Mare Hadriatico usque ad Indicum Oceanum, & Gangen fluvium non tam prœliis, quàm victoriis præcurrit, & sex annis Europæ partem, & omnem sibi Asiam subjugavit, quod non fuit Alexandri fortitudinis, sed Domini voluntatis: Cui postea quatuor Duces ejus regni successores extiterunt, videlicet, Ptolomæus, Philippus, Seleucus Nicanor, Antigonus. Qui apud Danielem per quatuor hirci cornua, qui arietem conte-
B reret designantur. Mortuo itaque Alexandro trigesimo secundo ætatis suæ anno, hi quatuor Duces regnum diviserunt. Et Ptolomæus Lagi filius tenuit Ægyptum; Philippus, qui & Arrideus frater Alexandri Macedoniam; Seleucus Nicanor Syriam, & Babyloniam, & omnia Regna Orientis; Antigonus Asiæ regnavit, sed non in quid (19) in fortitudine ejus, quia nullus eorum magnitudini Alexandri potuit æquari MMMDCLXIX.

Ægypto regnavit primus Ptolomæus Lagi filius annis XL. Appius Claudius Cœcus Romæ clarus habetur, qui aquam Claudiam induxit, & viam Appiam stravit. Ptolomæus Hierosolyma, & Judæa in ditionem suam dolo
C redactis, plurimos captivorum in Ægyptum transtulit. Judæorum Pontifex Maximus Onias Jaddi filius clarus habetur. Et tertio decimo Ptolomæi anno Syriæ, & Babylonis, & superioribus locis regnare incipit Seleucus Nicanor. A quo tempore Machabæorum Hebræa Historia Græcorum supputat Regnum, à quo & Edisseni sua tempora computant. Seleucus Antiochiam, Seleuciam, Laodiciam, Appiam, Edessam, Beroëam, & Pellam urbes condidit, anno scilicet ab Urbe condita CCCCLXIV. Eo tempore à Tarentinis bellum ingens Romanis exortum est: qui cùm injuriam Legatis Romanorum fecissent, Pirrhum Epiri Regem contra Romanos in auxi-
D lium poposcerunt. His itaque cum totis viribus Epiri, Thessaliæ, & Macedoniæ, Elephantis etiam viginti Italiam vênit, & ter cum Romanis cruentissimè dimicavit. Quinto demum anno, ex quo venerat, ab Italia victus aufugiit, & multo post apud Argos Achajæ florentissimam urbem saxo ictus occubuit. Judæorum Pontifex Maximus religiosissimus, ac piissimus Simon Oniæ clarus habetur. Post quem Eleazarus frater ejus suscepit Templi ministerium: filio ejus Onia parvulo admodum derelicto. Seleucus in eas
E urbes, quas extruxerat, Judæos transfert; Judæis civium & municipalem ordinem cum Græcis æquali honore concedens. Eo tempore conditæ à Romanis civitates Ariminus in Gallia, & Beneventum in Sampnio. Tunc etiam à Romanis Chrotona invaditur. Sallentinis in Apulia bellum indictum est à Romanis, & Brundisini cum civitate capti sunt (*Hieronymus*.) Post Alexandrum Ptolomæus Lagi filius primus regnavit in Ægypto Vir prudentissimus, & fortissimus, atque ditissimus, & tantæ potentiæ, ut Pirrhum Regem Epirotarum expulsum restitueret in Regnum, Cyprum quoque obtineret, ac Fœnicem: & de-

(17) *Mallos*, *&* *Ocsydracas* legit Orosius.
(18) equitum.
(19) *Fortasse legendum*: sed non equidem.

devicto Demetrio filio Antigoni Seleuco partem Regni sui, quæ Antigono fuerat ablata, restitueret, Cariam quoque obtineret, & multas Insulas, urbesque, ac regiones, de quibus non est hujus temporis scribere.

(*Orosius*.)

Anno ab Urbe condita CCCCLXXVII. cùm clarum urbis Romæ nomen esset, census est habitus. Tunc inventa sunt civium capita ducenta nonaginta duo millia CCCXXXIV. eo tempore argenteus nummus primùm in Urbe figuratus est. Tunc etiam Attilius Regulus Consul missus in Africam post victoriam trium Ducum Carthaginensium, apud fluvium Bagrada serpentem miræ magnitudinis occidit, cujus corium centum viginti pedum longitudinem habuit, Romamque delatum aliquandiu cunctis miraculo fuit MMMDCCVII.

Ptolomęus Philadelphus annis XXXVIII. Iste quidem secundus Rex Aegypti Ptolomæi superioris filius Judæos, qui in Ægypto erant, liberos esse permisit, & vasa Eleazaro Pontifici in Hierusalem votiva promittens, divinas Scripturas ex Hebræo in Græcam linguam cum omni studio transferre curavit, quas in Alexandrina Bibliotheca habuit, quam sibi ex omni genere literaturæ composuerat: cujus Bibliothecæ præfuit Demetrius Phalereus. Idem apud Græcos orator & philosophus Ptolomæus, tantæque potentiæ fuisse narratur, ut Ptolomæum patrem vinceret. Narrant enim historiæ, habuisse eum peditum centum millia, equitum viginta millia, Elephantos, quos primus adduxit de Æthiopia, quadringentos, naves longas, quas nunc liburnas vocant, mille quingentas, alias autem ad cibaria deportanda militum, mille, auri quoque & argenti grande pondus: ita ut de Ægypto per singulos annos quatuordecim millia octingenta talenti auri, & frumenti artabas, quæ mensura tres modios & tertiam modii partem habet; quinquies & decies centena millia. Sostratus Gnidius farum in Alexandriam contraxit: Aratus Philosophus agnoscitur MMMDCCXXXIII.

Ptolomæus Evergetes frater superioris Regis annis XXVII. qui inde Evergetes ab Ægyptiis est vocatus, quia captâ Syriâ, & Ciliciâ, & propemodum universâ Asiâ, inter innumera argenti pondera, ac vasa pretiosa. quæ cepit, etiam Deos eorum, quos Cambises capta Ægypto in Persas portaverat, retulit. Judæorum Pontifex Onias Simonis Justi filius clarus habetur, cujus item filius Simon non minori gloria fulget. Tunc etiam Quintus Ennius postea Tarenti nascitur, qui post Romæ deguit contentus unius ancillæ ministerio. (*Hieronymus*.) Primùm Syriæ, ut diximus, regnavit Seleucus, cognomento Nicanor. Secundus Antiochus, qui appellatus est Sother, tertius & ipse Antiochus, qui vocabatur Theos, idest Deus. Iste adversùm Ptolomæum Philadelphum, qui secundus imperat Ægyptiis, gessit bella plurima, & totis Babylonis viribus dimicavit. Volens itaque Ptolomæus post multos annos molestum inire (20) certamen, filiam suam, nomine Beronicen Antiocho uxorem dedit, qui de priore uxore, nomine Laudoce habebat duos filios, Seleucum, qui cognominatus est Gallinicus, & alterum Antiochum: deduxitque eam usque Pelusium, & infinita auri argentique millia dotis nomine dedit. Unde & Phernophores, idest dotalis est appellatus. Antiochus autem Beronicem, quæ inter patrem, ac virum junxit amicitias, consortem regni habere dicens, & Laodocen in concubinæ locum: post multum temporis amore superatus, Laodocen cum liberis suis Regiam induxit, quæ metuens ambiguum viri animum, ne Beronicem reduceret, virum per ministros veneno interfecit. Filium suum Seleucum Gallinicum in loco patris regem constituit. Beronice autem reversa est in terram suam. Et mortuo Ptolomæo Philadelpho patre ejus in Ægypto, frater illius, & ipse Ptolomæus cognomento Evergevs tertius successit in regnum. Qui cum magno exercitu veniens, ingressus est provinciam Seleucii, cognomento Gallicini, qui cum matre Laodocen regnabat in Syria, & abusus est eis, & obtinuit in tantum, ut Syriam caperet, & Ciliciam, superioresque partes trans Euphratem, & propemodum universam Asiam. Cùmque audisset in Aegypto seditionem moveri, diripiens regnum Seleucii, quadraginta millia talentorum argenti tulit, & vasa pretiosa, simulacraque duo millia quingenta; in quibus erant & illa, quæ Cambises capta Aegypto in Persas portaverat. Denique gens Aegyptiorum idolatriæ dedita, quia post multos annos Deos eorum retulerat, Evergeten eum appellavit. Et Syriam quidem ipse obtinuit. Ciliciam autem amico suo Antiocho gubernandam tradidit: & Antippo alteri Duci provincias trans Euphratem. MMMDCCL.

Ptolomæus Philopater filius Evergetis annis XVII. Antiochus Rex Syriæ victo Philopatore Judæam sibi sociat. Judæorum Pontifex maximus Onias filius Simonis insignis habetur: atque (21) Lacedæmoniorum Rex Darius Legatos mittit. Hujus tempore Pontificis Jesus filius Sirach Sapientiæ librum componens, quem vocant Parameton (22) etiam Simeonis in eo fecit mentionem (*Hieronymus*). Post fugam & mortem Seleucii Gallicini, duo filii ejus Seleucus cognomento Ceraunos, & Antiochus, qui appellatus est Magnus provocati spe victoriæ, & in ultione parentis, exercitu congregato adversùs Ptolomæum Philopatorem arma corripiunt. Cùmque Seleucus major frater tertio anno Imperii occisus esset in Phrygia, per dolum Nicanoris, & Eupatoris exercitus, qui erat in Syria, Antiochus frater ejus magnus vênit de Babylone in Syriam, quæ eo tempore tenebatur à Ptolomæo Philopatore filio Evergetis, qui quartus regnabat in Ægypto. Cùmque pugnasset adversùs Ducem ejus, immo proditione Theodoti obtinuisset Syriam, quæ per successionem jam à Regibus Ægypti tenebatur, in tantam audaciam contemptâ luxuriâ Philopatoris, & magicis artibus, quibus inservire dicebatur; ut, ultro Ægyptiis bellum conaretur inferre. Ptolomæus cognomento Philopator, amissâ Syriâ proditioni Theodoti, congregavit multitudinem plurimam multo majorem, quàm priùs, properans cum exercitu magno, & opibus nimiis contra Ptolomæum Philopatorem. Quo mortuo Antiochus movit exercitum adversùs filium ejusdem Ptolomæi, qui tunc quatuor annorum erat, & vocabatur Ptolomæus Epiphanis.

Oro-

(20) *Corrigendum* finire.
(21) *Lege* ad quem.
(22) Lege *Panareton*, id. *omnis virtus*.

(*Orosius.*)

Anno ab Urbe condita DXXXIV. Annibal Pœnorum Imperator vigesimum annum agens ætatis Saguntum florentissimam Hispaniæ civitatem amicam tunc Populi Romani, ob odium Romanorum bello impetitam, octavo demum mense delevit. Hic jamdudum Amilcari patri juraverat, cùm adhuc novem esset annorum, se ut primùm posset adversùs Romanos pugnaturum, & cum eis nunquam pacem acturum. Inde Pyrenæos montes transgressus, inter ferocissimas Gallorum gentes, ferro viam aperuit, & nono die à Pyrenæo ad Alpes pervênit, ubi montanos Gallos repellere obnitentes superat, atque invias rupes igni ferroque rescindit; quinto demum die cum maximo labore ad plana Italiæ vênit. Fuisse in exercitu ejus centum millia peditum, equitum verò viginti millia, Elephantos XXXVII. definiunt. Scipio tunc Consul magni Scipionis pater, Annibali cum Romanis primus occurrit, & commisso prœlio apud Ticinum, omnis penè Romanus exercitus cæsus est. Pugnatum deinde, eodem Consule, apud flumen Trinium (*), & Romani superati. Alio quoque bello apud eundem fluvium victi sunt. Quarto bello ad flumen Sarnum, in quo oculum amisit. Quinto bello apud Trasimenum lacum. Sexto apud Cannas Apuliæ vicum: in quo quadraginta quatuor millia Romanorum interfecta sunt. Varo Consul cum quinquaginta equitibus Venusium fugit. Anno ab Urbe condita DXL. Annibal in testimonium victoriæ suæ tres modios annulorum aureorum Carthaginem misit, quos ex manibus interfectorum equitum Romanorum, Senatorumque detraxerat. Eo tempore bella quinque Roma susceperat, unum in Macedonia contra Philippum potentissimum Macedoniæ Regem, alterum in Hispania contra Asdruvalem Annibalis fratrem, tertium in Sardinia contra Sardos, quartum Annibalis, quo Italia premebatur, quintum Siciliæ, ubi Claudius Marcellus Syracusam opulentissimam urbem Siciliæ secunda oppugnatione vix cepit. Anno ab Urbe condita DXLIII. in Campania Capua capta est à Quinto Fulvio Proconsule: Principes Capuanorum veneno sibi, antequam subderentur, mortem consciverunt. Senatum omnem Capuæ, etiam prohibente Senatu Romano, Fulvius Sulpitius necavit. In Hispania ab Asdrubale Scipionis fratribus interfectis, Roma ab Annibale admodum pressa jam penè civibus desperatis, Scipio adolescens annos natus viginti quatuor ultro se obtulit, ac ultionem patris, & patrui animo intendens in Hispaniam vênit, & Carthaginem novam cepit; dehinc cum Asdrubale pugnavit, & vicit; & LXXX. civitates aut deditione, aut bello in potestatem redegit. Universâ quippe Hispaniâ usque in Oceanum in provinciam redactâ, Romam vênit, Consulque creatus in Africam transiit, & acerrimo prœlio Hannonem Pœnorum Ducem interfecit; exercitum omnem Africæ partim cæde, partim captivitate disperdidit. Hasdrubal autem frater Annibalis à Carthaginensibus consultus, ut fratris copiis jungeretur, cùm magna secum auxilia Hispanorum, Gallorumque deduceret, ab exercitu Romano, ignorante Annibale, præventus cum exercitu suo interfectus est. Annibali caput fratris sui ante castra projectum est. Quo viso, & clade Pœnorum cognita, redire in Africam jussus, ut fessæ Carthagini, & jam penè contritæ Africæ subveniret, coactus, flens reliquit Italiam annis, quibus eam obtinuit XVII. Commissoque prœlio cum Scipione apud Carthaginem, suis omnibus cæsis, inter tumultus Annibal elapsus vix evasit in Bithiniam fugiens, ibique postea cùm à Romanis reposceretur, veneno se necavit. Scipio denique jam tunc cognomento Africanus post famosissimam Annibalis victoriam triumphans, urbem ingressus est, quem Terentius, qui postea Comicus fuit, ex Nobilibus Carthaginensium captivis pileatus, quod insigne indultæ sibi libertatis fuit, triumphantem post currum secutus est. MMMDCCLXXIV.

Ptolemæus Epiphanes regnavit annis XXIV. Secundus liber Machabæorum apud Judæos hujus temporis gesta continet.

(*Hieronymus.*)

Pugnantibus autem contra se Antiocho Magno, & Ducibus Ptolemæi, posita in medio Judæa (23), in contraria studia scindebantur, aliis Antiocho, aliis Ptolemæo faventibus. Denique & Onias Sacerdos, assumptis Judæorum plurimis, fugiit in Ægyptum, & à Ptolemæo honorificè susceptus est. Accepit eam regionem, quæ Eliopoleos vocabatur, & concedente Rege Templum extruxit in Ægypto simile Templo Judæorum, & quod permansit usque ad tempus Vespasiani annis CCL. Ipsa autem urbs ad solum usque desolata est. Antiochus verò Judæam tenuit. Sub occasione igitur Oniæ Pontificis infinita examina Judæorum Ægyptum confugerunt. Eo tempore Cyrene eorum multitudine repleta est. Tunc Vulcani Insula, quæ antea non fuerat, repentè mari edita cum miraculo omnium ad nunc usque manet. MMMDCCCIX.

Ptolemæus Philometor annis XXXV. Aristobolus natione Judæus Peripateticus Philosophus agnoscitur, qui ad Philometorem Ptolemæum explanationum in Moysen commentarios scripsit. Antiochus Epiphanes, qui post Seleucum cognomento Philopatorem annis XI. regnavit in Syria, Judæorum legem impugnans, omniaque sordibus Idolorum complens, in Templo Jovis Olimpii simulacrum ponit: Sed & in Samaria super verticem montis Garizi, Jovis Peregrini delubrum ædificavit, ipsis Samaritanis, ut id faceret, precantibus. Verùm Mathathias Sacerdos leges patrias vindicavit, adversùs Antiochi Duces arma corripiens. Quo mortuo Ducatum Judæorum suscepit filius ejus Judas Machabæus anno CXLVI. Regni Græcorum, Olimpiade CLV. Qui mox Antiochi Duces de Judæa expellens, & Templum ab Idolorum imaginibus emundans, patrias leges post triennium suis civibus reddidit. Unde post secessum Oniæ Sacerdotis in Ægyptum, de quo supra diximus, & mortem Alchimi, qui effugato Onia Pontificatum indignus invadere tentabat, omnium favore Judæorum, Machabæo Sacerdotium decernitur, quod post mortem ejus Jonathas frater illius sortitus XVIII. annos summa ministravit industria.

(*Hie-*

(*) *Lege* Trebiam.

(23) *Meliùs legendum*: positi in medio Judæi.

A

(Hieronymus.)

Rex autem Syriæ impudens facie, & intelligens propositiones fuit Antiochus Epiphanes filius Seleucii, qui & Philopator appellatus est. Hic cùm obses fuisset Romæ, & nesciente Senatu per dolum cepisset Imperium, contra Ptolemæum Philometorem dimicavit, & contra Ægyptios, & contra eos, qui res novas in Perside moliebantur, ad extremum contra Judæos dimicans, captâ Judæâ, ingressus est Hierosolymam, & in Templo Dei simulacrum Jovis Olimpii statuit. Et ad filios Israël erexit magnificentiam suam, ita ut de sanctis plurimos Idolatriæ subjiceret, & conculcaret pedibus suis, atque ita factum est ut Meridiem, & Orientem, ideft Ægyptum, & Persidam suo retineret Imperio: & B erectus est contra Deum, & Sanctos illius persecutus, tulerit (24) juge sacrificium, quod manè offerebatur, & vespere. Legitur in Machabæorum libris, & Josephi historia, quòd centesimo & quadragesimo anno à Seleuco, qui primus regnavit in Asia post Alexandrum, ingressus Antiochus Hierosolymam, universa vastavit: reversusque anno tertio in Templo posuit statuam Jovis, & usque ad Judam Machabæum, ideft usque ad centesimum quadragesimum octavum annum, per annos vastationis Hierusalem VI. contaminationis autem Templi III., post quos Templum C purgatum est.

Anno ab Urbe condita DCVI. Carthago deleta est à Publio Scipione anno DCC. postquam condita est; multitudo omnis captivorum venundata est: fuisse enim virorum triginta millia, mulierum autem viginti millia ferunt. Ipsa verò civitas XVII. diebus continuis arsit. Ipso quoque anno Corinthum urbem toto tunc orbe longè omnium opulentissimam Mumius Consul ferro flammisque diripuit. Tunc Romæ quidem celeberrimi tres simul triumphi fuerunt; Africani ex Africa, ante cujus currum ductus est Asdrubal; Metellii ex Macedonia, cujus currum præcessit Audariscus, qui & Pseudo-Philippus; Mumii D ex Corintho, ante quem signa ænea, & tabulæ pictæ, & alia urbis insignia sunt prælata.

Quo tempore potentissimus Rex Siciliæ Jero Romam vênit ad ludos, & ducenta millia modiorum tritici populo dono dedit. Tunc etiam apud Brundisium Pacuvius claruit tragœdiarum scriptor. MMMDCCCXXXVIII.

Ptolemæus Evergetes annis XXIX. Jonathas Dux Judæorum, & Pontifex cum Romanis & Sparthiatis amicitias facit: quo à Triphone interfecto, in Sacerdotium frater ejus Simon assumitur anno regni Evergetis septimo, quod octo annis strenuissimè gerens filio Johanni reliquit. Hic adversùs Hircanos bel- E lum gerens, Hircani nomen accepit, & à Romanis jus amicitiæ postulans, decreto Senatus inter amicos appellatus est. Samariam, quæ nostro tempore *Sebaste* vocatur, obsidione captam solo coæquavit; quam postea Herodes instaurans *Sebasten* in honorem Augusti appellari voluit.

(Orosius.)

Anno ab Urbe condita DCXXVII. Carthago in Africa à Romanis restitui jussa, XXII. demum anno, quo fuerat eversa, deductis civium Romanorum familiis, qui eam incolerent.

Anno ab Urbe condita DCXXXIII. Martius Portius Cato, & Quintus Martius Consules Narbonam in potestatem Reipublicæ redigerunt.

Anno ab Urbe condita DCXXXV. Publio Scipione Nasica, & Lucio Calphurnio Bestia Consulibus Jugurtæ Numidarum Regi bellum, consensu populi Romani, Senatus indixit. MMMDCCCLV.

Ptolemæus Physicon, qui & Sother annis XVII. Cicero Arpini nascitur matre Helvia, patre equestris ordinis ex Regio Volscorũ genere. Hircano in Pontificatu, quod ipse XXVI. annis tenuit Aristobolus succedit annum unum: qui Rex pariter, & Pontifex primus apud Judæos diadematis sumpsit insigne post CCCCLXXXIV. annos captivitatis Babyloniæ. Post quem regnavit Janneus, cognomento Alexander annis XXVII. qui Pontificatum quoque administrans, crudelissimè civibus præfuit. MMMDCCCLXV.

Ptolemæus, qui & Alexander, annis X. Syria in Romanam ditionem cessit, capto Philippo & Gabino expulsus de Regno Ptolemæus Physicon per matrem Cleopatram, in Cyprum secedit. MMMDCCCLXXIII.

Ptolemæus, qui à matre fuerat ejectus, annis VIII. regressus de fuga Regnum obtinuit, quia Alexandrum, qui ante eum fuerat, ob interfectionem matris, cives pepulerant. Sylla Athenienses vastat.

(Orosius.)

Anno ab Urbe condita DCLXI. primum Romæ bellum civile exortum est, nondum finito sociali bello. Eodem anno Mithridaticum bellum exortum est, quod per triginta annos tractum est, Consulatu Ciceronis, & Antonii. His quoque temporibus plura Pompejus homo Romanorum moderatissimus per orbem faciebat insignia. MMMDCCCCIV.

Ptolemæus Dionysius annis XXX. Hujus ab anno quinto Alexandra uxor Alexandri Pontificis post mortem ejus regnavit Judæis annis novem. Ex quo tempore Judæos rerum confusio, & variæ clades oppresserunt. Post cujus mortem Aristobolus, & Hircanus filii ejus contra se de Imperio dimicantes occasionem præbuere Romanis, ut Judæam invaderent. Pompejus itaque Hierosolymam veniens, capta urbe, & Templo reserato, usque ad Sancta-Sanctorum accedit, Aristobolum secum vinctum adducit, Pontificatum confirmat Hircano. Deinde Antipatrum Herodis Ascalonitæ filium procuratorem Palæstinæ facit: mansitque in Pontificatu Hircanus annis XXXIV. Pompejus captis Hierosolymis Judæos tributarios facit. Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, haud procul à Mantua nascitur, Pompejo, & Crasso Consulibus, deinde Cremonæ studiis eruditur.

(Orosius.)

Anno ab Urbe condita DCLXXXIX. Marco Tullio Cicerone, & Gajo Antonio Consulibus Mitridates Rex Ponti, postquam cum Romanis per viginti annis bellum gesserat, plurimis à Pompejo bellis attritus ad hoc coactus est, ut apud Bosphorum uxores, ac filias, & se ipsum veneno necaret anno vitæ suæ LXXII. Regni autem anno LX. Dein-

(24) tulit.

Deinde verò Pompejus Syriam aggressus Tyrios primùm Arabasque perdomuit; hinc ad Judæos, quibus Aristobolus, expulso fratre Hircano, primus ex Sacerdote Rex præerat ad Hierosolymam urbem veniens à patribus est in urbe susceptus: sed à plebe muro Templi, quod non solùm natura, verùm ingenti fossa munitum erat, repulsus, expugnationem ejus intendit, & tribus mensibus sinè requie expugnatum tandem vix cepit. Judæorum ibi XIII. millia cæsa narrantur, cæteram multitudinem in fidem accepit. Et cùm aliquantos Principes Judæorum securi percussisset, Hircanum Sacerdotio restituit: Aristobolum captivum Romam duxit. Hinc bellum Orientis cum XXII. Regibus se se gessisse ipse Pompejus pro concione narravit. Interea conjuratio Catilinæ adversùs patriam per eosdem dies in urbe habita, ac prodita, in Hetruria verò extincta est, occiso ibi Catilina: Romæ conscii conjurationis occisi sunt. Eo tempore Metellus de Creta triumphavit. Pompejus de bello Piratico, & Mitridatico. Nulla huic unquam pompa similis fuit: ducti sunt ante currum ejus filii Mitridatis Regis, & Aristobolus Rex Judæorum: prælata est ingens pecunia: aurum quoque & argentum infinitum.

Anno ab Urbe condita DCXCIII. Gajo Julio Cæsari, qui postea solus imperavit, quatuor sunt provinciæ cum legionibus VII. Consuli in quinquennium datæ: Gallia Transalpina, & Cisalpina, & Illyricum, nec non & Gallia Comata, cujus historiam Suetonius Tranquillus plenissimè explicavit. Orosius quoque historiarum egregius scriptor sagacissimo ordine composuit, qualiter Cæsar multis, & gravissimis prœliis Germanos, & Gallos cepit, Britannos quoque, quibus ante eum nec nomen quidem Romanorum cognitum fuerat, obsidibus acceptis, stipendarios fecit, & qualiter postea apud Duracium cum Pompeo dimicavit, à quo victus Cæsar in Thessalia iterum gravissimo, & cruentissimo bello cum eo dimicavit, in quo Pompejus victus in Alexandriam fugiit.

Anno ab Urbe condita DCXCVII. Crassus Consul effectus est, homo inexplicabilis cupiditatis, qui propter pecuniæ avaritiam, quam, undecumque poterat, maximè à suis, exigebat, apud Charras in Parthia insidiis circumventus est, & occisus. Iste quoque auditâ Hierosolymis Templi opulentiâ, quam Pompejus olim intactam reliquerat, Hierosolymam adiit, Templum pervadit, opibus spoliat; illud videlicet Templum, quod Zorobabel filius Salathiel de Tribu Juda, postquam de captivitate Babylonis reversus est, ædificavit. Porrò Zorobabel genuit Abiud, Abiud genuit Eliachim, Eliachim genuit Azor, & sic deorsum producit Matthæus flexibiles easdem generationes, usque quò veniat ad Jacob & Joseph Sanctæ & Beatæ Virginis Mariæ virum, quæ de Spiritu Sancto concepit, ac genuit Dominum in corpore venientem. In quarum generationum ordine post Zorobabel usque ad Dominicæ Incarnationis adventum nullum tam præclarum tamque eminentem legimus, sicut Mathathiam, & filios ejus: sed populus sub cura, & ordine Sacerdotum fuit. Ipse autem Mathathias ex Regali, & Sacerdotali genere veniebat, qui multas tribulationes, & contumelias pro lege Dei substinuit, & multas pugnas & certamina habuit ipse, ac filii ejus pro legitimis, vel sanctis Domini mandatis, & institutionibus divinis; & iterum filii ex ipsis Sacerdotes post parentes suos pro timore Dei & legitimis ejus principes populi effecti, & Summi Sacerdotis honore perfuncti sunt: nullus tamen eorum Regiam obtinuit dignitatem usque ad adventum veri Regis & Salvatoris nostri Jesu Christi, de quo Prophetæ omnes dudum jam prophetaverant. Herodes autem Rex ipsius ex alienigenis originem ducens indignè & dolosè sibi Regnum usurpavit. Hæc itaque ideo diximus, quia omni rei tempus, & tempora sub cœlo. Tempus circumcisionis patrum sub Abraham, tempus legis ordinationis sub Moysen, tempus pugnæ sub Jesu Nave, tempus Judicum usque ad Samuelem hominem Dei, tempus Regum à David usque ad captivitatem Babylonis; completo tempore regali Regem certissimum ampliùs Judæi non habuerunt, sed sub Sacerdotum cura, ut dictum est, consilio, & ordinatione vixerunt, usque dum Rex unigenitus Dei Deus advênit, qui novam regenerationem, & potentiam verbo, & exemplo docuit, & ostendit, quod est novitatis vitæ tempus, & patientiæ. MMMDCCCCV.

Cleopatra soror Ptolemæi annis II. Orto siquidem bello civili inter Cæsarem, & Pompejum, postquam novem annis Cæsar omnem Galliam domuit, atque Britanniam, Pompejus à Cæsare in Thessalia victus Alexandriam petiit, ibique ab ipso, à quo sperabat auxilia, Ptolemæo percussus interiit. Mox Cæsar Alexandriam vênit. Ipse quoque Ptolemæus insidias ei parare voluit, unde bello ei illato victus in illo periit. Sed ne Cæsar de his triumpharet, Cato se se apud Uticam occîdit. Juba Rex pretio dato, percussori jugulum præbuit. Petrejus eodem se gladio perfodit. Scipio ipse semet jugulavit. Similiter & Tatius Torquatus. Magni Pompei nepotes, filiamque Pompejam, & cum his Faustum, & Sillam, & Afranium, & Petrejum Cæsar jussit occidi: Cæsar Alexandria potitus, Regnum Cleopatræ dedit, cum qua stupri consuetudinem habuerat. Cujus tertio anno regni ipse primus Romanorum singulare obtinuit imperium, à quo Cæsares Romanorum Principes sunt appellati: Inde quatuor triumphis urbem ingressus, cum quo & Cleopatra regio comitatu est urbem ingressa. Ibique Cæsar disposito Reipublicæ statu, continuò in Hispaniam contra Pompejos filios Pompei profectus, XVII. die, qua egressus ab urbe fuerat, Saguntum pervênit: statimque adversùs Pompejos duos, & Labienum, atque Attilium Varum multa bella, & varia sorte gessit: ultimum bellum apud Mundam flumen gestum est, ubi tantis viribus dimicatum, tantaque cædes acta, ut Cæsar quoque veteranis etiam suis cedere non erubescentibus prævenire mortem cogitaret, cùm subitò in fugam Pompejorum cessit exercitus. Titus Labienus, & Actius Varus in acie cæsi sunt, Gneus Pompejus cum centesimo equite aufugiit; frater ejus Sextus Pompejus victus, fugiensque interfectus est; Munda civitas cum immensa hominum cæde Cæsare oppugnante vix capta est. Quatuor annis ex quo ab urbe bellum gesturus aufugerat, hoc bellum civile indesinenter toto orbe intonuit. Cæsar igitur bellis civilibus per quatuor annos toto orbe compositis, Romam rediit, & & insolentiùs agere cœpit: honores enim,

qui ante à populo dabantur, ipse ex sua voluntate præstabat, & nec ad se venienti assurgebat, aliaque non regia, sed prope tyrannica faciebat. Tunc itaque in eum conjuratum est à sexaginta, vel ampliùs Senatoribus, Equitibusque Romanis: & cùm die quadam inter cæteros Senatus ad Curiam venisset, viginti tribus plagis occisus est. Vir, quo nullus unquam in bello magis enituit. Ejus siquidem ducatu undecies centum nonaginta duo millia hostium cæsa sunt. Nam quantum bellis civilibus fuderit noluit annotare. Collatis signis quinquagies dimicavit. Nullus eo quippe celeriùs scripsit, nemo velociùs legit. Quaternas epistolas simul dictabat: tantæ fuit bonitatis, ut quos armis vicerat, clementia magis vicerit.

A

B

(*Item Orosius*.)

Cæsar Romam post ingentem victoriam rediit: ubi dum Reipublicæ statum contra exempla majorum instaurat, auctoribus Bruto, & Cassio, conscio etiam plurimo Senatu, in Curia viginti tribus vulneribus confossus interiit: In qua conjuratione fuisse ampliùs quàm LX. conscios ferunt: duo Bruti, & Gajus, & Cassius aliique socii strictis pugionibus in Capitolium secesserunt. Diu quippe deliberatum est, utrum Capitolium cum auctoribus cædis oporteret incendi. Corpus igitur ejus raptum, & populus dolore stimulatus in foro fragmentis tribunalium, ac subselliorum cremavit. Victor civilis belli à civibus Cæsar propter clementiam occiditur. Ac propter hoc certum erat, quia Cæsar indignè peremptus plures postea habuit ultores.

C

(*Orosius*.)

Anno ab Urbe condita DCCX. interfecto Julio Cæsare, Octavianus adolescens natus annos XVII. patre Octavio Senatore genitus, maternum genus ab Ænea per Juliam familiam sortitus, Cæsaris nepos, quem ille testamenti hæredem reliquerat, idemque, qui postea Augustus est dictus, & rerum potitus Romam vênit, & Consul indolem suam bellis civilibus vovit, ut occisi sanguinem avunculi vindicaret. Nam bella quinque civilia gessit. Mutinense adversùs Marcum Antonium. Philippense adversùs Brutum, & Cassium. Perusinum adversùs Lucium Antonium. Siculum adversùs Sextum Pompejum Gnei Pompei filium. Actiaticum adversùs Marcum Antonium. Antonius namque, qui Asiam, & Orientem tenebat, repudiata sorore Cæsaris Octaviani, Cleopatram duxit uxorem, per quam cupiebat in urbe regnare: hic itaque, Cleopatra cogente, ingens bellum civile commovit: qui victus à Cæsare navali pugna famosissima apud Actium (qui locus in Cypro est) fugit in Ægyptum; & desperatis omnibus, cùm omnes ad Cæsarem Octavianum transirent, ipse se interemit. Cleopatra exornata diversis ornamentis ad Cæsarem vênit, sperans illum, quemadmodum cæteros sua specie illicere. Sed ille se intra pudicitiam coarctans, ad ejus concupiscentiam minimè inflexit, eam mox custodiri mandavit. Quæ custodiâ elapsa in pretioso sepulchro juxta Antonium se collocans, sibi aspidem admisit, & veneno extincta est. Ægyptus per Octavianum Imperio Romano adjuncta est. Octavianus itaque civilibus bellis toto orbe confectis, Romam rediit

D

E

duodecimo anno, quo Consul fuerat: atque ex eo Rempublicam per quadraginta & quatuor annos solus obtinuit. A quo tempore quidam primum annum Augusti Monarchiæ supputant. Denique cùm de Oriente cum maximis opibus, & pecuniarum abundantia victor reversus est, urbemque triplici triumpho ingressus, tunc primùm Augustus, eo quòd Rempublicam auxerit, consalutatus est: atque ex tunc summam potestatem (quam Græci Monarchiam vocant) adeptus est. Nullo quippe unquam tempore ante Cæsarem Romana res tam effloruit: nam exceptis civilibus bellis, in quibus invictus fuit, Romano adjecit Imperio Ægyptum, Syriam, atque Lybiam, Musulanos quoque, & Getulos, Hispaniam, Aquitaniam, Rhætiam, Dalmatiam sæpe ante victam, sed nunc penitus subactam, Guandalicos, & Talassos, omnesque Ponti maritimas civitates, Bosphorum quoque, & Ponti Cappadociam, Rhodum, Siciliamque, Armeniam, & Parthiam, atque Galatiam. Scythi, & Indi, quibus ante Romanorum nomen incognitum fuerat, munera, & Legatos ad eum miserunt, refuderuntque in Cæsarem Alexandri Magni gloriam. Norici, Illyrici, Pannonii, Mœsii, Thraces, Daci, Sarmatæ, plurimique, & maximi Germaniæ populi ultra Rhenum, Danubiumque superati ab eo, vel pressi sunt. Susipetes, Thencteros, Chattos, Marcomannos, Cheruscos, Svevos, & Sicambros aspero bello perdomuit. Toto igitur orbe Urbi subacto, Cæsar Augustus ovans urbem ingressus omnia superiora populi Romani debita donanda, literarum etiam monimentis abolitis censuit. Domini appellationem ut homo declinavit. In ipsis diebus fons olei largissimus de Taberna meritoria per totam diem fluxit. Horâ quoque circiter tertiâ repentè liquido, ac puro serenoque die circulus ad speciem cœlestis arcus orbem Solis adiit (25).

(*Beda*.)

Octavianus Cæsar Augustus regnavit annis XLIV. (26) & mensibus sex, à quo Augusti appellati Reges Romanorum. Quorum XV. vivente Cleopatra, XLI. postea vixit annos. Undecimo Augusti anno deficiente in Judæa Pontificum Principatu, Herodes nihil ad eum pertinens, utpote Antipatri Ascalonitæ, & matris Cipridis Arabicæ filius à Romanis Judæorum suscepit Principatum, quem tenuit annos XXVI. (27) qui ne ignobilis fortè, & à Judæorum semine argueretur extraneus, combussit libros omnes, quibus nobilitas gentis Judææ in Templo servabatur ascripta: ut deficientibus probamentis, & ipse ad hanc pertinere putaretur. Insuper etiam ut suam sobolem Rege (28) illorum generi commisceret, projecta Doside fœmina Hierosolymitana, quam privatus acceperat uxorem, & nato ex ea filio Antipatro, sociat sibi Mariamnem filiam Alexandri, neptem Aristoboli fratris Hyrcani, qui ante eum Rex, & summus Sacerdos erat Judæorum. Hæc quinque ei filios genuit, quorum duos Alexandrum, & Aristobolum ipse necavit in Samaria. Nec mora, post etiam matrem illorum, qua nil carius noverat, simili scelere peremit. E quibus Aristobolus Herodem ex Vero-

(25) *Lege* ambiit.
(26) *Corrige* LVI.
(27) *Corrige* XXXVI.
(28) regio.

ronice (29) susceperat filium, quem in actibus Apostolorum ab Angelo percussum legimus. Hactenus qui vocabantur Lagidæ in Ægypto regnaverunt annos ducentos nonaginta quinque.

SEXTA ÆTAS.

Sexta Ætas ab Adventu Domini inchoatur, cùm Dei Verbum Caro factum est, transactis ab exordio Mundi, juxta Hebræos, annis MMMDCCCCLII., secundùm septuaginta verò Interpretes annis MMMMMDVIII. Juxta Eusebium annis MMMMMCXCIX. Anno Cæsaris Augusti XLII. A morte verò Cleopatræ, & Antonii, quando & Ægyptus in provinciam versa est, anno XXVII. Olympiadis quidem CXCIII. Ab Urbe autem condita anno DCCLII. idest anno eo, quo, compressis per orbem terræ gentium motibus, firmissimam, verissimamque pacem ordinatione Dei Cæsar composuit, nasci dignatus est in terris JESUS CHRISTUS Filius Dei, suoque sextam Mundi ætatem consecravit adventu. In cujus ortu, audientibus hominibus, exultantes Angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Eodem quoque anno tunc primùm idem Cæsar census singularum ubique provinciarum, & censeri omnes homines jussit. Tunc igitur natus est Christus Romano censui statim ascriptus, ut natus est. Anno Imperii Augusti XLVII. Herodes morbo intercutaneis æquè (30), & scatentibus toto corpore vulneribus, miserabiliter, & dignè moritur; pro quo substitutus ab Augusto filius ejus Archelaus regnavit annis novem, idest usque ad ipsius Augusti finem. Tunc enim non ferentibus ultra, sed accusantibus apud Augustum ferocitatem ejus Judæis, in Viennam Galliæ urbem relegatur, & ad comminuendam Judaici Regni potentiam, insolentiamque domandam, quatuor fratres ejus pro eo sunt Tetrarchæ creati, Herodes Antipater, Lysias, & Philippus. Quorum Philippus, & Herodes, qui Antipas priùs nuncupabatur, & vivente Archelao, Tetrarchæ fuerant ordinati.

Cæsar autem tanto amore etiam apud Barbaros fuit, ut Reges nonnulli in honorem ejus conderent civitates, quas Cæsareas vocarent: sicuti in Mauritania à Rege Juba, & in Palæstina, quæ nunc urbes clarissimæ sunt. Et multi Reges ex Regnis suis venerunt, ut ei obsequerentur. Hic denique turbas, bella, simulationes execratus est: & nisi justis de causis nunquam genti cuiquam bellum induxit. Dicebat enim: Imperatori bono quicquam minùs quàm temeritatem congruere; satisque celeriter fieri, quicquid commodè geritur. Diligebat præterea Virgilium, Flaccumque Poëtas. Erga cives clementissimè versabatur. In amicos liberalissimus extitit, quorum præcipui ob taciturnitatem, & modestiam erant Agrippa. Rarus quidem ad percipiendas inimicitias, ad retinendas amicitias constantissimus, liberalibus studiis, præsertim eloquentiæ in tantum incumbens, ut nullus penè laberetur dies, quo non legeret, scriberet, vel declamaret. Auxit, ornavitque Romam ædificiis

A multis, isto glorians dicto: *Urbem lateritiam reperi, marmoream relinquo*; Fuit mitis, gratus, civilis animi, sed lepidi, toto corpore pulcher, sed oculis magis, quàm (31) acies clarissimorum syderum modo, & tamquam solis radiorum vibrabat: nec tamen tantus vir vitiis caruit; fuit enim paululum impatiens, leviter iracundus, occultè invidens, palàm factiosus. Porrò dominandi supra quàm æstimari potest cupidissimus, studiosus aleæ lusor. Cùmque esset cibi, ac vini multùm aliquotiens alacer (32) somni abstinens, serviebat tamen libidini usque ad probrum vulgaris famæ. Cùmque esset luxuriæ serviens, erat tamen ejusdem vitii severissimus ultor. Anno
B LXXXVII. vitæ suæ ingressus Nolam morbo interiit, cunctis vulgò clamantibus: *Utinam aut non nasceretur, aut non moreretur*. Neque enim facilè ullus eo, aut in bellis felicior fuit, aut in pace moderatior. Quadraginta quatuor annis, quibus solus gessit Imperium, civilissimè vixit. In cunctis liberalissimus, in amicos fidelissimus, quos tantis evexit honoribus, ut suo penè æquaret fastigio, sub hoc pollebant sapientes insignes, Virgilius, Salustius, Libius, Hortensius, Horatius, Athenodorus, Tharseus, & Sicius Alexandrinus. Imperavit autem Cæsar Augustus annis LVI. duodecim cum Antonio, quadraginta quatuor solus. Qui certè numquam
C Reipublicæ ad se potentiam traxisset, aut tamdiu ea potiretur, nisi magnis naturæ, & studiorum bonis abundasset, Rempublicam beatissimam Tiberio successori reliquit, qui privignus ei, mox gener, postremò adoptione filius fuerat; satisque prudens in armis, satisq; fortunatus ante sumptum Imperium sub Augusto fuit, ut non immerito Reipublicæ dominatus ei committeretur. MMMDCCCCLXVII.

(*Orosius*.)

Anno ab Urbe condita DCCLXVII. Tiberius Cæsar privignus Augusti, idest Libiæ (33) uxoris suæ filius Imperium adeptus est, mansitque in eo annis XXIII. Huic inerat scientia literarum multa, eloquia clara. Hic per se-
D metipsum bella nulla gessit, sed per Legatos quidem aliqua gravia: nisi quòd aliquantis in locis præcogniti ab eo citò gentium rumores comprimebantur. Ipse autem plurima Imperii sui parte cum magna, & gravi modestia Reipublicæ præfuit, adeò ut quibusdam Præsidibus augenda provinciis tributa suadentibus scripserit: *boni pastoris esse tondere pecus, non decoriare*.

(*Beda*.)

Hic quosdam Reges ad se per blanditiam evocatos nunquam remisit. In quibus Archelaum Cappadocem, cujus etiam Regnum in provinciæ formam redegit, & maximam civi-
E tatem appellari nomine suo jussit, quæ Cæsarea dicitur, cùm Mazacha antea diceretur. Hujus anno XII. Pilatus Judææ procurator ab eodem dirigitur. Herodes Tetrarcha, qui Judæorum principatum tenet annis XXIV. in honorem Tiberii, & matris ejus Libiæ, Tiberiadem condidit, & Libiadem. MMMDCCCCLXXXII.

Anno Imperii Tiberii XV. Dominus Noster Jesus Christus post baptismum quod prædicavit Joannes, mundo Regnum cœlorum prædican-

(29) Beronice.
(30) intercutis aquæ.
(31) quorum.

(32) *Legerem* aliquotiens etiam.
(33) Liviæ.

cando cœpit annunciare, peractis secundùm Hebræos annis, ut Eusebius in Chronicis suis signat, quatuor millibus, annotando quòd XVI. Tiberii anno principium fuerit LXXXI. Jobelæi secundùm Hebræos. Quare autem nostra supputatio undeviginti minus ponendos æstimaverit annos, qui superiora libelli hujus legerit, facilè inveniet. Juxta verò Chronicam eandem, quam ipse Eusebius de utraque editione (34), ut sibi videbatur, composuit, sunt anni quinque millia ducenti viginti octo. MMMDCCCCLXXXVI.

Anno octavo decimo Imperii Tiberii Cæsaris Dominus Noster Jesus Christus Cruci affixus, mundum sua passione redemit. Et prædicaturi per Judææ regiones Apostoli, Jacobum fratrem Domini Hierosolymis ordinant Episcopum, ordinant & septem Diacones. Et lapidato Stephano Ecclesia per regiones Judææ, & Samariæ dispergitur. Agrippa cognomento Herodes filius Aristoboli, filii Herodis, accusator Herodis Tetrarchæ Romam profectus, à Tiberio in vincula conjicitur: ubi plurimos sibi ascivit ad amicitiam, & maximè Germanici filium Gajum. Hactenus Beda.

(*Orosius*.)

Anno septimo decimo Imperii Tiberii, cùm Dominus noster Jesus Christus voluntariæ se quidem tradidit passioni, sed impiè à Judæis apprehensus, & patibulo affixus est maximo terræmotu per orbem facto. Saxa in montibus scissa, magnarumque urbium plurimæ partes plus solita concussione ceciderunt. Ad horam quoque diei sextam Sol in totum obscuratus est, tetraque nox obducta terris est: usque adeò autem neque Lunam lumini Solis, neque nubes obstitisse manifestum est, ut XIV. eadem die Luna tota cœli regione interjecta, longissimè à conspectu Solis absuisse referatur. Ac postquam passus est Dominus Christus à mortuis resurrexit, & discipulos suos ad prædicandum misit, Pilatus Præses Palęstinæ provinciæ ad Tiberium Imperatorem retulit de Passione Christi, & Resurrectione, consequentibusque virtutibus, quæ per se ipsum factæ fuerant, vel per discipulos suos fiebant in nomine ejus, & de eo quòd certatim crescente plurimorum fide, Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad Senatum, ut Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi priùs secundùm morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu priùs ipse decerneret, consecrationem Christi recusavit, edictoque constituit, exterminandos esse Urbe Christianos. Præcipuè cùm & Selanus (35) Præfectus Tiberii suscipiendæ religioni obstinatissimè contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem cõminatus est. Sicque paulatim immutata est illa Tiberii Cæsaris laudatissima modestia in pœnam contradictoris Senatus, atque ex mansuetissimo Principe, sævissima bestia exarsit. Nam plurimos Senatorum proscripsit, & ad mortem coëgit. Horum vix duos incolumes reliquit, cæteros diversis causis necavit. Viginti sibi patricios viros consilii causâ elegerat; Selanum Præfectum suum contradictorem, & filios suos, ac nepotes interfecit. Sicque factum est, ut qui spreverant Christo Rege salvari, Rege Cæsare punirentur. Judæorum plerosque exilio relegavit. Ejus Imperii anno XXIII. in Campania mortuus est.

Anno Dominicæ Incarnationis XXXVIII.

Gajus cognomento Caligula filius Drusi privigni Augusti, & ipsius Tiberii nepos sceleratissimus, Imperii summam adeptus est. Hic ingressus viam suam, nil umquam strenuè gessit. Stupra sororibus intulit: ex una etiam natam filiam cognovit. Cùm apud cunctos ingenti avaritia, libidine, & crudelitate sæviret, interfectus est in palatio, anno ætatis suæ trigesimo nono, Imperii autem anno tertio, mense decimo, die nono. Hic Herodem Agrippam amicum suum vinculis liberatum, Regem Judææ facit, qui manet in Regno annis VII. idest usque ad annum quartum Claudii. Quo ab Angelo percusso, successit in Regnum filius ejus Agrippa, & usque ad exterminium Judæorum annis XXVI. perseverat. Herodes Tetrarcha, & ipse Gaji amicitiam petens, cogente Herodiade Romam vênit: sed accusatus ab Agrippa, etiam Tetrarchiam perdidit, fugiensque in Hispaniam cum Herodiade, mœrore periit. Pilatus autem, qui sententiam damnationis in Christum dixerat, tantis, irrogante Gajo, angoribus coarctatus est, ut sua se manu perimeret: Matthæus in Judæa prædicans, eo tempore Evangelium scripsit.

(*Orosius*.)

Anno Urbis conditæ DCCXCI. Tertius ab Augusto Gajus Caligula regnare cœpit, mansitque in eo annis non plenis quatuor, homo omnium ante se flagitiosissimus, & qui verè dignus Romanis blasphemantibus, & Judæis persecutoribus punitor adhibitus videretur. Hic, ut breviter magnitudinem crudelitatis exprimam, exclamasse fertur: *utinam populus Romanus unam cervicem haberet*. Sæpe etiam de conditione temporum suorum conquestus est, quòd nullis calamitatibus publicis insignirentur. Hic siquidem magno & incredibili apparatu profectus quærere hostem, quem tunc Romanum jamdudum sopitis omnibus non habebat, viribus ociosis Germaniam, Galliamque percurrens, in ora Oceani ad prospectum Britanniæ restitit. Cùmque ibi Minocyno-Bellinum Britannorum Regis filium, qui à patre pulsus, cum paucis oberrabat, in deditionem recepisset, deficiente belli materia, Romam rediit. Hisdem autem diebus Judæi, qui jam tunc ob Passionem Christi, meritis ubique cladibus exagitabantur, Legatum ad Cæsarem miserunt. Sed Caligula omnibus infestissimus, spreta eorum legatione, Templum Hierosolymis, omnesque Judæorum sacras ædes profanis sacrificiis Gentilium, ac statuis repleri simulacrisque imperavit, & se ibi ut Deum coli præcepit. Pilatus autem Præses, qui sententiam damnationis in Christum dixerat, postquam plurimas seditiones in Hierosolymis excepit ac fecit, tantis, irrogante Gajo, angoribus coarctatus est, ut sua se transverberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæsierit. Gajus Caligula libidinibus suis, etiam illud sceleris adjecit, ut sorores suas simul (36) stupro pollueret, deinde exilio damnavit. Qui postquam omnes simul exules jussit occidi; ipse autem à suis proditoribus occisus est. Duo libelli in se-

(34) *In Beda legitur* de vera Editione.
(35) Sejanus.
(36) *In Orosio* primùm.

secretis ejus reperti sunt: quorum alteri pugio, alteri gladius pro signo nominis adscriptus erat: ambo lectissimorum virorum utriusque ordinis Senatorii, & Equestris, nomina & notas continebant, morti destinatorum: inventa est & ingens arca variorum venenorum, quibus mox Claudio Cæsare jubente demersis, infecta maria traduntur, non finè magno piscium exitio: quos enecatos per proxima litora passim æstus ejecit. Quanta verò hominum multitudo morti præparata evasit, ex multitudine interfectorum piscium notum fuit.

Anno Dominicæ Incarnationis XXXXIX.

Claudius patruus Caligulæ imperavit annis XIII. mensibus septem, diebus XXVIII. Petrus Apostolus cùm priùs Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam pergit in exordio Regni Claudii, ibique XXV. annis Cathedram tenet Episcopalem, idest usque ad ultimum Neronis annum. Exinde Christiani Romæ esse cœperunt. Marcus Evangelista quod Romæ scripserat Evangelium, Ægypto, Petro mittente, prædicat. Quarto Claudii anno fames gravissima, cujus Lucas meminit, facta est. Eodē anno ipse Britāniam adiens (*transvectusq; in insulam*) quam neque ante Julium Cæsarem, neq; post eum quisquam attingere ausus fuerat, sinè ullo prœlio, ac sanguine intra paucissimos diès plurimam Insulæ partem in deditionem recepit; Orcadas etiam Insulas Romano adjecit Imperio, ac sexto quàm profectus erat mense, Romam rediit. Nono Regni sui anno Judæos tumultuantes Româ expulit, quod & Lucas refert. Sequenti anno fames magna Romam corripit. Sub hoc enim sapientes erant Apollonius ex Tianensibus Italiæ Pithagoricus Philosophus: ita ut hunc ipse quoque Pithagora, Philostratus, & alii acrioris ingenii fuisse describant. (*)

(*Orosius*.)

Anno ab Urbe condita DCCXCV. Tiberius Claudius ab Augusto quartus Regnum adeptus est; mansit in eo annos XIV. Exordio Regni ejus Petrus Apostolus Domini Nostri Jesu Christi Romam vênit; & salutarem cunctis credentibus fidem, fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbavit. Quinto anno ejusdem Tiberii Principatus, inter Theram & Thesariam, Insula de profundo emicuit XXX. stadiorum spatio extenta. Anno ejus septimo sub Procuratore Judææ Cumano in Hierosolymis tanta seditio in diebus Azymorum exorta est, ut in portarum exitu populo coarctato, triginta millia Judæorum prostrata, & confusione suffocata (37) referantur. Tiberius autem manifestis veneni signis mortuus est anno vitæ suæ XLIV.

Anno Dominicæ Incarnationis XLIV.

Nero Caligula Gaji nepos annis XIII. mensibus VII. diebus XXVIII. Hic autem avunculo suo simillimus, Romanum Imperium & deformavit, & minuit. Insuetatæ luxuriæ sumptuumque, ut qui exemplo Gaji Caligulæ frigidis, & calidis lavaretur unguentis, hamis aureisque retibus piscaretur, quæ à blattinis funibus extrahebantur. Infinitam Senatus partem interfecit. Bonis omnibus hostis fuit, tantoque se dedecori prostituit, ut cantaret & saltaret in cœna citharetico habitu, vel tragico. Parricidia multa commisit, fratre, uxore, matre, ac Seneca magistro interfectis. Urbem Romam incendit. In re militari nihil omnino ausus. Britanniam penè amisit, & duo nobilissima sub eo oppida illic (38) atque eversa sunt. Armeniam Parthi sustulerunt, legionesque Romanas sub jugo miserunt. Duæ tamen provinciæ sub eo factæ, Pontus Polemoniacus, concedente Rege Polimene, & alpes Cottiæ Rege defuncto. Post hæc Romanæ urbi execrabilis, ab omnibus destitutus, simul & à Senatu hostis judicatus; cùmque quæreretur ad pœnam, quæ pœna talis erat, ut nudus per publicum ductus, furcâ capiti ejus insertâ, virgis usque ad mortem cæderetur, & ita præcipitaretur saxo ligatus in flumine, è palatio fugiit, & in suburbano liberti sui, quod est inter Salariam, & Numentanam viam, ad quartum urbis milliarium, se se interfecit; anno ætatis suæ XXXI. Imperii XIV. atque in eo omnis Augusti familia consumpta est.

(*Beda*.)

Hujus secundo anno Festus Judææ procurator successit Felici: à quo Paulus Romam vinctus mittitur: & biennio in libera manens custodia, post hæc ad prædicandum mittitur: nec dum Nerone in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ. Jacobus frater Domini cùm XXX. annis Hierosolymitanam rexisset Ecclesiam, septimo Neronis anno lapidatur à Judæis, vindicantibus in illo, quòd Paulum interficere nequiverunt. Festo Magistratui Judææ succedit Albinus, Albino Florus: cujus luxuriam, & avaritiam, cæteraque flagitia non ferentes Judæi contra Romanos rebellaverunt. Ad quos Vespasianus magister militiæ transmissus est, plurimas urbes Judææ cepit.

Primus Nero super omnia scelera sua Christianos persequitur, quorum eximios Petrum cruce, Paulum gladio occîdit. Sub hoc pollebant Romæ Poëtæ Lucanus, & Ovidius, Satyrici Juvenalis, & Persius, Senecaque Tragicus, Mussonius (39), atque Plutarchus Philosophi.

(*Orosius*.)

Anno ab Urbe condita DCCCVIII. Nero Cæsar ab Augusto quintus principatum adeptus est, mansitque in eo annis non plenis XIV. Gaji Caligulæ avunculi sui erga vitia ac scelera sectator, immo transgressor. Petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem, nullo non scelere exercuit. Siquidem petulantia percitus omnia penè Italiæ, Græciæque Theatra perlustrans, assumpto etiam varii vestitus dedecore, scœnicos, citharistas, tragicos, & aurigas, sæpe sibi superasse visus est. Libidinibus porrò tantis exagitatus est, ut ne à matre quidem, vel sorore, ullave consanguinitatis reverentia abstinuisse referatur, virum in uxorem duxerit, ipse à viro uxor acceptus sit: luxuriæ verò tam effrenatæ fuit, ut retibus aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur, frigidis, & calidis lavaretur unguentis. Qui etiam numquam minus mille carrucis confecisse iter traditur. Denique urbis Romæ incendium voluptati suæ spectaculum fecit. Per sex dies, septemque noctes civitas ardens regios pavit aspectus. Horrea quadro extructa lapide magnaque veterum Insulæ, quas discurrens flamma

(37) *In Orosio*: cæde prostrata, & compressione suffocata.

(*) Mendosa est hæc periodus.

(38) *Deest verbum*, *puta* capta.

(39) *Lege* Musonius.

ma adire non poterat, magnis machinis quondam ad externa bella præparatis labefactatæ, atque inflammatæ sunt, ad monumentorum, bustorumque diversoria infelice plebe compulsa; quod ipse ex altissima illa Mecœnatica turri prospectans, lætusque flammæ (ut ajebat) pulchritudine, tragico habitu Iliadem decantabat. Avaritiæ autem tam præruptæ extitit, ut post hoc incendium Urbis, quam se Augustus ex latericia marmoream reddidisse jactaverat, neminem reliquias rerum suarum adire permiserit. Cuncta enim, quæ flammæ quoquomodo superfuerant, ipse abstulit. Centies centena millia sextertiorum auri, & argenti annuas ad expensas à Senatu conferri sibi imperavit. Plurimos Senatorum, nulla existente causa, bonis privavit. Negotiatorum omnium sub uno die, tormentis quoque adhibitis, omnem censum penitus abstersit. Crudelitatis autem rabie ita efferatus est, ut plurimam Senatus partem interfecerit. Equestrem ordinem penitus (40) destituerit; matrem, fratrem, sororem, omnes cognatos, & propinquos cæteros sinè hæsitatione prostravit, suumque magistrum Senecam veneno necavit.

PRIMA PERSECUTIO IN ECCLESIA.

Iste primus Romæ Christianos suppliciis & mortibus affecit, ac per omnes orbis provincias pari persecutione excruciari edicto imperavit: ipsosque extirpare conatus, beatissimos Christi Apostolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit.

(*Hieronymus*.)

Paulus siquidem ipse eodem anno, quo Dominus passus est, interfecto Stephano Diaconorum maximo, ad Deum conversus, Christum prædicare cœpit. Et post annos tres à conversione sua vênit Hierosolymam videre Petrum, mansitque cum eo diebus XV. ut ejus auctoritate fultus, liberè posset Verbum Dei Ecclesiis prædicare. Deinde post annos XIV assumpto Barnaba, & Tito, iterum vênit Hierosolymam, deferens secum Evangelium suum, quod intitulatur secundùm Lucam, ut cum Apostolis, maximèque cum Petro Apostolorum Principe suam conferret auctoritatem; roboratus Evangelium suum Ecclesiis Dei per totum Illyricum, Italiamque, Gallias quoque, & usque Hispanias disseminavit. Sed priusquam in Hispanias iret, Romam à Festo Præside ductus est secundo Imperii Neronis anno. Duodecimo autem ejusdem Neronis anno, secundò Romam vênit. Petrus verò Apostolorum Princeps filius Joannis, postquam Apostoli singulas ad prædicandum sortiti sunt regiones, hic Antiochenam fundavit Ecclesiam, ibique Episcopus ordinatus sedit annos VII. Dehinc successore sibi in Antiochia ordinato, Romanam Ecclesiam suo decoravit Episcopatu. In qua per XXV. annos, & menses tres, à quarto videlicet Claudii anno, usque ad ultimum Neronis annum resedit, scripsit duas Epistolas, quæ Canonicæ nominantur, & Evangelium Marci; quia Marcus discipulus ejus fuit, & discipulus de Baptismo. Evangeliorum quoque libri, quorum alius Hebraicis, alius Græcis, alius literis Latinis compositi fuerant, ejus tamen sunt testimonio comprobati. Constituitque duos Episcopos sibi adjutores, Linum, & Cletum, cum quibus cæteros Episcopos ordinabat. Hic Marcum Episcopum ordinans in Alexandriam misit, Apollinarem verò Ravennam. At verò Clementem successorem sibi constituit. Quem cùm in Cathedram collocaret, hoc ei decretum imposuit dicens: *Trado tibi potestatem à Domino mihi traditam ligandi, atque solvendi. Ligabis quod oportet, solves quod expedit, tamquam qui ad liquidum Ecclesiæ regulas noveris: & tu in curis sæculi deditus minimè reperiaris. Tibi autem crimen impietatis est, studia, & sollicitudines suscipere seculares: ad hoc enim solùm vocatus es, ut opportunè, & sinè intermissione doceas Verbum Dei.* Et hic ante Pascha Domini quadragesimale jejunium Ecclesiis tradidit. Et ante Natalem Domini tres hebdomadas, & quartam imperfectam ab omni Christiano populo instituit venerari in commemorationem primi, & secundi adventus Domini Nostri Jesu Christi, & ordinationes celebravit per mensem Decembrium, quique uno die cum Beato Paulo Magistro gentium martyrio coronatur, post passionem Domini anno XXXVIII. Marcus autem obiit Alexandriæ VIII. Neronis anno.

(*Orosius*.)

Nero postquam Galbam in Hispania Imperatorem creatum ab exercitu cognovit, totus animo ac spe concidit. Cùmque incredibilia perturbandæ, immo subruendæ Reipublicæ mala moliretur, hostis à Senatu pronunciatus, & ignominiosissimè à Palatio fugiens ad quartum ab Urbe lapidem sese interfecit, atque in eo omnis Cæsarum familia consumta est.

(*Hieronymus*)

At verò Beatus Clemens Spiritu Sancto plenus, metuens, ne hæc Apostolica ordinatio posteris temporibus transiret in vitium, dum quidem hæreditarium munus putantes, minus de Dei cogitarent electione, Linum, & Cletum priores sibi in Episcopatu ante se coëgit pontificari. Et sic Clemens primus est per Petri electionem, tertius verò per gradum. Linus itaque natione Tuscus, patre Herculano sedit annis XI. Hic ex præcepto Beati Petri constituit, ut mulier in Ecclesiam, non nisi velato capite introiret.

Anno ab Incarnatione Domini LXXI. Anno ab Urbe condita DCCCXXIV. Galba apud Hispanias usurpavit Imperium, vir antiquissimæ Nobilitatis. Nam privata ejus vita insignis fuerat militaribus, & civilibus rebus: sæpe Consul, sæpe Proconsul: frequenter dux gravissimis bellis. Qui mox Neronis mortem comperiens, Romam vênit, cùmque omnes avaritia, segnitieque offenderet, & qui bonis initiis ad severitatem propensior rueret; insidiis Othonis in foro Romæ jugulatus est, Imperii sui mense septimo, anno verò ætatis suæ septuagesimo tertio. Quo occiso simul cum Pisone nobili industrioque adolescente, quem sibi in filium, atque in Regnum adoptaverat, Otho Romæ, Vitellius in Germania, Vespasianus in Syria Imperia rapuerunt. Igitur Otho materno genere nobilior, quàm paterno, neutro tamen obscuro, in privata vita mollis, & Neronis familiaris, cùm inter tumultus, cædesque invasisset Imperium, bellum civile contra Vitellium molitus, cùm tribus primùm

(40) *In Orosio* penè.

mùm levibus prœliis, hoc est uno ad Alpes, alio circa Placentiam, tertio circa locum, quem Castoris vocant, contra Vitellianos Duces congressus victor extitisset, quarto apud Bebriacum prœlio, cùm animadvertisset suos vinci, quamuis ingentes copias ad bellum haberet, sponte sese interfecit: petentibus militibus, ne tam citò de belli desperaret eventu. Obiit autem XXXVIII. ætatis suæ anno, Imperii verò mense tertio. Vitellius familiâ honoratâ magis, quàm nobili ortus; Nam pater ejus non admodum clarè natus: tres tamen ordinarios gesserat Consulatus; victor Romam veniens Imperio potitus est. Ubi cùm multa crudeliter ac nequiter ageret, gravi sævitia notabilis, incredibili etiam ingluvie, ac voracitatis appetitu: quippe de die in diem, sæpe quartò vel quintò feratur epulatus: (Notissima certè cœna memoriæ mandata est, in quâ super cæteros sumptus duo millia piscium, & septem millia avium apposita traduntur) postquam de Vespasiano comperit, primùm deponere molitus est Imperium, postea à quibusdam animatus, Sabinũ Vespasiani fratrem nihil dum mali suspicantem, cum cæteris Flavianis in Capitolium compulit, succensoque Templo, & mixta simul flamma, ruinaque, omnes in unum pariter interitum, ac tumulum dedit. Post deficiente in Vespasiani nomen exercitu suo destitutus, appropinquantibusque jam hostibus, trepidus, cùm se in quandam proximam palatio cellulam contulisset, turpissimè inde protractus, (*&*) per viam sacram nudus duceretur, passim (*cunctis*) simũ in os ejus conjectantibus, in forum eductus, octavo, quo regnũ præsumpserat, mense, apud Gemonias scalas minutissimorum ictuum crebris compunctionibus excarnificatus, ac deinde unco tractus, & in Tyberim mersus, etiam communi caruit sepultura.

Anno Dominicæ Incarnationis LXXII. & Anno ab Urbe condita DCCCXXV. Vespasianus huic successit. Hic apud Judæam Palæstinæ Imperator ab exercitu appellatus, & bellum Tito filio commendans, ipse Romam per Alexandriam Imperator proficiscitur, qui secundo Imperii ejus anno Judææ regnum subvertit, Templumque solo stravit, post annos primæ ædificationis mille octuaginta novem. Consummatumque hoc bellum annis IV. duobus quidem vivente Nerone, & duobus aliis postea. Vespasianus autem obscurè quidem natus, sed optimis comparatus, privatâ vitâ illustris, qui inter alia magnorum opera, in privata adhuc vita in Germaniam, ac deinde in Britanniam à Claudio missus, tricies & bis cum hoste conflixit: duas validissimas gentes, viginti oppida, Insulam Vectam Britanniæ proximam Romano adjecit Imperio.

(*Orosius.*)

Judæi post Passionem Christi destituti in totum gratia Dei, cùm omnibus undique macelis circumvenirentur, quibusdam in Monte Carmelo seducti sortibus, quæ portenderent exortos à Judæa Duces rerum potituros fore, in rebellionem exarserunt: extinctisque Romanis præsidiis, Legatum Syriæ suppetias ferentem, rupta Aquila, & cæsis copiis, fugaverunt. Ad hos Vespasianus à Nerone missus, Titum filium suum majorem inter Legatos habuit. Nam multas, & validas Legiones secum in Syriam trajecit. Itaque cùm Judæos, multis eorum oppidis captis, in urbe Jerosolymorum præcipuè ob diem festum congregatos, obsidione clausisset, cognita Neronis morte, hortatu plurimorum Regum, & Ducum, maximè Josephi Judæorum Ducis sententia, qui captus, cùm in vincula conjiceretur constantissimè dixerat: continuò se ab eodem Imperatore solvendum, Imperium adeptus, relicto in castris ad procurationem obsidionis filio Tito, per Alexandriam profectus est Romam. Sed cognita interfectione Vitellii, paulisper Alexandriæ substitit. Titus verò magna ac diuturna obsidione Judæos premens, machinis, cunctisque bellicis molibus, non sinè multorum sanguine, tandem muros civitatis irrupit. Sed ad expugnandam interioris Templi munitionem, quam reclusa multitudo magnorum ac locupletum tuebatur, majore vi & mora opus fuit. Quod tamen postquam in potestatem redactum, opere, atque antiquitate suspexit, diu deliberavit, utrum tanquam incitamentum hostium incenderet, an in testimonium (41) reservaret. Sed Ecclesiâ Dei jam per totum orbem uberrimè germinante, hoc tanquam effœtum, & vacuum, nullique usui bono commodum, arbitrio Dei auferendum fuit. Itaque Titus Imperator ab exercitu pronunciatur. Templum in Hierosolymis incendit: accidit (42) quòd à die conditionis primo usque ad diem eversionis annis MCII. (*manserat*), muros urbis universos solo adæquavit. Sexcenta millia Judæorum eo bello interfecta, Cornelius, & Suetonius referunt. Josephus verò Judæus, qui ei tunc bello præfuit, & apud Vespasianum propter prædictum Imperium, veniam gratiamque meruerat; scribit: undecies centena millia gladio, & fame periisse, reliquias verò Judæorum diversis actas conditionibus, toto orbe venditas, atque dispersas: quorum numerus ad nonaginta millia hominum fuisse narratur. Vespasianus, & Titus Imperatores magnificum agentes de Judæis triumphum, urbem ingressi sunt, anno ab Urbe condita DCCCXXV. pulchrum, & ignotum antea cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui à conditione Urbis, usque in id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit. Qui continuò omnibus bellis, ac tumultibus domi, forisque compressis, pacem totius orbis censuerunt. Jure enim idem honos ultioni passionis Domini impensus est, qui etiam Nativitati fuerat attributus. Vespasianus itaque Romæ se in Imperio moderatissimè gessit. Pecuniæ autem non adeò avidus fuit, ut alicui eam injustè auferret: & quamvis eam cum omni diligentia, & provisione colligeret; studiosissimè tamen largiebatur, præcipuè indigentibus. Nec facilè ante eum cujusdam (43) Principis major est libertas (44) comperta, vel justior; qui tam placidissimæ lenitatis fuit, ut majestatis quoque contra se reos non facilè punierit; offensarum, & inimicitiarum immemor, Causidicis, & Philosophis in se dicta leviter tulit, diligens coërcitor fuit disciplinæ militaris. Non solùm autem Judæam, verumetiam Palæstinam, Achajam, Syriam, Rhodum, Byzantum, Samum, Thraciam quoque, Ciliciam, Commagene Romano subegit Imperio; filios au-

(41) *Orosius addit* victoriæ.
(42) *Lege* incendit, ac diruit, quòd &c.

(43) *Lege* cujusquam.
(44) *Corrige* liberalitas.

autem suos ita cognitos habuit, ut, cùm multæ contra eum conjurationes fierent, quas patefactas ingenti dissimulatione contempsit, in Senatu dixerit, aut filios suos successores, aut neminem. Post hæc cùm Senatui, Populo, postremò cunctis amabilis, ac jocundus esset, profluvio ventris extinctus est in villa propria, circa Sabinos, annos agens ætatis LXIX. Principatus sui anno nono die octavo. Beda scribit illum regnasse annis IX. menses XI. dies XXII.

Anno Dominicæ Incarnationis LXXXI. & anno ab Urbe condita DCCCXXVIII. Titus Vespasiani filius, segregatis à numero Principum Othone, & Vitellio, ab Augusto octavus, biennio & duobus mensibus post patrem regnavit, qui & Vespasianus est dictus, vir omnium virtutum genere mirabilis, adeò ut amor & deliciæ humani generis diceretur. Fuit quippe eloquentissimus, bellicosissimus, moderatissimus. In oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans, duodecim propugnatores, duodecim sagittariorum ictibus occîdit; suos omnes in tantum dilexit, ut nullum omnino interficeret. Convictos adversùs se conjurationis dimisit, & in eadem familiaritate illos habuit, qua priùs habuerat. Tantæ fuit largitatis, ut cùm nulli quicquam negaret, & ab amicis propter hoc reprehenderetur, respondisse feratur: *nullum debere ab Imperatore tristem discedere*. Hic cùm quadam die recordatus in cœna fuisset, nulli se illo die quicquam præstitisse, dixit: *Amici, hodie diem perdidi*. Iste Romæ Amphiteatrum ædificavit, & quinque millia ferarum in ejus dedicatione occîdit. Post hæc in eadem villa, qua & pater ejus, morbo mortuus est; tantus autem, eo mortuo, luctus publicus fuit, ut omnes doluerint, tamquam in propria orbitate. Hujus autem Imperii anno secundo, decedente Lino Papa, Cletus natione Romanus, ex patre Æmiliano Pontificalem Cathedram gubernandam suscepit, seditque annos IX. mensem unum. Hic ordinavit vigintiquinque Titulos in urbe Roma, & hic martyrio coronatus est, & sepultus juxta corpus Beati Petri in Vaticano, ubi & Linus.

Anni Domini LXXXIII. Anno ab Urbe condita DCCCXXX. Domitianus frater Titi junior, ab Augusto nonus, Neroni, aut Caligulæ similior quàm patri, aut fratri, toto successit in regno. Hic paulatim per XV. annos, quibus regnavit, per omnes scelerum gradus excrevit. Primis namque annis moderatus Imperio fuit, mox ad ingentia vitia prorupit, libidinis, iracundiæ, crudelitatis, avaritiæ. Tantum in se odia concitavit, ut meritò patris nomen, & fratris aboleret. Superbia quoque effera in eo execrabilis fuit. Consobrinos suos interfecit, nobilissimos ex Senatu invidiæ simul ac prædæ causâ alios palàm interfecit, alios in exilium transmisit, ibique trucidari imperavit. Libidinis intemperantiâ quicquid cogitari potest fecit. Plurimas urbis ædes, destructis Populi Romani rebus, exstruxit. Bellum adversùs Romanos, & Dacos gessit, pari Reipublicæ pernicie, cùm in Urbe ipse Senatum, populumque laniaret, & foris malè circumactum exercitum assidua hostes cæde conficerent. Domitianus tamen pravissima elatus jactantia, sub nomine superatorum hostium, de extinctis in prœliis Romanorum Legionibus triumphavit. Is in tantam superbiam prolapsus fuit, ut Dominum sese ac Deum vocari, scribi, colique jusserit.

SECUNDA PERSECUTIO IN ECCLESIA.

Hic secundus post Neronem Christianos persequitur, sub quo Johannes Apostolus in Pathmos insulam exilio relegatus est, & Flavia Domitilla in insulam Pontianam ob Fidei testimonium exiliatur. Qui & ipsum Johannem Apostolum in ferventis olei dolium jussit mergi, à quo omnino illæsus exivit. Domitianus quoque acerbitate tormentorum, & cruentissimæ quæstionis, exquiri genus David inter Judæos, atque interfici præcepit. Cùmque Domitianus exitiabilis ob scelera universis exosus esset, suorum conjuratione in Palatio interfectus est, anno ætatis suæ XXX. Imperii verò XV. mense V. cujus cadaver populari sandapila per Vespillones exportatum, atque ignominiosissimè sepultum est. Cujus Imperii anno octavo post Cletum Clemens natione Romanus, ex patre Faustino Pontificalem Cathedram gubernavit, seditque annos IX. menses duos. Hic constituit Canonem super Eucharistia decantari, & ut Episcopus electione Cleri, & laude plebis constitueretur. Hic sub Trajano deportatus exilio trans Helespontum, marinis fluctibus pro Christi nomine immersus est.

Anni Domini LXXXVIII. & anno ab Urbe condita DCCCXLVI. quamvis Eutropius quingentesimum hunc annum esse scripserit: Nerva in privata vita moderatus, & strenuus, nobilitatis mediæ, senex admodum, Imperator decimus ab Augusto creatus est. Æquissimum se & utillimum Reipublicæ præbuit: qui divina provisione consulens Trajanum sibi adoptavit in regnum. Nerva siquidem primo edicto suo cunctos exules revocavit. Unde & Joannes Apostolus hac indulgentia liberatus, ad Ephesum rediit. Et quia concussam se absente per hæreticos vidit Ecclesiæ Fidem, confestim hanc descriptam in Evangelio suo Verbi Dei æternitatem stabilivit. Nerva confectus morbo diem obiit, post annum & quatuor menses Imperii sui: ætatis verò suæ anno LXXXI.

Anni Domini LXXXXVIII. & anno ab Urbe condita DCCCLI. Trajanus genere Hispanus, cognomento Ulpius Crinitus, cujusdam Consulis filius, undecimus ab Augusto apud Agrippinam Galliæ urbem, insignia sumpsit Imperii. Qui Rempublicam ita administravit, ut omnibus Principibus meritò præferatur, inusitatæ civilitatis, & fortitudinis. Romani enim Imperii, quod ab Augusto defensum magìs fuerat, quàm nobiliter ampliatum; fines longè latèque diffudit. Germaniam trans Rhenum in pristinum statum reduxit. Daciam, & multas trans Danubium gentes subegit. Parthos recepit. Albanis Regem dedit. Corduedos, & Marcomannos occupavit. Regiones trans Euphratem, & Tigrin sitas, provincias fecit. Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam, Seleuciam, & Thesiphontem, & Babyloniam vicit, ac tenuit. Persidis Regem statuit. Et usque ad Indiæ fines, & mare rubrum accessit. Arabiam postea in provinciæ formam redegit. In mari rubro classem constituit, ut Indiæ fines devastaret. Gloria militari, civilitate, & moderatione cæteros superavit.

TER-

TERTIA PERSECUTIO IN ECCLESIA.

IN persequendis sanè Christianis errore deceptus, tertius à Nerone Trajanus, cùm passim repertos cogi ad sacrificandum Idolis, ac interfici præcepisset, Plinii Secundi, qui inter Judices persecutor datus erat, relatu admonitus: eos homines nihil contrarium Romanis legibus facere, rescriptis illico temperavit edictis. Hic ipse Plinius tunc Orator & Historicus insignis habebatur, cujus plurima ingenii opera extant. Pantheum Romæ, quod Domitianus fecerat, fulmine crematur, cui nomen ob id indictum est, quòd omnium Deorum sit ipsa domus. Judæi per universas partes seditionem moventes, digna cæde prosternuntur. Quo tempore Johannes Apostolus anno LXIX. post passionem Domini, ætatis autem suæ nonagesimo octavo, Ephesi placida morte quievit. Trajano adversùs Christianos persecutionem movente, Simeon, qui & Simon filius Cleophæ, Hierosolymorum Episcopus crucifigitur. Et Ignatius Antiochiæ Episcopus Romam perductus bestiis traditur. Anacletus natione Græcus ex patre Antiocho, qui Clementi successerat, martyrio coronatus, & in Vaticano sepultus est. Hic constituit, ut non minùs quàm à tribus Episcopis ordinaretur Episcopus. Et ut ordinationes Clericorum cunctis Ordinibus palàm fierent, præsente plebe. Et ut inimici, vel suspecti non possint accusare Presbyterum. Post hunc Evaristus natione Judæus ex oppido Bethleem Romanum Episcopatum rexit annis VII. & mensibus X. Hic constituit ut septem Diaconi essent in Urbe Roma, qui custodirent Papam propter stylum veritatis, ne infestaretur à malevolis, & semper parati essent ad obsequium præbendum, & in Missarum solemniis, & in prædicatione. Et hic martyrio coronatus, & in Vaticano sepultus est. Alexander natione Romanus ex patre Alexandro post hunc suscepit Ecclesiam, juvenis quidem ætate, sed senior moribus, seditque annos X. mensibus VII. Hic in Canone memoriam passionis Christi addidit, ubi dicit: *qui pridie quàm pateretur*, usque *mei memoriam facietis*. Hic præcepit, ut aqua vino misceretur in sacrificio, propter Christi unitatem & Ecclesiæ, & oblatio ex azymo fieret, non ex fermento, propter Christi Corporis veritatem, & ut modica esset, dicens: *Hac oblatio quanto potior, tanto paucior*. Præcepit etiam omnibus Dominicis diebus aquam cum sale exorcizari, & mixtam benedici, & ex ea populum aspergi, ad effugandas diabolicas insidias, & contrarias valetudines. Et hic martyrio coronatus, & septimo ab urbe milliario via Numentana sepelitur. Trajanus autem Romæ, & per provincias æqualem se omnibus exhibens, ægrotantes libenter visitans, amicos salutari causa frequentans, vel cùm dies festos habuisset, convivia cum eisdem indiscreta vicissim habens, sæpe in vehiculis eorum sedens, nullum lædens Senatorum, nihil injustum ad augendum Fiscum agens; liberalitati publicæ ac privatæ, ditans omnes, & honoribus augens, quos sibi vel mediocri familiaritate cognovisset; in exequendo jure, & exhibenda justitia sæpe vacans, operam cum omni diligentia dabat: leges discretus ordinans, & ad hæc peragenda viros idoneos eligens, atque illustres instituebat: orbem terrarum ædificans: immunitates civitatibus tribuens: fluminum transitus, ac itinera periculosa tuto, & salubri opere componens: nihil non tranquillum, nihil non placidum agens. Hoc ipsius fertur egregium: amicis eum culpantibus, quòd privatum nimis, ac benignum se cunctis exhibebat, respondit: *talem privatis Imperatorem esse oportet, quales sibi privatos Imperator optat habere*. Post ingenti igitur gloria belli domique è Perside rediens apud Seleuciam Isauriæ urbem profluvio ventris extinctus est. Obiit autem ætatis anno LXIII. Imperii autem XVIII. mensibus sex, dies XV. solus omnium intra urbem sepultus est. Cujus ossa collata in urnam auream in foro, quod ipse ædificavit, posita sunt sub columna. Hujus altitudo CXL. pedes habet. Hujus autem tantùm memoriæ delatum est, ut usque ad Justiniani tempora, & multo post, non aliter in Senatu Principibus acclamatum sit, nisi: *Felicior eris Augusto Octaviano: melior eris Imperatore Trajano*.

Anno ab Incarnatione Domini CXVIII.

Et anno ab Urbe condita DCCCLXVII. Ælius Hadrianus consobrinæ Trajani filius, duodecimus ab Augusto principatum (*adeptus*) uno & XX. annis imperavit. Hic quamvis priùs errore deceptus, & inter quamplurimorum martyria Christianorum, quos ad sacrificandum Idolis compellebat, Eleutherium Ecanæ civitatis Apuliæ Episcopum, Romæ sibi præsentari, variisque tormentis interfici præcepisset, postea per Quadratum discipulum Apostolorum, & Aristiden Atheniensem virum fide sapientiaque plenum, & per Serenum Gravium (45) Legatum, libris de Christiana religione compositis instructus, atque eruditus, præcepit per epistolam, ut nemini liceret Christianos sinè objectu criminis aut probatione damnare. Idemque continuò, pater patriæ ultra morem appellatur, & uxor ejus Augusta. Hadrianus Rempublicam justissimis legibus ordinavit. Orbem Romanum circumiit, multa ædificavit, facundissimus Latino sermone, Græcoque eruditissimus fuit. Idem in utraque lingua eruditissimus Bibliothecam Athenis miri operis extruxit. Judæos sanè perturbatione scelerum suorum exagitatos, & Palæstinam provinciam depopulantes, ultima cæde perdomuit, præcepitque ne cui Judæo introëundi Hierosolymam esset licentia, Christianis tantùm civitate permissa, quam ipse in optimum statum, murorum extructione reparavit, & Æliam vocari de nomine suo præcepit. Hadrianus autem obiit in Campania major sexagenario. Hierosolymæ verò ex Gentibus primus constituitur Episcopus Marcus, cessantibus his, qui fuerant ex Judæis, qui sunt numero XV. & fuerunt à passione Domini per annos ferme CVII. Per idem tempus Rhetores insignes erant, Favorinus, & Palemon, necnon & Herodes Atheniensis, & Marcus Bizantius. Tertio quoque anno Imperii Hadriani, decedente Alexandro Urbis Romæ Episcopo, Xystus natione Romanus ex patre Pastore sedit annos IX. menses III. Hic constituit, ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi ab Altaris ministris, & ut corporale non fieret ex

(45) *Orosius*, & *Beda* Granium.

ex serico, nec tincto panno, sed de purissimo lino contexto: & ut nulla mulier vasa sancta, & sacrata, vel pallam Altaris auderet contingere. Constituit etiam, ut quicunque Episcoporum vocatus fuisset ad Sedem Apostolicam, rediens ad Parochiam suam, non susciperetur nisi cum literis Papæ ad salutationem plebis. Et hic martyrio coronatur, & jacet in sepulchro, in quo requiescit Linus, & Cletus, Anacletus, & Evaristus: & tantorum Martyrum Altare solum sibi nomen vendicat Xisti. Thelesphorus natione Græcus, & Anachoreta post hunc suscepit Ecclesiam, seditque annis XI. mensibus II. Hic in Missarum solemniis Hymnum addidit Angelicum. Et ante Pascha Domini VII. hebdomadibus omnem Clerum ab esu carnium præcepit abstinere. Et in Natale Domini tres Missas instituit celebrandas: primam in pullorum cantu, jam proximante media nocte, quando Christus in Bethleem nasci dignatus est. Secundam illucescente aurora, quando Christus in cunabulis à pastoribus est adoratus. Tertiam ipsa hora diei tertia, quando illuxit nobis dies redemptionis nostræ. Nam omni tempore ante horæ tertium cursum nullus præsumeret Missas celebrare, qua hora Dominus noster Jesus Christus secundùm Evangelium Marci ascendit in Crucem. Et hic martyrio coronatus, & sepultus cum fratribus suis in Vaticano. Quo tempore Aquila interpres habetur.

Anno Incarnationis Domini CXL.

Et anno ab Urbe condita DCCCLXXXVIII. Antoninus cognomento Pius, genere clarus, tertius decimus ab Augusto Imperator creatus, cum filiis suis, Aurelio, & Lucio XX. plenis tribus regnavit annis, adeò tranquillè, & piè, ut meritò Pius, & Pater patriæ nominatus sit. Vixitque ingenti honestate privatus omnibus; & quamvis major Imperio, nullis tamen acerbus, cunctis verò benignus. In re militari moderata gloria, defendere magis provincias, quàm ampliare studens: viros æquissimos ad ministrandam Rempublicam quærens: bonos honorabiliter habens: improbos sinè aliqua acerbitate detestans. Regibus amicis amabilis non minùs, quàm (*inimicis*) terribilis: adeò ut Barbarorum plurimæ nationes, depositis armis, ad eum controversias suas, litesque deferrent, sententiæque parêrent. Hic ante Imperium ditissimus, omnes suas opes stipendiis militum, & circa amicos minuit, verùm Ærarium optimum reliquit, unde & Pius propter clementiam dictus est. Hic apud Lorium villam suam ad duodecimum lapidem, quod est milliario ab Urbe duodecimo, morbo correptus interiit, vitæ anno LXXVII. Imperii XXIII. Hujus tamen temporibus Valentinus Hæresiarcha, & Cerdo Magister Marcionis Romam venerunt. Justinus Philosophus librum de Christiana religione compositum Antonino tradidit, eumque benignum erga Christianos homines fecit: qui non longè post suscitante persecutionē Crescente Cynico, pro Christo sanguinem fudit. Anno primo Antonini Pii Higinius natione Græcus ex Philosopho de Athenis post Thelesphorum Romanam suscepit Ecclesiam, seditque annos IV. mensibus II. Hic Clerum composuit, & distribuit gradus, constituitque, ut unus patrinus, vel patrina suscipiat levatum à fonte: similiter & in confirmationibus fiat, & in Cathecumeno faciendo. Et hic martyrio coronatus, & sepultus est cum fratribus suis in Vaticano. Huic successit Pius natione Italus ex patre Rufino. Hujus temporibus fuere Romæ duæ sacratissimæ virgines, Potentiana, & Praxedis. Sub hujus Episcopatu Hermes scripsit librum, qui dicitur Pastoris, in quo præceptum Angeli continet, ut Pascha die Dominico celebretur, quod & ipse Pius Episcopus constituit. Policarpus Episcopus Ephesinus Joannis Apostoli discipulus Romam veniens, multos ab hæretica labe castigavit, qui Valentini & Cerdonis fuerant doctrina corrupti. Sub hoc Arrianus Philosophus Nicomediensis Prætor agnoscitur, nec non & Maximus Tyrius, Appollonius Stoicus, Chalcedonius, Basilides Solphopolitanus (*). Isti etiam Magistri verissimi (**) Cæsaris extiterunt. Criniscus Cynicus Philosophus, & Herodianus Grammaticus optimi pollebant. Pius autem Romæ Episcopus martyrio vitam finivit, & sepultus est cum fratribus suis. Anicetus natione Syrus ex patre Joanne post hunc suscepit Ecclesiam. Hic præcepit ut nullus Clericus comam nutriret, secundùm Apostoli præceptum. Et hic martyrio coronatus est, & positus in Vaticano.

Anno ab Incarnatione Domini CLXII. & anno ab Urbe condita DCCCCX. Marcus Antonius Verus cum Lucio Aurelio Commodo fratre quartus decimus ab Augusto regnum suscepit, mansitque in eo annis XIX. Hi primùm æquo jure Imperium administraverunt, cùm usque ad id tempus singuli Augusti fuerint. Bellum contra Parthos, qui rebellaverunt, admirabili virtute, & felicitate gesserunt, atque de eis triumpharunt. Persecutione orta in Asia Policarpus, & Pionius fecere martyrium. In Gallia quoque plurimi gloriosè pro Christo sanguinem fudere. Nec multo post vindex scelerum lues multas latè provincias, Italiam maximè, Romamque vastavit. Aurelius Commodus, dum cum fratre in vehiculo triumphali sederet, subito sanguine ictus, casu morbi, quem Apoplexiam Græci vocant, suffocatus interiit. Defuncto Commodo fratre, Antonius Verus solus Reipublicæ præfuit, quem mirari faciliùs, quàm laudare oportet. Adeò enim tranquillissimus fuit, ut ab infantia quoque vultum, nec ex gaudio, nec ex mœrore mutaverit. Ipse etiam non solùm vitæ moribus, sed etiam eruditione Philosophus. Hic cùm omnia Romæ æquo jure egisset, ad nullam insolentiam elatus Imperii fastigio, liberalitatis promptissimæ, provincias ingenti benignitatis amore tractavit. Contra Germanos, & Marcomannos, Quados, Glaucos, & Sarmatas pugnavit: quibus devictis, multisque interfectis, ex eis ipse cum Commodo filio suo Antonino, quem jam Cæsarem fecerat, triumphavit. Ad hujus belli sumptum, cùm jam, ærario exhausto, largitiones nullas haberet, ut militibus daret; neque indiceret provincialibus, aut alicui Senatui aliquid velle, instrumenta regii cultus in foro Trajani distrahi jussit, vasa aurea, pocula cristallina, & murenam uxoream, ac suam, aureas, & sericas vestes, & multa ornamenta gemmarum, pretiosorumque lapidum; horum itaque omnium per duos continuos menses venditio facta est, multumque auri redactum. Post victoriam tamen emptoribus pretia restituit. Qui autem reddere comparata noluerunt, molestus nulli fuit. In redditione munerum post

(*) *Lege* Scythopolitanus.

(**) Veri *legit Pontacus*.

post victoriam adeò magnificus fuit, ut centum simul leones exhibuisse tradatur. Præteriti etiam temporis per omnes provincias tributa donavit, omniaque fiscalium titulorum monimenta congesta in foro jussit incendi, sævioresque leges novis constitutionibus temperavit.

QUARTA PERSECUTIO IN ECCLESIA.

HUjus autem præcepto persecutiones Christianorum, quarta post Neronem vice, graves extiterunt, multique in eis Sanctorum coronati sunt. Cessavere hujus Imperii anno VIII. Sother natione Campanus ex patre Concordio successit Aniceto, seditque annis novem, mensibus sex. Hic constituit, ut legitima non habeatur uxor, nisi quæ à Sacerdote fuerit benedicta, & à parentibus tradita, & à paranymphis custodita. Et ut nulla Monacha pallam sacratam contingeret, nec in Ecclesia incensum poneret. Et hic martyrio vitam finivit, & jacet in sepulchro cum fratribus suis. Eleutherius natione Græcus ex patre Abundio post hunc Cathedram suscepit Pontificalem. Hic iterum firmavit, ut nulla esca à Christianis repudiaretur, quæ rationalis, & humana esset. Et hic martyrio coronatus, & positus est ad fratres suos. Antonino Imperatori Melitus Asiarius (46) Sardiensis Episcopus Apologeticum pro Christianis tradidit. Lucius Britanniæ Rex, missâ ad Eleutherium Romæ Episcopum epistolâ, ut Christianus efficeretur imperat (47). Apollinaris Asianus Hieropoli, & Dionysius Corynthi clarissimi habentur Episcopi. Sub hoc Galienus genere Pergamus optimus medicus pollebat. Julianus Romæ leges promebat; Fronto Rhetor, Aristides Smyrnæus Sophista, Oppianus Poëta, Atticus Platonicus Philosophus erant. Cùm igitur Antoninus fortunatam Rempublicam virtute, & mansuetudine reddidisset, postremò in Pannonia constitutus, repentino morbo interiit. Tunc Catafrigarum hæreses exortæ fuerunt.

Anno ab Incarnatione Domini CLXXXI., & anno ab Urbe condita DCCCCXXX. Lucius Antonius (48) Commodus ab Augusto quintus decimus patri successit in regnum, mansitque in eo annis XII. (49) Hic nihil paternum habuit, nisi quòd contra Germanos feliciter & ipse pugnavit. Cæterùm per omnia, luxuriæ & obscœnitatis dedecore depravatus, nihil paternæ virtutis, & pietatis simile gessit. Gladiatoriis quoque armis sæpissimè in ludo pugnavit, & in Amphitheatro feris se se frequenter objecit. Interfecit etiam quamplurimos Senatores, maximè quos animadvertit, nobilitate, industriaque excellere; flagitia Regis, pœna Urbis insequitur. Nam fulmine Capitolium (50), ex quo facta inflammatio, Bibliothecam illam majorum cura studioque compositam, ædesque alias juxta sitas, rapaci turbine concremavit. Deinde aliud incendium postea Romæ exortum ædem Vestæ, & palatium, plurimamque urbis partem solo coæquavit. Colossi capite sublato, suæ imaginis caput ei jussit imponi, Septembrem mensem ad nomen suum transferre conatus, ut Commodus diceretur, sed ab omnibus id postea execratum fuit. Panthenus Philosophus ex Stoicis tunc in divino verbo fulgebat. Commodus cunctis incommodus in domo Vestalliani subita morte strangulatus interiit, cùm post patrem annis duodecim & mensibus septem imperasset. In tanta quippe omnium execratione fuit, ut hostis humani generis etiam mortuus judicaretur. Huic successit Ælius Pertinax grandævus jam septuagenarius, qui cùm Præfecturam urbicam ageret, ex Senatusconsulto imperare jussus, sextus decimus ab Augusto, sexto mense, quo regnare cœperat, Prætorianorum militum seditione, & Juliani Jurisperiti scelere, in palatio occisus est, qui nihil habet historiæ. Julianus Ælio Pertinace interfecto, invasit Imperium; vir nobilissimus, & jure peritissimus, qui sub Divo Adriano perpetuum composuit edictum. Julianus mox à Severo apud Pontemmolvium (51) bello civili victus, & interfectus est septimo mense, postquam cœperat imperare. Ita inter Pertinacem, & Julianum annus unus assumptus est. Theodocion interpres habetur.

Anno ab Incarnatione Domini CLXIV., & anno ab Urbe condita DCCCCXLIV. Severus genere Afer Tripolitanus ab oppido Lepti, qui se ex nomine Imperatoris, quem occisum ultus fuerat, Pertinacem voluit appellari, septimus decimus ab Augusto, destitutum adeptus Imperium XVII. (52) tenuit annis. Hic autem priùs Fisci Advocatus, mox militaris Tribunus, per multa deinde & varia officia, atque honores, usque ad administrationem Reipublicæ pervênit, solus omnium memoriâ, & antea & postea ex Africa Imperator fuit. Parvus admodum, natura sævus, multis semper bellis lacessitus, fortissimè quidem Rempublicam, sed laboriosissimè rexit: qui etiam præter bellicam gloriam, etiam civilibus studiis clarus fuit, & literis doctus, Philosophicæ scientiæ ad plenum instructus, Pescennium Nigrum, qui in Ægypto, & Syria ad tyrannidem aspiraverat, apud Cyzicum vicit, & interfecit. Sarmatas rebellare conantes ferro coërcuit. Parthos vicit, Arabas, & Adiabenos superavit: ac multa in toto Orbe Romano reparavit. Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, & Panthenus Stoicus Philosophus, Narcissus Hierosolymorum Episcopus, & Theophilus Cæsariensis, Policarpus quoque, & Bachylus Asianæ provinciæ Episcopi insignes habentur.

QUINTA PERSECUTIO IN ECCLESIA.

SEverus quinta post Neronem persecutione Christianos excruciavit, & Leonidem patrem Origenis martyrio coronavit. Tunc Victor natione Afer ex patre Felice tertius decimus Romæ Episcopus, postquam sedit annis decem, mensibus duobus, martyrio coronatur, & sepelitur cum fratribus suis. Hic autem datis latè libellis constituit Pascha die Dominico celebrari, sicut prædecessor ejus Eleuther, à quarta decima (53) Luna prima mensis, usque in vigesimam primam. Cujus decretis favens Theophilus Cæsareæ Palæstinæ urbis Episcopus, scripsit adversùs eos,

(46) *Lege* Asianus Sardensis, *ut ex Beda*.
(47) *Corrige* impetrat.
(48) *Beda legit* Antoninus.
(49) *Beda* XIII.

(50) *Adde* ictum.
(51) *Lege* pontem Milvium, *ut in Beda*.
(52) *Beda & Orosius* XVIII.
(53) *Beda legit* XV.

eos, qui quarta decima Luna cum Judæis Pascha celebrabant, cum cæteris, qui in eodem Concilio aderant Episcopis Synodicam & valde utilem Epistolam. Zepherinus natione Romanus ex patre Habundio successit Victori in Episcopatu, seditque annis octo & mensibus septem. Hic constituit ut vasa Altaris essent vitrea, nam antea erant lignea. Et hic martyrio coronatur, & ponitur ad collegas suos. Hanc profanam in Christianos & Ecclesiam Dei præsumptionem Severi, cœlestis ultio è vestigio acta subsequitur. Nam continuò rapitur, vel potiùs detrahitur in Galliam Severus è Syria ad tertium civile bellum. Unum jam enim Romæ adversùs Julianum; aliud in Syria contra Pescennium gesserat, tertium Clodius Albinus Juliani in occidendo Pertinace socius, qui se in Galliam Cæsarem fecerat, suscitabat; cujusbello multum utriusque (*) Romani sanguinis fusum est. Albinus tamen apud Lugdunum oppressus & interfectus est. Severus victor in Britanniam devectus (**) penè omniū sociorum trahitur, ubi magnis, gravibusque prœliis sæpe gestis, receptam partem Insulæ à cæteris indomitis gentibus, vallo distinguendam putavit: & ut ab incursione Barbarica faceret suos securos, magnam fossam, firmissimumque vallum crebris insuper turribus communitum per CXXXII. millia passuum à mari ad mare duxit; ibique apud Eburacum oppidum obiit anno septimodecimo sui regni. Reliquit duos filios, Bassianum, & Getam, quorum Geta hostis publicus judicatus interiit; Bassianus à Senatu, Antonini nomine assumto, regno potitus est. Quo tempore Symmachus interpres habetur.

Anno ab Incarnatione Domini CCXI. & anno ab Urbe condita DCCCCLXII. Aurelius Antonius Bassianus, idemque Caracalla Severi filius, octavus decimus ab Augusto Principatum adeptus est, mansitque in eo annis non plenè septem. Patre asperior & minax, omnibus hominibus libidine intemperantior, qui etiam novercam suam duxit uxorem; qui tamen lavacra, quæ Antoniana appellantur, opere fecit egregio. Præter hæc, nil boni memorabile gessit. Hic contra Parthos bellum moliens, inter Edessam, & Carras ab hostibus circumventus occisus est. Quo tempore Alexander Episcopus Cappadociæ cùm desiderio locorum sanctorum Hierosolymam venisset, vivente adhuc Narcisso ejusdem urbis Episcopo, persenilis ætatis vir, & ipse ibi ordinatus est Episcopus, Domino, ut id fieret, per revelationem monente. Tertullianus Afer Centurionis Proconsularis filius omnium Ecclesiarum sermone celebratur.

Item anno primo hujus Antonini Caracallæ, Calixtus natione Romanus ex patre Domitio post Zepherinum Episcopalem suscepit cathedram. Hic constituit jejunium Sabbati ter in anno fieri, frumenti, vini, & olei secundùm prophetiam. Ad hoc quoque juxta quatuor anni tempora, quatuor indixit omni Ecclesiæ jejunia, primum Vernale, secundum Æstivale, tertium Autumnale, quartum Hyemale; in quibus præcepit etiam Ordinationes fieri, quamquam nec ipse, nec alius quislibet Romanorum Pontificum à Beati Petri, usque ad Sancti Silvestri tempora, legatur celebrasse Ordinationes, nisi in mense Decembris. Hic

A item prohibuit, ut in accusatione Presbyterorum infames, & suspecti, & inimici non suscipiantur: eos verò hæreticos nominavit, qui dicunt: *Sacerdotes post lapsum, si dignam egerint pœnitentiam, non posse ad pristinos redire honores*. Sed & hic martyrio coronatus est, & sepultus in Cœmeterio, quod suo nomine dicitur Calixti.

Post Bassianum nonusdecimus ab Augusto filius (54) Macrinus, qui Præfectus Prætorio erat cum filio Diadumeno invasit Imperium. Hi facti Imperatores nihil memorabile ex temporis brevitate gesserunt, nam emenso anno, continuò apud Archelaidem militari tumultu ambo pariter occisi sunt. Abgarus vir
B sanctus regnabat Adessæ (55), ut vult Africanus.

Anno ab Incarnatione Domini CCXXIII., & anno ab Urbe condita DCCCCLXX. Marcus Aurelius Antoninus, qui Antonini Caracallæ filius putabatur, vigesimus ab Augusto Imperium adeptus, tenuit annis quatuor. Hic autem Sacerdos Heliogabali Templi erat, qui cùm Romam ingenti militum & Senatus expectatione venisset, stupris & probris omnibus se contaminavit, impudicissimè & obscœnissimè vixit, & nullam sui, nisi flagitiorum, totiusque obscœnitatis infamem satis memoriam reliquit. Tumultu autem militari exorto, Romæ ipse cum matre interfectus est. In
C Palæstina Nicopolis, quæ priùs Emmaus vocabatur, urbs condita est, legationis industriam pro ea suscipiente Julio Africano scriptore temporum. Hippolytus Episcopus multorum conditor opusculorum, temporum canonem, quem scripsit, hucusque perduxit. Quo tempore Urbanus Papa, natione Romanus ex patre Pontiano post Callixtum Ecclesiæ suscepit gubernacula. Hic præcepit, ut omnia vasa Ecclesiastica aurea vel argentea fierent, vel, si pauper esset Ecclesia, stannea. Hic primus instituit ut Ecclesia susciperet prædia, ex quorum redditibus Clerici communiter viverent. Hic multos Nobilium ad Fidem Christi, & martyrium perduxit. Hu-
D jus tempore extitit Cæcilia virgo prudentissima, quæ duos fratres Tiburtium, & Valerianum, quæ duos fratres Tiburtium, & Valeriama, quæ postquam donum ad coronas vocavit, quæ postquam domum suam Beato Urbano Ecclesiam tradidit dedicandam, in eadem, inclyto martyrio, finivit vitam. Tunc Sabellius oritur.

Anno ab Incarnatione Domini CCXXIII., & anno ab Urbe condita DCCCCLXXIV. Aurelius Alexander vigesimus primus ab Augusto, Senatus, ac militum voluntate Imperator creatus, XIII. annis digno æquitatis præconio fuit. Hic in Mammæam matrem suam, quia Christiana erat, in nece (56) pius fuit, & ob id omnibus amabilis, & quamplurimis
E benignus; qui expeditione in Persas facta, Xersem Regem eorum maximo bello victum interfecit. Ulpiano usus Assessore summam sui moderationem Reipublicæ exhibuit, sed militari tumultu apud Moguntiacum interfectus est.

His autem diebus Origenes Presbyter Alexandriæ, immo doctor toto orbi clarus habetur, quem Mammæa mater Alexandri audire curavit, & Antiochiam accitum summo honore habuit. Quo tempore Urbanus Romæ Episcopus martyrio vitam finivit, & sepultus est

(*) *Lege* utrinque. (**) *Lege* defectu.
(54) *Orosius habet* Opilius.

(55) *Corrige* Edessæ.
(56) *Corrige ex Beda* unicè.

[...]st cum fratribus suis. Huic successit Pontianus natione Romanus ex patre Calpurnio, seditque annis quinque mensibus sex. Qui jussu Alexandri in exilio damnatus in Insula Sardinia, ibique pro Christi nomine Martyr effectus, quievit in pace. Cujus corpus Anterus, qui ei successit, detulit Romam, & sepelivit in cœmeterio Calixti via Appia. Antherus natione Græcus ex patre Romulo post hunc Romanam rexit Ecclesiam, seditque annis undecim mense uno. Hic constituit, ut Episcopi maximæ utilitatis, vel necessitatis causâ possint transferri de Sede in Sedem. Hic gesta Martyrum à Notariis diligenter exquisivit, & in Ecclesiis recondidit legenda. Et hic martyrio coronatus est sub Maximino, & sepultus est cum collegis suis in cœmeterio Calixti.

Anno ab Incarnatione Domini CCXXXVI. Et anno ab Urbe condita DCCCCLXXXVII. Maximinus vigesimus secundus ab Augusto, ex corpore militari primus ad Imperium accessit, sola militum voluntate, cùm nulla Senatus intercessisset auctoritas, postquam bellum in Germania gesserat.

SEXTA PERSECUTIO IN ECCLESIA.

MOx Imperator creatus persecutiones in Christianos sextus à Nerone exercuit: maximè propter Christianam Alexandriam, quæ successerat Mammææ, matris ejus familiæ (57): vel præcipuè propter Origenem Presbyterum miserat. Hic autem tertio postquam regnaverat anno, à Pupieno interfectus, & persecutionis, & vitæ finem fecit.

Post Anicetum Fabianus natione Romanus ex patre Fabio Romanus Episcopus factus est, seditque annis XIII. mensibus XI. Hic constituit, ut omni anno in Cœna Domini Chrisma ab Episcopo consecraretur, & vetus in Ecclesiis concremaretur. Hic regiones divisit septem Diaconibus, qui à Notariis gesta Martyrum in integro colligerent. Et hic martyrio vitam finivit, & sepultus est ad Catacumbas, Decio Cæsare Præsidente sub Philippis Christianis Imperatoribus.

Anno ab Incarnatione Domini CCXXXIX. & anno ab Urbe condita DCCCCXCI. Gordianus vigesimus tertius ab Augusto Imperator creatus mansit in eo annis sex; quamvis cum eo duo alii Augusti essent creati obscurissimo genere, Pupienus videlicet, & Albinus. Gordianus autem genere nobilis, cùm consensu militum, cùm Proconsulatum Africæ ageret, Maximino imperante, Princeps fuit electus. Hic cùm Romam venisset, Pupienus & Albinus in Palatio interfecti sunt, soli Gordiano Imperio reservato. Gordianus itaque admodum puer ad bellum Parthicum profecturus, Jani portas aperit. Igitur Gordianus ingentibus prœliis adversùs Parthos prosperè gestis, suorum fraude rediens super Euphratem interfectus est. His temporibus Julius Africanus inter Scriptores Ecclesiasticos nobilis habebatur, sicut in Chronicis, quas conscripsit Alexandriæ, ipsemet refert. Origenes in Cæsarea Palæstinæ Theodorum, cognomento Gregorium, & Athenodorum adolescentulos fratres, Ponti postea nobilissimos Episcopos, divinâ Philosophiâ imbuit. Sub hoc habebatur Porphyrius Plotini Platonici Philosophi Auditor, Theopompus Philosophus apud Cheroniam, & Nicanor Sophista penes Athenam pollebat.

Anno ab Incarnatione Domini CCXXXXV. & anno ab Urbe condita DCCCCXCVII. Philippus vigesimus quartus ab Augusto, statim occiso Gordiano, Imperator circa Euphraten creatus, Philippum filium suum consortem regni fecit, exercitumque ex Syria incolumen ad Italiam reduxit, mansitque in ea annis VII. Hic primus Imperator omnium Christianus fuit, ac post tertium Imperii ejus annum, millesimus à conditione Romæ annus expletus est. Ita magnificis ludis Augustissimus omnium præteritorum hic natalis annus à Christiano Imperatore celebratus est. Nec dubium est, quin Philippus hujus tantæ devotionis gloriam & honorem ad Christum, & Ecclesiam reportarit, quando ascensum (*ejus*) in Capitolium, immolatasque ex more hostias nullus auctor ostendit. Ambo tamen Philippi, quamvis diversis locis tumultu militari, & Decii fraude interfecti sunt. E quibus junior Philippus adeò severi animi fuit, ut nullius cujusquam commento solvi potuerit, patremque ludis sæcularibus cachinnantem vultu annotaverit aversato. Origenes adversùs quendam (58) Epicurum Philosophum, qui contra Christianos libros conscripserat, octo voluminibus respondit: qui, ut breviter dicam, tantum scribendi sedulus fuit, ut Hieronymus quodam loco plusquam sex (59) millia librorum ejus se legisse commemoret. His quoque diebus, Decio jam Cæsare existente, Cornelius natione Romanus ex patre Castino, post Fabianum suscepit Episcopatum, seditque annis duobus mensibus duobus. Hic Sacerdotibus concessit pro recta fide jurare. Hujus tempore corpora Apostolorum Petri & Pauli ab Orientalibus viris noctu furata sunt: quo facto terræmotus tantum Romanam concussit civitatem, ut penè omnes mori cogitarent. Sicque factum est, ut omnes tam Pagani, quàm Christiani, tam viri, quàm mulieres, tam parvuli, quàm senes ita unanimiter prompta voluntate eos persequerentur, ut diceres totam urbem demigrare. Sed Dei nutu, ita factum est, ut & Sanctorum corpora Romæ cum honore reportata sint, & viri religiosi, qui hoc amore pietatis fecerant, à cruciatu & morte Dei misericordia liberati sint. Sanctorum corpora per annum apud Catacumbas inhumata jacuere. Interea ex præcepto Decii Cæsaris sub Philippis Christianis Imperatoribus, & totius Senatus consulto concessum est Romano Pontifici, cæterisque Christianis liberè ad sepulturas Apostolorum faciendas insudare, & ad id faciendum data sunt eis de Fisco Reipublicæ adjutoria. Primùm quidem beati Pauli corpus levatum de Catacumba suscepit Papa Cornelius, & sepelivit unà cum Lucina in prædio ejusdem, via Ostiensi, ad latus, ubi decollatus est. Beati verò Petri corpus accepit præfatus Episcopus, & posuit juxta locum, ubi crucifixus est, inter corpora Sanctorum Episcoporum in Templo Apollinis in

(57) *Hæc ita ab Orosio exponuntur*: Qui maximè propter Christianam Alexandri, cui successerat, & Mammææ matris ejus familiam persecutionem in Sacerdotes & Clericos, idest Doctores, vel &c.

(58) *Beda hunc appellat* Celsum.

(59) *Beda* V. millia.

in monte aureo Vaticani Palatii Neroniani. Hic idem Cornelius post jussu Decii Imperatoris effecti exilio Centumcellis damnatus est, & martyrio vitam finivit. Quo tempore Antonius Monachus claruit.

Anno Domini CCLII. & anno ab Urbe condita millesimo quarto Decius è Pannonia inferiori, Budaliæ natus, civilis belli, quod in Gallia motum fuerat, incentor & repressor, occisis Philippis, vigesimus quintus ab Augusto, simul cum filio suo, quem Cæsarem fecit, invasit Imperium, tenuitque annis tribus.

SEPTIMA PERSECUTIO IN ECCLESIA.

IDemque continuò ad persequendum, interficiendosque Christianos, septimus post Neronem feralia dispersit edicta, plurimosque Sanctorum ad coronas Christi de suis cruciatibus misit. Hic in medio Barbarorum sinu interfectus est, filius autem ejus gurgite paludis submersus est, itaut nec cadaver ejus potuerit inveniri. Digno damnatus judicio qui persecutionem in Christianos movens, Beatum Laurentium Levitam & Martyrem extinxit.

(*Beda.*)

Decius regnavit annis duobus (60) mensibus sex. Hic cùm Philippos patrem & filium interfecisset, ob eorum odium rabido furore persecutionem in Christianos movit, in qua Fabianus in urbe Roma martyrio coronatur, post quem Beatus Cornelius martyrio coronatur. Cui successit Lucius natione Romanus ex patre Porphyrio, seditque annis tribus mensibus duobus. Hic præcepit, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi in omni loco Episcopum non desererent, propter testimonium Ecclesiasticum. Qui postquam de exilio reversus est, capite truncatus, positus est cum collegis suis Episcopis. Stephanus natione Romanus ex patre Julio post hunc curam suscepit Episcopalem. Hic constituit, ut Sacerdotes, & Levitæ vasis & vestibus sacris in usu quotidiano non utantur, nisi in Ecclesia tantùm. Et hic decollatus est ex præcepto Decii intra Missarum solemnia, quando communicabat, cum duodecim Presbyteris, & septem Diaconibus, & decem & septem Clericis, & in eodem loco ad Catacumbas sepultus est.

Xistus natione Græcus ex Philosopho post hunc intrepidus accessit ad Pontificatum, seditque anno uno mensibus decem. Hic non metuens Principum minas, nec Imperialia præcepta, dixit ad Clerum suum: *fratres & commilitones audistis præcepta sæva vulgari! videte, nemo metuat terrores*. Tunc commendans thesauros Ecclesiæ Beato Laurentio, ipse tentus, & catenatus ante Templum Martis ductus, & in eo loco decollatus est cum Fœlicissimo & Agapito, & sepultus in Cœmeterio Calixti.

Cui Dionysius ex Monacho successit, seditque annis duobus mensibus tribus. Hic constituit in Urbe Romæ Presbyteros in titulis singulis singulos propter pœnitentiam suscipiendos, & propter Baptisma, & Parochias divisit. Interea Alexander Hierosolymorum Episcopus apud Cæsaream Palæstinæ interficitur. Quidam autem volunt Decium non solùm Imperii sui tempore, verùm sub quibusdam aliis ante se regnantibus, propter crudelitatem, quam in Christianos exagitabat, Cæsar, ad id sequendum (61) fuisse.

Post interitum Decii, mox Gallus & Volusianus filius ejus Imperatores creati sunt, sub his Æmilianus in Mœsia res novas molitus est. Ad quem opprimendum cùm ambo profecti essent, inter Danubium amnem interfecti sunt, non completo biennio. Hi nihil omnino clarum fecerunt: sola pestilentia & morbis atque ægritudinibus notus eorum principatus fuit. Æmilianus obscurissimè natus, obscuriùs imperavit; siquidem Maurus fuerat ac tertio mense extinctus est.

(*Beda.*)

Gallus cum Volusiano filio regnavit annis duobus, mensibus quatuor. Hujus Imperii tempus Dionysius Alexandriæ Episcopus ita meminit: At ne Gallus quidem Decii malum aut videre potuit, aut cavere: sed in eundem offensionis lapidem impegit. Cujus cùm regnum in initio floreret, & cuncta ex sententia ei cederent, sanctos viros, qui pro pace ejus regni Deo summo supplicabant, persecutus est, cum quibus & prosperitatem suam fugavit, & pacem. Origenes septuagesimo ætatis suæ anno nondum ad integrum impleto defunctus, & in urbe Tyri sepultus est.

Anno ab Incarnatione Domini CCLVII. & anno ab Urbe condita millesimo decimo: duo Imperatores, vigesimo septimo post Augustum loco, creati sunt. Valerianus in Græcia (*) ab exercitu Augustus appellatus. Romæ autem à Senatu Gallienus Cæsar creatus, mansitque Gallienus in regno infeliciter annis quindecim: respirante Christianorum persecutione à Decio facta.

OCTAVA PERSECUTIO IN ECCLESIA.

VAlerianus siquidem mox ut arripuit Imperium octavus à Nerone adegit per tormenta Christianos ad Idolatriam, abnegantesque eam, interfici jussit, fuso per omnem Romanam solitudinem sanguine Sanctorum. Valerianus illico nefarii auctor edicti, à Sapore Persarum Rege captus, Imperator Populi Romani ignominiosus, apud Persas servitute consenuit, ac infamis officii continua, donec vixit, damnatione sortitus, ut ipse acclinis humi Regem semper ascensurum in equum non manu sua, sed dorso attolleret. Et Gallienus quidem tam præclaro Dei judicio territus, tanquam misero collegæ permotus exemplo, pacem Ecclesiæ tepidam restituit. Sed non compensat injuriæ, ultionisque mensuram unius impii quamvis perpetua, & supra modum abominanda captivitas: contra tot millia excruciata Sanctorum, justorumque sanguis ad Deum clamans, in eadem se terra, ubi fusus est, vindicari rogat; non enim de solo constitutore præcepti justum supplicii judicium flagitabatur, sed etiam executores, delatores, accusatores, spectatores, ac judices, postremò omnes, qui injustissimæ crudelitati vel tacita voluntate assentiebantur, quia Deus secretorum cognitor est, quorum maxima per omnes provincias pars hominum versabatur, eadem ultionis plaga corripi justum erat. Solvuntur repentè undique, permissu Dei,

(60) Error in annorum numero irrepsit; in Bedæ textu: *Decius anno I. mensib. III.*

(61) Locus valde mendosus.

(*) Orosius: *in Rhetia*.

Dei, ad hoc circumpositæ, relictæque gentes, laxatisque habenis in omnes Romanorum fines invehuntur. Germani ex alpibus Rhetiâ, totâque Italiâ penetratâ, Ravennam usque perveniunt. Alamanni Gallias pervagantes, etiam in Italiam transierunt. Græcia, Macedonia, Pontus, & Asia Gothorum inundatione delentur. Nam Dacia trans Danubium in perpetuum aufertur. Quadi, & Sarmatæ Pannonias depopulantur. Germani ulteriores abrasa potiuntur Hispania. Parthi Mesopotamiam auferunt, Syriamque conradunt; & ne qui fortè Romani corporis ab hac dilaceratione cessaret, conspirant intrinsecus Tyranni, consurgunt bella civilia, funditur ubique sanguis Romanorum, Romanis, Barbarisque sævientibus: sed citò ira Dei in misericordiam vertitur. Igitur primus Genuus, qui purpuram Imperii sumpserat, apud Nitriam (*) occiditur; Posthumius obscurissimè natus invasit tyrannidem, multo quidem Reipublicæ commodo, nam per decem annos ingenti virtute ac moderatione usus & dominantes hostes expulit, & perditas provincias in pristinam faciem reformavit, qui seditione militum interfectus est. Æmilianus apud Maguntiam, cùm res novas moliretur, oppressus est. Post mortem Posthumii Marius utilissimus opifex purpuram sumpsit, & secunda Imperii die interfectus est. Deinde Victorinus à Gallis ultro creatus vir strenuissimus, sed cùm esset nimiæ libidinis, & matrimonia aliena corrumpens, à centenario quodam dolum machinante, Agrippinæ occisus est, Imperii sui anno secundo. Huic successit Tetricius Senator, qui tunc Aquitaniam honore Præsidis administrans, absens à militibus Imperator creatus est, & apud Burdigalem purpuram sumpsit, multasque seditiones militum pertulit. At verò in Oriente per Odenachum quemdam collecta agresti manu, Persæ victi sunt ac repulsi, defensata Syria, recepta Mesopotamia, & usque ad Jesi fontem rusticani Syriæ cum Odenacho suo vincendo venerunt. Gallienus autem cùm Rempublicam deseruisset, ac Mediolani libidinibus inserviret, fraude Aureliani Ducis sui occisus est Imperii sui anno nono.

(*Beda*.)

Valerianus cum filio Gallieno regnavit annis quindecim. Hic in Christianos persecutione commota, statim à Sapore Rege Persarum capitur, ibique luminibus orbatus, servitute miserabili consenescit. Unde Gallienus tam claro Dei judicio territus, pacem Ecclesiis reddidit; sed ob meritum tamen vel propriæ libidinis, vel paternæ impietatis, innumera, Barbaris assurgentibus, Romani regni detrimenta sustinuit. Hac persecutione Cyprianus Carthaginensis Episcopus, cujus doctissima extant opuscula, martyrio coronatur; cujus vitæ & passionis volumen egregium reliquit Pontius Diaconus ejus, qui usque ad diem passionis ejus cum ipso exilium sustinuit. Theodorus autem, cujus supra meminimus, cognomento Gregorius Neocæsareæ Ponti Episcopus, magna virtutum gloria claret, è quibus unum est, quòd ut Ecclesiæ faciendæ locus sufficeret, montem precibus movet, & aliàs transfert. Quo tempore Dionysius Romæ Episcopus martyrio coronatur, & sepelitur cum fratribus suis. Felix natione Romanus ex patre Constantio, post hunc Episcopus

(*) Orosius: *Mirsam*.

A effectus est, seditque annis quatuor, mensibus tribus. Hic constituit super Reliquias Martyrum Missas celebrari, & hic martyrio coronatus est, & sepultus in Cœmeterio Prætextati. Marcus natione Romanus post hunc suscepit Episcopatum. Hic constituit, ut nullus Episcopus, vel Sacerdos, etiam si majoris scientiæ, & probitatis sit, anteponat se priùs quàm ipse, ordinato. Et hic solus de tantorum numero Pontificum, martyrium evasit, & requiescit in Ecclesia, in qua priùs Presbyter ordinatus fuerat, quæ usque hodie Ecclesia S. Marci dicitur in media Roma, in regione, quæ dicitur Pinus.

B Anni Domini CCLXXII. & anno ab Urbe condita MXXV. Claudius vigesimus octavus ab Augusto à militibus electus, & à Senatu appellatus Augustus, Imperium sumpsit, & per annum unum, & menses novem feliciter tenuit. Hic statim Gothos jam per annos quindecim Illyricum, Macedoniamque vastantes, bello adortus, incredibili eos strage delevit. Cum Alamannis haud procul à lacu Benaco in sylva, quæ Linguona dicitur, dimicans, tantam multitudinem fudit, ut ægrè pars dimidia superfuerit; ob quæ clypeus ei aureus, & in Capitolio statua ei aurea collocata est. Sed priusquam biennium Imperii expleret, apud Syrmium morbo correptus interiit. Tunc Marcion disertissimus Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, qui in eadem urbe C Rhetoricam docuerat, adversùs Paulum de Samosate, qui Antiochiæ Episcopus dogmatizabat, Christum communis naturæ hominem tantùm fuisse, accipientibus Notariis disputavit, qui dialogus usque hodie extat. Claudio mortuo, Quintilinus frater ejus ab exercitu cum consensu Senatus Imperator electus est, vir quidem unicæ moderationis, & civilitatis, & solus fratri præferendus, septimo Imperii die (*Oros. XVII.*) interfectus est.

Anno ab Incarnatione Domini CCLXXIII. & anno ab Urbe condita MXXVII. Aurelianus vigesimus nonus ab Augusto Imperium adeptus, quinque annis ac sex mensibus tenuit, vir industria militari excellentissimus, in D bello potens, animi tamen immodici, & ad crudelitatem propensioris, qui expeditione in Danubium suscepta, Gothos magnis prœliis profligavit, ditionemque Romanam antiquis terminis statuit. Inde in Orientem conversus, Zenobiam, quæ occiso Odenacho marito suo, Syriam receptam sibi vendicavit, magis prœlii terrore, quàm prœlio, in potestatem redegit. Tetricum in Gallia minimè sufficientem sustinere seditiones militum suorum, scribentemque etiam eidem Aureliano: *Eripe me his invicte malis* ac per hoc proditorem exercitus sui sine labore superavit. Sic Orientis & Aquilonis receptor, magna gloria triumphavit, E præcedentibusque currum Tetrico & Zenobia. Hic urbem Romam muris firmioribus cinxit, honoribus validioribus sepsit, Templum Soli ædificavit, in quo infinitum auri, gemmarumque constituit. Porcinæ carnis usum populo instituit. Iste primus apud Romanos coronam capiti imposuit, & vestimenta habuit cum auro, & gemmis, quod adhuc Romani in consuetudine non habuerant. Plurimos Nobiles capite damnavit, sævus, & sanguinarius, ac necessarius magis in quibusdam, quàm in nullo amabilis Imperator; trux omni tempore, etiam filii sororis interfector, disciplinæ ta-

A tamen militaris, & morum magna ex parte correptor.

NONA PERSECUTIO IN ECCLESIA.

Novissimè cùm adversùs Christianos persecutionem nonus à Nerone movens decerneret, fulmen ante eum magno pavore circumstantium ruit, ac non multo post à militibus occisus est, itineris medio inter Constantinopolim, & Heracliam, stratæ veteris loco, quod Cœnophorum (*) appellatur. Sub hoc ajunt pollere Philostratum Atheniensem Historiographum, & Longinum. Eutychianus natione Tuscus ex patre Marino, post Marcum Romanus dictus est Episcopus, seditque anno uno mense uno. Hic constituit fruges super Altare tantùm fabæ & uvæ benedici. Hic temporibus suis trecentum quadraginta duos Martyres manibus suis sepelivit. Et hic martyrio coronatur, & sepelitur cum fratribus suis in Cœmeterio Calixti.

B Anno ab Incarnatione Domini CCLXXVIII., & anno ab Urbe condita MXXXII. Tacitus trigesimus ab Augusto Imperium adeptus, vir egregiæ moderationis, & Reipublicæ regendæ idoneus; nihil tamen ostendere potuit, nam sexto mense regni sui occisus est in Ponto. Post quem Florianus parem regni sortem ferens, tertio demum mense apud Tarsum interfectus est, nec quicquam memoriæ dignum fecit. Anatolius natione Alexandrinus Laodiceæ Syriæ Episcopus, Philosophorum disciplinis eruditus, plurimo sermone celebratur; cujus ingenii magnitudo de libro, quem supra Pascha composuit, & decem libris Arithmeticæ institutionis, potest apertissimè cognosci. Insana Manichæorum Hæresis his temporibus oritur à quodam Persigena, nomine Manes.

C Anno ab Incarnatione Domini CCLXXIX. & anno ab Urbe condita MXXXIII. Probus vir illustris gloria militari ad administrationem Reipublicæ accessit, tenuitque Imperium annis sex & mensibus quatuor. Hic Gallias jam dudum à Barbaris occupatas, per multa & gravia bella deletis tandem hostibus ad perfectum liberavit. Bella deinde civilia, equidem sanguine plurimo, duo gessit, unum in Oriente, quo Saturninum tyrannide subnixum oppressit, & cepit; aliud, quo Proculum, & Bonosum apud Agrippinam magnis prœliis superatos interfecit. Gallis, & Pannoniis apud Sirmium quoque & Mœsiam vineas censeri jussit, & Provincialibus colendas dedit. Hic cùm innumera bella gessisset, pace patrata, dixit: Brevì milites necessarios non futuros; Vir acer, strenuus, justus, & qui Aurelianum æquaret gloria militari; morum autem civilitate superaret. Interfectus est apud Sirmium tumultu militari in turri ferrata.

D (*Beda*.)

E Secundo hujus anno, ut in Chronicis Eusebii legitur, juxta Antiochenos CCCXXV. anni; juxta Tyrios CCCCII. juxta Laodicenos CCCXXIV. juxta Edessenos DLXXXVIII. juxta Ascalonitas CCCLXXX. secundùm Hebræos initium LXXXVI. Jubelæi, quod significat annos MMMMCCL. Archelaus Mesopotamiæ Episcopus librum disputationis suæ, quam habuit adversùs Manichæū exeuntem de Perside Syro sermone composuit, qui translatus à Græcis habetur à multis.

Anno ab Incarnatione Domini CCLXXXV. & anno ab Urbe condita MXXXVIIII. Carus Narbonensis trigesimus secundus ab Augusto suscepit Imperium, ac biennio tenuit, qui dum filios suos Carinum, & Numerianum consortes regni effecisset, bellum adversùs Sarmatas gessit, sed nunciato Persarum tumultu, ab Oriente profectus est; res contra Parthos nobiles egit, ipsosque prœlio fudit, Urbes Cœlenen (**), & Jesifontem nobilissimas cepit, & cùm castra super Tigridem haberet, fulmine ictus interiit. Numerianus filius ejus, quem secum Cæsarem ad Persas duxerat, adolescens egregiæ indolis, cùm oculorum dolore correptus in lectulo veheretur, fraude Apri soceri sui impulsus & interfectus est. Interea Carinus, quem Cæsarem ad Parthos proficiscens Carus in Illyrico, Gallia, & Italia reliquerat, omnibus se sceleribus inquinavit, plurimos innoxios, fictis criminibus occidit, matrimonia nobilia corrupit, condiscipulis quoque, qui eum in auditorio verbi fatigatione taxaverant, perniciosus fuit, atque omnibus hominibus invisus, non post multum à Diocletiano difficili bello, & maximo labore apud Margum superatus, ac propter flagitia sua pœnam dedit vitæ. Gajus, natione Dalmata, ex genere Diocletiani, ex patre Gajo, post Euthychianum Urbis Romæ Episcopum suscepit cathedram, seditque annis XI. mensibus IV. Hic constituit, ut Ordines in Ecclesia sic ascenderent, ut essent Ostiarius, Lector, Exorcista, Accolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur. Hic fugiens persecutionem Diocletiani in cryptis habitando per annos novem, ab eodem Diocletiano martyrio coronatur. Marcellinus, natione Romanus, ex patre Projecto, post hunc in Romanum eligitur Episcopum, seditque annis octo, mensibus quatuor. Pierius Presbyter Alexandriæ, sub Theodone Episcopo tunc florentissimè populos docuit, & tantam sermonis, diversorumque tractatuum, qui usque hodie extant, invênit eleguntiam, ut Origenes junior vocaretur; Vir miræ parsimoniæ, paupertatis appetitor, qui post persecutionem, omni tempore vitæ suæ Romæ versatus est.

Anno ab Incarnatione Domini CCLXXXV., & anno ab Urbe condita MXLI. Diocletianus trigesimus tertius ab Augusto, ab exercitu Imperator electus, XX. annis in Imperio fuit; vir Dalmatia oriundus, & obscurissimè natus, adeò ut à nonnullis cujusdam Senatoris libertinus fuisse credatur. Is primùm militibus in concione juravit: Numerianum nullo suo dolo interfectum; ut autem potestatis copiam habuit, Aprum interfectorem Numeriani manu sua interfecit, dehinc postquam Carinum superavit, cùm in Gallia Amandus, & Ælianus collecta rusticanorum manu, quos Vacaudas vocabant, perniciosos tumultus excitavissent, Maximianum, cognomento Herculeum, Cæsarem fecit, misitque in Gallias, qui facilè agrestium hominum imperitiam, & confusam manum militari virtute compescuit. Deinde Carausius quidam genere infimus, sed consilio, & manu promptus, qui severæ militiæ famam fuerat consecutus, cùm ad observanda Oceani litora, quæ tunc Franci, & Saxones infestabant, plus in perniciem, quàm in profectu Reipublicæ ageret, ereptam prædonibus prædam nulla ex parte restituendo dominis,

(*) Beda: *Cenofrarium*.

(**) Orosius: *Cochem*.

minis, sed sibi soli vendicando, accendit suspicionem, quia ipsos quoque hostes ad incursandos fines artifici negligentia permitteret: quamobrem à Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit, ac Britannos occupavit. Igitur per omnes Romanorum fines subitarum turbationum strages concrepuerunt, Carausio in Britannia rebellante, Achillæo in Ægypto, cùm & Africam quinque Gentiani infestarent. Narseus autem Rex Persarum Orientem bello premeret. Hoc periculo Diocletianus permotus, Maximianum Herculeum ex Cæsare fecit Augustum, Constantium verò & Maximianum Galerium Cæsares legit; quorum quidem Constantius nepos Claudii per filias esse traditur. Constantius autem Herculei Maximiani privignam, Theodoram nomine, accepit uxorem, ex qua sex filios fratres Constantini habuit. Galerius autem filiam Diocletiani, Valeriam nomine, accepit uxorem. Carausius Britanniâ sibi per septem annos fortissimè vendicatâ, tandem fraude Alecti socii sui interfectus est. Alectus postea arreptam Carausio Insulam per triennium tenuit, quem Ascelpiodotus Præfectus Prætorio oppressit, Britanniamque post decem annos recepit. Constantius verò Cæsar in Gallia primo prœlio ab Alamannis profligato exercitu suo, vix ipse subreptus est; secundo autem secuta est satis secunda victoria; nam paucis horis sexaginta millia Alamannorum cæsa referuntur. At Maximianus Augustus quinque Gentianos in Africa domuit. Diocletianus autem Achillæo obsesso per octo menses, Alexandriam direptioni dedit, Ægyptum totam proscriptionibus, cædibusque fœdavit. Præterea Galerius Maximianus, cùm duobus jam prœliis adversùs Narseum conflixisset, tertio inter Gallinicum, & Carras congressus, & victus, amissis copiis ad Diocletianum refugit, à quo arrogantissimè susceptus est, ita ut per quatuor millia passus purpuratus ante vehiculum ejus cucurrisse referatur. Verùm hac contumelia, quasi cote ad virtutem usus est, mox per Illyricum, & Mœsiam undique copias contraxit, Narseum magnis consiliis, viribusque superavit, extinctis Persarum copiis, ipsoque Narseo in fugam coacto, castra ejus invasit, uxores, sorores, liberosque cepit, immensam vim gazæ Persicæ diripuit, captivos quamplurimos Persarum nobilium abduxit; reversus in Mesopotamiam ovans regressus à Diocletiano plurimo honore susceptus est; postea per eosdem Duces strenuè adversùs Carpos, Basternasque pugnatum est; Sarmatas deinde vicerunt, quorum copiosissimam captivam multitudinem per Romanorum finium dispersere præsidia. Diocletianus quippe moderatus callidè fuit, sagax, & admodum subtilis ingenii, & qui severitate sua alienam invidiam vellet explere; diligentissimus tamen, & solertissimus Princeps. In Imperio Romano primus Regiæ consuetudinis forma magìs, quàm Romanæ libertatis inhæserat, & adorari se jussit, cùm antea cuncti salutarentur; ornamenta auri atque gemmarum vestibus, calceamentisque indidit, nam priùs Imperii insigne in chlamyde purpurea tantùm fuerat, reliqua communia. Herculeus autem propalam ferus, vir ad omnem asperitatem, sævitiamque proclivis, invidus, incommodus, civilitatis penitus expers, asperitatem suam vultus horrore significans: hic naturæ suæ indulgens, Diocletiano in omnibus sævioribus consiliis obsecutus.

DECIMA PERSECUTIO IN ECCLESIA.

INterea Diocletianus in Oriente anno nonodecimo ejus Imperii, & Maximianus in Occidente vastari Ecclesias, affligi, interficique Christianos decimo post Neronem loco cœperunt, quæ persecutionibus ferè omnibus anteactis diuturnior, atque immanior fuit; nam per decem annos incendiis Ecclesia, libris quoque exustis, proscriptionibus innocentum, Martyrum cædibus, incessabiliter acta est. Hæc persecutio tam crudelis, & crebra fuit, ut intra unum mensem decem & septem millia Martyrum pro Christo passi inveniantur. Quo tempore Marcellinus Papa territus simul ex quorumdam suasu, & propter acceptam pecuniam à Diocletiano deceptus thurificavit Idolis; quamobrem convenere Episcopi Romæ ex diversis provinciis, non pœnis, non exiliis, non ipso mortis discrimine pavefacti, numero centum quindecim, qui cum lacrymis & gemitu celebrantes Concilium, sciscitabant cum reverentia Episcopum, si ita res se haberet, ut fama retulerat. Marcellinus verò rem omnem seriatim confessus est, & se peccasse, & se reum esse professus est, adjiciens etiam se paratum obedire quicquid illi sibi voluissent imponere. Ad hæc illi: *absit, ut Summus Pontifex ab aliquo judicetur; negasti tu, negavit & Petrus Magister tuus. Et quis Apostolorum ausus fuit eum exinde judicare? Sed egressus foràs flevit amarè. Tu igitur in sinu tuo collige causam tuam, tuo proprio ore te judica.* Audiens hæc Marcellinus: *ob scelus*, inquit, *& Idolatriam, quod infelix commisi, judico me deponendum, anathematizo etiam quicumque corpus meum tradiderit sepulturæ*; & accepto pulvere flens posuit super caput suum, & dixit: *heu me avarum, me corrupit aurum, & non possum in Sacerdotio manere*. Sicque pergens ad Diocletianum, & gravissimis eum verbis exasperans, ultro se professus Christianum, cum Claudio, & Quirino, & Antonino capitalem accepit sententiam. Ejus corpus per trigintaquinque dies jacuit inhumatum; noctu verò apparuit Apostolorum Princeps in visione Marcello Sacerdoti, qui post eum Episcopus effectus est, dicens: *Marcelle dormis?* at ille: *quis es Domine?* & ille: *Ego sum Princeps Apostolorum Magister tuus*, & adjecit: *Marcelle corpus meum, quod inhumatum est quare non sepelis?* at ille: *Domine corpus tuum digno cum honore sepultum est*. Et ille: *Corpus Marcellini fratris mei, qui pro Christo sanguinem fudit quare non sepelis, non legisti in Evangelio sententiam Domini dicentis: omnis, qui se humiliat, exaltabitur? multùm se humiliavit, qui indignum sepultura se judicavit. Trade ergo, & sepeli eum juxta me, ut quos non separavit martyrium, quosque justificavit Dei gratia, non dividat sepultura.* Sicque factum est, & sepultus est secus pedes Beati Petri.

Marcellus natione Romanus, ex patre Benedicto, post hunc levatur Episcopus. Hic fecit Cœmeteria via Salaria, & viginti quinque Titulos constituit in urbe Roma, & Diœceses propter Baptismum, & Pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex Paganis,

& propter sepulturas Martyrum. Hujus temporibus Venerabilis Matrona Lucina Ecclesiam Christi rerum suarum fecit hæredem. Quod audiens Diocletianus, damnavit eam proscriptione, & jussit ut Marcellus Episcopus damnaretur in domo ejusdem Matronæ ad custodiendum animalia publica, & per quinque annos compedibus ligatus in eodem martyrio perdurans, per epistolas Parochias dividebat. Postea verò Christiana Religione crescente, domus catabuli in pulcherrimam Ecclesiam translata est, quæ usque hodie Sancti Marcelli nomine titulatur. Passus est ea tempestate Beatus Mauritius cum una Christianorum legione apud Rhodanum; passus est Pamphilius Eusebii Cæsariensis Episcopi necessarius, cujus vitam ipse tribus libris comprehendit; passi sunt & duodecim fratres, ac Beatus Marcus Ecanæ urbis Episcopus, Sergius quoque, & Bacchus, Cosmas, & Damianus, & alii quamplures, innumerabilesque per innumera terrarum loca. Secundo persecutionis anno, Diocletianus ab invito Imexegit Maximiano, ut simul purpuram, Imperiumque deponerent, ac junioribus in Rempublicam substitutis, ipsi in privato otio consenescerent. Itaque sub uno die Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani potestatem Imperii simul, cultumque deposuerunt. Attamen cœpta semel persecutio usque ad septimum Constantii annum per decem annos fervere non cessat. Diocletianus privatus in villa, quæ haud procul à Salona est, præclaro otio senuit, qui dum ab Herculeo, atque Galerio ad recipiendum Imperium rogaretur, tanquam pestem aliquam detestans, in hunc modum respondit: *Utinam si Salonæ possetis vivere, olera manibus vestris magìs institui, quàm istud temptandum judicaretis.* Galerius itaque, Maximianus, & Constantius Augusti, primi Romanum Imperium in duas partes determinaverunt; ita ut Galerius Illyricum, Asiam, & Orientem; Constantius verò Italiam, Africam, Hispaniam, & Gallias obtineret. Sed Constantius vir tranquillissimus, Gallia tantùm Hispaniaque contentus, Galerio cæteras partes concessit. Constantius quidem vir egregius, & summæ mansuetudinis, ac præstantissimæ civilitatis, divitiis provincialium, ac privatorum studens, Fisci commoda non admodum affectans, dicensque melius esse publicas opes à privatis servari, quàm intra unum claustrum teneri. Qui adeò modici cultus sibi curam reservabat, ut privatorum aliquando indumentum gereret, atque in amicorum vehiculis sederet. Aliquando etiam dum feriatis diebus cum amicis epulandum esset, privatorum ei argento petito triclinia decorarentur. Hic omnino amabilis, ac venerabilis Gallis fuit, præcipuè quòd Diocletiani suspectam prudentiam, & Maximiani sanguinariam potestatem, Imperio ejus evaserunt. Galerius autem vir pronæ moderationis, & egregius rei militaris, cùm Italiam quoque, sinente Constantio, ad administrationem sibi accessisse sentiret: Cæsares duos creavit, Maximinum, quem Orienti præfecit, & Severum, cui Italiam dedit: ipse in Illyrico commoratus. Constantius verò sextodecimo Imperii sui anno in Britannia, Eboraci diem obiit. Qui Constantinum filium ex obscuriore Helenæ concubinæ matrimonio sibi natum, ex vitæ suæ tempore ad Imperium tulit. Tertio itaque persecutionis anno, quo & Constantius obiit, Maximinus magis quàm Severus maleficia & stupra Christianorum persecutionibus accumulat. Quo tempore Eusebius natione Græcus ex medico, post Marcellum Romanam rexit Ecclesiam annis duobus mense uno. Hujus temporibus inventa est Crux Domini Nostri Jesu Christi V. Nonas Madii: & baptizatus est Judas, qui & Quiriacus vocatur. Qui etiam Eusebius martyrio coronatur, & sepultus est cum fratribus suis.

Melciades natione Afer huic successit in Episcopatu, seditque annis tribus mensibus septem. Hic constituit, ut nulla ratione die Dominico, aut quinta feria jejunium quis de Fidelibus ageret. Et hic martyrio coronatus est, & appositus ad fratres suos. Passus est ea tempestate Petrus Alexandrinus Episcopus, cum plurimis Ægypti Episcopis. Lucianus quoque vir moribus, & continentia, & eruditione præcipuus, Antiochenus Presbyter. Passus est & Thimotheus Romæ, & quamplures alii per diversa loca.

Anni Domini CCCVIII. Constantinus Constantii ex obscuriore matrimonio Helenæ filius, & in loco patris exoptatissimus ac moderator, in Britannia effectus Imperator est, regnavitque annis XXX. mensibus X. Ab anno autem persecutionis quarto, Maxentius Herculii Maximiani filius Romæ Augustus appellatur. Licinius Dacia oriundus, Constantiæ sororis Constantini vir, Carmunti Imperator creatus. Ita Respublica tunc sub novis quatuor Principibus fuit; Constantino, & Maxentio filiis Augustorum; Licinio autem, & Maximino hominibus novis. Deinde quinto persecutionis anno, inter Constantinum, & Maxentium bellum civile exortum est. Maxentius sæpe multis prœliis fatigatus, ultimè ad Pontem-Molvium victus, & interfectus est. Maximinus persecutionis incentor, executorque infestissimus, apud Tharsum, dum civile bellum contra Licinium disponit, interiit.

(*Hieronymus*.)

Silvester natione Romanus ex patre Rufino, post Melciadem Romanam gubernavit Ecclesiam, seditque annis XXIII. mensibus IX. Hic persecutionem Constantini primò fugiens, exilio fuit in Monte Sirapti (62): & postmodum rediens cum gloria, baptizavit eundem Constantinum Augustum. Sed quia de ejus baptismo varia scripturæ pronunciant, dicendum mihi videtur, quid diversæ scripturæ sentiant, & cui magis fides sit adhibenda. In decretali Epistola Eusebii, sicut ipso narrante cognovimus, legimus, eundem Principem post victoriam Scytharum, qui transmeato Danubio Thracias vastaverant, venisse Romam, & ab Eusebio Episcopo Romano catechizatum, quamvis in multis codicibus, vitio Scriptorum reperiatur, eundem à præfato Pontifice baptizatum: quod falsum satis evidenter apparet. Quis enim, tanto Principe baptizato, auderet Christianis necem inferre? Et ipsum Romanum Pontificem Melciadem nomine jugulare? & cujus erat Tarquinius, nisi Romani Imperatoris Præfectus, qui Timotheum Christianissimum variis tormentis interemit, &

(62) *Melius* Soracte, *ita & infra*.

& Silvestrum ejusdem Timothei hospitem carcerali mancipavit custodia? & cujus persecutiones fugiens Silvester Episcopus in montem Sirapti latebram fovebat? Quia verò Regius animus implicitus curis per multa distenditur, à Beato Eusebio catechizatus distulit Baptismum, quod postea, favente (*Divina*) gratia, revelatione Apostolorum commonitus, occasione recuperandæ salutis à Beato susciperet Silvestro. Et ita hoc esse indubitanter Catholica credit Ecclesia (*). Illud verò, quod in Historia Ecclesiastica tripartita legitur; eum usque ad mortem distulisse Baptisma, & in Nicæa civitate in Arriana fide baptizatum, mirabiliter abhorret à vero. Quis enim nisi mentecaptus crediderit, tantum virum, sub quo Nicæna Synodus trecentorum decem & octo Patrum Sanctorum, in qua Fides nostra recitata est, & Arrius cum suis complicibus damnatus, errori se vellet mancipari damnato, maximè cùm & Arrium sciret Sanctorum Patrum, & sua auctoritate damnatum, & Constantinopoli, Dei judicio, turpissima morte multatum? Beatus autem Silvester privilegium meruit à Constantino Augusto, ut omnes Episcopi sint subjecti Romano Pontifici, ut Judices Imperatori. Hujus temporibus factum est Concilium cum ejus præcepto in Nicæa Bythiniæ, & congregati sunt trecentum decem & octo Episcopi Catholici, qui exposuerunt Fidem integram Catholicam immaculatam, & damnaverunt Arrium, & Photinum, & Sabellium hæreticos, vel eorum sequaces. In Urbe verò Roma congregavit ipse cum consilio Augusti ducentos octoginta Episcopos, & damnavit iterum Calixtum, Arrium, & Photinum, ac Sabellium hæreticos. Constituit Chrisma ab Episcopo confici, & ut Baptizatum statim & à fonte levatum liniat Presbyter Chrismate in vertice, propter occasionem transitus mortis. Hic constituit, ut Romanus Præsul à nullo judicetur, & ut Presbyter non condemnaretur, nisi sub quadraginta testium certa comprobatione. Et ut minoris Ordinis aliquis majorem non posset accusare. Et ut nullus laicus Clerico crimen audeat inferre, & ut Clericus ante laicos non judicetur; & ut nullus Clericus propter causam suam quamlibet in Curiam introiret, nec ante Judicem duceretur, nisi in Ecclesia tantùm. Hic constituit ut Diacones Dalmaticis in Ecclesia uterentur, & ut Sacrificium Altaris non in serico, neque in panno tincto celebretur, nisi tantùm in lineo terreno procreato, sicut corpus Domini nostri Jesu Christi in syndone munda sepultum est. Constituit etiam, ut si quis desideraret in Ecclesia militare, aut proficere, ut esset Lector dies triginta, Exorcista dies triginta, Acolytus annos quinque, Subdiaconus annos quinque, Diaconus annos septem, Presbyter annos tres, probatus ex omni parte, etiam & ab his, qui foris sunt, testimonium habere bonum, unius uxoris virum, uxorem à Sacerdote benedictam, & sic ad ordinem Episcopatus accederet. Et ut nullus majoris, vel prioris locum invaderet, sed ordinem temporum cum religionis pudore cognosceret. Constituit etiam, ut si quis reus mortis ad Ecclesiam confugerit, judicii mortis evadat.

Beatus autem Silvester Catholicus & Confessor quievit in pace, & sepultus est Romæ juxta palatium Octaviani, ad locum, qui di-

Tom. VII.

A citur Caput. Constantinus igitur post decem annos, quàm à persecutoribus Ecclesia vexabatur, de persecutore Christianus effectus, pacem Ecclesiæ indulsit. Iste Vir ingens, & omnia perficere nitens quæ in animo præparasset, simul principatum totius orbis affectans Licinio bellum intulit; Licinius autem avaritiæ cupidine omnium pessimus, neque alienus à luxurie Venerea, asper admodum, haud mediocriter impatiens, infestus literis, quas, per inscientiam, virus, ac pestem publicam nominavit, præcipuè forensem industriam negligebat, rusticanus, eo quòd ab eodem genere ortus alitusque erat, satis inutilis, ac malitiæ custos. Hic itaque repentina B rabie suscitatus, omnes Christianos è palatio suo jussit expelli. Mox bellum inter Constantinum, & ipsum Licinium efferbuit; sed Constantinus Licinium in Pannonia vicit primùm, deinde apud Kiala oppressit, universaque Græcia potitus, Licinium crebris bellis terra marique astrictum & repressum, tandem ad ditionem coëgit; privatum jussit occidi anno dominationis suæ ferè quintodecimo. Quamvis omnibus jam ministris nefariæ persecutionis extinctis, his diebus Arrius Alexandrinæ urbis Presbyter à veritate Fidei Catholicæ devians, exitiabile plurimis dogma constituit. Qui simul ut primùm Alexandriæ vel notus, vel notatus inter confusos vulgo sectatores, C insectatoresque factus est ab Alexandro ejusdem tunc urbis Episcopo pulsus Ecclesia est. Cùmque homines, quos in errorem seduxerat etiam in seditionem excitaret, apud Nicæam urbem Bithiniæ conventus trecentorum decem & octo Episcoporum factus est, per quos Arrianum dogma exitiabile, & miserum esse evidentissimè deprehensum, palàm proditum, àc reprobatum est. Sed inter hæc latent causæ, cur vindicem gladium, & destinatam in impios punitionem Constantinus Imperator etiam in proprios egit & fœtus: Nam Crispum filium suum interfecit, & Licinium filium sororis, postquam Cæsares sunt creati, occìdi jussit. Præterea multas gentes diversis D prœliis subegit, innumeræ in eo animi corporisque virtutes claruerunt, militaris gloriæ appetentissimus; fortuna sibi in bellis prospera fuit, industria sagacissimus, civilibus artibus deditus, insectator justi amoris, quem sibi & liberalitate, & docibilitate quæsivit: sicut in nonnullis amicis dubius, ita in reliquos egregius, nullam occasionē prætermittens, qua opulentiores eos clarioresque præstaret. Multas leges abrogavit, quasdam bonas & æquas, plerasque superfluas, nonnullas severas. Urbem nominis sui, Romanorum Regum vel primus, vel solus instituit, quæ sola expers Idolorum, ad hoc brevissimo tempore condita E perfecta est, ut sola Romæ tot sæculis miseriisque provectæ, forma & potentia meritò possit æquari. Tunc Beatus Nicolaus Myrensis Episcopus virtutibus radiabat.

Constantinus verò Imperator primum justo ordine, & pia vice vertit edictum, siquidem statuit, extra ullam hominum cædem Templa claudi, & Christianorum Ecclesias aperiri. Mox Gothorum fortissimas, & copiosissimas gentes in ipso Barbarici soli sinu, hoc est in Sarmatarum regione, delevit. Quemdam Calocerum in Cypro aspirantem novis rebus, oppressit cum Tricennalibus suis. Dalmatium Cæsarem legit; cùmque bellum in Persas mo-

F 2 lire-

(*) Quanti faciendi sit hæc propositio, & ea, quæ sequuntur, eruditi norunt; vide Pagium ad an. 324.

A liretur, in villa publica juxta Nicomediam posita, dispositam bene Rempublicam filiis tradens, diem obiit anno Imperii sui XXXI. ætatis autem LXVII.

Constantinus autem fecit, ubi baptizatus est, Basilicas istas, quas & ornavit. Basilicam Constantinianam, ubi posuit ista dona: fastigium argenteum battutile, quod habet in fronte Salvatorem sedentem in sella cum pedibus quinque ponderans libras CXX. Et duodecim Apostolos, qui pensant singuli in quinis pedibus libras XC. cum coronis argenti purissimi. Item à tergo respicientem in absida Salvatorem sedentem in throno in pedibus quinque ex argento purissimo ponderans

B libras CXXXX. Et Angelos quatuor ex argento in pedibus quinque ponderantes singuli libras CV. cum gemmis allabandenis in oculos tenentes hastas fastigium ipsum, ponderantes libras duo millia XXV. Fastigium ex auro purissimo cum Delphinis quinquaginta cum cathena, qui ponderant libras XXV. Coronam ex auro purissimo cum Delphinis XX. pensantes libras singulæ XV. Cameram Basilicæ ex auro trinitam in longum, & in altum libras quingentas. Altaria septem ex argento purissimo, ponderantia singula libras CC. Reliqua utensilia Basilicæ, quæ constituit in opus ministerii, sive ex auro, sive ex argento, qui vult pleniter scire, inveniet in

C gestis Pontificum Romanorum. Fontem Sanctum, ubi baptizatus est Constantinus Augustus, ex lapide Porphyretico, ex omni parte coopertum intrinsecus, & foris, & desuper, & quantum aqua continet, ex argento purissimo libras tria millia VIII. In medio fontis columna Porphyretica, quæ portat Phialam auream, ubi candela est, quæ pensat auri purissimi libras LII., ubi ardet balsami libras ducentas. Nixum ex tippa amianti in labro fontis Agnum ex auro purissimo fundentem aquam, qui pensan. libras XXX. Ad dexteram Agni Salvatorem ex auro purissimo in pedibus V. qui pensan. libras DXX. in læva Agni Beatum Joannem Baptistam ex ar-

D gento in pedibus V. tenentem titulum scriptum: *Ecce Agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi*, qui pensant libras C. Cervos ex argento purissimo V. fundentes aquam, qui pensant singuli libras LXXX. Timiamatherium ex auro purissimo, quod pensat libras X. cum gemmis prassinis & hiacyntinis ex undique numero XLII. Reliqua dona, quæ obtulit Constantinus Augustus domui Sancti Fontis, ac massas per singula loca, seu & alia plurima, invenies in gestis Romanorum Pontificum.

Eodem tempore Constantinus Augustus fecit Basilicam Beato Petro Apostolo in Templo Apollinis: cujus locum Corpus Sancti Pe-

E tri ita recondidit. Ipsum locum undique ex ære Cypro conclusit, quod est immobile; ad caput pedes V. ad pedes pedes V. subter pedes V. supra pedes V. Sic inclusit Corpus Beati Petri Apostoli, & recondidit, & exornavit, supra columnas Porphyreticas, & aliquas columnas vitineas, quas de Græcia perduxit. Fecit autem cameram Basilicæ ex auro fulgentem, & super Corpus Beati Petri, quod ære conclusit, fecit crucem auream purissimam, pensantem libras CL. in mensura loci pensantem, ubi scriptum hoc:

CONSTANTINUS AUGUSTUS ET HELENA AUGUSTA HOC DONUM REGALE SIMILE FULGORE CORUSCANS AULA CIRCUMDAT.

Scriptum ex literis nigellis.

Eodem tempore fecit Basilicam Beato Paulo Apostolo ex suggestione Silvestri Episcopi, cujus Corpus Sanctum ita recondidit in ære, & conclusit, sicut Corpus Beati Petri. Constantinus Augustus donum obtulit sub Tharso Ciliciæ insulam Cordianon, quæ præstat solidos octingentos. Nam omnia vasa sacrata aurea, vel argentea, aut ærea composuit, sicut in Basilica Beati Petri Apostoli, ita & Beati Pauli Apostoli ordinavit. Sed & crucem auream super locum Beati Pauli posuit, pensantem libras CL. donavitque eodem loco sub civitate Tyria possessionem Comitum præstantem solidos quingentos quinquaginta. Eodem tempore fecit Constantinus Augustus Basilicam in Palatio Sessoriano, ubi de Ligno Sanctæ Crucis Domini Nostri Jesu Christi posuit, & in auro & gemmis conclusit, ubi & nomen Ecclesiæ dedicavit, quæ cognominatur usque hodie *Hierusalem*; In quo loco constituit pretiosa dona ista: Candelabra ante Lignum Sanctum lucentia argentea quatuor, secundùm numerum quatuor Evangeliorum ponderantia singula libras LXXX.

Eodem tempore fecit Basilicam Sanctæ Agnetis Martyris, ex rogatu filiæ suæ: & baptisterium in eodem loco, ubi & baptizata est soror ejus Constantia, cum filia Augusti.

Eodem tempore Constantinus Augustus fecit Basilicam Beato Laurentio Martyri via Tiburtina in agro Verano, super arenaria cryptæ: & usque ad Corpus Sancti Laurentii Martyris fecit gradus ascensionis, & descensionis. In quo loco construxit Absidam, & exornavit marmoribus porphyreticis: & desuper loci induit de argento, & cancellis de argento purissimo ornavit, qui ponderant libras mille, & cætera dona obtulit copiosa.

Hisdem temporibus Constantinus Augustus fecit Basilicam via Lavicana inter duos lauros Beato Petro, & Marcellino Martyri, & Mausoleum, ubi beatissimam Augustam matrem suam posuit in sarcophago porphyretico.

Eodem tempore fecit Constantinus Augustus Basilicam in civitate Hostia, juxta portum urbis Romæ, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Joannis Baptistæ.

Hisdem temporibus fecit Constantinus Augustus Basilicam in civitate Albanense Sancti Joannis Baptistæ.

Fecit & Constantinus Augustus intra urbem Capuam Basilicam Apostolorum, quam cognominavit Constantinianam, in qua plurima posuit dona. Fecit quoque Basilicam in urbe Neapoli.

Marcus natione Romanus, ex Patre Prisco, Silvestro successit in Episcopatu, seditque annis duobus, mensibus VIII. Hic constituit, ut Episcopus Hostiæ, cùm ab eo Episcopus urbis Romæ consecratur, pallio uteretur. Et constituit in Ecclesia omnibus diebus Dominicis, & in Natalitiis Apostolorum post Evangelium, Symbolum ab omni Clero, & populo alta voce cantari. Et hic requievit in pace, & sepultus est in Ecclesia Beati Petri Apostoli, cujus fundamenta Constantinus Imperator octavo die post baptismum suum, terram ipsemet fodiens, primus imposuit, & ad

ad finem, ut est cernere, usque perduxit.

Julius natione Romanus ex patre Rustico, post hunc Papalem suscepit apicem, seditque annis XV. mensibus duobus. Hujus præcepto Orientales Episcopi thronos suscepere. Et constituit, ut omnia monumenta cartharum Ecclesiasticarum rerum, per Romanæ Ecclesiæ fierent Primi-Scrinium, & hic sepultus est in Basilica Beati Petri Apostoli.

Anni Domini CCCXXXIX. & anno ab Urbe condita MXCII. Constantius trigesimus quintus ab Augusto, cum Constantino, & Constante fratribus suis Imperium adeptus XXIV. annis tenuit. Fuit inter successores Constantini & Dalmatius Cæsar fratris filius: sed continuò militari factione fraude deceptus est. Interea maligna semper adversùs Deum verum diaboli insectatio, quæ ab initio mundi usque nunc à sincera Fide, Religionisque tramite, obfusis nebulis, lubrica hominum corda perturbat, postquam Christianis Imperatoribus summam Regiæ potestatis in meliora vertentibus, Ecclesiam Christi zelo Idolatriæ persequi destitit, aliud machinamentum, quo per eosdem Christianos Imperatores Christi Ecclesiam vexaret, invênit. Fit igitur Arrio novi erroris auctori, cæterisque discipulis ipsius ad familiaritatem Constantii Imperatoris promtus aditus, & facilis via. Suasere quippe Constantio ut quosdam in Deo gradus credat.

Anno itaque secundo Constantii Imperii, ipso quidem præcipiente, apud Laodiciam Syriæ urbem coram Judice, nomine, & opere Probo, turbis hinc inde circumstantibus, maxima disputatio, omnium quidem Catholicorum utillima, ac inter Athanasium, atque Arrium hæreticum, cæterosque hæreticos ventilata est. Perversa igitur zelo potestas armatur illusa, & sub nomine potestatis jus persecutionis agitatur: dum impietas Arriana Constantii Regis fulta præsidio, exiliis, carceribus, & variis afflictionum modis, primùm Athanasium, deinde omnes non Imperatoriæ partis Episcopos persecuta est. De nova quippe nominis electione, quod est *Homousion*, contenditur, ut Arrianorum potiùs Ecclesiæ, quàm Catholicorum sint.

Maximinus Treverorum Episcopus tunc clarus habetur, à quo Athanasius Alexandriæ Episcopus cùm à Constantio quæreretur ad pœnam, honorificè susceptus est.

Interea Romæ defuncto Julio Papa, Liberius natione Romanus, ex patre Augusto, post hunc suscepit Episcopatum, seditque annis X. mensibus VII. Hic in initio sui Episcopatus, exilio reportatur à Constantio, eo quòd noluisset hæresi Arrianæ consentire, & fecit in exilio annos tres. Tunc congregati Sacerdotes cum ejusdem Liberii consilio, & ordinaverunt Felicem Presbyterum Episcopum Venerabilem virum. Et fecit Concilium Felix, & invênit duos Presbyteros consentientes Constantio Augusto, nomine Ursacium, & Valentem, & ejectis cum Concilio quadraginta & octo Episcoporum, post paucos dies, zelo ducti Ursacius, & Valens rogaverunt Constantium Augustum, ut revocaret Liberium de exilio, ut una tantùm communione participaret, extra secundum baptismum. Liberius autem, ut præceptis Augusti assensum dedit, de exilio revocatus est. Rediens autem Liberius de exilio, habitavit in Cœmeterio

A Sanctæ Agnæ apud germanam Constantii Augusti. Tunc Constantius Augustus fecit Concilium cum Arrianis hæreticis, simul etiam cum Ursacio, & Valente, & ejecit Felicem de Episcopatu, qui erat Catholicus, & revocavit Liberium. Qui consentiens Constantio Augusto hæretico, non tamen rebaptizatus est Liberius, sed consensum præbuit, & potentialiter tenuit Basilicas Apostolorum Petri, & Pauli, & Basilicam Constantinianam annis septem, & fuit persecutio magna in urbe Roma, ita ut Clerici, & Sacerdotes, neque in Ecclesias, neque in balnea haberent introitum, sed gladio necarentur, & martyrio coronarentur.

B Felix autem Episcopus natione Romanus ex patre Anastasio, sedit anno uno, mensibus sex. Hic declaravit Constantium filium Constantini hæreticum, & secundò baptizatum ab Eusebio Nicomediense, juxta Nicomediam, & per hoc declaratum. Ab eodem Constantio depositus de Episcopatu, martyrio coronatur, & capite truncatur IV. Kalendas Augusti: dies itaque Felicis omnes sub Liberii Papatu dimunerantur. Sequitur terræmotus horribilis perplurimas Orientis urbes solo sternens. Constantius prædictus Imperator, dum Constantem fratrem bello insectatur, incauta petulantia se offerens, à Ducibus ejus occisus est. Constans adversùs Persas, qui Mesopotamiam vastaverant, novem
C prœliis parum prosperè decertavit. Novissimè seditione, atque intemperantia militum, nocte adoriri pugnam coactus, patratam penè victoriam insuper victus amisit. Post, cùm se intolerandis vitiis dedisset, ac pœnam provincialium, favore militum compararet, Magnentii dolis in oppido, cui nomen Helena est, proximo Hispaniæ, interfectus est, anno Imperii sui XVII. ætatis XXX.

Magnentius enim apud Augustodunum arripuit Imperium, quod continuò per Galliam, Africam, Italiamque porrexit. In Illyrico autem Vetranionem ætate grandævum, Imperatorem sibi milites creaverunt, virum natura
D simplicem, cunctisque jucundum, sed qui literas non didicisset. Itaq; cùm primas literarum syllabas Imperator senex interdum invitus meditaretur, à Constantio, qui tunc in Magnentium, ultione fratris accensus, bellum parabat, deponere jussus Imperium, abjiciens cum literis purpuram, contentusque privatis feriis, palatium simul, scholamque dimisit. Nepotianus deinde Romæ Constantii sororis filius, gladiatorum manu fretus, invasit Imperium, qui cùm improbus, ac per hoc invisus cunctis esset, vigesimo septimo die ejus Imperii, à Magnentianis Ducibus oppressus est: cujus caput, sicut pila per Ur-
E bem circum latum est. Sequitur bellum illud horribile inter Constantium, & Magnentium, apud Mursam urbem gestum, in quo multa Romanarum virium profligatio etiam in posterum nocuit. Magnentius tamen victus aufûgit, ac non multo post apud Lugdunum, propria se manu interfecit. Decentius quoque frater ejus, quem Cæsarem Gallis præfecerat, apud Senonam laqueo vitam finivit, anno Imperii sui quarto, Constantium Gallum patrui filium Cæsarem legit, quem rursus crudeliter ac tyrannicè agentem, paulò postquam creaverat, occîdit. Silvanum quoque per Gallias rebus novis inhiantem maturè circum-

cumventum, opprimendumque ante triginta dies curavit. Igitur Silvano interfecto, Julianum patruelem suum Galli fratrem Cæsarem legit, & misit ad Gallias, tradita ei in matrimonium sorore. Itaque Julianus Cæsar, eversas, oppressasque ab hostibus Gallias constrenuissimè in integrum restituit. Parvis copiis Alamannorum multitudinem fudit. Rheno Germanos revinxit. His elatus successibus, fastigium usurpavit Augusti, & mox Italiam, Illyricumque pervadens, Constantium Parthicis prœliis occupatum, regni parte privavit. Constantius Juliani scelere comperto, dimissa expeditione Parthorum, dum ad civile bellum revertitur, in itinere inter Ciliciam, Capadociamque defunctus est, anno Imperii trigesimo octavo, ætatis quadragesimo quinto. Ita ille, qui discissa pace, & unitate Fidei Catholicæ, Christianos adversùs Christianos armans, civili, ut ita dicam, bello Ecclesiæ membra dilaceraverat, totum inquietum tempus Imperii, molestissimumque spatium vitæ suæ, bellis civilibus, etiam per propinquos, & consanguineos excitatis, exercuit, exegit, expendit.

(*Beda.*)

Constantius cum Constantino, & Constante fratribus, regnavit annis XXIV. mensibus V. Jacobus Nisibenus Episcopus cognoscitur: ad cujus preces sæpe Urbs discrimine liberata est.

Antonius Monachus centesimoquinto ætatis suæ anno in heremo moritur. Reliquiæ Apostoli Timothei Constantinopolim invectæ. Constantio Romam ingresso, Ossa Andreæ Apostoli, & Lucæ Evangelistæ à Constantinopolitanis miro favore suscepta. Hilarius Pictaviensis Episcopus, qui pulsus ab Arrianis in Phrigia exulaverat, cùm apud Constantinopolim librum pro se Constantio porrexisset, ad Gallias redit.

Anni Domini CCCLXIII. Julianus anno uno, & mensibus octo regnavit. Hic ad Idolorum cultum cujusdam Judæi factione conversus. Christianos persequitur: qui etiam, dum in odium Christi Templum in Hierosolymis reparari permisisset, atque ex omnibus provinciis Judæi collecti nova Templi fundamenta jacerent, subito nocte oborto terræmotu, saxa ab imo fundamentorum excussa, longè latèque dispersa sunt; igneus quoque globus ab interiori æde Templi egressus, plurimos eorum suo prostravit incendio. Quo tempore reliqui pavefacti, Christum confitebantur inviti; Et ne hoc casu crederent factum, in sequenti nocte in vestimentis cunctorum signum apparuit Crucis. Pagani apud Sebasten Palæstinæ urbem, sepulchrum Joannis Baptistæ invadunt, ossa dispergunt; eadem rursus collecta, & cremata latiùs dispergunt. Sed Dei providentiâ, affuere quidam ex Hierosolymis Monachi, qui mixtim colligentibus quæque ipsi poterant, ablata ad patrem suum Philippum pertulere. Ille verò confestim, ad Pontificem maximum tunc Athanasium per Julianum Diaconem mittit, quæ ille suscepta, paucis arbitris, sub cavato sacrarii pariete inclusa prophetico spiritu profutura generationi posteræ conservavit. Cujus præsagium sub Theodosio Principe, per Theophilum ejusdem Urbis Episcopum completur, qui destructo Serapis sepulchro, Sancti Joannis ibidem consecravit Ecclesiam. Hæc itaque Beda.

(*Orosius autem.*)

Anno ab Urbe condita MCXVI. Julianus dudum Cæsar post XXXVI. ab Augusto potitus est regno, anno uno & mensibus sex; Imperii summam solus obtinuit, Christianam Religionem arte potiùs, quàm potestate insectatus: ut abnegaretur Fides Christi, & Idolorum cultus susciperetur, honoribus magis provocare, quàm tormentis cogere studuit; aperto tamen præcepit edicto, ne quis Christianus liberalium studiorum professor esset. Sed tamen, sicut à majoribus nostris compertum habemus, omnes ubique propemodum præcepti conditiones amplexati, officium magìs, quàm Fidem deserere maluerunt. Julianus autem bellum adversùs Parthos parans, cùm Romanas vires contractas undique ad destinatam secum traheret perditionem, Christianorum sanguinem Diis suis vovit, palàm persecuturus Ecclesiam, si victoriam potuisset adipisci; nam & amphiteatrum Hierosolymis extrui jussit, in quo, reversus à Parthis, Episcopos, Monachos, omnesque ejus loci Sanctos bestiis etiam arte sævioribus objiceret, spectaretque laniandos. Itaque postquam à Ctesiphonte castra movit, dolo cujusdam transfugæ in deserta perductus, cùm vi sitis, & ardore Solis, atque insuper labore arenarum confectus periret exercitus, Imperator tanto periculo anxius, dum per vasta deserti incautus evagatur, ab uno quodam hostium equite incognito ictus interiit. Sic misericors Deus impia consilia impii morte dissolvit. Quidam verò dicunt, quia cùm percussus Divino judicio fuisset, manum de sanguine suo implevit, sparsitque in Cœlum, & dixit: *vicisti, Galilæe, vicisti.*

Anno Incarnationis Dominicæ CCCLXV., & anno ab Urbe condita MCXVII. Jovinianus natus patre Varriano, è Pannoniæ provincia, corpore insignis, lætus ingenio, literarum studiosus, ad obtinendum Imperium in summo rerum discrimine ab exercitu creatus est Imperator, commendatione patris militibus, quàm sua notior. Qui jam turbatis rebus, exercituque inopia laborante, cùm & locorum iniquitate circumseptus, nullam evadendi facultatem nancisceretur, fœdus cum Persarum Rege, etsi ignobile, non tamen necessarium satis pepigit; quippe ut tutum, & incolumem Romanum exercitum non solùm ab incursu hostium, verùm etiam à locorum periculo liberaret, Nisibin oppidum, & partem superioris Mesopotamiæ Persis concessit; inde dum ad Illyricum rediens per Galatiam iter agit, cùm in cubiculum quoddam novum se se cubitum recepisset, calore prunarum, & nidore parietum nuper calce illitorum aggravatus, & suffocatus est: octavo demum mense, quàm imperare cœperat, vitam finivit. Synodus Antiochiæ à Melito, & suis facta, in qua Ὁμοούσιον rejecto, medium inter hæc Ὁμοιούσιον, Macedonianum dogma vindicaverunt. Jovinianus lapsu Constantii prædecessoris admonitus, honorificis, & officiosissimis literis Athanasium requirit, ab ipso formam Fidei, & Ecclesiarum disponendarum suscepit modum; sed ejus pia, lætaque principia mors immatura corrupit.

Romæ verò, mortuo Liberio Papa, Damasus natione Hispanus, ex patre Antonio, post hunc suscepit Episcopàtum, seditque annis XVIII.

XVIII. menses duos. Ordinatus est autem sub contentione cum eo Ursinus (63), & facto Concilio Sacerdotum, constituerunt Damasum, quia major populi pars ejus, & plurima multitudo erat. Ursinum verò ejectum ab Urbe constituerunt Episcopum in Neapolim. Damasus itaque in Synodali judicio, voce publica damnavit Liberium, & annullavit omne quod fecit. Hic constituit, ut Psalmi David in Ecclesiis cum gloria distinctè cantarentur per diei horas, & noctis vigilias. Hic præcepit intra Missarum solemnia Presbyter suam confessionem faciat, antequam ad Altare accedat. Hic fecit Basilicas duas, unam juxta theatrum Beati Laurentii, alteram ad Catacumbas, ubi jacuerunt corpora Apostolorum Petri, & Pauli, in quo loco Platoniam ipsam vestibus adornavit. Hic invidiosè accusatur de adulterio, & facta Synodo, coram XLIV. Episcopis se purgavit, & damnaverunt Concordium, & Calixtum Diaconem, ejus accusatores; qui etiam sepultus requiescit apud Sanctum Petrum Apostolum.

Anni Domini CCCLXXV. & anno ab Urbe condita MCXVIII. Valentinianus è Pannonia mediocri stirpe ortus, XXXVIII. ab Augusto apud Nicæam consensu militum Imperator creatus est, mansitque in eo annis XI. qui cùm Christianus integra Fide Sacramentum militiæ gereret, & sub Juliano Augusto Tribunus scutariorum, jussus ab Imperatore sacrilego aut immolare Idolis, aut militia excedere fideliter Deum metuens, sponte discessit. Ita parvâ interjectâ morâ Juliano interfecto, ac mox Joviniano mortuo, qui pro Christi nomine amiserat Tribunatum, retribuente Christo, in locum persecutoris sui accepit Imperium. Fratrem Valentem Constantinopolim in communicationem regni assumsit, qui cùm jam anno tertio Imperii sui cum Valente fratre ageret, Gratianum filium, nec dum bene puberem, hortatu socrus, & uxoris creavit Augustum. Preconium (64) autem, qui tyrannidem invaserat, postea, pluresque satellites ejus occìdit. Tunc apud Constantinopolim grando miræ magnitudinis decidens, nonnullos hominum extinxit. Terræmotus per totum orbem factus, ita turbatum quoque pelagus excussit, ut (*per*) vicinas terrarum campestrium partes, refuso mari, plurimæ Insularum urbes concussæ, aliæ circa mare existentes subruptæ (65) periisse referantur. Eodem anno apud Rahatas vera lana de nubibus pluviæ mixta defluit. Valens autem ab Eudoxio Episcopo Arriani dogmatis assertore & baptizatus, & persuasus, in sævissimam hæresim declinavit: sed malignam insectationem diu texit, nec voluntati potestatem admiscuit, quousque ad viventis fratris auctoritate compressus est. Præterea Athanaricus Rex Gothorum Christianos in gente sua crudelissimè persecutus, plurimos Barbarorum ob Fidem interfectos ad coronam martyrii sublimavit. Valentinianus Saxones, gentem in Oceani litoribus, & paludibus inviis sitam, virtute & agilitate terribiliter oppressit: similiter Burgundiones. Anno autem XI. Imperii sui, Valentinianus, cùm Sarmatæ se per Pannonias diffudissent, easque vastarent, bellum in eos parans, apud Brigionem (66) oppidum, subita effusione sanguinis (quod Græcè apoplexis vocatur) suffocatus, & mortuus est. Fuit autem Imperator egregius, solers ingenio, animo gravis, nobilis moribus, sermone luculentissimus, quamquam esset ad loquendum parcus, severus, vehemens, infestus vitiis, maximèque avaritiæ; severitatem tamen nimiam, & parcitatem, quidam crudelitatem, & avaritiam interpretantur. Post quem Gratianus filius ejus Occidentis Imperium tenuit, Valente patruo in Orientis Imperio constituto. Valentinianum etiam fratrem suum, parvum admodum, socium creavit Imperii. Apollinaris Laodicenus Episcopus multimoda nostræ Religionis scripta composuit, qui postea à Fide devians, hæresim sui nominis instituit. Constantinopolim Apostolorum & Martyrum Ecclesia dedicatur. Post Auxentii feram mortem, Ambrosius ex Pagano Judice, subitò apud Mediolanum, Divino nutu, Episcopus à cunctis electus, moxque Catholico baptismate tinctus, Præsul est ordinatus: quo Episcopo constituto omnis ad Fidem rectam Italia convertitur.

Anno Dominicæ Incarnationis CCCLXXVI. & anno ab Urbe condita MCXXVIII. Valens cum Gratiano, & Valentiniano, Valentiniani fratris sui filio XXXIX. loco ab Augusto, Imperium quatuor tenuit annis. Valens igitur impietatem, quam dudum meditatus fuerat, operibus explens, lege data, ut Monachi (hoc est illi Christiani, qui dimissa sæcularium rerum multimoda actione, ad unum Fidei opus se redigunt) ad militiam cogerentur, nolentes, per Tribunos & milites fustibus jussit interfici. Quorum innumera multitudo per vastas tunc Ægypti solitudines effusa, martyrii consecuti sunt palmam, ac per singulas ubique provincias, adversùs Catholicas Ecclesias, & rectæ Fidei populos diversa sunt illata incommoda. Interea Firminus se se, excitatis Maurorum gentibus, Regem constituens, Africam, Mauritaniamque vastavit. Contra quem Theodosius Theodosii, qui post in Imperio fuit, pater, à Valentiniano missus, effusas Maurorum gentes multis prœliis fregit, ipsum Firminum afflictum & oppressum ad mortem coëgit; qui postquam expertissimâ providentiâ Africam composuisset, stimulante invidia, jussus à Valente interfici, apud Carthaginem baptizari in remissionem peccatorum præoptavit: ac postquam Sacramentum Christi consecutus est, persecutori ultro jugulum præbens, gloriosa morte occubuit. Ea tempestate gens Hunnorum diu in excelsis seclusa montibus, repentina rabie percita exarsit in Gothos, eosque sparsim conturbatos ab antiquis sedibus expulit. Gothi transito Danubio fugientes, à Valente sinè armorum depositione, ac sinè ulla fœderis pactione suscepti sunt. Deinde propter intolerabilem avaritiam Maximi Ducis, fame & esurie adacti, in arma surgentes, victo Valentis exercitu, per Thraciam se se miscentes, simul omnia cædibus, incendiis, rapinisque fœdarunt. Quibus cognitis Valens Antiochia egressus, cùm adversùs Gothos exercitum pararet, & ultima infelicis belli sorte traheretur, sera peccati pœnitentia ductus, Episcopos, cæterosque Sanctos revocari de exilio imperavit. Denique lacrymabili cum Gothis bello commisso, primo statim impetu Gothorum per-

tur-

(63) *Sive* Ursicinus.
(64) *Orosius legit*: Procopium.
(65) *Orosius legit*: subrutæ.
(66) *In Orosio* Brigitionem.

turbatæ Romanorum equitum turmæ nuda peditum deseruere præsidia: mox legiones peditum undique equitatu hostium cinctæ ac primùm nubibus sagittarum obrutæ, deinde cùm amentes metu sparsim per devia cogerentur, funditus cæsæ gladiis contisque insequentium periere. Ipse Imperator cùm sagitta saucius, versusque in fugam ægrè in cujusdam villulæ casa deportatus jaceret, ab insequentibus hostibus deprehensus subjecto igne consumptus est. Hic denique petentibus Gothis, ut eis Episcopos mitteret, à quibus regulam Christianæ Fidei susciperent, Valens Doctores ad eos Arriani dogmatis miserat: Gothi siquidem primæ Fidei rudimenta, quæ accepere, tenuerunt. Justo itaque Dei judicio ab illis igne crematus est, quos ipse perfidiæ suæ accenderat igne.

Anni Domini CCCLXXX. & ab Urbe condita MCXXXII. Gratianus cum fratre Valentiniano XL. ab Augusto, post mortem Valentis, sex annis Imperium tenuit, quamvis jamdudum antea cum patruo Valente, & cum Valentiniano fratre regnaret. Gratianus itaque admodum juvenis, cùm inæstimabilem multitudinem hostium Romanis infusam finibus cerneret, fretus Christi potentia, longè impari militum numero se se ostendit; & continuò apud Argentariam oppidum Galliarum formidolosissimum bellum incredibili felicitate confecit, nam plusquam triginta millia Alamannorum, nimio Romanorum detrimento in eo prœlio interfecta narrantur. Hoc itaque Deus suæ rectæ Fidei cultori contribuit, cùm usque ad id tempus Italia Arrianæ fidei morbo langueret. Hoc itaque tempore post Auxentii feram mortem cùm Ambrosius Mediolanensis Episcopus pro Fide Catholica libros Gratiano Imperatori porrexisset, ac veneratione, qua debuerat, susceptus esset, universam statim ad rectā Fidem Italiam reparavit. Eo tempore in Gallia Turronis multis beatissimus Martinus radiabat virtutibus. Totoque orbi doctrinis & scientia clarus apud Bethleem civitatem Palæstinæ situs pollebat Hieronymus. Mediolani verò Beatus Ambrosius Episcopus. Pictavis quoque Beatus Hilarius. Hyppone autem Beatus Augustinus Episcopus. Constantinopoli verò Beatus Joannes Chrysostomus: quorum præclaris opusculis hodie usque Ecclesia floret. Romæ etiam Paulus Orosius disertissimus temporum scriptor. Porrò Gratianus cùm afflictum ac penè collapsum, adversantibus Gothis, Reipublicæ statum videret, eadem provisione, qua Nerva quondam legerat Trajanum virum Hispanum, per quem Respublica reparata est, legit & ipse Theodosium æquè Hispanum virum, & restituendæ Reipublicæ necessitate, faventibus cunctis, apud Sirmium purpura induit, ætatis annum trigesimum agentem, Orientisque, & Thraciæ simul præfecit Imperio. Itaque Theodosius afflictam Rempublicam ira Dei reparandam credidit misericordia Dei, omnem fiduciam sui ad opem Christi conferens, maximas illas Scythicas gentes formidatas cunctis majoribus, Alexandro quoque, sicut Pompejus Corneliusque testimonio sunt, evitatas; nunc autem extincto Romano exercitu, Romanis equis armisque instructissimis, hoc est Alanos, Hunnos, & Gothos incunctanter aggressus, magnis multisque prœliis vicit, urbem Constantinopolim victor intravit; & ne parvam ipsam Romani exercitus manum assiduè bellando deterreret, fœdus cum Athanarico Rege Gothorum conjunxit. Athanaricus autem continuò ut Constantinopolim ad Theodosium mira affectione illum suscipientem vênit, nec mora, superveniente valitudine diem obiit: cujus exequias Imperator ipse præcedens dignæ eum tradidit sepulturæ. At universæ gentes, Rege defuncto, aspicientes virtutem, benignitatemque Theodosii, Romanorum se se Imperio dederunt. In iisdem etiam diebus Parthi, cæteræque Barbaræ nationes Romani priùs nominis inimicæ, ultro Constantinopolim ad Theodosium misêre Legatos, pacemque supplices poposcerunt, ictumque cum eis tunc fœdus est. Cujus concordiam non ferentes Arriani, post quadraginta annos Ecclesias, quas intraverant, reliquerunt. Eodem tempore sexta Synodus centum quinquaginta Patrum congregatur in urbe Augusta, sub Damaso Romæ Episcopo contra Macedonium Theodosium, quando Nestorius eidem urbi ordinaretur Episcopus. Interea verò Theodosius in Oriente subactis Barbarorum gentibus .... necnon & Daciam ab hostibus reddidisset, & secum (*Arcadium*) filium suum consortem fecisset Imperii; Maximus, vir quidem strenuus & probus, Augusto dignus, nisi contra sacramentorum fidem per tyrranidem emersisset, in Britannia invitus propemodum ab exercitu Imperator creatus in Galliam transiit, ubi Gratianum Augustum subita incursione perterritum, atque in Italiam transire meditantem, dolis circumventum apud Lugdunum interficit, anno ætatis XXIX. fratremque ejus Valentinianum Augustum Italia expulit, qui tamen justissimè cum matre sua Justina pœnam luit exilii, quæ & ipsum Arriana polluit hæresi, & eminentissimam Fidei Catholicæ arcem Ambrosium Archiepiscopum, perfida obsidione vexavit; nec priusquam prolatis Beatorum Gervasii & Protasii Martyrum, Deo revelante, reliquiis incorruptis, nefanda cœpta deseruit. Valentinianus in Orientem refugiens, à Theodosio paterna pietate susceptus, mox etiam in Imperio restitutus est. Fuit autem Gratianus literis haud mediocriter instructus, carmen facere, ornatè loqui, explicare controversias Rhetorum more, die noctuque Divinitati deditus, parcus cibi somnique, ac libidinis victor, cunctisque esset plenus bonis, si ad utilitatem Reipublicæ diligenti cura (prout quemque decet probum Imperatorem) animum intulisset; à qua prope alienus non modò voluntate, sed etiam exercitio fuit.

At verò Romæ Damaso Papa defuncto, Siricius natione Romanus, ex patre Tiburtio, post hunc Cathedram in ejus loco suscepit Episcopalem, seditque annis XV. Hic constituit ut Monachi fierent Clerici utilitatis causa, vel necessitatis: & ut nullus Presbyter Missas celebraret, nisi in sacratis ab Episcopo locis. Et hic dormivit cum patribus suis, & sepultus est ad Sanctum Petrum.

(*Anno Domini CCCLXXXVI.*) & ab Urbe condita MCXXXVIII. Theodosius, patre Theodosio genitus, matre Termantia XLI. Imperator, interfecto per Maximum Gratiano, Imperium Romani orbis solus obtinuit, mansitque in eo annis XI. cùm jam in Orientis partibus sex annis, Gratiano vivente, regnasset. Itaque justis necessariisque causis ad bellum civile permotus, cùm è duobus Au-

Augustis fratribus, unius interfecti ultionem, alterius restitutionem procuraret, se se adversùs Maximum tyrannum, sola fide major, nam longè minor universi apparatus bellici comparatione, prorupit. Aquileję tunc Maximus victoriæ suæ spectator insederat; Andagratius comes ejus summam belli administrabat, qui cùm largissimis militum copiis, astuto consilio, omnes alpium ac fluminum aditus communisset, dum navali expeditione in quantum (*poterat*) hostem prævenire, & obruere parat, sponte eadem, quæ obstruxerat, claustra deseruit. Ita Theodosius, nemine sentiente, vacuas alpes intravit, atque Aquilejam improvisus adveniens, hostem illum magnum, ac maximum, trucem, & ab immanissimis quoque Germanorum gentibus tributa, ac stipendia solo terrore nominis exigentem, sinè controversia clausit, cepit, occidit. Hanc Maximi perditionem Beatus Martinus ante prædixit, quoniam ipse Maximus Britanniam omni penè armata juventute copiisque militaribus spoliaverat, qui tyrannidis ejus vestigia secuti in Gallias, nunquam ultra domum rediere. Videntes transmarinæ gentes sævissimæ Scotorum à Circio, Pictorum ab Aquilone, destitutam milite, ac defensore Insulam, veniunt, & vastatam direptamque eam multos per annos opprimunt. Valentinianus recepto Italiæ Imperio potitus est. Andragatius comes cognita Maximi morte, præcipitem se se è navi in undas dedit, ac suffocatus est. Theodosius incruentam victoriam Deo procurante suscepit. Igitur Valentinianus junior restitutus in Galliam transiit. Mox quoque Victorem Maximi filium, quem Imperatorem pater Gallis reliquerat, occidit. Ipse verò Valentinianus cùm in Gallia tranquillam Rempublicam in pace ageret, apud Viennam dolo Arbogastis Comitis sui strangulatus, atque, ut voluntariam sibi consciville mortem putaretur, laqueo suspensus est. Mortuo Valentiniano Augusto, Arbogastes Eugenium tyrannum mox creare ausus est; legitque hominem, cui titulum Imperatoris imponeret, ipse acturus Imperium. Vir barbarus, animo, consilio, manu, audacia, potentiaque nimius, contraxit undique innumeras, invitasque copias, vel Romanorum præsidiis, vel auxiliis Barbarorum, aliis potestate, aliis cognationibus admixtus, denique extabat genere Francus, sed excultor sordidissimus Idolorum. Eugenius igitur atque Arbogastes instructas acies campis expedierant: arcta alpium latera, atque inevitabiles transitus munierant. At verò Theodosius, præmissis suis ab Arbogaste omnibus interfectis, ipse alpibus constitutus à somno expergiscitur, sciens quòd destitutus suis, nesciens quòd clausus alienis, Dominum Christum solus solum, qui posset omnia, corpore humi fusus, mente Cœlo fixus orabat. Dehinc postquam insomnem noctem precum continuatione exegit, & testes propemodum, quas in pretiū præsidii cœlestis appenderat, lacrymarum lacunas reliquit, fiducialiter arma corripuit solus, sciens se non solum prœlio dedit, ac se in bellum, etiam si nemo sequeretur, victor futurus immisit. Prima salutis via extitit Arbitio hostilium partium Comes, qui cùm ignarum Imperatorem circumpositis excepisset insidiis, conversus ad reverentiam præsentis Augusti, non solùm periculo liberavit eum, verùm etiam instruxit auxilio. At ubi ad contigua miscendæ pugnæ spatia perventum est, continuò magnus ille & ineffabilis turbo ventorum in ora hostium ruit; ferebantur per aëra spicula missa nostrorum, atque ultra mensuram humani jactus, per manum in aëra deportata, nusquam propemodum cadere, priùs quàm hostes infligerent, sinebantur. Porrò autem turbo continuus ora pectoraque hostium nunc illis graviter secutis everberabat, nunc impressis pertinaciter obstructa claudebat, nunc avulsis violenter destituta nudabat, nunc oppositis jugiter in terga trudebat. Tela etiam, quæ ipsi vehementer intorserant, excepta venti impetu, ac retrorsum coacta, ipsos infeliciter configebant. Prospexit sibi humanæ conscientiæ pavor; nam continuò parva suorum manu fusa, Victori Theodosio hostilis se prostravit exercitus. Eugenius captus atque interfectus est. Arbogastes sua se manu perculit, ita & hîc duorum sanguine bellum civile restinctum est, absque decem millibus Gothorum, quos præmissos à Theodosio Arbogastes delesse funditus fertur, quos utique perdidisse lucrum, & vinci vincere fuit: ad cujus laudem ob insignem victoriam, Poëta quidam insignis, sed infidelis inter cætera his versiculis cecinit:

O nimium dilecte Deo, tibi militat Æther
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Fuit autem Theodosius propagator Reipublicæ, atque defensor eximius, moribus, & corpore eminenti, Trajano similis, à quo & originem traxit, clemens animo, misericors, communis omnibus, solo habitu differri se à cæteris putans, in omnes homines honorificus, verùm effusus in bonos, simplicia ingenia diligere, erudita mirari, sed innoxia, largiri magno & diligenti animo magna, amare cives, vel privatos contubernio, eosque honoribus, pecunia, beneficiisque cæteris munerari, præsertim quorum erga se, vel patrem aspero casu officia comprobasset. Violentiam, & cupiditatem detestatus est. Bella non movit, sed invênit. Ministeria lasciva, saltariasque commessationes lege prohibuit. Consobrinarum nuptias, tanquam sororum interdixit, literis mediocriter doctus, sagax, multùm diligens ad noscenda gesta majorum. Execrabatur, cùm legisset gesta dominantium, superba præcipuè, perfidos & ingratos. Irasci sanè rebus indignis, sed subitò flecti, unde quoque dilatione modica emolliebatur. Interdum severa præcepta habuit à naturæ munere magis, quàm à Philosophiæ Doctore, qui cùm vidisset eum facilè commoveri, ne asperum aliquid statueret, monuit, ut cùm irasci cœpisset, viginti quatuor Græcas literas memoriter recenseret, ut illa concitatio, quæ momenti est, mente aliò traducta, parvi temporis spatio interjecto languesceret; mirum haud dubiè, & quod est raræ virtutis! post auctam jam armis potentiam regalem, auri, argentique pondera sublata à tyrannis multis ex suo restituit. Inerat ei cura pietatis eximiæ, ut quisquis coleret patruum, tanquam genitorem, fratris mortui, sororisque liberos habere pro suis, cognatos, affines, parentesque animo complecti: & ut blandus pater, concors esset maritus, elegans, lætusque convivium dare, nec tamen nimis sumptuosè, miscere grata colloquia pro personis, atque dignitatibus, sermones cum gravitate jucundos, exercebatur; neque ad illecebram, neque ad

A ad lassitudinem deambulabat, cùm esset animus reficiendi; regebat valetudinem continentia vescendi, & quanta in eo apud homines mansuetudo, qualisque apud Deum devotio extiterit, hoc monstratur exemplo; Nam cùm apud Mediolanum Missarum fruiturus solemniis voluisset intrare Ecclesiam, Beatum Ambrosium pro quodam facinore introitum sibi prohibentem nisi publicè pœniteret, humiliter tulit, & satisfactionem non erubescens, indictum ab Episcopo modum excepit. Huic sociata in conjugio Flaccilla fuit, ex qua Arcadium & Honorium genuit. Qua defuncta Gallam Valentiniani quoque junioris sororem in matrimonio duxit, quæ ei Placidiam genuit, B cui postea de matris nomine, Gallæ cognomentum accessit. Ita quinquagesimum Theodosius agens ætatis suæ annum, in pace apud Mediolanum rebus excessit humanis, anno undecimo ejus Imperii, utramque Rempublicam compositam, ac tranquillatam utrisque filiis Arcadio, & Honorio relinquens. Corpus ejus eodem anno Constantinopolim translatum, ac sepultum est.

His verò temporibus Siricio Papa decedente, Anastasius natione Romanus ex patre Maximo ei in Pontificatu successit, seditque annis tribus, mensibus decem. Hic constituit, ut quotiescumque in Ecclesia Evangelia recitantur, Sacerdotes non sederent, sed circumstarent: C constituit etiam peregrinum, aut transmarinum Clericum, nulla ratione in Clericatu suscipi, nisi proprii Episcopi chirographum designaret. Qui etiam sepultus est in Cœmeterio Beati Petri. Hieronymus sacræ interpres historiæ apud Bethleem librum, quem de illustribus viris scripsit, usque ad quartum decimum Imperii Theodosii annum perduxit.

Anni Domini CCCXCVII. & anno ab Urbe condita MCXLIX. Arcadius Augustus in Oriente, & Honorius frater ejus in Occidente quadragesimo secundo loco, commune Imperium, divisis tantùm sedibus tenere cœperunt, cùm hactenus sub uno Imperatore D commune fuerit Imperium : quorum pater curam viris potentissimis mandarat habere, idest, Rufino I. Constantinopolitanæ Orientalis aulæ, Stiliconi I. Romani Occidentalis Imperii, eo quòd filii ejus parvuli erant, nec dum Imperium regere noverant. Vixitque Arcadius post patris excessum annis duodecim, Imperiique summam Theodosio filio parvo admodum moriens reliquit. Eo tempore Corpora Sanctorum Abacuc, & Michææ Prophetarum, divina revelatione produntur. Quo tempore Pelagius Britto Dei Ecclesiam impugnat.

His quoque diebus, Anastasio Papa diem obeunte, Innocentius natione Albanensis ex E patre Innocentio ei substituitur, seditque annis quindecim, mensibus duobus. Hic multos Cathaphrygas invênit, quos omnes exilio damnavit, damnavit quoque Pelagium, & Cœlestinum hæreticos. Et constituit, ut quicumque natus fuerit de Christiana, etiam prægnante, denuo nascatur per baptismum, quod Pelagius damnabat. Hic Innocentius inter Missarum solemnia pacem dari præcepit, & Sabbatho jejunandum. Interea Gildo Comes Africæ, cognita Theodosii morte, arbitratus minimam in parvulis spem fore, Africam sibi ausus est usurpare. Hujus frater Mascelzer germani perfidiam perhorrescens, relictis apud Africam in militia duobus filiis adolescentibus, Italiam rediit. Gildo & absentiam fratris, & præsentiam filiorum suspectam habens, adolescentes dolo circumventos occîdit. Ad hunc jam ut hostem bello insequendum Mascelzer frater ejus missus est. Mascelzer jam à Theodosio sciens quantum in rebus desperatissimis oratio hominis per Fidem Christi à clementia Dei impetrasset, Caprariam Insulam adiit, inde secum Sanctos Viros adducens, cum quibus orationibus ac jejuniis dies aliquot continuavit & noctes. Ante triduum autem cùm hostis contiguus fieret, cernit in somnis Beatum Ambrosium paulò ante defunctum, quò vel quando victoriam caperet, diem sibi indicantem & locum. A tertio demum die post noctem orationibus hymnisque pervigilem, cum quinque solummodo millibus adversùs octoginta millia hostium pergens, Dei nutu, sinè bello eos in deditionem accepit. Barbari quoque, quorum magnam multitudinem Gildo deduxerat, in diversa fugerunt; Gildo & ipse fugam arripiens, ascensa navi cùm in Africam rediisset, post aliquot dies strangulatus interiit. Sanè idem Mascelzer rerum sæcularium insolentia tumens, posthabito Sanctorum consortio, qui antea Deo militans vicerat, postea etiam Ecclesiam temerare ausus est, atque ex ea quosdam non dubitavit extrahere : Secuta est pœna sacrilegum, nam post aliquantum temporis & ipse punitus est. Interea & ipse Rufinus, cui Orientalis aulæ à Theodosio cura commissa est, malo perfidiæ depravatus, cùm Barbarorum solatiis Regnum tentaret invadere, morte justissima pœnas luit. Quo tempore omnium antiquorum, præsentiumque hostium longè immanissimus Rhadagaisus Rex Gothorum invasit Italiam. Hic supra incredibilem multitudinem, quam secum duxerat, indomitamque virtutem, Paganus erat, & Scytha, qui (ut mos est Barbaris hujusmodi gentibus) omnem Romani generis sanguinem Diis suis propinare devoverat; qui non tantum gloriam, aut prædam, quantum inexaturabili crudelitate ipsam cædem amaret in cæde. Hoc igitur Romanis arcibus imminente, invadit illico Romam pavor infinitus; fit omnium paganorum in Urbe concursus; acclamatur à cunctis se ideo perpeti, quòd neglecta fuerant Sacra Deorum. Magnis querelis ubique agitur, & continuò de repetendis sacris, celebrandisque tractatur. Fervent tota urbe blasphemiæ, vulgò nomen Christi, tanquam lues aliqua præsentium temporum probris ingravabatur; sed non finit Deus rem potentiæ suæ, virtute hostium, maximè infidelium, superari. Conducuntur itaque à Romanis Huldin, & Sarus Hunnorum, & Gothorum Duces : ii adsunt in præsidio Romanorum. Conterritus quippe divinitus Rhadagaisus, ejusque totus exercitus in aspero Fesulani montis jugo, urgente undique timore, concluditur, qui cùm fame, ac siti atque languore deficerent, Rex Rhadagaisus solus spem fugæ sumens, captus à Romanis vita privatur. Tanta verò multitudo captivorum Gothorum fuisse fertur, ut vilissimarum pecudum modo, singulis aureis passim greges hominum venderentur. Interea Alaricus Italiam cum Gothis ingressus est; at verò Stilico Occidentalis tutor Imperii, immemor collatorum be-

beneficiorum, immemor etiam affinitatis, (nam socer extabat Honorii) regnum Eucherio filio affectans, ingentia Reipublicæ intulit mala; nam Alaricum, cunctamque Gothorum gentem pro pace optima, & quibuscumque sedibus, suppliciter orantem, occulto defendere fovens (67), publicè autem & belli, & pacis copiâ negatâ, ad terendam Rempublicam reservavit. Quos cùm delere posset, fovit, sæpe eos vicit, sæpe conclusit, semperque dimisit. Cùmque ab Honorio sedes, quò cum suo exercitu consistere posset, expeteret, Honorius deliberato consilio ei Gallias concessit; qui cùm ad Gallias pergens, ob recuperationem jumentorum apud Polentiam resedisset, Stilico Comes in perniciem Reipublicæ Gothos pertentans, dum eos insidiis aggredi cuperet, belli summam Sauli Pagano Duci commisit, qui ipso sacratissimo die Paschæ, Gothis nil tale suspicantibus, super eos irruit, magnamque eorum partem prostravit. Gothi videntes irruptionem à Romanis fieri, primùm perturbati, ac propter Paschæ religionem cedentes, demum arma corripiunt, more solito coarctantur, victoremque virtute potiori prosternunt exercitum. Hinc in rabiem furoris accensi, Romam contendunt petere, cuncta, per quæ ierant, igne, ferroque vastantes; nec mora, venientes Urbem capiunt, devastant, incendunt. Dato tamen priùs præcepto ab Alarico, ut si quis in loca sancta, præcipuèque Petri, & Pauli Sanctorum Apostolorum Basilicas confugisset, hos in primis inviolatos, securosque esse sinerent, deinde in quantum possent prædæ inhiantes à sanguine temperarent. Capta itaque Roma est anno millesimo centesimo sexagesimoquarto conditionis suæ. Accidit quoque, quòd (*ut*) magis illa Urbis irruptio indignatione Dei acta, quàm hostis fortitudine probaretur, Beatus Innocentius Romanæ Ecclesiæ Episcopus, occultâ providentiâ Dei apud Ravennam tunc positus, peccatoris populi excidium non videret, ubi dum moraretur, dedicavit Basilicam Prothasii & Gervasii Martyrum ex devotione cujusdam illustris fœminæ Vestinæ. Tertia die Barbari quàm ingressi Urbem fuerant, sponte discedunt, facto quidem aliquantarum ædium incendio, sed ne tantum quidem, quantum octingentesimo decimo septimo conditionis ejus anno Cæsar (*) effecerat. Deinde per Campaniam, Brutiam, Lucaniamque simili strage bacchantes, Rhegium pervenere. Post paucos itaque dies Alaricus apud Cosentiam, quam ipse destruxerat, subita morte defunctus est. Gothi Barsentium amnem de alveo suo captivorum labore derivantes, corpus Alarici in medio ejus alveo sepeliunt, amnemque proprio meatui reddentes, ne quis locum scire posset, captivos, qui interfuerant, extinguunt. Regem deinceps Athaulphum Alarici affinem Gothi constituentes Romam redeunt, (*ut*), si quid residuum fuit, locustarum more eraderent, auferentes exinde Gallam Placidiam Theodosii Principis filiam, sororem Honorii, quam sibi Athaulphus apud Forum-Cornelii conjugio sociavit, quæ post Reipublicæ multo commodo fuit; nam mariti animum acerrimi ingenii, subtilibus blandimẽtis ad hoc inflexit, ut ultro (*à*) Romanis pacem expeteret: qui cùm ad Gallias proficisceretur, non multo post apud Barcinonem fraude suorum occisus est. Post quem Gensericus regnum capiens, dum pacem Romanis servare disponit, & ipse à suis peremtus est; deinde Walia regni jura suscepit, ad hoc electus à Gothis, ut pacem infringeret, ad hoc à Deo ordinatus, ut confirmaret. Præterea Comes Stilico Wandalorum perfidæ ac dolosæ gentis genere editus, parvipendens quòd sub adolescente Imperatore imperabat, Eucherium filium ejus (ut dictum est) jam Christianorum persecutionem à puero privatoque meditantem, ut in Imperio quoquo modo substitueret, ante biennium Romanæ irruptionis sollicitavit Alanos, Suevos, Wandalos, atque Burgundiones venire contra Romanos, ut sub hac necessitatis circumstantia extorquere Imperium à genero posset in filium. Tandem ubi Imperatori Honorio, & exercitui Romano hæc tam ingentia damna patefacta sunt, commoto justissimè exercitu, occisus est Stilico, occisus est & filius ejus.

Interea Innocentio rebus humanis exemto, Zosimus, natione Græcus, ex patre Abrahamo, ei Papa substituitur; sedit anno uno, mensibus octo. Hic Sabbato Sancto cereum in omnibus Titulis benedici præcepit; & ut nullus Clericus poculum in publico propinaret, nisi tantùm in cellis Fidelium, maximè Clericorum. Qui etiam sepultus est via Tiburtina, juxta corpus Beati Laurentii Martyris.

Huic autem successit in Episcopatu Bonifacius, natione Romanus, ex patre Jocundo Presbytero, seditque annis tribus mensibus septem. Hic sub contentione cum Eulalio ordinatur uno die: Eulalius quippe ordinatur in Basilica Constantiniana; Bonifacius autem in Basilica Julii, & fuit magna dissensio in Clero. Audiens hoc Placidia Augusta cum filio suo Valentiniano, dum sederet Ravennæ, retulit hoc Honorio Augusto Mediolani sedenti. Tunc ambo Augusti missa auctoritate præceperunt, ut ambo exirent de civitate. Qui cùm pulsi exirent, tandem utrique Augusti miserunt, & revocaverunt Bonifacium in urbe Roma, & constituerunt Episcopum. Bonifacius autem Præsul Romanus constituit, ut nulla mulier, aut Monacha vasa sacrata, vel pallam Altaris contingeret, nec in Ecclesia incensum poneret, nec servum Clericum fieri, nec obnoxium Curiæ, vel cujuslibet rei. Hic fecit Oratorium in Cœmeterio Sanctæ Fœlicitatis, & ornavit sepulchrum ejus, & Sancti Sylvani. Præter hæc apud Britannias Gratianus Tyrannus mox creatus occiditur. Hujus in loco Constantinus ex infinita militia propter solam spem nominis sui, sinè merito virtutis eligitur; qui ad Gallias transiens, sæpe à Barbaris incerto fœdere illusus detrimento Reipublicæ magis, quàm augmento fuit. Tunc duo juvenes locupletes Didimus, & Verinianus, assumtis propriis servulis, ac vernaculis, se se, patriamque à Barbaris, & Tyranno defensare moliti sunt: adversùs hos Constantinus Constantem filium ex Monacho Cæsarem factum cum quibusdam fœderatis Barbaris Hispaniam misit. Constans Barbarorum fultus auxilio, eos primo prœlio peremit. Igitur Imperator Honorius dum vires Reipublicæ quotidianis cerneret labefactari incommodis, virum strenuum ac bellicosum Constantium Comitem ad

(67) *Orosius*: occulto fœdere vovens.

(*) *Oros.* septingentesimo conditionis ejus anno casus.

ad Gallias cum exercitu mittit. Is mox ut Gallias ingressus est, Constantinum Tyrannum apud Arelatem extinxit. Constans verò filius ejus à Gerontio suo Comite apud Viennam peremtus est. In cujus locum Gerontius Maximum quemdam substituens, ipse à suis militibus jugulatus est. Maximus exinde purpura exutus, in Hispania exulans obiit. Exinde Jobinus apud Gallias mox ut assurrexit, cecidit. Sebastianus frater ejus continuò creatus occisus est. Tertullus Consul, qui se futurum Principem in Senatu gloriatus est, pari nihilominus exitu periit. Attalus à Gothis Imperator effectus, postmodum captus à Constantino, missusque Honorio, truncata manu vitæ relictus est. Heraclianus quoque cum Sabino genero cum tribus millibus ac septingentis navibus ex Africa Romam tendens, occursu Comitis Marini territus, & in fugam versus, arrepta navi solus Carthaginem rediit, ibique peremtus est. Hos omnes Honorius optima religione superavit, meritò sanè in his diebus præcipiente Honorio, favente Constantio, sopitis apud Africam Hæreticis, pax Catholicis reddita est, in qua fulgentissimus Hypponensis Episcopus, totiusque Magister Ecclesiæ florebat Augustinus. Tunc quoque Lucianus Presbyter, cui revelavit Deus, septimo Honorii Principis anno, locum sepulchri, & Reliquiarum Beati Protomartyris Stephani, ac Gamalielis, ac Nicodemi, qui in Evangelio, & in Act. Apost. (*leguntur*) scripsit ipsam revelationem Græco sermone ad omnium Ecclesiarum personas; quam revelationem Habundius (*) Presbyter, homo Hispanus genere, in Latinum vertit eloquium, & adjectâ Epistolâ suâ per Orosium Presbyterum Occidentalibus dedit. Qui etiam Orosius ad Loca Sancta perveniens, quò eum Augustinus ad Hieronymum pro discenda ab eo ratione animæ miserat, Reliquias Beati Stephani accepit, & reversus est. Interea Walia Gothorum Rex, Dei judicio territus, Placidiam apud se honestè habitam, exigente Constantio, fratri Honorio reddidit, pacemque cum eo, datis lectissimis obsidibus, pepigit. Wandali quoque, Alani, atque Suevi pacem cum eo pepigerunt. Eo tempore Britanni, Scotorum, Pictorumque infestationem non ferentes, Romam ob hostium (68) mittunt, & sui subjectione promissa, contra hostes auxilia flagitant; quibus statim missa ab ea Legio, magnam Barbarorum multitudinem sternit. Cæteros Britanniæ finibus pellit, ad domum reversura præcepit, ob arcendos hostes, murum trans Insulam inter duo maria statuere: qui absque artifice magistro, magis cespite, quàm lapide factus, nihil operantibus profuit; nam mox ut discessere Romani, adductus navibus prior hostis, quasi maturam segetem obvia sibi quæque cædit, calcat, devorat. Iterum petito auxilio, Romani advolant, & cæsum hostem trans maria fugant, conjunctisque sibi Britannis, murum non terra (ut antea) pulvereum, sed saxo solidum, inter civitates, quæ ibidem ob metum hostium fuerant factæ, à mari usque ad mare collocant. Sed in litore meridiano maris, quia & inde hostis timebatur, turres per intervalla ad prospectum maris statuunt; sic valedicunt sociis, tanquam ultra non reversuri. His ita sopitis, Honorius Gallam Placidiam sororem suam Constantio Comiti fide integerrimo, & ingenti viro in matrimonium sociavit, ex qua Constantius Valentinianum filium habuit. Cernens itaque Honorius Constantii virtutem & ingenium, eum in regni consortium ascivit, qui nec dum septem mensibus evolutis, ex hac luce subtractus est. His diebus apud Bethleem Palæstinæ Hieronymus, expletis nonagintauno annis, vita migravit ad Christum. Honorius verò postquam cum minore (de quo præmissum est) Theodosio Arcadii germani sui filio, annis quindecim imperasset, cùm jam antea cum fratre annis tresdecim, ac sub patre ubique regnasset, Rempublicam, cui præerat, pacatam relinquens, apud urbem Romam vita exceptus est. Fuit Honorius moribus, & religione patri Theodosio non valde absimilis.

Bonifacio autem Papa vita decedente, Cœlestinus, natione Romanus, ex patre Prisco, huic in Pontificatu successit, seditque annis octo, mense uno. Hic constituit, ut Psalmi David CL. antiphonatim cantarentur ante Canonem, quod antea non fiebat, sed tantùm Epistolæ Beati Pauli, & Evangelia legebantur. Et hic sepultus est in Cœmeterio Priscillæ viâ Salariâ.

Anno Dominicæ Incarnationis CCCCXXIV. & anno ab Urbe condita MCLXXXVII. Theodosius minor Arcadii filius, quadragesimo tertio loco ab Augusto, Orientale regebat Imperium. Qui comperto patrui Honorii funere, Valentinianum filium amitæ suæ Placidiæ Cæsarem effectum, cum matre sua ad regendum Occidentis dirigit Imperium. Valentinianus igitur, consensu totius Italiæ Imperator efficitur, cujus mater Augusta nuncupatur; qui mira felicitate regni gubernacula apud Ravennam obripiunt, cunctos rebellione depopulantes. Interea effera gens Wandalorum, Alamannorum, & Gothorum cùm Gelserico suo Rege ab Hispanis ad Africam transiens, cunctamque ferro, flamma, ac rapinis simul crudelissimè devastans, Catholicam insuper Fidem Arriana impietate fœdavit, nonnullos etiam propter hoc in exilium Episcopos relegavit. Sub hoc turbine Beatus Augustinus Hypponensis Episcopus, & omnium Doctor eximius Literarum, ne civitatis suæ ruinam videret, tertio ejus obsidionis mense, migravit ad Dominum V. Kalend. Septembris, cùm vixisset annos LXXVII. cùm in Clericatu, vel in Episcopatu annos ferè XL. complesset. Sequenti verò anno Wandali, capta Carthagine, Siciliam quoque delerunt: cujus captivitatis Paschasius Lilybitanus Antistes, in Epistola, quam de ratione Paschali Papæ Leoni scripsit, meminit. Ad Scotos in Christum credentes ordinatus à Papa Cœlestino Palladius primus Episcopus mittitur, anno Theodosii octavo. Per idem tempus Britanni, de quibus præmissum est, cùm rursus Scotorum, & Pictorum incursibus premerentur, irrupto muro, cæsis, captis, fugatisque ab eis muri custodibus, mittunt ad Romanæ potestatis virum Etium Consulem, vigesimo tertio Theodosii Principis anno, petentes auxilium, nec impetrant. Quibus dum Etius minimè annuisset, eo quòd contra viciniores hostes occupatus existeret, quidam Britannorum strenuè

(*) *Beda*: Avitus.

(68) *fortè adjiciendum* pavorem.

nuè resistentes, hostes abigunt, quidam verò coacti, hostibus subjiciuntur, denique subactam Picti extremam Insulæ partem, eam sibi habitationem fecere, nec ultra exinde hactenus valuerunt expelli. At verò residui Britannorum dum Scotorum impetus continuè formidarent, ultra jam de Romanorum præsidio diffidentes, Anglorum gente cum Rege suo Vertigerno ad defensionem suæ patriæ invitavere, quos amicali societate exceptos versa in contrarium vice, hostes pro adjutoribus impugnatoresque sensere. At verò Theodosius, dum absque viginti & uno superioribus annis, quibus cum Honorio patruo regnaverat, septem & viginti annis Imperium gessisset, ex quibus cum Valentiniano XXV. transegit, apud Constantinopolim morbo consumptus obiit. Cujus Imperii tempore tertia Synodus in Epheso congregata est CC. Patrum contra Nestorium Augustæ urbis Episcopum, præsidente Romæ Papa Cœlestino. Eudoxia Theodosii Principis uxor ab Hierosolymis remeavit, Beatissimi Stephani primi Martyris reliquias, quæ ostensæ sunt Luciano Presbytero, secum deferens, quæ in Basilica Sancti Laurentii positæ venerantur. Bleda & Attila fratres, multarumque gentium Reges tunc Illyricum, Thraciamque depopulati sunt.

Defuncto Papa Cœlestino, Xystus natione Romanus ex patre Xysto Episcopali Cathedræ Romæ sublimatus est, seditque annis octo. Hic, congregata Synodo pro crimine sibi illato, coram quadraginta & septem Episcopis canonicè purgatur, & condemnatur Bassus, qui hoc ei apud Augustum crimen intulerat, ita tamen, ut ultimo die viaticum ei non negaretur, propter humanitatem pietatis Ecclesiæ. Qui Bassus cùm defunctus esset, corpus ejus Xystus Episcopus cum aromatibus manibus suis tractans sepelivit. Hic ædificavit Ecclesiam Beatæ Dei Genitricis Mariæ, quæ dicitur ad Præsepe, & hodie Ecclesia major vocatur, in monte juxta macellum Libiæ. Hic & in distribuendas pauperibus eleemosynas studuit, & multas auro argentoque Basilicas decoravit. Qui etiam sepultus est in via Tyburtina in crypta, juxta corpus Beati Laurentii.

Leo natione Tuscus, ex patre Quintiano, huic successit in Episcopatu, seditque annis viginti uno & mense uno. Hic Ecclesiam à Nestoriana & Eutychiana hæresi, sua prædicatione liberavit, & Dioscori superbiam calcavit. Denique misit hic ad Martianum Augustum fidelem Principem Catholicum, ut ejus auctoritate Concilium contra hæreses convocaretur. Hujus itaque auctoritate Principis factum est in civitate Chalcedona Concilium Episcoporum DCCXXX. cum chyrographo Sancti Archiepiscopi Leonis, in qua Fides Ecclesiæ Catholica exposita est, & confirmata: confirmaveruntque fideliter, ac Catholicè in uno Domino Jesu Christo duas naturas, ut unus idemque Christus veraciter Deus & Homo credatur. Tunc damnaverunt Nestorium, & Eutychium nefandissimorum præsulem Manichæorum.

Anno Dominicæ Incarnationis CCCCLI. & anno ab Urbe condita MCCIV. Marcianus quadragesimus quartus in numero Augustorum, defuncto Theodosio, Orientali aulæ præficitur Imperator; cæterùm Valentiniani tempora hujus, vel superioris Imperatoris curri-

A culis adscribuntur. Igitur Valentinianus Occidui rector Imperii, pacis ea tempestate fœdera cum Gelserico Wandalorum Rege firmavit, certisque spatiis Africa inter utrosque divisa est. Interea Rex Hunnorum Attila, dum cum fratre Bleda regnum intra Pannonias, Daciamque gereret, Macedoniam, Misiamque & Achajam, utrasque etiam Thracias, immanissima rabie devastaret, Bledam germanum, Regnique consortem peremit. Fultus itaque fortissimarum gentium, quas sibi subjugaverat, præsidio, ad Occidentale demoliendum animum intendit Imperium. Erant siquidem subjecti ejus dominio Rex ille

B Gepidarum Ardaricus, Gualamir etiam Gothorum Regnator, ipso tunc, cui serviebat, Rege nobilior, fortissimæque nihilominus gentes Marcomanni, Suevi, Quadi, præterea Heruli, Turcilingi, sive Rugi cum propriis Regulis aliæque, præter hos, Barbaræ nationes Aquilonis in finibus commorantes. Cujus angustias, hostiumque præparationes, Etius Romæ Consularis solerti prævidentia agnoscens, Legatos ad Theodericum, qui eo tempore Gothis apud Tholosam regnabat, dirigit, ut cum eo pacis fœdera sociaret. Qui promittit se cum eo pariter contra Attilam pugnaturum. Fuerunt præterea Romanis auxilio Alani, Burgundiones, Franci, Saxones, Ri-

C parioli, Britones, Sarmatæ, Armoricani, Luteciani, & penè totus populus Occidentis. Convenerunt itaque hinc & hinc fortissimæ nationes in campis Catalaunicis, conferuntur acies, fit bellum acre nimis; accensi denique utriusque ardore prœlii nec quievere, donec nox superveniens pugnandi finem daret. Eo siquidem prœlio centum octoginta millia hominum ex utraque parte cæsa referuntur, quamvis neuter exercitus cessisset. Rex ibi Gothorum Theodericus pater Turismundi Regis occubuit. Attila verò Pannonias repedavit, multumque potiorem exercitum coacervans, Italiam furibundus intravit, & primùm Aquilejam civitatem in ipso Italiæ principio

D sitam expugnare aggressus est, quam continuo triennio obsedit, nec prævaluit, resistentibus ei strenuè civibus. Cùm autem die quadam aspiceret Ciconias uno impetu ex urbe migrare, fœtusque suos sublatos rostris per rura forinsecus deportare: *aspicite* (inquit ad suos) *aves futurorum præscias perituram relinquere civitatem*; statim adhibitis machinis, civitatem acriter expugnavit, ac sinè mora cepit. Diripiuntur opes, captivantur, trucidanturque cives, residuum direptionis igni supposito, flamma consumit. Exinde per universas Venetiarum urbes, hoc est, Vincentiam, Veronam, Brixiam, Pergamum, seu reliquas civitates, nullo resistente Hunni bac-

E chabantur. Mediolanum, Ticinumque pari sorte diripiunt, ab igne tamen prohibentes, & ferro. Deinde Æmiliæ civitatibus similiter expoliatis; maximè in eo loco, quo Mincius fluvius in amnem defluit Padi, castrametati sunt: ubi Attila consistens, dum, utrum adiret Romam, an desisteret, animo fluctuaret, non Urbi, cui infestus erat consulens, sed Alarici exemplum pavens, qui capta à se Urbe, non diutius supervixit: dum ergo has animo tempestates revolveret, repentè illi legatio placidissima à Roma advênit; nam per se Vir Sanctissimus Leo Papa ad eum accessit, qui dum ad Regem Barbarorum ingressus esset,

esset, cuncta, quæ optaverat, obtinens, non solùm Romæ, sed totius Italiæ salutem deportavit. Territus namque, Dei nutu, Attila fuerat, nec aliud Christi Sacerdoti loqui valuit, nisi quod ipse præoptabat. Fertur itaque, post discessum Pontificis cùm interrogatus esset Attila à suis, cur ultra solitum morem tantam reverentiam Romano Papæ exhibuerit, quandoquidem penè ad omnia, quæ ille imperasset, obtemperaret? Quibus ille respondit: *non illi hanc exhibui reverentiam, sed alium juxta illum vidi stantem, forma præcelsum, canitie venerandum, in habitu Sacerdotis, magis fulgentem in manu evaginatum tenentem gladium, mihique mortem promittentem, atque dicentem*: „ nisi huic Sacerdoti „ concesseris omnem voluntatem, mox meo „ gladio interibis „. Igitur Attila tali modo à sua sævitia repressus, relictâ Italiâ, Pannonias repetit, ibique effusione sanguinis, qui ei de naribus effluere solitus erat (quod maximè propter vini crapulam accidit) extinctus est. Dum hæc agerentur, apud Britanniam Pelagianæ hæresis assertores, Britannorum tentabant subvertere fidem; qui à Gallorum Episcopis auxilium petentes, ad rectæ Fidei defensionem Sanctissimum Virum, Germanum nomine, multisque virtutibus clarum Altisiodorensis Ecclesiæ Episcopum accipiunt, & Lupum Trecasium Præsulem, atque Apostolicæ gratiæ virum. Qui non minùs signorum miraculis, quàm doctrinæ verbis, omnes ad rectæ Fidei confessionem deduxerunt. Ecce adhuc ibidem Sanctis Episcopis consistentibus, valida Saxonum, Pictorumque manus Britanniam aggreditur, mox Britones arma corripientes, hostibus obviam pergunt, cum quibus Beatissimus Germanus sponte se offerens, unà cum ipsis pergit ad prœlium. Cùmque ipse dux belli ante consertam aciem constitisset, jamque hostes conglobati propius advenmarent, non turbæ clamoribus, non gladiis fidens, imperat solummodo Sanctus Antistes, & cùm ipse prior inclamasset, *Deus*, voce consona eumdem respondissent sermonem, moxque elevata voce magna, *Alleluja* intonuit. Cùmque omnis exercitus, sublato ad sydera clamore, *Alleluja* respondisset, cunctaque per circuitum loca resonassent, continuò tantus hostes pavor invadit, ut dissoluta acie fugam arripientes, ac si singulorum cervicibus gladius immineret, tremebundi ad propria fugerunt. Sed quia semper virtus invidiam parit, Valentinianus Imperator prosperos Etii successus (ut præmissum est) pertimescens, eum, simulque Boëtium Senatorem gladio peremit. Ita vir bellicosissimus Etius, & quondam Attilæ Regis potentissimi terror occubuit, cum quo pariter Occidentis Imperium, salusque Reipublicæ corruit, nec ultra hactenus valuit relevari. Sed nequaquam Valentiniano mors Etii impunè cessit, nam & ipse anno sequenti à Transilla Etii milite, cùm trigesimum annum Imperii gessisset, confossus interiit, ex quibus cum Theodosio socero viginti, cum Marciano quinque imperavit. Mortuo Valentiniano, regni jura Maximus apud Urbem invadens, ne dum duobus expletis mensibus à Romanis peremtus est. Continuò advectis ex Africa navibus, adest Geisericus cum validissimo exercitu, necnon fultus auxilio Maurorum, cùm adhuc Romanæ gloriæ Beatissimus Leo ageret Pontificatum. Percussis itaque Romanis tam terribili nuncio, nobilibusque, ac popularibus ex Urbe fugientibus, urbem omni præsidio vacuam Geisericus obtinuit. Occurrente sibi Sancto Leone Episcopo extra portam, cujus supplicatio ita eum, Deo adjuvante, linivit, ut cùm omnia potestati ejus essent tradita, ab igne tamen, & cæde, atque suppliciis abstineretur. Quartodecimo interim die secura & libera scrutatione, omnibus opibus suis Roma vacuata est, multa millia captivorum cum Regina Eudoxia, quæ Geisericum Regem ad hoc facinus invitaverat, duabusque filiabus ejus in Carthaginem ducta sunt: Capta itaque à Geiserico Roma est, postquam eam primò Alaricus invaserat, secunda jam vice, expletis ab eo tempore quadraginta quatuor annis, à conditione sua MCCVII. evolutis. Relictâ itaque Româ, per Campaniam Wandali, Maurique se se infundentes, cuncta ferro, flammisque consumunt, quidquid superesse potest, diripiunt. Captam nobilissimam civitatem Capuam, ad solum usque dejiciunt. Dehinc hac, illacque bacchantes, per adjacentia Neapolitanæ civitatis, atque Nolanæ, quæque capere poterant, rebus, hominibusque agris exinanitis, demoliti sunt. Quicumque autem gladio superfuerant, captivitatis jugo subjiciuntur. Geisericus autem Italiæ opibus ditatus, ad Africam regressus est. Inter has procellas Vir piissimus Paulinus Nolanæ urbis Episcopus, quicquid habere poterat, in captivorum redemptionem expendit, novissimè cùm nihil ei aliud, nisi ipse sibi solummodo superesset, pro cujusdam viduæ filio, maternas non valens piis ferre visceribus lacrymas, ad eumdem Regem in Africam proficiscens, vice vicaria in servitium traditur. Cujus sanctitas cùm apud eamdem Barbaram gentem, Dei nutu, cognita fuisset, demum cum suis civibus, qui in captivitatem ducti fuerant, cum gaudio ad urbem propriam remeavit. Recedente igitur ab Urbe Geiserico, Romani exinanitæ Reipublicæ Imperatorem Avitum præficiunt. Leo autem Sanctissimus Urbis Episcopus, omnia vasa sacrata, & utensilia Ecclesiarum, quæ à Wandalis erant erepta, (69) plerasque Basilicas reparavit, restituitque. Divisi Gothi quoque circa hæc tempora, cum Rege suo Theoderico, Theoderici filio, transcensis Pyrenæi jugis Hispanias invadunt. Tunc etiam Joannes Baptista, caput suum duobus Monachis Orientalibus, qui ad orationem venerant Hierosolymam, juxta Herodis quondam habitaculum, revelavit, quod deinceps emissum Fœnicem urbem perlatum, & digno honore collocatum est. At verò Marcianus Imperator cùm apud Constantinopolim urbem septem annos regnum administrasset, facta suorum conjuratione peremptus est.

Interea Leo Papa vita decessit, & successit ei Hilarus, natione Sardus, ex patre Crispino, seditque annis sex, mensibus tribus. Hic interdixit, ut Pontifex successorem sibi non eligeret, qui non solùm in eleemosynis dandis pauperibus quotidie studuit, verumetiam & plerasque Basilicas auro, argentoque decoravit. Et hic sepultus est ad Sanctum Laurentium

(69) *fortè deest* reficiens.

tium in crypta juxta Corpus Beati Xysti Episcopi.

Anno Dominicæ Incarnationis CCCCLVIII. & anno ab Urbis conditione MCCXI. Leo quintus ac quadragesimus Romanorum regnum apud urbem Constantinopolim Augustali potitus est dignitate. Qui Leonem filium suum consortem Imperii fecit. Exempto quoque in Italia humanis rebus Avito, Majorianus apud Ravennam invasit Imperium, quod cùm prope IV. annos obtinuisset, haud procul à Veronense (*) civitate occisus est. Statimq; Severus apud Ravennam Imperator efficitur; qui cùm IV. annis imperasset, morte apud Urbem occubuit. Dehinc cum consensu totius militiæ jura Imperii Anthimus suscepit. Eodem tempore egresso inopinato igne, magna ædium strage Constantinopolis cremata est. His quoque diebus inter Anthimum Principem, ejusque generum Ricimerium Patricium, qui tunc Mediolani positus præerat Liguriæ, discordia exorta est. Divisa itaque Roma est, quidam favebant Anthimo, quidam autem Ricimerii perfidiam sequebantur. Quarto autem anno Imperii Anthimi, Ricimerius Urbem invadens, eumdem Anthimum gladio trucidavit; inter hæc Olibrius ab Augusto Leone missus ad Urbem, regiam adeptus est dignitatem. Interea Ricimerius post tres menses excruciatus languoribus interiit. Olibrius quoque dum per VII. menses Imperium gessisset, Romæ defunctus est. Post quem Glycerius domesticus à Gondibaro Patricio, totius etiam voluntate exercitus, apud Ravennam Imperator efficitur. Anno deinde sequenti Gundibarus Patricius cum exercitu veniens, Glycerium ab Imperiali exuit potestate, eumque apud Salonas Dalmatiarum urbem Episcopum ordinavit. Ipso denique anno Augustulus apud Italiam cum exercitu veniens, fugato Gundibaro, Imperii regimen invasit. Circa hæc tempora Theodericus, cognomento Strabo Nicerii (**) filius cum magna Ostrogothorum multitudine usque ad tertium Urbis milliarium armatus advênit, nulli tamen Romanorum noxius, continuò in Illyricum reversus, mortuus est. Leo igitur Augustus postquam Orientale Imperium decem & septem annos rexisset, diem clausit extremum. Hic pro tomo Chalcedonensi per universum orbem singulis Orthodoxorum Episcopis, singulas consonantesque misit Epistolas; quid de eodem tomo sentirent, rescribi sibi postulans, quorum adeò consonantia de vera Christi Incarnatione suscepit omnium rescripta, acsi uno tempore, unoque dictante fuissent universa cõscripta: Theodoretus Episcopus Civitatis, quæ à Cyro Rege Persarum condita, Cyriæ nomen habet, scripsit de vera Incarnatione Domini Salvatoris adversùs Euthychen, & Dioscorum Alexandriæ Episcopum, qui humanam in Christo carnem negant. Scripsit & historiam Ecclesiasticam à fine librorum Eusebii, usque ad suum tempus, id est usque ad Imperium Leonis hujus, sub quo & mortuus est. Victorius, jubente Papa Hilario, scripsit Paschalem circulum quingentorum triginta duorum (*annorum*).

Hilario autem Papa defuncto, Simplicius natione Tiburtinus, ex patre Castino ei in Pontificatu successit, seditque annis XV. mensem unum. Hic viginti septem Presbyteros Romæ constituit, propter pœnitentes, & baptisma. Sub hujus Episcopatu vênit relatio de Græcia per chirographum ab Acatio Constantinopolitano Episcopo, simulque & à Thimotheo Catholico, & affirmavit Petrum Alexandriæ urbis Episcopum esse Euthycianistum hæreticum, plurima de eo crimina affirmans. Quo audito Simplicius damnavit Petrum, ita tamen, ut pœnitentiæ servaret tempus. Simplicius autem sepultus est in Basilica Beati Petri.

Anno Dominicę Incarnationis CCCCLXXV. Mortuo Leone, Zeno continuò quadragesimus sextus ab Augusto, Augustalem adeptus est dignitatem. Leonem autem, de quo præmissum est (quem pater Leo in regni sociaverat dignitate) mater Zenonis occultè Clericum fecit. Interea Odovacer cum fortissima Herulorum multitudine, insuper Turcilinguorum, sive Scyrorum Italiam ab extremis Panoniæ finibus properare contendit. qui veniens postmodum, non solùm totius Italiæ, insuper & Urbis usus est potestate. Cùmque totam Italiam proprio juri subderet, statim regiam arripuit dignitatem. Augustulus autem, qui Imperii præsumpserat potestatem, cernens universam Italiam Odovacri juribus subdi, metu perterritus, sponte miserabilem purpuram abjiciens, cùm vix undecim mensibus Rempublicam obtinuisset, Imperialem deposuit Majestatem. Ita Romanorum apud Romam Imperium toto orbe venerabile, & Augustalis illa sublimitas, quæ ab Augusto Octaviano creata est, cum hoc Augustulo periit.

Interea Romæ Simplicio Papa decedente, Felix natione Romanus ex patre Felice Presbytero, Pontificalem suscepit Cathedram. Sub hujus Episcopatu iterum relatio de Græcia vênit, Petrum Alexandrinum revocatum ab Acatio Episcopo Constantinopolitano. Tunc Felix venerabilis Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Romanæ misit duos Episcopos Mesenum, & Vitalem, ut facta Synodo, si invenirent Acatium complicem Petri, damnarent utrosque. Qui invenientes, corrupti sunt pecunia data, & non fecerunt ut eis fuerat jussum, & reversi sunt. Eo tempore venerabilis Papa Felix Synodum fecit, & operata discussione invênit Judices ambos Episcopos Mesenum, & Vitalem reos & corruptos pecunia, eosque à communione dejecit unà cum Acatio, & Petro. Et hoc factum est tempore Odovacris Regis. Hic autem sepultus est in Basilica Beati Pauli Apostoli.

Post cujus obitum Gelasius natione Afer ex patre Valerio in Pontificatu Romano sublimatus est, seditque annos quatuor, menses octo. Hic autem tempore Zenonis Augusti, & Theodorici Regis Manichæos invênit in urbe Roma, & exilio deportari jussit, quorum codices concremari fecit. Hic fuit amator Cleri, & pauperum, liberavitque à periculo, & fame civitatem Romam. Hic in perpetuum damnavit Acatium, & Petrum, si non pœniterent. Hic Gelasianum librum composuit, fecitque tractatus, & Hymnos, sicut Beatus Ambrosius declaravit, qui libri recipi in Ecclesia debeant, & qui contemni, & quo tempore ordinationes Sacerdotum cæterorumque ordinum fieri debeant, fecitque & libros adversùs Euthychen, & Nestorium. Sub hoc quoque Præsule, & tempore Zenonis Augusti, oraculum Beatissimi Michaëlis Arcangeli inventum est in monte Gargano. Interea mortuo Theodorico Marii filio, alius Theodoricus co-

(*) Derthonense.

(**) *Eutrop. Amb. Bibl.* Triarii.

cognomento Walamer, cujusdam Theodori filius, Gothorum suscepit Regnum, qui utramque Macedoniam, Thessaliamque depopulatus est, & plurima Regiæ civitatis loca igne succendit.

Anno Dominicæ Incarnat. CCCCLXXVI. anno ab Urbis conditione MCCIX. A Gajo autem Cæsare, qui primò singularem arripuit Imperii dignitatem, Anno quingentesimo septimo decimo, ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi æterni, & in perpetuum regnatoris anno CCCCLXXV. dejecto ab Augustali dignitate Augustulo, Urbem Odovacer ingressus, totius Italiæ adeptus est Regnum. Quod dum per annos quatuordecim nullo inquietante tenuisset, ab Orientis tunc partibus Theodoricus adveniens Ostrogothorum Rex Italiam possessurus intravit. Cui Odovacer Rex cum grandi suorum exercitu, totisque Italiæ viribus occurrit, & multotiens cum eo conflixit, ac sæpe victus ab eo, novissimèque in fidem ab eodem Theoderico susceptus, Odovacer truculentè occisus est. Theodoricus igitur totius Italiæ adeptus est dignitatem, dehinc Romam profectus, Rex à Romanis cum gaudio susceptus est. Interea Theodoricus, ut sui Regni vires constabiliret, Himericus Rex Wandalorum Arrianus, in Africa, exulatis diffugatisque plusquam CCCXXXIV. Episcopis Catholicis, Ecclesias eorum clausit, plebem variis affecit suppliciis, & quidem innumeris manus abscindens, linguas præcidit, nec tamen loquelam Catholicæ confessionis eripere potuit. Eo tempore corpus Barnabæ Apostoli, & Evangelium Matthæi ejus stylo scriptum, ipso revelante, reperitur.

His autem diebus Gelasio Papa defuncto, Anastasius natione Romanus, ex patre Petro, post hunc suscepit Episcopatum, seditque anno uno, mensibus XI. Hic Anastasium Constantinopolitanum excommunicavit Imperatorem. Eo tempore multi Clerici, & Presbyteri se à communione ipsius eduxerunt, eo quòd sinè consilio Episcoporum Presbyterorum communicasset Photino Diacono Thessalonicensi, qui communis erat Acatio, & quia Acatium occultè revocare voluit, & non potuit, Divino nutu percussus est; Qui etiam sepultus est in Ecclesia Beati Petri. Zeno itaque Augustus cùm per annos XVII. Reipublicæ præfuisset, apud urbem Constantinopolim vitæ terminum accepit.

Cessante in eo Romanæ urbis Imperio utilius aptiusque videtur ab annis Dominicæ Incarnationis, supputationis lineam ducere, quid quo tempore actum sit evidenter possit cognosci.

Anno Dominicæ Incarnationis CCCCXCII. post Zenonis excessum Anastasius purpuram induit, qui XLVII. in Imperii numero extitit. Hic Romani decus Imperii, Euthychianæ hæreseos illuvione maculavit.

Quo tempore Anastasio Papa rebus humanis exempto, Symmachus natione Sardus ex patre Fortunato Pontificali Cathedra sublimatus est, seditque annis XV. mensibus VII. Hujus temporibus tanta propter Symmachi, & Laurentii electionem Romæ dissensio fuit, ut Senatores ex partibus Laurentii faventes, adversùs cæteros, qui Symmacho Pontifici adhærebant, bellum inferrent, multasque cædes, & homicidia in medio urbis facientes, plerosque Sacerdotes, multos etiam Clericorum, civiumque Romanorum extinguerent. Denique ordinati sunt uno die ambo. Symmachus quidem in Basilica Constantiniana, Laurentius verò in Ecclesia Sanctæ Mariæ. Sed cùm neutra pars alteri cederet, constituerunt, ut lis incœpta judicio Regis Theoderici finiretur. Qui Ravennæ positus dum Legatos utriusque audisset, decrevit, ut qui prior ordinatus esset, aut quem major pars Cleri simul, & populi elegisset, ipse in Apostolica Sede resideret. Unde Symmachus Pontifex factus, constituit Laurentium in Nuceriæ civitate Episcopum, intuitu misericordiæ. In hac dissensione Sanctissimus Paschasius Ecclesiæ Romanæ Diaconus partibus favebat Laurentii. Eo tempore Trasamundus, qui fratri Henrico apud Africam in Wandalorum Regnum successerat fratris, vel patris Geiserici secutus perfidiam, clausis Catholicorum Ecclesiis, CCXX. Episcopos in Sardiniam exilio relegavit. Quibus Beatus Papa Symmachus quotidiana subsidia, & vestes ministrare non destitit. Hic etiam inter multa Ecclesiarum opera, quæ vel à fundamentis creavit, vel prisca renovavit, ac decoravit, ad Beatum Petrum & Beatum Paulum, & Beatum Laurentium, pauperibus habitacula construxit, quibus quotidie necessaria subministrabat, & per singulos annos Episcopis, & cæteris Clericis, qui in exilio erant per Africam, vel Sardiniam, pecunias, & vestes ministrabat. Hic constituit omnibus Dominicis diebus, & in Natalitiis Apostolorum, & Martyrum hymnum Angelicum ante Canonem decantari. Inter has tempestates Fulgentius in confessione Fidei, & scientia floruit. His ipsis apud Africam diebus, dum Arrianus quidam Olimpius nomine, corpus aquis balnearibus abluens, indigna quædam, & blasphema de Sanctæ Trinitatis Fide verba evomeret, veniente subito ignito cælitus jaculo, visibiliter combustus est. Barbas quoque Arrianus Episcopus, de nostræ Fidei regula, minorem scilicet Patri Filium, Sanctumque Spiritum asserere cupiens, cùm baptizaturus dixisset: *Baptizo te in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto*, statim aqua, quæ ad baptizandum allata fuerat, nusquam comparuit. Quod aspiciens qui baptizandus erat, confestim ad Ecclesiam Catholicam fugiens, juxta morem Fidei baptismum suscepit Christi. Theodericus verò dum pacificè apud Italiam regnaret, per singula quæque loca regia sibi habitacula construxit.

Interea Symmacho Papa vita decedente, successit ei Hormisda natione Campanus, ex patre Justo, seditque annis VIII. Anastasius autem Imperator dum in hæresi, qua delapsus fuerat, perseveraret, duasque in Christo naturas, Deitatis videlicet, & Humanitatis, Euthychium hæresiarcam sequens, denegaret, Hormisda Papa direxit Evodium Ticinensem Episcopum, aliosque cum eo in Constantinopolim Legatos, cum Catholicæ Fidei scriptis, quatenus Anastasium si resipisceret, atque Acatium cum complicibus suis, ad Ecclesiæ reducerent gremium. Is non solùm etiam salubria eorum monita sprevit, insuper etiam à suis conspectibus non sinè gravi contumelia eos expulit, navique fragili impositis, mandat ne uspiam per totam Græciam ad aliquam civitatem accederent. Quam ejus impiã temeritatem divina continuò ultio subsecuta est. Nam cùm jam septem & viginti Imperii ageret annos, vi fulminis percussus interiit. Hormisda

misda verò inter multa Basilicarum ornamenta, quæ fecerat (cùm eleemosynas pauperibus studiosè, ac sine intermissione distribueret) fecit apud Sanctum Petrum trabem ex argento mille quadraginta librarum decoratam. Qui etiam sepultus est in Basilica Beati Petri.

Anno Dominicæ Incarnationis DXVIII. Punito Anastasio hæretico, Justinus Catholicus Augustali potitus est solio; ad hunc ob causam reintegrandæ Fidei, directus ab Hormisda Pontifice vir sanctitate præcipuus Germanus Capuanæ Sedis Episcopus, (*qui*) dignè susceptus est, multorumque dubiam religionem solidavit. Eo tempore apud Africam defuncto Trasamundo Wandalorum Rege, Ildericus ejus filius ex captiva Valentiniani Principis filia ortus, Wandalorum adeptus est regnum, qui non patrem hæreticum, sed matris Catholicæ monita sequens, rectæ Fidei cultor enituit. Hunc pater Trasamundus ad mortem veniens sacramenti nodis astringere curavit, ne umquam in regno suo Catholicis consuleret; qui mox ut suus genitor vita decessit, priusquam regni jura susciperet, omnes Episcopos, quos Trasamundus in exilium miserat, regredi fecit, eosque Ecclesias reformare præcepit, post septuaginta quatuor annos, quàm in exilium fuerant destinati.

Quo tempore Hormisda rebus humanis exempto, Joannes, natione Tuscus, ex patre Constantio ei in Pontificatu successit, seditque annis duobus. At verò in Orientis partibus dum adhuc hæresis Arriana vigeret, Justinus ardore Orthodoxæ Fidei, ut hæreticorum nomen extingueret, statuit ubique Ecclesias Catholica Religione consecrari. Quod dum in Italia Rex Theodericus audisset, Joannem Papam, qui Hormisdæ successerat, simulque cum eo Theodorum, atque Agapitum Consulares viros, aliumque Agapitum Patricium Constantinopolim ad Justinum Principem dirigit; mandat per eos interminans, ut, nisi quantocyus hæreticis suas Ecclesias redderet, ipse omnes Italiæ Catholicas Ecclesias destrueret. Qui venientes ad Augustum, cùm ab eo dignè (ut competebat) suscepti essent, magnis eum de sua, suorumq; salute (*solliciti*) fletibus postulant, ut suæ legationis seriem, quamquam esset injusta, libenter exciperet, Italiæque perituræ subveniret. Quorum fletibus Justinus permotus, eis quod petebant concessit, Arrianosque suo juri reliquit. Dum hi in itinere demorantur, Theodericus rabie suæ iniquitatis stimulatus, Symmachum Consulem, & Patricium, & ejus generum Boëtium Senatorem, & Consulem Catholicos viros post carceris custodiam, gladio trucidavit. Joannes verò Pontifex dum Constantinopolim venisset, ad portam, quæ vocatur *aurea*, populorum turbis ei occurrentibus, in conspectu omnium, roganti cœco lumen reddidit. Qui dum cum sociis rediens Ravennam ad Theodericum venisset, Theodericus invidiæ malitia ductus, quòd Catholicæ pietatis defensor Justinus illos honorificè suscepisset, eum cum comitibus, carceris afflictione peremit. Sed hanc immanissimam crudelitatem animadversio Divina secuta est, nam nonagesimo (70) die post hoc factum, subita morte defunctus est, cujus animam solitarius quidam apud Lyparim Insulam, vir magnæ virtutis, aspexit inter Joannem Papam & Symmachum Patricium deduci, & in Vulcani ollam demergi. Gothi igitur Atanaricum filium ejus in regnum præficiunt.

Romæ verò post Joannem, Felix, natione Samnis, ex patre Castorio in Ordine Pontificali constituitur, seditque annis tribus. Hic Patriarcham Constantinopolitanum excommunicavit. Tunc etiam Beatissimus Abbas Benedictus virtutum gloria claruit, cujus gesta Beatus Gregorius Papa in libro Dialogorum scripsit. At verò Justinus cùm Augustalem dignitatem annos duodecim administrasset, apud Constantinopolim in pace quievit. His ipsis diebus Audoinus Langobardorum Rex Guaconis (*) Regis filius, Longobardos in Pannoniam deduxit. Tunc quoque in Gallia Theodericus Francorum Rex habebatur, qui Theoderico filio suo despondit uxorem, vocabulo Guisecardam, filiam Guaconis Regis Longobardorum. Habuit quoque idem Guaco & alteram filiam, nomine Gualderadam, quam Theobaldus Francorum Rex Theodeberti filius sibi in matrimonio sociavit.

Hîc admonet locus, ut & de Longobardorum historiis, Francorumque gestis (pro ut tempus exigit) summatim aliquid interponatur. Tempore igitur Constantini Magni Imperatoris, Guinili, qui & Longobardi, ab Insula Germaniæ, quæ Scandinavia dicitur, egressi, Ibor, & Ajone Ducibus, regionem, quæ Scoringa dicitur, quasi habitaturi sunt ingressi, eamque per aliquot annos obtinuere. Quo tempore Cymbri & Assi Wandalorum Duces vicinas quasque provincias bello premebant. Guinili igitur, qui & Longobardi, commisso prœlio cum Wandalis, acriterque dimicantes, victoriam capiunt. De qua regione Longobardi, transacto non modico tempore, propter famis penuriam exientes, transierunt in Mauringam, unde progressi habitaverunt in Golandam. Mortuis autem Ducibus, Regem sibi Agelmundum, filium Ajonis Ducis statuerunt, qui per triginta trium annorum curricula illis præfuit, qui quodam flumine transmeato in finibus Bulgarorum, ter cum eis dimicavit. Longobardi igitur duobus prœliis terga dantes, tertio prœlio victoriam capientes, contritis Bulgaribus, magna de illis sunt præda potiti. Defuncto Lamissone, Lethus Rex successit, qui cùm quadraginta annis regnasset, reliquit successorem filium suum Ildeoch. Hoc quoque defuncto, quintus Rex Guideoch regnum suscepit.

Tunc in Noricorum finibus Beatus Severinus miræ abstinentiæ sanctitate præditus, pollebat virtutibus. Interea mortuo Guideoch, successit filius ejus Claffo. Quo defuncto Tato filius ejus septimus ascendit in Regnum. Egressi Longobardi de Rugilant, venerunt in campis patentibus, qui sermone Barbarico Felt appellantur. Quo in loco dum tribus annis commorarentur, Radulphus Rex Herulorum fœdus, quod cum Tatone pepigere, irrumpens, eo quòd compererat, fratrem suum à filia Tatonis peremptum, bellum ei intulit. Sed ipse cum suis à Longobardis superatus, atque occisus est, & ejus exercitus consternatus. Tatone à Guaccone filio fratris sui interfecto, regnum ipse octavus super Longobardos

(70) *Eutropius* nonagesimonono.

(*) *lege* VVacchonis.

dos obtinuit. Qui super Suevos irruens suo dominio subjugavit. Mortuo verò Guaccone, Gualtari filius ejus, cùm per septem annos regnasset, mortuus est. Post quem nonus Rex Audoin adeptus est Regnum. At verò tempore Valentiniani Imperatoris, Franci à Meotidis paludibus venientes, ripas Rheni occupaverunt. Duces sibi Marcomirum, Sunnonem, & Genebaudum eligentes, plurima Germanorum oppida pervaserunt. Qui Theodosii Imperatoris (*tempore*) Treverorum Galliæ urbem invaserunt, mortuisque Ducibus, primò Regem sibi statuunt Faramundum, Marcomiri filium. Quo defuncto successit ei filius ejus Clodio Crinitus, qui post eum regnavit annis viginti. Eo tempore Francorum Reges Criniti habebantur. Clodioni verò successit Meroveus. Qua tempestate Hunni Rhenum transeuntes, Metis civitatem concremant, Treveris diripiunt, Tungri devastant, Aurelianensem quoque adeuntes urbem, obsidione claudunt. Erat tunc temporis ejusdem civitatis Præsul virtute admirabilis Anianus, cujus meritis, & orationibus, non solùm urbs liberata est, sed etiam hostes hac, illacque profugi, atque protriti sunt. Post mortem quoque Merovei, regnavit Childericus filius ejus. Ea tempestate Anthemio gubernante Imperium Romanorum, & Leone Constantinopolitanum, apud Tholosam Galliæ urbem è medio ejus tota die sanguis largissimos profluxit rivos. Apud Noricorum etiam fines, Beatus Severinus pollebat virtutibus. Eo tempore defuncto Anastasio Papa, Symmachus ordinatur, sed cum magna dissensione. Childericus autem Francorum Rex annis regnavit viginti quatuor. Post cujus mortem regnavit Clodoveus filius ejus, qui fuit vir in rebus bellicis strenuus, & virtute egregius. His autem diebus Beatus Remigius Rhemensem Episcopatum regebat. Clodoveus autem duxit uxorem Christianam nomine Chrotildem, per quam ipse Rex ad Catholicam Christianæ religionis fidem vênit, quem Beatus Remigius Episcopus baptizavit. Hic construi fecit Basilicam in honore Beati Petri Apostolorum Principis in civitate Parisianea, in qua sedes ejus erat. Anastasio Imperatore defuncto, successit ei Justinus Senior. His etiam diebus apud Viennam Galliæ urbem, multorum domus, simul & Ecclesiæ terræmotu concussæ ceciderunt. In Paschali verò festivitate Beato Mamerto ejusdem urbis Episcopo Missarum solemnia celebrante, Palatium Regale, quod in eadem erat civitate, cœlesti concrematum est igne. Lupi quoque vel Ursi eidem civitati nimium cœperunt esse infesti, adeò ut multorum lacerantes corpora, propria eos cogerent deserere habitacula. Unde memoratus Sacerdos, adveniente Dominicæ Ascensionis die festo, convocato populo præmonuit agere triduanum jejunium, ac omnipotentis Dei exposcere suffragium. Appropinquante ergo die statuto, convênit omnis populus ad Ecclesiam cum gaudio, Lætanias peragens cum triduano jejunio. Exinde universæ Ecclesiæ mos inolevit, ut à cunctis Fidelibus eæ Lætaniæ peragantur. Regnavit autem Clodoveus annis XXX. obiit verò anno Dominicæ Incarnationis quingentesimo, à transitu Sancti Martini usque ad transitum ipsius Clodovei Regis computantur anni CXII. post quem quatuor filii ejus, idest Theodericus filius ejus, & Chodomirus, Childebertus, atque Clotharius regnum inter se æqua lance dividunt. Et Theodericus quidem sedem regni sortitus est; Chodomirus Aurelanis, Clotharius Suessonis, Childebertus Parisiis, quomodo & pater eorum. Quo tempore Joannes Papa Hormisdæ successerat. Constantinopolim ad Imperatorem Justinum à Theoderico Rege Gothorum est missus. Præfatus autem Chodomirus oratu matris Sigismundum Regem Burgundionum Orthodoxum, benignum, Ecclesiæ Dei cultorem pium, positis insidiis cepit, eumque cum filiis capite cæsum in puteum projici jussit, quem Sanctorum Collegio Christum Dominum connumerasse ideo non ambiguum habetur, quòd febricitantes quique, si pro remedio animæ ipsius salutare fideliter offerre fecerint Sacrificium, continuò ab infirmitatis suæ liberantur incommodo. Sed non multò post, idem Chodomirus à Burgundionibus est in bello occisus. Cujus regni sortem Clotharius frater ejus accepit, ejus quoque filios gladio necavit. Theodericus igitur Francorum Rex, quem supra meminimus, cùm jam XXIV. annis regnum tenuisset, Theodeberto filio suo moriens reliquit. Qui mansuetus cunctis, atque modestus, justitiæ quoque fuit egregius moderator, & cultor, eloquioque affabilis. Theodebertus autem defunctus est anno regni sui quartodecimo. Succeditque ei Theodebaldus filius ejus, vir quidem Deo deditus, & servos ejus unicè diligens, sed in suos crudelis.

Cujus tempore Stella ex adverso veniens, in Lunam ingressa est. Tunc quoque uvæ in arbore, quæ Sambuctus dicitur, natæ sunt. Theodebaldus autem defunctus est anno octavo regni sui, Principatum gentis, quam regebat, cum thesauris Clothario dereliquit habendum. Childebertus autem defunctus est anno quadragesimo nono, postquam regnare cœperat, cujus regnum & thesauri ad Clotharium redierunt. Clothario itaque Francorum regente principatum, Longobardorum genti præerat Audoinus Rex, qui non multo post tempore Longobardos in Pannoniam deduxit; qui cùm famosissimum, & virtutibus clarum ubique nomen haberet, ipse Clotharius Rex Clothsiundam filiam suam ei in matrimonium sociavit. Audoinus quippe bellum cum Hunnis egit, nobiliterque eos devicit. Cum Gepidis quoque bellum gessit, eosque devictos omnino sibi subegit, Cunimundo eorum Rege interfecto ab eo. Eo tempore Gothi cum Totila Rege eorum Italiam incolebant; quo tempore Beatus Medardus Vermadensis Episcopus plenus virtutibus migravit ad Christum. Clotharius autem, postquam in Gallia per quadraginta & unum regnaverat annos, diem clausit extremum, regnumque filiis suis Chereberto, & Guthranno, Chilperico, atque Sigiberto reliquit. Regnum itaque ii quatuor fratres ex æquo sortiuntur, & Chereberto quidem, qui & Aribertus est dictus, Parisiorum urbs quondam Childeberti sorte pervênit: Guthranno Aurelianis, regnum videlicet Todomiri: Chilperico Suessonis assignatur civitas, caput & ipsa regni paterni; Sigeberto autem Mediomatricum, quæ & Metis, cessit, Theoderici patrui quondam subjecta dominatui, urbs formosa, & inclyta. Fuerat præterea Clothario filius alius, nomine Gunthrannus, corpore quidem elegans, men-

mente levis, dolis nulli versutorum secundus; huic animus inquietus, prompta audacia, effera vis animi, qui tyrannica adactus crudelitate, res aliorum rapinis diripiebat, quem cùm pater ejus modesta increpatione redargueret, ille mandata patris vilipendens, dum ei insidias parat, igne concrematus est. Chelbertus itaque, qui & Aribertus Rex Parisiorum ancillas suas diligens, uxorem propriam abjiciens, non post multum temporis sinè filiorum posteritate, finem vitæ sortitus est. Gunthrannus autem fuit pacis & æquitatis amator, sed lenociniis meretricum deditus, licitum refutavit matrimonium; hic quodam die venatum in sylva profectus, sociis, pro ut res exposcebat, huc illucque dispersis, ipse cum uno suorum fidissimo fidelium, sub arbore quieturus resedit, positoque in ipsius gremio capite, oculos cupiens furari labori, obdormivit: & ecce ex ore quiescentis Regis (*parvum animal*) in modum reptilis egressum, oram præter labentis rivuli percursare, ac in ulteriorem ripam transire satagere cœpit; quod cernens ille, super cujus genua Rex caput inclinaverat, gladium vagina nudatum fluvio superposuit, & sic animal illud ad aliam transmeavit partem, atque sub radicem cujusdam montis ingressum, post aliquod rediit horarum spatium, & eodem ponte usum in os Gunthranni Regis ingressum est. Exsurgens Rex, & familiari narrans somnium se vidisse: „ conspexi, inquit, fluvium per maximum „ pontem ferreum constratum, per quem „ transvectus, & speluncam cujusdam montis „ radice constitutam ingressus, inibi inæsti„ mabiles thesauros reperi absconditos: refert alter de eo quid & ipse intuitus sit, consonaque sibi apparuerunt somnii verba, ac visio manifesta. Quid plura? convenientibus sociis, effossus est locus, maximusque auri ac argenti inventus est thesaurus veterum patrum, de quo Gunthrannus Ciborium miræ magnitudinis simul & pulchritudinis compactum, sepulcrum Sancti Marcelli in Basilica, quæ Cabillonensi adjacet civitati, apud Condensem poni jussit. Chilperico autem Francorum Regi erant filii Theodebertus, Meroveus, & Clodoveus; Theodebertus autem à Sigeberto fratre suo est interemptus. Chilpericus verò interemit Sigibertum, qui regnavit annis quatuordecim.

Præterea Romæ post Felicem Papam Bonifacius natione Romanus, ex patre Sigibaldo ordinatur in Episcopatu, cum quo sub contentione Dioscorus ordinatur, fuitque dissensio magna in Clero, & populo, sed, Dei judicio, defuncto Dioscoro, Bonifacius in Sede constituitur. Hic constituit, ut electio Romani Pontificis non fieret, nisi post tertium diem depositionis ejus, & ut nullus Episcopus successorem sibi ordinaret. Et hic sepultus est in Ecclesia Beati Petri.

Cui successit Joannes, qui & Mercurius, natione Romanus, ex patre Projecto, seditque annis duobus mensibus quatuor.

Anni Domini DXXVIII. Justinianus Justini nepos ex sorore Romanorum XLIX. Augustalem adeptus est principatum. Hic & bella prosperè per Duces suos, maximè per Bellisarium, gessit, & in causis civilibus, componendisque legibus mirabilis extitit; nam per Bellisarium Patricium Persas fortiter devicit. Qui postea in Africam ab eodem Justiniano

A missus, Wandalorum gentem usque ad internecionem delevit, capto Gelismero eorum Rege, & Constantinopolim ad Imperatorem misso. Carthaginem quoque, ac totam Africam Romano restituit Imperio post annos nonaginta sex excisionis suæ. At verò Romæ Joanne Papa defuncto, Agapitus natione Romanus ex patre Gordiano Presbytero Ecclesiæ Sancti Joannis & Pauli, Cathedram Pontificalem suscepit, seditque mensibus XI. Interea Theodahatus Gothorum Rex sentiens se infestum habere Justinianum Principem, pro eo quòd matrem Atanarici Regis strangulare præceperat, & quòd multum Italiam premeret, B Beatum Papam Agapitum Constantinopolim dirigit, quatenus ei apud Justinianum facti impunitatem impetraret. Qui Sanctus Pontifex, dum Justinianum Principem adiisset, facta cum eo de integritate Fidei conlocutione, reperit eum in Euthychetis hæresim corruisse, à quo primitus graves minas Antistes perpessus est; ad hoc siquidem usque verbis progressum est, ut talia Princeps à Præsule audiret: *Ego Justinianum Imperatorem Christianissimum videre desideravi, sed Diocletianum invêni*; tandem ex voluntate Dei; monitis ejus acquiescens ad Catholicæ Fidei confessionem cum multis pariter, qui similiter desipiebant, regressus est: Anthimum quoque C ejusdem Regiæ civitatis Episcopum, præfatæ hæreseos defensorem, convictum publicè à communione privavit, ac persuaso Principe in exilium direxit. Beatissimus quoque Agapitus, ex rogatu ipsius Principis Catholici, consecravit in loco Anthimi Episcopum Catholicum, nomine Mennam, nec multos post dies Pontifex apud eamdem urbem obiit, cujus corpus Romam translatum sepultum est in Ecclesia Beati Petri.

Huic successit in Pontificatu Silverius, natione Romanus, ex patre Hormisda Episcopo, seditque anno uno, mensibus V. Hic primus post Beati Silvestri tempora, sinè Imperiali assensu, Gothorum manu est ordinatus Episcopus; D Theodahatus siquidem Gothorum Rex Italiæ, talem indixit in Clero timor m, ut qui non consentiret, gladio puniretur. Justinianus autem Bellisarium Patricium multis jam prœliis gloriosum adversùs Theodahatum dirigit, ut etiam Italiam à Gothorum servitio liberaret. Interea mortuo Theodahato, in loco ejus Guittingis Gothorum Rex successit. Bellisarius itaque per Siciliam iter faciens, in Campaniam ad Neapolim vênit, quem Neapolitani cives excipere noluerunt, quibus indignatus ad ejusdem urbis expugnationem totis se viribus erexit, aliquantisque fortiter impugnatam diebus, tamdem civitatem per vim capiens, ingressus est, tanta non solùm in Gothis, qui E ibi morabantur, sed etiam in Cives ira desævit, ut non ætati, non sexui, postremò non Sanctimonialibus, vel ipsis Sacerdotibus etiam parceret; viros in conspectu conjugum miserabiliter perimens, superstites matres, ac liberos captivitatis jugo abduxit; cuncta rapinis diripiens, Ecclesias etiam expoliavit. Dehinc Romam properavit, quo civitatem ingresso, Gothi, qui in Urbe morabantur, noctu egressi, Ravennam confugiunt. Guittingis autem mox adversùs Bellisarium Romam cum ingenti Gothorum exercitu vênit. Bellisarius non aptum tempus sibi bellandi videns, intra Urbis se mœnia clausit. Cùmque per

unum annum Gothi Romam obsedissent, demum territi Ravennam redierunt. Bellisarius verò Neapolim proficiscens, eamque, prout competebat, ordinans, reconciliavit, ordinatamque relinquens, Romam ingressus est.

Interea Silverius Papa fraude Vigilii Archidiaconi sui, qui Constantinopolim tunc ejus Apocrisarius erat, ex præcepto Theodoræ Augustæ per ejusdem Vigilii suggestionem, exilio apud Pontianam insulam deportatus est; ibique pane tribulationis, & aqua angustiæ Confessor mortuus est, eo quòd revocare noluisset Anthimum Constantinopolitanum à prædecessore suo excommunicatum. Huic itaque Vigilius, natione Romanus ex patre Consule Johanne, successit in Pontificatus honore, seditque annis decem & septem, mensibus sex; cujus temporibus apud Constantinopolim quinta Synodus congregata est sub Justiniano Principe contra Theodorum, & omnes hæreticos, qui Beatissimam Mariam solum hominem, non Deum & hominem genuisse affirmabant. In qua Synodo Catholicè statutum est, ut Beata Maria semper Virgo Theodotos (*) diceretur, quia sicut Catholica Fides habet: non hominem solùm, sed verè Deum & hominem genuit. Vigilius autem licèt fraudolenter accepisset Episcopatum, quia tamen resipiscens facti pœnituit, firmus & perseverans Imperialibus noluit obedire præceptis, & ideo Augustæ præcepto exilio ductus, apud Constantinopolim vitam finivit. Cujus corpus in locello positum Romæ translatum est.

Pelagius natione Romanus ex patre Joanne Vicario huic successit in Pontificatum, seditque annis XI. mensibus X. Hic præcepit ut Schismatici Episcopi per sæculares potestates comprimerentur, & hic sepultus est in Basilica Beati Petri. Præterea Guittingis Gothorum Rex coacto in unum iterum magno Gothorum exercitu, cum Bellisario conflixit, factaque suorum maxima strage, in fugam conversus est, qui fugientem comprehendit, secumque Constantinopolim detulit. Mauros quoque post hæc Africam infestantes mirabili virtute protrivit. Gothi igitur capto Guittingi trans padum Eldebatum (**) sibi Regem cōstituunt, qui eodem anno perimitur. Cui succedit Erarius, & ipse nec dum anno expleto jugulatur. Dehinc sibi Badualam, qui & Totila dicitur, in Regnum præficiunt. Moxque allecto undique exercitu, Gothi cum Totila rursus Italiam invadunt. Exinde per Campaniam ad viri Dei Benedicti Patris Cœnobium iter facientes, perque Brutiorum, ac Lucaniæ fines Rhegium proficiscuntur, ultra Siculum transgressi fretum, Siciliam invadunt, cuncta ferro atque rapinis devastantes. Indeque revertentes per Apuliam, atque Sampnium Romam petunt, eamque obsidionibus circumcludunt. Quæ tantam tunc famis penuriam perpessa est, ut præ magnitudine inopiæ natorum suorum carnes comederet. Fessis igitur Romanis, nec valentibus mœnia tueri, Totila à porta Ostiensi Urbem ingressus est. Qui parcere Romanis cupiens, per totam noctem clangere buccinas jubet, quatenus ab incendiis, & rapina Gothos cohiberet. Quod ut Justinianus comperit, statim Narsim Eunuchum suum cubicularium cum valida manu dirigit. Hic autem Narsis priùs quidem Carthularius fuit, deinde propter virtutum merita Patriciatus honorem meruit. Erat enim vir piissimus, in religione Catholicus, in pauperes munificus, in reparandis Sanctorum Basilicis satis studiosus, vigiliis, & orationibus in tantum studens, ut plus supplicationibus ad Deum profusis, quàm armis bellicis victoriam obtineret. Hac tempestate Longobardorum gens apud Pannoniam degebat, quibus præerat Rex Alboin. Narsis igitur ad Italiam veniens, cùm jam Longobardos amicitia fœderatos haberet, Legatos ad Alboin dirigit, quatenus ei cum Gothis pugnaturo ipse cum suis auxilium ministraret. Tunc Alboin electam è suis manum direxit, qui suffragium Narsi adversùs Gothos conferrent. Qui maris Hadriatici sinum transvecti, sociati Romanis magno cum Gothis certamine conflixere. Quibus devictis, & usque ad internecionem pariter cum Totila suo Rege penè deletis, honorati multis muneribus Longobardi victores ad propria remearunt, & omni tempore, quo Longobardi Pannoniam possederunt, Romanæ Reipublicæ adversùs æmulos adjutores fuerunt. Sicque Narsis universam Italiam ad Reipublicæ jura reduxit, Totila interfecto, qui jam ultra decem annos in ea regnaverat. Pari etiam modo Justinianus & alias gentes, non solùm per Belisarium Patricium, verùm etiam & per alios suos Duces belli jure compressit. Quam ob causam propter horum omnium victorias, ut Alamanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Alticus, Alanicus, Africanusque diceretur, habere hæc nomina meruit. Leges quoque Romanorum, quarum prolixitas nimia erat, inutilisq; dissonantia, mirabili brevitate correxit; nam omnes constitutiones Principum, quæ utique multis in voluminibus habebantur, intra duodecim libros coarctavit, ipsumque volumen *Codicem* appellari præcepit. Rursus singulorum Magistratuum, sive Judicum leges, quæ usque ad duo millia penè libros erant extentæ, intra quinquaginta librorum numerum redegit, eumque *Codicem Digestorum*, sive *Pandectarum* vocabulo nuncupavit. Quatuor etiam *Institutionum* libros, in quibus breviter universarum legum textus comprehenditur, noviter composuit. Novas quoque leges, quas ipse statuerat, in unum volumen redactas, eumdem Codicem *Novellam* nuncupari sancivit. Construxit quoque idem Princeps intra urbem Constantinopolim Sanctum Dei Patris Templum, quod Græco vocabulo ΑΓΙΑΝ ΣΟΦΙΑΝ, idest Sanctam Sapientiam nominavit; cujus opus adeò cuncta ædificia excellit, ut in totis terrarum spatiis huic simile non possit inveniri. Erat enim hic Princeps Fide Catholicus, in operibus rectus, pietate insignis, in judiciis justus, æquitatis cultor egregius, ideoque omnia ei occurrebant in bonum.

His autem temporibus Beatissimus Pater Benedictus apud Cassinum radiabat virtutibus, qui nocte illa, quæ Sanctum præcedebat diem Sabbati, quo vigilia Resurrectionis Christi colitur, scilicet duodecimo Kalendas Aprilis Deo spiritum reddidit. Hujus temporibus Cassiodorus apud urbem Romam tam sæculari, quàm Divina scientia claruit: hic primitus Consul, deinde Senator, ad postremum verò Monachus fuit. Hoc etiam tempore Dionysius Abbas in urbe Roma constitutus Paschalem calculū mira argumentatione composuit, incipiens ab anno Dominicæ Incarnationis

(*) Θεοτόκος.

(**) Seu Ildebaldum.

tionis DXXXII. qui est annus Diocletiani CCXLIX. Victor quoque Capuanus Episcopus librum de Pascha scribens, Victorii arguit errores. Tunc quoque apud Constantinopolim Priscianus Cæsariensis Grammaticæ artis profunda rimatus est. Arator etiam Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus Apostolorum Actus versibus exaravit. Quo tempore Beatus Germanus Parisianæ urbis Episcopus in sanctitate clarebat. Tunc etiam Corpus Sancti Antonii, Divina revelatione repertum, Alexandriam refertur. Justinianus igitur eo in tempore, postquam XXXVIII. annis Imperium felici sorte rexit, regni sceptrum cum corona Justino reliquit minori, deficientibus in eo Romanorum historiis.

B Interea Romæ defuncto Pelagio, Joannes natione Romanus de Patre Anastasio illustri viro, Pontificali Cathedra sublimatus est, seditque annis XII. mensibus XI.

Anni Domini DLXIV. Justinus apud Constantinopolim suscepit Imperium, vir in omni avaritia deditus, improbus moribus, exemptor pauperum, Senatorum expoliator, opumque tenacissimus, cui tanta fuit cupiditatis rabies, ut arcas ferreas fieri juberet, in quibus ea, quæ rapiebat, auri argentique talenta congereret. Is cùm à Divinis mandatis aurem cordis averteret, justo Dei judicio amens effectus est. Hic Tiberium Cæsarem ascivit, qui ejus Imperium gubernaret, hominem justum, utilem, strenuum, sapientem, C eleemosynarium, largum, in judiciis æquum, in victoriis clarum, & quod his supereminet, verissimum Christianum. Interea Narsis, cujus ad omnia studium vigilabat, à quibusdam Romanis æmulis apud Imperatorem Justinum, & ejus conjugem Sophiam accusatur, quorum verbis in tantum aures accomodarunt, ut Cæsar ira exardescens, successorem Narseti Longinum direxerit Præfectum. Augusta verò inter alias minas, atque injuriosa verba, quæ de Narsete dixerat (quia Eunuchus erat) dixit eum non Consulatum debere Romanum, sed in gynecæo fœminarum pensa dividere lanarum. Ad hæc Narses: talem se, inquit, D ordinaturum telam ei, qualem ipsa cum viro, dum viveret, deponere non posset. Nec promissa moratus, ad Alboin Regem Longobardorum Legatos mittit, qui Pannoniæ paupperima rura deferere, & ad Italiam solo uberem hortarentur transire. Narses autem urbe Roma relicta, apud Neapolim post aliquantum temporis defunctus est. Continuò apud Italiam igneæ acies in cœlo apparuerunt. Longobardi igitur cum uxoribus, & filiis de Pannonia egressi, postquam habitaverunt ibi XLII. annis, & commodantes terram, quasi propriam hæreditatem, vicinis suis, ingressi sunt Italiam, cùm jam ab Incarnatione Domini DLXVIII. anni essent evoluti, & præ- E erat Longobardis Rex Alboin. Alboin itaque Italiam ingrediens pro Indictione tertia cepit Aquilejam, Venetiam, Forum-Julii, Veronam, & Mantuam, ac Mediolanum, omnesque Liguriæ civitates, Ticinum quoque, ubi Sedem Regni statuerat, & alias usque Tusciam civitates; Roma quoque tantis malis à Longobardis adacta est, (sicut Beatus testatur Gregorius,) ut eis postea tributaria fuerit, itaut cives quintam partem frugum suarum pactione tributi Longobardis persolverent. Interea Rex Alboin, postquam in Italia

A annis tribus & mensibus VI. regnaverat, insidiis conjugis suæ interfectus est. Fuit autem Alboin bellicosissimus, summæque audaciæ vir, bello famosissimus, statura procerus, strenuus, & ad bella peragenda toto corpore coaptatus. Tandem Longobardi præficiunt in regnum Cleph nobilissimum virum; quo vita decedente, postquam uno anno, & mensibus sex tenuit Principatum, Duces in Longobardorum gente decennio sunt creati, & unusquisque Ducum suam regebat civitatem. Per hos Duces Italia ex magna parte capta, & Longobardis subjugata est, nonnullis civitatibus subrutis, expoliatis Ecclesiis, populisque interfectis. E quibus Ducibus aliquanti Gallias prædandi cupiditate petentes irruerunt, præda, & incendiis cuncta devastantes. Quibus ad dimicandum cum exercitu Guthrannus apud Provinciam cum Amato Patricio occurrit, & bello conflicto Patricium ipsum interemerunt, Regem verò Gunthrannum fugaverunt, tantamq; tunc stragem Longobardi victores de Burgundionibus fecerunt, ut vix possit colligi numerus occisorum, & divites facti de ingenti captivorum grege, ac de inæstimabili præda, ad Italiam sunt reversi. Non multo post tempore, tres Longobardorum Duces Gallias irruperunt; quorum unus quidem nomine Amo Ebredunensem carpens viam, usque Machao villam accessit, ibique tentoria fixit. Alius autem Dux, nomine Zaban, per Dersen descendens usque ad Valentiam venit. Tertius verò Dux, nomine Rodanus, Gradionopolim civitatem aggressus est. Et Amo quidem Arelatensem debellavit provinciam cum urbibus, quæ circum sitæ sunt, & usque ad ipsum lapideum campum qui adjacet urbi Massiliensi accedens, universa, quæ invenire poterat, depopulatus est. Rodanus quoque, & Zaban pari modo incendiis, & rapinis loca, ad quæ accesserunt, demoliti sunt. Quæ cùm Mumulo Patricio perlata fuissent, cum valida manu veniens, prius cum Rodano confixit, & multos de ejus exercitu peremit, ipsumque Rodanum lancea vulneratum ad montium excelsa fugere compulit. Qui exinde cum quingentis viris qui ei remanserant per devia sylvarum prorumpens, ad Zaban, qui tunc urbem Valentiam obsidebat, pervenit, eique omnia, quæ acta fuerant, nuntiavit. Qui pariter dum ad Ebredunensem omnia deprædantes venissent, ibi eis Mumulus cum innumero exercitu Francorum occurrit, & commisso prœlio eosdem devicit. Tunc Zaban, & Rodanus sine ullius lucri conquisitione Italiam remearunt. His auditis Amo (ut erat animo fortis) intrepidus Mumulo occurrit, & acriter cum eo prœliando ipsum fugavit, & ejus exercitum stravit. Quo superato cum omni præda collecta Italiam profectus est. Eo siquidem tempore Longobardi comam capitis tondebant, nam cervicem usque ad occipitium radentes nudabant, capillos à facie usque ad os dimissos habentes, vestimenta verò erant laxa, & maximè linea, qualia Saxones habere solent, ornata institis latioribus vario colore contextis. Tibialiis cum fasciolis eorum crura stringebantur: Caligæ verò eis erant usque ad summum policem penè apertæ, & alternatim laqueis corrigiarum retentæ. Postea verò cœperunt sibi osis uti, more Romanorum, super quas equitantes birreos imitabantur.

Anni

Anni Domini DLXXV. mortuo Justino, cùm duodecim annis regnasset, Tiberius Constantinus Romanorum Regum quinquagesimus sumpsit Imperium. Hic sub Justino adhuc Cæsar cùm Rempublicam regeret, & multas egenis eleemosynas erogaret, magnam ei Dominus auri copiam subministravit. Nam deambulans per palatium, vidit in pavimento domus tabulam marmoream Dominicæ Crucis vexillo insignitam, & ait: *Crucem Domini qua pectus frontemque munire debemus indignis quid pedibus calcamus?* & simul cum verbo jussit eandem tabulam auferri à pavimento, qua amota, reperiunt & aliam simili signaculo expressam; post hanc quoque reperiunt & tertiam, quibus ablatis, invênit magnum thesaurum habentem supra mille auri centenaria, sublatumque aurum pauperibus abundantiùs, quàm consueverat, largitur. Narsetis quoque thesaurum in quadam Italiæ Urbe, terra defossum, quodam decrepito sene indicante, invênit, & in simile opus distribuit. Ad hunc Chilpertus Rex Francorum suos dirigens Legatos, multa ab eo ornamenta, aureos etiam quinquaginta singularum accepit librarum, habentes ex una parte effigiem Imperatoris, & in circulo scriptum *Tiberii Constantini perpetui Augusti* ab alia verò, quadrigam, & ascensorem, continentesque scriptum, *gloria Romanorum*. Hujus exercitus ab eo missus Persas potentissimè debellavit, victorque regrediens, tantam prædæ molem cum viginti pariter Elephantis abduxit, ut humanæ crederetur posse sufficere cupiditati.

Præterea Romæ Joanne defuncto, Benedictus natione Romanus, de patre Bonifacio, ei in Pontificatu successit, seditque annis quatuor, mense uno. Quo tempore gens Longobardorum omnem invasit Italiam, comitante fame, & mortalitate. His autem laboribus, & afflictionibus idem Benedictus Papa mortuus est, & sepultus in Basilica Beati Petri.

Huic successit Pelagius, natione Romanus ex patre Unigildo, seditque annis decem mensibus II. Hic absque jussione Principis est ordinatus, eo quòd Longobardi obsiderent Romam, nec posset quisquam à Roma progredi. Hic autem novem præfationes tradidit Ecclesiæ ante Canonem decantandas, & hic sepultus est ad Sanctum Petrum. His autem diebus Beatus Gregorius Diaconus, cùm esset Apocrisarius in eadem urbe Regia, morales libros in Job composuit, & Euthychium ejusdem urbis Episcopum in conspectu Augusti superavit, ita ut ipse Augustus librum illius, quem de resurrectione scripsit, suis catholicis assertionibus destruens deliberaret flammis cremari. Docebat enim idem Euthychius corpus nostrum in illa resurrectionis gloria, & venti aërisque subtilius esse futurum, contra illud dominicum: palpate, & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Tiberius verò Constantinus postquam Imperium septem rexerat annis, sentiens sibi diem mortis imminere, Mauricium, genere Cappadocem, virum strenuum, traditâ sibi in matrimonio filiâ suâ, ad Imperium elegit. Sic ad æternam patriam migravit, maximum luctum populis de sua morte relinquens; fuit autem summæ bonitatis, eleemosynis promptus, in judiciis justus, in judicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in sua bona voluntate complectens, omnes diligens, ipse quoque à cunctis dilectus.

Anni Domini DLXXXII. Mauricius indutus purpura, redimitus diademate ad Circum processit, acclamatisque sibi laudibus, largis per populos muneribus primus ex Græcorum genere in Imperio confirmatus est. At verò Longobardi cùm per annos decem sub potestate Ducum fuissent, tandem communi consilio Authari filium Clephonis supramemorati Principis, Regem sibi statuerunt, quem etiam propter dignitatem Flavium appellaverunt, quo pronomine omnes, qui postea fuerunt Longobardorum Reges usi sunt, ut Flavii dicerentur. Cui ob restaurationem regni Duces, qui tunc erant, mediam totius substantiæ tribuerunt. Gunthrannus autem Rex Francorum propriis orbatus filiis, anno Regni Chliperici quinto decimo Chilbertum nepotem suum adoptavit in filium, eumque Regem constituit. Eo tempore Mauricius Imperator Childeberto Regi Francorum quinquaginta millia solidos per Legatos suos direxit, ut cum exercitu super Longobardos irrueret, eosque Italia propelleret. Qui collecta multitudine hoc agere temptavit, sed minimè potuit. Interea Childebertus Rex Francorum bellum adversùs Gothos agens, eos acie superavit. Rursus verò Mauricius Imperator Legatos ad Childebertum Francorum Regem misit, orans, ut exercitum contra Longobardos mitteret; Childebertus itaque Legatis Mauricii acquiescens, iterum Francorum exercitum, atque Alamannorum ad Italiam contra Longobardos direxit. Verùm Longobardis aciem producere, atque adversariis ire obviam meditantibus, Franci, ac Alamanni dissensionem inter se habentes, sinè ullius lucri conquisitione ad patriam remearunt. Sed non multo post Childebertus legationem ad Mauricium Imperatorem direxit, mandans ei, ut quod priùs non fecerat, nunc contra Longobardorum gentem susciperet bellum, eos ab Italia removeret. Qui nihil moratus exercitum suum ad Longobardorum debellationem direxit in Italiam. Cum quo Authari Rex, & Longobardorum acies non segniter confligunt. In ea pugna Longobardi victoriam capiunt, Franci vehementer cæsi, nonnulli verò capti, plurimi etiam per fugam elapsi, vix ad patriam revertuntur. Interea Authari Rex accepit uxorem Theodolindam filiam Regis Bajoariorum. Authari verò per Spoletum Beneventum pervênit, & easdem regiones accepit. Dehinc usque Rhegium ambulavit, cuncta sibi componens, & quia apud Rhegium intra undas maris columna quædam posita esse dicitur, usque ad eam equo sedens accessit, & eandem hastæ suæ cuspide tetigit dicens: *huc usque erunt fines Longobardorum.* Anno nono decimo Gunthranni, atque Chilperici, Burdigalensis civitas terræmotu concussa est, & de Pyrenæis montibus immensi lapides sunt evulsi, quibus immensa hominum, pecorumque multitudo interiit, ipsaque civitas in proximo incendio concremata est. Aurelianensis urbs incendio simili vastata est. Apud Carnotinum pagum de exfacto pane sanguis effluxit. Cœlum quoque ardere visum est. Anno septimo Childeberti Regis, qui fuit XXI. Chilperici Regis, atque Gunthranni, stella cometes visa est in die Sancto Paschæ. Apud Suessonam civitatem cœlum ardere visum est. In Parisiaco pago san-

sanguis de nube fluens vestimenta multorum hominum cruentavit. Invalitudines variæ, ac mortalitas magna eo anno Francorum attrivere gentem. Per idem tempus Chilpericus Francorum Rex in Sabellianam hæresim lapsus est; qui non multo post tempore revertens de venatione (ut ei mos erat) fraude Fredegundis conjugis suæ interfectus est à Landrico, qui cum ea stupri consuetudinem habere consueverat. Iste quidem invisus suis fuit, nec amabilis extraneis. Regnavit autem ann. XXIII. Eo tempore fuit aquæ diluvium in finibus Venetiarum, & Liguriæ, seu cæteris regionibus Italiæ, quale non fuisse post Noë tempora creditur. In hac valida aquarum procella tantùm Athesis fluvius excrevit, ut circa Basilicam Beati Zenonis Martyris, quæ extra Veronensis civitatis muros sita est, usque ad fenestras superiores aqua pertingeret, licèt in eamdem Ecclesiam aqua minimè introierit, muris ejusdem civitatis maxima ex parte subrutis. Apud urbem verò Romam in tantum Tyberis fluvius excrevit, ut aquæ super muros Urbis influerent, & maximas in ea Regiones occuparent. Tunc per alveum fluminis ejusdem cum multitudine serpentium draco etiam miræ magnitudinis per Urbem transiens, usque ad mare descendit; subsecuta statim est hanc inundationem gravissima pestilentia, quam inguinariam vocant, quæ tanta strage populum devastavit, ut de inæstimabili multitudine vix pauci remanerent, primumque Pelagium Papam perculit, & sinè mora extinxit. Dehinc in populo se ostendit.

Dum igitur tanta tribulatio miseram quateret Romam, Beatus Gregorius, qui tunc Monachus, & Levita erat à cunctis generaliter Papa electus est, anno regni Gunthranni Francorum Regis vigesimo quarto, Indictione VII. In cujus ordinatione cùm nihil aliud, quàm jussio Principis deesset (non enim decebat tunc quemlibet ad Pontificatum Romanum promoveri absque jussione Principis Constantinopolitani) vir Domini Gregorius Legatum cum literis ad Mauricium direxit Imperatorem, obsecrans ne populo in sui electione præberet assensum. Cujus literas Præfectus Urbis interceptas disrupit, & consensum populi Imperatori transmisit. Qui valde gavisus est, quòd locum aptum largiendi honoris Diacono olim sibi amicitiæ familiaritate charissimo reperisset (nam filium ejus de sacro fonte suscepit) eum sinè dilatione ordinari præcepit. Ordinatus autem tam cautum, tamque humilem se in omni sua præbuit actione, ut (sicut ex gestis, sive scriptis ejus dignosci potest) vix nullus in successoribus ejus illi similis possit inveniri in flore eloquentiæ, ac puritate doctrinæ, vel etiam in sanctitate vitæ. Liber quippe Sacramentorum ab eo editus est, & Antiphonarius tam diurnus, quàm nocturnus, & tractatus in Ezechielem, & in quadraginta Evangelia, & in Job moraliter & allegoricè, & ad historiam compendiosè digestus, & Dialogorum liber; & Pastoralis cura Johanni Ravennati directa, & Registrum ad regendam Ecclesiam satis utiliter. Hic instituit ut antiphona cantaretur, quæ vocatur introitus, ad mulcendum audientium animos, deinde Kirie eleison novies decantari, & post epistolam graduale, & alleluja, excepto à Septuagesima usque in Pascha, in quibus diebus Tractus instituit decantandos; post Evangelium verò dum oblationes offeruntur, Offertorium decantari, & post fractionem Eucharistiæ, postquam communicatum fuerit, Post-communionem. Hic idem addidit in Canone: *diesque nostros in tua pace disponas*, & ut alta voce Oratio Dominica super Eucharistiam decantaretur. Hic Lætaniam majorem instituit, instituitque Stationes fieri ad Sanctum Petrum in Natale Domini, in Epiphania, in Dominica de Passione, in Majori Scrutiniorum, in Pascha, & in Albis Paschæ, in Ascensione, in Pentecosten, in Natale Apostolorum, in tertia Dominica de Adventu, & in Dedicatione ejusdem Ecclesiæ, quæ est in Octava Sancti Martini, in Sancti Andreæ, in Cathedra Sancti Petri, in Lætania Majore, & in omni Sabbatho Quatuor temporum, similiter instituit omnibus diebus Quadragesimæ Stationes fieri per diversas Ecclesias, & in Albis Paschalibus; & ut à Septuagesima usque in Pascha non caneretur alleluja; & ut in matutinali Synaxi, in festiva octo tantùm canerentur responsoria, & quotidiana tantùm duo, & ut à Presbytero diceretur: *Deus in adjutorium meum intende.* Hic Doctor eximius anno Mauricii Imperii quartodecimo, Indictione decima tertia, Synodum Episcoporum XXIV. ad corpus Beati Petri Apostoli congregans, de necessariis Ecclesiæ decernit. Idem missis in Britanniam Augustino, Melito, & Johanne, & aliis quampluribus cum eis Monachis timentibus Deum, Anglos ad Christum convertit. Beatus autem Gregorius direxit Theodelindæ Reginæ Langobardorum librum, qui *Dialogus* nominatur, eo quòd religiosa erat, & ferocem viri sui animum sæpissimè piis suggestionibus adversùs Ecclesiam mitigabat; siquidem Regina hæc Basilicam Beati Johannis Baptistæ in Modicia construxit, qui locus supra Mediolanum duodecim millibus abest, multisque ornamentis auri, argentique decoravit. Hac tempestate Autharis Longobardorum Rex exercitum ad Istriam misit, qui post prædas, & incendia facta pace vim magnam pecuniæ Regi Authari detulerunt, Commacinam quoque Insulam obtinuerunt. Quo tempore Hermigildus Levigildi filius Regis Gothorum ob Fidei Catholicæ confessionem à patre Arriano privatus regno, & in carceris vincula projectus, ad extremum in capite percussus est. Anno trigesimo Regis Gunthranni, tunica Domini nostri Jesu Christi, quæ uni militum sorte evênit, inventa est in civitate Zaphat, in arca marmorea facta posita, tempore Thomæ Hierosolymitani Episcopi, & Johannis Constantinopolitani, & Gregorii Antiocheni. Anno XXXI. Gunthranni Regis Authari Rex Longobardorum obiit anno Dominicæ Incarnationis DXC. cui successit Aginulfus in regnum. Guthranus itaque Francorum Rex moritur anno regni sui XXXIII. fuit autem Guthrannus in bonitate præcipuus, in eroganda pauperibus eleemosyna largifluus, Christi Sacerdotibus se humilem præbens, subditis suis benignus, gentibus externis placatus, atque pacificus, & in omni bonitate conspicuus. Cui successit Childebertus ejus nepos, filius Silgeberti; huic autem successerunt duo filii sui adhuc puerili sub tutela Reginæ Brunichildis constituti, & Theodeberto quidem regnum Austrasiorum, sive Burgundionum, quod pater Childebertus à genitore suo Sigeberto sibi relictum acceperat. Theoderico autem regnum Gu-

Gunthranni, quod Childebertus jure adoptionis tenuerat, sorte obvênit. Qui etiam sibi in his locis, quibus & priores constituere sedes. His diebus Audoaldus super Longobardos levatus est Rex ab Aginulfo patre suo, adstantibus Legatis Theodeberti Regis Francorum, & desponsata est eidem Regi puero filia Regis Theodeberti, & firmata est pax perpetua cum Francis. Eodem tempore Francis cum Saxonibus pugnantibus, magna strages ab utrisque partibus facta est. Interea Childebertus Rex Francorum vi veneni extinguitur; Rex autem Theodericus Sanctum Desiderium Viennensem Episcopum priùs exilio relegari, novissimè verò lapidari præcepit. Obiit itaque Theodericus anno regni sui septimodecimo, cui successit in regnum Clotharius Childerici filius. Extinctis igitur, vel varia sorte obeuntibus tot Francorum Regibus, à quibus per XL. fermè & unum regnatum est annos, solus legitimæ successionis hæres Clotharius Chilperico patre genitus ex regia stirpe videbatur relictus, in quo regnandi jus potissimum transfundi oporteret. Interea Mauricius Augustus, postquam XXI. annis Constantinopolitanum rexisset Imperium, cum filiis suis Theodosio, Tiberio, & Constantino occiditur à Phoca tunc Tribuno, qui fuerat Prisci Patricii (*strator*). Fuit autem Mauricius utilis Reipublicæ, deniq; contra hostes sæpe dimicans victoriam obtinuit. Hunni quoque, qui & Avares appellantur, ejus virtute devicti sunt. Hic in medio sui tempore dum Divinæ legi contrarius esset, & à Beato Gregorio frequenter admonitus corrigi nollet, immo eidem viro Dei, quia factis non poterat, verbis injurias irrogare non desisteret, tali meruit à Domino redargui judicio. Denique nocte quadam vidit in somnis assistere se imagini Salvatoris, & vox ex ipsa imagine audita est, dicens: *date Mauricium*, qui cùm præsentatus ab ignotis ministris fuisset, vox iterum sonuit, interrogans illum: quid magìs eligeret, utrum in isto sæculo quæ nequiter egerat recipere, an futuro examini reservari, cui Mauricius: *O Jesu bone, jube me potiùs in isto sæculo malè commissa luere, & venturi judicii diem non formidare, & Electorum tuorum participem fac esse*. Tunc qui loquebatur: *tradatur*, ait, *Mauricius Phocæ militi cum uxore, & filiis*, quod postea evênit.

Anno Dominicæ Incarnationis DCIV. Phoca, ut præmissum est, Romanorum regnum invadens, per octo annorum curricula tenuit. Erat autem hic formidolosus, & sanguinarius, cujus secundo anno Imperii, Indictione VIII. Gregorius Papa migravit ad Christum; sepultusque est in Ecclesia Beati Petri, ante Secretarium. Eo siquidem tempore Theodepertus, & Theodericus Reges Francorum adversùs Chlotharium patruum suum dimicaverunt, in quo certamine ex utraque parte multa millia hominum ceciderunt.

Interea Sabinianus natione Romanus, ex patrè Bono, successit Gregorio in Pontificatus honorem, seditque anno uno, mensibus V. Hic autem tempore famis jussit aperiri horrea Ecclesiæ, & venundari frumenta per unum solidum tritici modios triginta. Hic in Ecclesia Beati Petri luminaria addidit, & sepultus est in Ecclesia ejusdem Beati Petri.

Bonifacius natione Romanus ex patre Catadioco huic successit in Pontificatu, seditque mensibus novem. Hic obtinuit à Phoca Cæsare privilegium, ut Romanæ Ecclesiæ Constantinopolitana subjiceretur, & ut Romana Ecclesia caput esset omnium Ecclesiarum. Hic in Synodo constituit, ut nullus in Episcopatu eligatur, nisi post tertium diem obitus Episcopi prædecessoris; & ut ipsa electio à Clero communiter & populo fiat, & sic subsequatur assensus Principis ejusdem civitatis. Quo vita decedente alter Bonifacius natione Marsorum, ex patre Joanne, ei successit in Pontificatu, seditque anno uno mensibus octo. Hic à Phoca Cæsare obtinuit dari sibi templum, quod ab antiquis vocabatur Pantheum, quod ipse ablatis Idolatriæ sordibus consecravit in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ & omnium Sanctorum. Et hic sepultus est ad Sanctum Petrum Apostolum. Quo tempore Persæ adversùs Rempublicam gravissima bella gerentes multas Romanorum provincias, & ipsam Hierosolymam auferunt, & destruentes Ecclesias, sancta quæque prophanantes inter ornamenta locorum, atque Sanctorum, quæ diripuerunt, etiam Dominicæ Crucis lignum de Hierosolyma adducunt. Interea Phoca Imperator ab universo Senatu deseritur, qui perversa insaniens mente, opes Imperii in mare projiciebat; contra hunc Heraclius Præfectus, qui tunc Africam regebat cum exercitu veniens eum regno vitaque privavit. Eo quoque tempore Agilulfus Longobardorum Rex, qui & Ajo est appellatus, postquam XXV. regnaverat annos diem clausit extremum, cui Audoaldus filius ejus unà cum matre in Regnum successit. Sub his autem Ecclesiæ restauratæ sunt, & multæ donationes per loca venerabilia largitæ; sed dum Audoaldus accepta potione à quodam Imperatoris Legato, adversa mente insaniret, postquam cum matre decem regnaverat annis, de regno ejectus est, & à Longobardis in loco ejus Arioaldus est substitutus. Circa hæc tempora Beatus Columbanus, genere Scothus, postquam in Gallia in loco, qui Luxovium dicitur Monasterium construxerat, in Italiam veniens, Monasterium, quod Bobium dicitur in Alpibus Cociis ædificavit. Chlotharius verò Francorum Rex anno regni sui quadragesimo nono Dagobertum filium suum regni fecit consortem. Anno autem XVI. susceptæ Monarchiæ, paterni autem regni XLIV. Chlotharius moritur, qui propter avi sui simile nomen, junior appellatus est: fuit autem vir patiens, literis eruditus, timoris Dei plenus, pauperibus victus necessaria tribuens, Ecclesiarum Dei, atq; Sacerdotum (*decori*) consulens; cui Dagobertus filius successit, ex cujus adventu fiducia bonis, maximèque pauperibus orta, seditiosos verò atque rapinæ intentos formido gravis invaserat, ac quædam mentium consternatio. Hic Beato Arnulpho Metensium civitatis Episcopo ad audiendam literam traditus fuerat, consilio cujus postea bene ac præclarè plura faciebat. Dagobertus quippe cunctam Austriam cum Burgundia, cunctamque Neustriam cum Guasconum terra suo dominio subegit; post discessum verò Beati Arnulphi idem Dagobertus consilio Pipini qui erat Majordomus utebatur.

Anni Domini DCXII. Heraclius Heracliani filius, occiso Phoca ei in Imperium substituitur; hic Heraclius multas provincias à Persis pervasas Reipublicæ restituit, monomachiam pu-

pugnam cum Ductore exercitus Persarum, proposita lege, ipse Heraclius elegit, eumque percussum equo dejecit mortuum, Chosroë quoque Regem Persarum gladio suo interfecit: filium verò ejus baptizatum de sacro fonte levavit, eumque Regem in Regno constituit, pervagatusque universam Persidem, argentum turris, in qua Chosroë sedem constituerat, exercitui suo tribuit. Aurum verò restaurationi deputans Ecclesiarum, quas Chosroë destruxerat, ipse Heraclius cum multimoda præda, ac septem Elephantis multis opibus oneratis, absumpta etiam Salvatoris Cruce, Hierosolymam remeavit, ipsamque Crucem in loco suo reposuit, captivos in propria restituit, ac deinde Constantinopolim rediit. Fuit autem Heraclius vultu decorus, visu hilaris, statura mediocris, egregiæque fortitudinis, qui sæpe leones in arena plures interfecit: cùmque literis abundè esset instructus, ad ultimum astrologus efficitur. Hic sociata sibi jure connubii sororis suæ filia in Euthychis delapsus est sectam. Quo tempore Anastasius Persa Monachus nobile pro Christo martyrium patitur, qui natus in Perside magicas à patre puer artes discebat: sed ubi à captivis Christianis nomen Christi acceperat, in eum mox animo toto conversus, relicta Perside, Hierosolymam petiit; ubi acceptâ baptismatis gratiâ Monasterium intravit, ibique VII. annis regulariter vixit. Tandem captus à Persis, & multa diu verbera inter carceres, & vincula perpessus, mittitur ad Chosroë Regem Persarum, à quo per intervalla temporis verberatus, ad extremum una manu per tres horas diei suspensus, sic decollatus cum aliis septuaginta martyrium complevit. Mox tunica ejus indutus quidam dæmoniacus curatus est. Interea superveniens cum exercitu Heraclius Princeps, superatis Persis, Christianos, qui erant captivi, reduxit gaudentes. Reliquiæ Beati Martyris Anastasii primò in Monasterium suum, deinde Romam advectæ venerantur in Monasterio Beati Pauli Apostoli ad aquas Salvias.

Præterea Romæ defuncto Bonifacio, Deusdedit natione Romanus, ex patre Stephano Subdiacono, ei in Pontificatu substituitur, seditque annos tres mense uno: hic constituit sub interminatione separationis, ut nulla mulier filium suum de fonte susciperet, similiter & in Confirmationibus; & hic sepultus est ad Sanctum Petrum.

Huic successit Bonifatius, natione Campanus, ex patre Joanne, seditque annis quinque; hic autem Beatissimus Papa Bonifacius paterna pietate Clericos aluit, pauperes fovit, cunctos honorans, fuit mitissimus in diebus suis super omnes homines & misericors, unde & ipse ab omnibus amabatur. Hic constituit, ut nullus de Ecclesia trahatur, & ut nullus aliquid de Ecclesia rapere audeat, & hic sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum.

Successit autem huic Honorius, natione Campanus, ex patre Consule, seditque annis XII. mensibus XI. Hic autem piè Clerum erudivit, & inter eleemosynas, quas quotidie clementer pauperibus distribuebat, multas Ecclesias auro, argentoque, & ære decoravit: & decrevit omni Sabbatho à Sancto Apollinare usque ad Sanctum Petrum procedere cum Lætaniis.

Severinus natione Romanus, ex patre Abieno, tempore Heraclii post Honorium suscepit Episcopatum, seditque mensibus duobus. Hic autem sanctus atque benignus fuit, amator Cleri, & pauperum, largus, atque mitissimus: hic dilexit Clerum, & omnibus dona augumentavit, & hic sepultus est ad Sanctum Petrum.

Huic autem successit Joannes natione Dalmata, ex patre Venantio Scholastico, seditque anno uno mensibus VIII. Hic distraxit Ecclesiæ thesauros, & multa millia hominum per Istriam, & Dalmatiam à servitute redemit, & hic sepultus (*est*) ad Beatū Petrum Apostolum. Interea Arioaldus, postquam super Longobardos XX. (71) regnum tenuerat annis, ab hac luce subtractus (*est*). Longobardorum regnum Rothari suscepit; fuit autem viribus fortis, & justitiæ tramitem sequens, Arriana tamen pêrfidia maculatus. Quo tempore penè per omnes civitates regni ejus duo Episcopi erant, Catholicus, & alter Arrianus. Hic autem Rothari Rex Longobardorum leges, quæ sola memoria, & usu retinebantur, scriptorum serie composuit, Codicemque ipsum (*edictum*) appellari præcepit; erat autem, ex quo Longobardi (*in*) Italiam venerunt, annus LXXVII. Rothari verò Romanorum civitates ab urbe Tuscia, & universa quæ in litore maris sita sunt, usque ad Francorum fines sibi parêre coëgit; qui postquam annis sex mensibus III. regnum tenuerat, vita decedens, Longobardorum regnum Rodoaldo filio suo reliquit. Hic cùm juxta Basilicam Beati Joannis Baptistæ fuisset humatus, quidam iniqua cupiditate succensus, ejus sepulcrum nocctu aperuit, & quidquid in ornamentis ejus corporis reperit, abstulit: cui Beatus Joannes per visionem apparens, eum vehementer conterruit, eique dixit: *cur ausus es corpus istius hominis contingere? fuerit licèt non rectè credens, tamen mihi se commendavit. Quia igitur hoc facere præsumpsisti nunquam in meam Basilicam deinceps ingressum habebis*, quod ita factum est: quotiescumque enim voluisset oraculum Beati Joannis ingredi, statim à validissimo velut pugillo guttura ejus feriebatur, sic subitò retro ruebat impulsus. Radoaldus igitur post mortem patris Longobardorum suscipiens Regnum, Gundibergam filiam Theodelindæ Reginæ in matrimonio sibi sociavit: hæc Gundiberga Regina, sicut mater ejus in Modicia, sic & ista intra Ticinensem civitatem Basilicam in honorem Beati Joannis Baptistæ construxit, quam mirè ex auro, & argento, peplisque decoravit, rebusque singulis optimè ditavit. Rodoaldus Rex (ut fertur) dum uxorem cujusdam Longobardi stuprasset, ab eodem est interfectus, postquam septem diebus & quinque regnaverat annis. Huic in regimine successit Aripertus filius Gundaldi, qui fuerat germanus Theodelindæ Reginæ. Hic condidit apud Ticinum extra portam oraculum Domini Salvatoris, quod & ornamentis variis decoravit, & substantiis sufficienter ditavit.

Interea Romæ Joanne defuncto, Theodorus natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo in Pontificatu Romano ei successit, seditque annis sex & mensibus V. Hic librum pœnitentialem composuit. Heraclius anno XXVI. susceptæ potestatis diem ultimum clausit.

Anni

(71) *Paulus Diaconus* XII.

A Anni Domini DCXXXIX. defuncto Heraclio, Heraclonas frater ejus cum matre sua Martina Constantinopolitana jura suscepit, rexitque Imperium annis duobus, & mensibus VI. Hujus tempore Cyrus Alexandriæ, Sergius, & Pyrrhus Regiæ Urbis Episcopi, Acæphalorum hæresim instaurantes, unam operationem in Christo Humanitatis, & Divinitatis, unamque voluntatem dogmatizabant. E quibus Pyrrhus sub Papa Theodoro Romam veniens ex Africa, fictâ, ut post apparuit, pœnitentiâ, obtulit eidem Papæ, præsente Clero, & Populo libellum cum sua scriptione (72), in quo condemnarentur omnia, quæ à se, vel à prædecessoribus suis scripta, vel acta sunt adversùs Catholicam B Fidem. Unde & benignè susceptus est ab eo, quasi Regiæ Pontifex civitatis. Sed quia reversus domum repetiit errorem domesticum, memoratus Papa, advocatis cunctis Sacerdotibus, & Clero in Ecclesia Beati Petri Apostolorum Principis, condemnavit eum sub vinculo anathematis. Fuit autem Papa Theodorus amator pauperum, largus, & multùm misericors, qui sepultus est ad Sanctum Petrum Apostolum.

Anno Incarnationis Dominicæ DCXL. mortuo Heraclona, surrexit germanus ejus, Constantinus nomine, qui regnavit mensibus sex. Hujus temporibus Paulus Pyrrhi successor, C non tantum vesana doctrina, sicut decessor ejus, sed aperta persecutione Catholicos cruciat. Apocrisarios quoque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui ad ejus correptionem missi ad Constantinopolim venerant, partim carceribus, partim exiliis, partim verberibus affecit. Unde & ipse, sicut prædecessores illius, ab Apostolica Sede damnatus est.

Interea Romæ defuncto Theodoro Papa, Martinus natione Tuscus in loco ejus constituitur, seditque annis sex, mense uno. Hic dum Missarum solemnia ad Altare Dei Genitricis Mariæ, quod dicitur ad Præsepe, celebraret, Spatharius Olympii Ducis missus ut eum interficeret, Divina benignitate percussus cœcitate, eum videre non potuit. D

Anno ab Incarnatione Domini DCXLII. Defuncto Constantino, Constantinus filius ejus, qui & Constans est appellatus, accepit Imperium, qui regnavit annis XXVIII. Hic deceptus est à Paulo, sicut Heraclius avus ejus à Sergio ejusdem civitatis Episcopo; exposuit typum adversùs Catholicam Fidem, nec unam, nec duas voluntates aut operationes in Christo definiens esse confitendas, quasi nihil velle, (*vel*) operari credendus sit Christus. Unde Martinus Papa congregata Romæ Synodo Episcoporum CV. damnavit sub anathemate hæreticos, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Constantinopolitanos Patriarchas. Et post hæc missus ab Imperatore Theodorus Exarchus tulit Marti- E num Papam de Ecclesia Constantiniana, & Constantinopolim perduxit; qui post hæc exilio relegatus Chersonam, ibidem vitam finivit. Facta est autem hæc Synodus anno nono Constantini, Indictione octava.

Huic autem successit Eugenius natione Romanus, ex patre Ruffiniano, seditq; annis duobus mensibus VI. Qui fuit benignus, mitis, mansuetus, in omnibus affabilis, Canonum quoque scientia eruditus, & sanctitate præclarus, & hic sepultus est ad Sanctum Petrum.

Cui successit Vitalianus natione Signensis, ex provincia Campaniæ, de patre Anastasio, seditque annis XIV. mensibus VI. Hic composuit cantum, quo hodie Romani utuntur. Circa hæc tempora Regis Persarum conjux, nomine Cæsara, de Perside exiens, cum paucis Fidelibus Christianis, propter Christianum Fidei amorem, Constantinopolim vênit, quæ ab Imperatore honorificè suscepta, post aliquot dies Baptismum, ut desiderabat, accepit, & ab Augusto de sacro fonte levata est. Quod vir ejus Rex Persarum audiens, Legatos Constantinopolim ad Imperatorem direxit, quatenus ei suam redderet uxorem. Imperator hoc audiens, respondit eis dicens: *Rem, quam quæritis, omnino ignoro; est tamen hìc quædam mulier Christianissima, quam nescio vestram esse Reginam*. Legati responderunt, dicentes: *Si placet, cupimus hanc videre mulierem*, quæ cùm jussu Imperatoris venisset, mox Legati ut eam conspiciunt, ad ejus vestigia provolvuntur, eique venerabiliter, quia eam vir suus requireret suggerunt; quibus illa: *Ite*, inquit, *& renunciate Domino vestro, quia sicut ego jam credidi, ita & ipse nisi in Deum crediderit, me jam ultra consortem thori habere non poterit*. Quid multa? Legati reversi ad patriam, universa, quæ audierant, Regi suo nunciant. Rex itaque nihil moratus cum LX. millibus viris (73), Costantinopolim pacificè ad Imperatorem vênit, à quo gratanter, & satìs dignè susceptus est; qui cum suis universis in Christum Dominum credens, pariterque sacri Baptismatis unda perfusus, & ab Augusto de fonte levatus, Catholica Fide confirmatus est, multisque muneribus ab Augusto muneratus, accepta sua conjuge, lætus & gaudens cum suis ad propria remeavit. Præterea Aripertus Longobardorum Rex, postquam per annos novem regnaverat, diem claudens extremum, regnum duobus filiis adhuc adolescentibus, Perthari (74), & Godeberto regendum reliquit, & Godebertus quidem Ticini sedem habuit, Perthari verò in civitate Mediolanensi. Grimoaldus autem Beneventanorum Dux hoc audiens suggestione Garipaldi Taurinatium mox animum omnium ad regnum Longobardorum obtinendum erexit, ordinavitque apud Beneventum Romualdum filium suum Ducem. Ipse cum electa manu Ticinum properans, per omnes civitates, per quas viam habuit, sibi amicos, atque adjutores ad regnum percipiendum ascivit. Cùmque Placentiam venisset, præmisit ante se prædictum Garipaldum totius mali incentorem ad Godebertum, nuncians quòd Grimoaldus cum valida manu in ejus obsequium veniret. Garipaldus autem, postquam Godeberto domino suo consiliatus fuerat, ut intra palatium Ticini Grimoaldum hospitio reciperet, persuasit domino suo Godeberto, ut non aliter, quàm lorica sub veste indutus, cum Grimoaldo locuturus adveniret, asserens, quia eum Grimoaldus occidere vellet. Rursus idem fallendi artifex ad Grimoaldum veniens dixit: quòd nisi se fortiter præpararet, eum Godebertus suo gladio perimeret, asseverans Godebertum, quando cum

(72) *Lege* subscriptione.

(73) *In Paulo Diacono Amb. Bibl.* XII. millibus,

(74) *Seu* Bertarido.

cùm eo ad loquendum veniret, loricam sub veste gestaret. Quid plura? ad colloquendum die crastina cùm venissent, & Godebertum Grimoaldus post salutationem amplexatus esset, statim sensit, quòd loricam sub veste gestaret; nec mora evaginato gladio eum vita privavit, regnumque ejus, & omnem potestatem invadens, suæ subdidit ditioni. Quo audito Perthari, qui apud Mediolanum regnabat, quanta potuit velocitate fugam arripuit, atque Scythiam ad Cacanum Regem Avarum pervênit. Erat autem quidam parvulus homunculus de propria familia Godeberti; is cùm Garibaldum Ducem in ipso sacratissimo die Paschali ad Ecclesiam venturum sciret, super sacrum Baptisterii fontem conscendens, lævaq; manu se ad columellam tugurii tenens, unde Garipaldus venerat, toto annisu eum in cervice percussit, & protinus caput ejus amputavit, qui licèt ab his, qui cum Garipaldo venerant, interfectus fuerit, domini sui mortem ultus est. Eo tempore, quo Grimoaldus regnum Longobardorum arripuerat, Dagobertus Francorum Rex anno regni ejus decimoquarto, circumpositis gentibus, nationibusque sibi subjugatis, ac per circuitum pace facta, ad pietatem intendit, & ut se gratum Deo ostenderet, universas penè Galliæ Ecclesias patrimonii sui hæredes instituit. Erat autem in Regno ejus Pipinus de Potentissimis Austrasiorum, familiaritati ejus inhærens, qui odebat improbos, nec se miscebat flagitiosis. Hunc quidam malignantium Dagoberto adorsi sunt facere odiosum. Sed Domini protectus clementia, cujus in observanda justitia sectabatur præcepta, & insidias paratas evasit, & Regi utilia suadendo fidelissimus apparuit. His diebus Donus Romanæ Ecclesiæ Episcopus locum, qui Paradisus dicitur, ante Basilicam Beati Petri Apostoli candidis & magnis marmoribus stravit. Hac tempestate Francorum exercitus de Provincia egrediens in Italiam introivit. Contra quos Grimoaldus cum Longobardis progressus, hac arte eos decepit. Fugere quippe eorum impetu simulans, castra simul cum tentoriis, & diversis pariter referta bonis, præcipuèque vini optimi copia, hominibus autem vacua reliquit. Quò cùm Francorum acies advenissent, æstimantes Grimoaldum cum Longobardis pavore deterritos castra integra reliquisse, mox læti effecti, certatim cuncta invadunt, & cœnam affluentissimam instruunt. Qui dum diversis epulis multoque degravati vino, & somno quievissent, Grimoaldus super eos noctis medio irruens tanta eos cæde prostravit, ut vix pauci ex eis elapsi, ad patriam valuerint repedare. Qui locus ubi hoc gestum est, usque hodie rivus Francorum appellatur. Non post multum verò temporis Dagobertus Francorum Rex cum Rege Grimoaldo firmissimæ pacis fœdus iniit, suosque filios Sigibertum quidem Austrasiis, Clodoveum, verò pari dignitate Neustriæ præfecit. His diebus Constantinus Augustus, qui & Constans est appellatus, Italiam à Longobardorum manu eripere cupiens, Constantinopolim egressus Tarentum applicuit. Hic Italiæ fines invasit, omnesque per quas venerat Longobardorum civitates cepit. Ortonam autem atque Luceriam, & Ecanam, aliasque Apuliæ civitates invadens, expugnavit, diruit, & solum usque destruxit. Acerentiam verò pro-

A pter munitissimam loci positionem capere minimè potuit. Deinde cùm omni suo exercitu Beneventum circumdedit, & vehementer eam expugnare cœpit. At Romoaldus filius Grimoaldi Regis, statim ut Imperatoris adventum cognovit, ad patrem suum direxit, obsecrans, ut quantocius veniret, & suo filio, ac Beneventanis potenter succurreret. Quod Grimoaldus Rex audiens, statim cum exercitu Beneventum properare cœpit. Erat autem tunc Beneventanorum Episcopus Beatus Barbatus. Metuens igitur Imperator subitum Grimoaldi Regis adventum, dimissa Beneventi obsidione, Neapolim proficiscitur. Postquam

B verò Imperator Neapolim pervênit, unum ex ejus Comitibus, cui nomen Saburrus erat, cum viginti millibus militum direxit, ut cum Grimoaldo pugnaret. Grimoaldus qui jam Beneventum advenerat, hoc audiens voluit contra eos proficisci. Cujus filius Romoaldus: non opus est (inquit) sed tantùm partem nobis de vestro exercitu tribuite, & ego Deo favente cum illis pugnabo, & cùm vicero, major gloria vobis ascribetur: factumque est. Cùmque utræque partes forti contentione pugnarent, tunc unus de Longobardorum exercitu, qui regium comtum ferre solitus erat, quendam Græculum eodem comto utrisque manibus percutiens, sella super quam equitabat sustulit, eumque in aëra super caput suum

C levavit. Quod cernens Græcorum exercitus, mox immenso pavore perterritus, in fugam convertitur, magnaque pernicie cæsus, fugiens mortem, Longobardis victoriam peperit. Ita Saburrus Dux exercitus Græcorum cum paucis remeans, ignominiam deportavit. Romoaldus verò patratâ victoriâ, Beneventum ad patrem gaudens cum triumpho remeavit. Imperator itaque iracundiam corde conceptam in suos, hoc est in Romanos, convertit. Moxque Romam pertendit, & à Vitaliano Papa honorificè fusceptus, primo quidem die obtulit Beato Petro pallium auro textum, in crastinum verò per duodecim continuos dies,

D quos ibi resedit, omnia, quæ fuerant antiquitus in ornamentum civitatis ex ære instituta deponi jussit, in tantùm ut etiam Basilicam Beatæ Mariæ Pantheon antiquitus vocatam, discooperiret, tegulasque ex ære factas exinde auferret, easque cum aliis ornamentis Constantinopolim inde transmitteret. Qui tamen ubi Siciliam attigit, meritum pretium tantarum iniquitatum luit. Nam ejusdem Insulæ incolas, Calabriæque, ac Sardiniæ, atque Africæ afflictionibus tam gravissimis attrivit, ut uxores à maritis, & filii à parentibus separati duram cogerentur perpeti servitutem, mansitque in Sicilia ab Indictione VII. usque in XII. Igitur Imperator, suis, quàm hostibus

E infestior, à militibus ejus sævitiam execrantibus in balneo interficitur, nec longo post tempore Vitalianus Papa diem obiit.

Cui successit Adeodatus natione Romanus, ex Monacho de patre Jobiniano, seditque annis IV. mensibus II. Hic autem mitissimus erat, ac benignissimus, & cunctos homines libenter excipiebat ad se venientes à majore usque ad minorem. Peregrinis piè compassionem exhibebat, & quod ab eo unusquisque postulabat, sinè dubio impetrabat. Hujus quoque diebus tantæ pluviæ extiterunt, ut denuo legumina nascerentur, & ad maturitatem pervenirent. Et hic sepultus est ad Beatum Petrum.

 Huic

A Huic verò successit Donus natione Romanus ex patre Mauricio, seditque annis V. mensibus V. Hujus temporibus mense Augusto, apparuit Stella splendidissima à parte Orientis, à Galli cantu usque manè, mensibus tribus, cujus radii cœlos penetrabant. Et hic sepultus est ad Sanctum Petrum.

Successit autem ei Agatho natione Siculus, seditque annis II. mensibus VI. Hic autem benignus fuit, ac mansuetus, & omnibus hilaris, atque jucundus. Cujus temporibus Indictione octava, mense Julio, Luna pertulit eclypsim, statimque mortalitas gravissima subsecuta est. Hic autem Agatho dum Constantinopolim causâ componendæ pacis inter Longobardos & Imperatorem veniret, B obvium habuit in porta civitatis leprosum, cui cùm osculum dedisset, statim à lepra mundatus est. At verò Grimoaldus Longobardorum Rex, nono die post flevotomum brachii, accepto arcu columbam sagittare nisus, ejus brachii vena dirupta est. Cui (ut fertur) medicis venenata medicamenta superponentibus, ipse mortuus est. Hic in edicto, quod Rothari Rex composuerat, àliqua capitula legis, quæ utilia sunt, adjecit. Fuit autem corpore validus, audacia primus, calvo capite, barba prominenti, non minùs consilio, quàm viribus decoratus. Cujus corpus sepultum est in Basilica Beati Ambrosii Confessoris, quam dudum C ipse intra Ticinensem civitatem construxit. Hic post mortem Ariperti Regis expleto jam uno anno, & mensibus tribus, Longobardorum Regnum invasit, regnavitque annis novem. Igitur Perthari filius Ariperti Regis, de quo supra diximus, qui priùs in Scythia exulaverat, postea verò in Gallia, cùm de Gallia navem ascenderet, ut Insulam Britanniæ, & ad Regem Saxonum transmearet, haud longè à litore vox audita est. *Vos, qui in navi estis, dicite Perthari, ut revertatur in patriam suam, quia tertia dies est hodie, qua Grimoaldus ab hac luce subtractus est*. Quo audito Perthari, quamvis neminem videret, statim tamen reversus est, & exinde D ad patriam tendens, mense tertio post mortem Grimoaldi in regnum levatus est. Erat autem Perthari Rex vir pius, Fide Catholicus, justitiæ tenax, pauperumque largissimus nutritor. Qui statim Beneventum misit, & Rodelandam suam conjugem, & Cunipertum filium ejus revocavit. Qui ut regni jura suscepit, in loco, unde olim fugerat, juxta Ticinum construxit Monasterium in honorem Sanctæ Virginis, & Martyris Aghatæ, in quo multas Virgines congregavit, rebusque pariter ac ornamentis ditavit. Regina verò ejus uxor Basilicam Sanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, quæ ad Perticas appellatur, miro opere condidit, ornamentisque decoravit. E Interea Dagobertus Francorum Rex profluvio ventris laborans, circa fluvium Sequanam haud procul à Parisiis diem clausit extremum. Cujus corpus in Ecclesia Sancti Dionysii Martyris sepultum est. Fuit autem Dagobertus Rex admodum cautus, ingenio astutus, circa benevolos, & sibi fideles mansuetus, rebellibus autem, ac perfidis valde terribilis; exercitiis corporis, maximèque venationi deditus, atque in omni agilitate corporea strenuus; peritia quoque, atque virtute in bello prævalidus. At eo tempore, quo ipse defunctus est, eâdem horâ cuidam solitario in quadam Insula Siciliæ degenti, qui Joannes dicebatur Eremita, cùm se sopori dedisset, haud procul in pelago deformes truculenta facie dæmones vinctum Regem Dagobertum per spatia maris agitantes, inflictisque insuper verberibus ad Vulcania loca trahentes (*apparuerunt*). Qui distentus cruciatius, inter agitationes, & verbera, quorundam Sanctorum audiebatur postulare suffragia. Cùm repentè aperto cœlo, inter fulmina in fluctus cum fragore ruentia, visi sunt descendisse viri decore nitentes mirabili. Requirere solitarius cœpit ab eis, qui essent. Qui dixerunt se esse illos, quos Dagobertus ad suum vocaverat solatium; Dionysium videlicet, ac Mauricium Martyres, nec non & Martinum Confessorem. Hi ereptam dæmonibus animam, secum ad æthera levaverunt, canentes hunc Psalmum: ***Beatus quem elegisti, & assumpsisti, Domine, habitavit in tabernaculis tuis***. Hæc vir ille venerabilis Joannes Anstardo defensori Pictaviensis Ecclesiæ, qui tunc evectu navali, partes peragrabat Siciliæ, retulit se vidisse. Qui sinè mora in Gallias reversus, hæc Sancto Audoëno narravit.

Anno Dominicæ Incarnationis DCLVIII. Constantinus filius Constantis Superioris Regis, post mortem patris habenas Imperii accepit. Hujus quidem anno septimo decimo, Sarraceni Siciliam invadunt, & prædâ nimiâ secum ablatâ, mox Alexandriam redeunt. Eodem anno Agatho Papa ex rogatu Imperatoris ipsius, misit Legatos suos Constantinopolim, in quibus erat Joannes Romanæ Ecclesiæ tunc Diaconus, non longè post Episcopus, pro adunatione facienda Sanctarum Dei Ecclesiarum. Qui benignissimè suscepti à Constantino Catholico, jussi sunt remissis disputationibus philosophicis, pacifico colloquio de Fide vera perquirere, datis eis de Bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum Patrum, quos petebant, libellis. Adfuere autem Episcopi centum quinquaginta, præsente Georgio Patriarcha Regiæ urbis, necnon & Antiochiæ Machario. Hi autem unam voluntatem, & operationem astruebant in Christo, falsantes Patrum Catholicorum dicta perplurima. Finito autem conflictu Georgius convictus est. Macharius verò cum suis sequacibus, simul & prædecessoribus Cyro, Sergio, Honorio, Petro, Paulo, & Pyrrho anathematizatis, & in locum ejus Theophanius Abbas de Sicilia Antiochiæ Episcopus factus; tantaque gloria legatos Catholicæ partis comitata est, ut Joannes Portuensis Episcopus, qui erat unus ex ipsis, Dominica octava Paschæ Missam publicam in Ecclesia Sāctæ Sophiæ coram Principe, & Patriarcha (*latinè*) celebraret. Hæc est Sexta Synodus universalis Constantinopoli celebrata, & Græco sermone conscripta, temporibus Papæ Agathonis, exequente, ac residente Principe Constantino intra palatium suum, simulque legatis Apostolicæ Sedis, & Episcopis CL. residentibus. Prima enim universalis Synodus in Nicæa congregata est CCCXVIII. Patrum, temporibus Julii Papæ sub Constantino Augusto. Secunda in Constantinopoli CL. Patrum contra Macedonium, & Eudoxium, temporibus Damasi Papæ & Gratiani Principis, quando Nectarius ejusdem urbis est ordinatus Episcopus. Tertia in Epheso CC. Patrum contra Nestorium Augustæ urbis Episcopum sub Theodosio magno

gno Principe, & Papa Cœlestino. Quarta in Chalcedone DCXXX. Patrum sub Leone Papa, temporibus Marciani Principis (*) contra Theodorum, & omnes hæreticos, qui Beatissimam Mariam solum hominem, non Deum & hominem genuisse affirmabant. In qua Synodo Catholicè est constitutum, ut Beata Maria semper Virgo Theotocos diceretur, quia verè Deum & hominem genuit. Sexta hæc, de qua in præsenti diximus. Quo tempore Sancta & perpetua virgo Christi Ethlirida, filia Annæ Regis Anglorum, primò Zefrido Regi conjux data, postquam XII. annos thorum incorrupta servavit maritalem, post Reginam, sumpto velamine sacro, virgo sanctimonialis efficitur; nec mora, etiam virginum mater, & nutrix pia Sanctorum, accepto ad instruendum Monasterium loco, quem Elege vocant. Cujus merita vivacia testatur etiam mortua caro, quæ post annos XVII. in sepultura cum veste, qua involuta est, incorrupta reperitur. Constantinus Imperator, postquam XVIII. annos Imperium rexerat, apud Constantinopolim moritur. Cui successit Justinianus filius ejus minor. Interea prædictus Agatho Romanæ Ecclesiæ Pontifex diem obiit.

Cui successit Leo, qui dictus est Junior, natione Siculus, de patre Paulo, seditque mensibus X. Vir omnium virtutum meritis decoratus. Erat enim eloquentissimus, in Divinis Scripturis sufficienter instructus, Græca, Latinaque lingua eruditus, atque scholasticus. Cantilena, ac psalmodia præcipuus, & in eorum sensibus subtilissima exercitatione limatus. Bonorum omnium exorator operum, solertissimè scientiam plebi florentissimam ingerebat, paupertatis amator, erga inopum provisionem non solùm mentis pietate, sed & studii labore sollicitus. Hic & sextam suscepit Synodum, condemnans ea, quæ eadem Synodus condemnaverat. Hic constitutum fecit, ut qui ordinatus fuerit Archiepiscopus, nullam consuetudinem pro usu Pallii, aut diversis officiis Ecclesiæ persolvere debeat, aut alius pro hoc accipere, qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum.

Huic autem successit Benedictus, cognomento Junior, natione Romanus, de patre Joanne, seditque mensibus X. Hic ab ineunte ætate suæ Ecclesiæ militavit, atque sic se in Divinis Scripturis, & cantilena à puerili ætate, & in Presbyteri dignitate nomine pariter & operibus exhibuit, ut dignè ad Pontificatus honorem perveniret; paupertatis namque fuit amator, humilis, mansuetus, & omnibus compatientiam habens, manuque largissima. Hic instituit, ut ad tumulandum Romanum Pontificem, omnes ejusdem Ecclesiæ Clerici concurrerent, similiter & ipse in eorum faceret obsequiis. Hujus temporibus apparuit Stella juxta Virgilias per aliquot dies & noctes, Cœlo sereno, inter Natalem Domini, & Epiphaniam omnimodo obumbrata, veluti Luna sub nube. Post hæc eodem anno, mense Martio, mons Vesuvius, qui est in Campania, eructavit incendium, & omnia circumquaque adjacentia præ cinere ipsius exterminata sunt. Non post multos verò dies idem Papa defunctus est, & sepultus ad Sanctum Petrum Apostolum.

Successit autem ei Joannes, natione Syrus, de provincia Antiochiæ, ex patre Cyriaco, seditque uno anno. Vir valde strenuus, atque scientia præditus, & omnimodo moderatus. Hic autem juxta pristinam consuetudinem in Ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana electus est, temporibus Justiniani Augusti, atque in eodem Episcopio consecratus à tribus Episcopis, videlicet Hostiense, Portuense, & Beliternense, sicut prædecessor ejus Leo Papa. Hic etiam librum de Pallii dignitate composuit. Qui sepultus est ad Sanctum Petrum.

Post hunc itaque Conon Thracia oriundus, educatus apud Siciliam, postmodum apud Romanam Ecclesiam militans, Presbyter effectus, Pontificatus honore sublimatus est, seditque mensibus XI. In cujus electione, dum ad Episcopatum quæreretur, non minima contentio facta est, eo quòd Clerus in Petrum Archipresbyterum intendebat; exercitus autem in Theodorum Presbyterum. Et dum diutiùs utræque partes sibi non acquiescerent, tandem consilio ducti Sacerdotes, & Clerus unanimiter ingredientes in Episcopium Lateranense unà cum Episcopis, qui tunc ibi aderant, nominatis his tribus personis, nutu Dei elegerunt Cononem omnium morum honestate præclarum: in quo verè aspectus erat Angelicus, veneranda canities, sermo verus, provecta ætas, simplex animus, quieti mores, religiosa vita, qui se numquam aliquando in causis, actuque sæculari commiscuerat; & è vestigio itaque omnes Judices unà cum Primatibus exercitus pariter ad ejus salutationem venientes in ejus laude omnes simul acclamaverunt. Cujus electionem Justinianus Imperator filius Constantini gratuita confirmavit assensione. Conon itaque longa infirmitate detentus diem obiit, sepultusque est ad Beatum Petrum.

Cui successit Sergius, natione Syrus, Antiochiæ regionis ortus, ex patre Tiberio in Panhormo Siciliæ, seditque annis XIII. mensibus VIII. Hic Romam veniens sub Adeodato Pontifice inter Clerum Romanæ Ecclesiæ connumeratus est. Et quia studiosus erat in officium Cantilenæ, Accolytus factus est, qui per Ordines ascendens à Leone Pontifice in Titulo Sanctæ Susanæ Presbyter ordinatus est. Hic impigrè per Cœmeteria diversa Missarum solemnia celebrabat; defuncto verò Conone Apostolicæ Sedis Præsule (ut fieri assolet) populus Romanæ urbis in duas partes divisus est, & una quidem pars elegit Theodorum Archipresbyterum, alia verò Paschalem Archidiaconem. Et quia Theodorus Archipresbyter cum populo, qui ei favebat, præveniens interiorem partem Patriarchii tenuit; Paschali verò exteriorem partem ab Oratorio Sancti Silvestri, & Basilicam domus Juliæ, quæ super campum respicit, occupavit. Cùmque unus alio locum non cederet, sed utrique immaniter permanerent, ut unus alium superaret, inito consilio Primates Judicum, exercitusque Romanæ militiæ, vel Cleri plurima pars, & præsertim Sacerdotum, atque Civium multitudo ad sacrum palatium perrexerunt. Et diu pertractantes quis fieri deberet, qualiterve duorum altercantium electorum sopiretur intentio, Deo annuente, in personam denominati Sergii venerabilis tunc Presbyteri concordantes, se contulerunt, eumque de medio populi tollentes, in Lateranense Episcopium cum laude deduxerunt, &

(*) *Supple ex Beda amanuensis lacunam* contra Eutychen &c. Quinta contra &c.

& sinè mora elegerunt. Sicque in Sede Beati Petri Pontifex ordinatus est, tempore Justiniani Imperatoris. Sergius autem Basilicam Lateranensem reparavit, & ut *Agnus Dei* intra Missarum solemnia decantaretur instituit. Præterea Perthari Longobardorum Rex cùm solus per septem annos regnasset, octavo jam anno filium suum, nomine Cunipertum, in regno consortem adscivit, cum quo pariter per decem annos regnavit. Qui cùm XVII. annos primùm solus, post cum filio regnum tenuisset, ab hac luce subtractus est, corpusque illius juxta Basilicam Domini Salvatoris, quam Aripertus pater ejus construxerat, sepultum est. Fuit autem statura decens, corpore pleno, mitis per omnia, & suavis. Huic itaque filius ejus Cunipertus in regno successit. Hic cùm die quadam in civitate Ticini cum stratore suo consilium iniret, quomodo Aldonem, & Grausonem, qui mortem ejus consiliati fuerant, vita privare deberet, repentè in fenestra, qua consistebant, una de majusculis musca consedit, quam Cunipertus cultello, quem in manu tenebat, ut eam extingueret, percutere volens, ejus tantùm pedem abscidit; Aldo verò, & Grauso dum ad palatium Regis, consilium nescientes venirent, cùm Basilicæ Beati Romani Martyris, quæ prope palatium sita est, propinquassent, repentè eis obvius quidam claudus, uno pede truncato veniens, dixit: quòd eos Cunipertus, si ad eum pergerent, occisurus esset, qui hæc audientes, magno timore correpti, post Altarium ejusdem Basilicæ confugerunt. Quod dum Cuniperto Regi nuntiatùm esset, stratorem suum arguere cœpit, ut quid consilium ejus prodere voluisset; nemo enim alius intererat consilio. Cui strator suus ita respondit: „ Domine mi Rex, tu scis, quia priusquam hoc consiliati sumus, ego à tuo conspectu non exivi, & quomodo hoc alicui „ dicere potui? „ tunc ad Aldonem, & Grausonem misit, interrogans eos, ut quid in locum sanctum confugium fecissent? qui respondentes dixerunt: quòd nobis nunciatum est, quòd nos dominus Rex occidere vellet. Iteratò Rex misit interrogans, quis fuerit ille, qui eis nunciaverit, mandans eis, ut nisi ei nunciatorem proderent, ejus gratiam invenire non possent. Tunc illi, sicut factum fuerat, dicunt: claudum hominem se habuisse obvium, qui unum pedem truncatum habebat, & genu tenus crure lignea utebatur, & hunc fuisse interitus sui nuncium. Tunc intellexerunt muscam illam, cui pedem truncaverat, malignum fuisse spiritum, & ipsum sua secreta eis prodidisse, maximè quidem ut & ipse strator à Rege interficeretur. Ipse autem Rex, statim Aldonem, & Grausonem in sua fide ab eadem Basilica suscipiens, eisdem culpam pepercit, & in reliquum eos in loco fidelium, ipsumque stratorem charum habuit. Quo tempore Romualdus Dux Beneventanorum congregata exercitus multitudine, Tarentum expugnavit, & cepit, parique modo Brundusium, & omnem illam, quæ est in circuitu, regionem, suæ ditioni subjugavit. Conjux quoq; Teurada (75) foràs muros civitatis Beneventanæ Basilicam in honorem Beati Petri Apostoli construxit, quo in loco multarum ancillarum Dei Monasterium statuit. Ipse autem Romualdus postquam XVI. annis Ducatum gessisset, obiit. Post eum verò Grimoaldus filius ejus tribus annis populos Samnitum rexit. Defuncto quoque Grimoaldo Gisulphus germanus ejus Ductor effectus est, præfuitque Benevento annis XVII. Circa hæc tempora in castrum Cassinum venientes de Cœnomannicorum, vel Aurelianensium regione Franci, atque venerabilis Patris Benedicti, pariterque ejus germanæ Scholasticæ ossa auferentes, in suam patriam deportaverunt, ubi sigillatim duo Monasteria in honorem eorum constructa sunt. Tunc quoque temporis Sarracenorum gens ex Ægypto in Africam cum multitudine pergens, obsessam Carthaginem cepit, captamque crudeliter depopulata est, & ad solum usque prostravit. Justinianus igitur Imperator (de quo supra diximus) postquam Romanorum regnum suscepit, ejus per decem annos gubernacula tenuit. Hic Africam à Sarracenis abstulit, & cum eis pacem terra, marique fecit. Hic etiam Sergium Romanæ Ecclesiæ Pontificem jussit exilio relegari, quod Divinâ clementiâ peragere nequivit. Obiit autem Papa Sergius Indictione XIV. & sepultus est apud Beatum Petrum Apostolum.

Cui successit Joannes, natione Græcus, seditque annis tribus, mensibus II. Interea Justinianus Constantinopolitanus Imperator propter culpam perfidiæ, gloria regni privatus, exul in Ponto secedit. At Leo Augustalem dignitatem arripiens, eum regno privavit, regnumque Romanorum tribus annis regens, Justinianum exulem in Ponto reservavit. Rursum Tiberius contra hunc Leonem insurgens, regnum ejus invasit, & eum toto, quo ipse regnavit, tempore, in custodia tenuit, per VII. videlicet annos. Quo tempore Gisulphus Dux Beneventi cum Longobardis in Campaniam vênit devastans eam, & incendens, multasque deprædationes faciens, quamplures cepit captivos. Joannes verò jam dictus Pontifex missis Sacerdotibus cum Apostolicis donariis universos captivos redemit, & hostes ad propria repedare fecit, qui etiam sepultus est ad Sanctum Petrum.

Joanni verò successit alius Joannes, natione Græcus de patre Platone. Hic fecit Oratorium Sanctæ Dei Genitricis opere pulcherrimo in Ecclesia Beati Petri Apostoli, & hic sepultus est ad Sanctum Petrum.

Post hunc Sisinius, natione Syrus, ex patre Joanne sedit dies XX. qui repentina morte defunctus sepultus est ad Sanctum Petrum. Hic constituit, ut quinta feria Missæ decantarentur.

Huic autem successit Constantinus, natione Syrus, ex patre Joanne, seditque annis XI. Inter hæc Cunipertus cunctis amabilis Princeps, postquam XII. annos Longobardorum regnum post patrem solus obtinuit, ab hac luce subtractus est. Hic in campo, qui Coronatæ dicitur, ubi bellum contra Alays (*) gessit, construxit Monasteriū in honorem Beati Georgii Martyris. Fuit autem vir elegans, & omni bonitate conspicuus, audaxque bellator, regnumque Longobardorum Liutperto adhuc puerilis ætatis reliquit. Qui post menses VIII. & annum unum ab Ariperto interfectus est, Ansprandus ejus oppressione in exilium relegatus est. Aripertus igitur Longobardorum regnum arripuit. Hic autem multas cur-

(75) *Seu* Theuderada.

(*) *Paulus Diaconus* Alachis.

curtes, & patrimonia alpium Cociarum, quæ quondam ad jus pertinebant Apostolicæ Sedis, sed à Longobardis multo tempore ablata, restituit juri ejusdem Sedis, & hanc donationem aureis literis scriptam Romam direxit. At verò Dagoberto (de quo supra diximus) Francorum Rege defuncto, filius Sigibertus quidem in Austria, Chlodoveus verò, qui & Lodovicus nominatur, in Neustria regni gubernacula susceperunt. Chlodoveus autem Rex accepit uxorem de genere Saxonum, nomine Brunichildem, omnique ingenio strenuam, de qua tres suscepit filios. Fuit autem ipse Chlodoveus omni spurcitiæ deditus, fornicarius, illusor fœminarum, gulæ, & ebrietati, atque luxuriæ dicto factoque contentus. Hujus vitæ & finis nihil dignum historia recolit; propter quæ omnia Pipinus sub Dagoberto Major-Domus eum deserens, ad Sigibertum se contulit. Decedente præfato Chlodoveo, qui regnavit annos XVI. Franci Chlotharium seniorem puerum ex tribus Regem sibi faciunt, cum ipsa Regina matre regnaturum, quique regnavit annis IV. Quo vita decedente Theodericus frater ejus levatus est in regnum Francorum. Erat autem ipse levis, omniaque nimium incautè peragebat. Sub his diebus Beatus Audoënus Rothomagensis Episcopus plenus virtutibus præclaris migravit ad Dominum. Eo tempore Pipinus junior filius Ansegisi, decedentibus Regibus, in Neustria dominabatur, & post hæc sub Theoderico Rege cœpit esse Princeps regiminis, & Major-Domus. Huic erat uxor nobilissima, nomine Plectrudis, ex qua genuit duos filios, nomen uni Droccus, minor verò vocabatur Grimoaldus. Præfatus verò Theodericus regnavit annis XIX. Post cujus obitum Chlodoveus filius ejus puer mortuus est, regnavitque annis duobus. Childebertus autem frater ejus vir inclytus in regno statuitur. Hujus temporibus Grimoaldus Pipini Principis filius, in aula Regis Childeberti Major-Domus effectus est. Sub idem ferè tempus Pipinus multa bella gessit contra Suevos, & quamplurimas gentes. Mortuus est autem Droccus filius ejus. Habuit quoque præfatus Princeps filium ex alia uxore, nomine Carolum, virum elegantem, egregium, atque utilem. Tunc Childebertus Rex justus migravit ad Dominum anno regni ejus XVII. regnavitque Dagobertus filius ejus pro eo. Eo tempore Pipinus mortuus est, & qui propter animi mansuetudinem, & justitiæ servatam æquitatem à cunctis dilectus est, obtinuitque principatum annis XXVII. & dimidio. Cujus principatui Grimoaldus filius ejus Major-Domus successit, qui erat pius, modestus, & justus.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCVII. Justinianus supradictus, qui amisso principatu Constantinopolitano in Ponto exulabat, auxilio Regis Wulgarorum Imperium unà cum Tiberio filio suo recipiens, occidit omnes, qui se exularant, & Leonem, qui locum ejus usurpaverat, necnon & successorem ejus Tiberium jugulari fecit. Gallinicum Patriarcham, cujus consilio fuerat ejectus, erutis oculis Romam misit, & dedit Episcopatum Cyro, qui erat in Ponto Abbas, eumque alebat exulem. Hic Constantium Papam ad se venire fecit, quem honorificè suscepit, ac remisit, ita ut die Dominica Missas sibi in Ecclesia Sanctæ Sophiæ facere rogans, commu-

A nionem de manu ejus accepit, prostratusque in terram pro suis peccatis eum intercedere postulans, cuncta Ecclesiæ privilegia renovavit; qui cùm exercitum mitteret in Pontum, prohibente Papa Romano, ad comprehendendum Philippicum, quem ibi relegaverat, conversus omnis exercitus ad partem Philippici, fecit eum ibidem Imperatorem, reversusque cum eo Constantinopolim, pugnavit contra Justinianum ad duodecimum ab urbe milliarium, & victo, atque occiso Justiniano, postquam Imperium annos VI. tenuerat, (omnibus quippe erat exosus) regnum ejus suscepit Philippicus. Igitur Philippicus, qui & Bardais dictus est, postquam Imperiali digni-

B tate confirmatus est, Cyrum, de quo diximus, de Pontificatu ejecit, eumque ad gubernandum Abbatis jure Monasterium in Pontum ire præcepit. Idem Constantino Papæ misit literas pravi dogmatis, quas ille cum Apostolicæ Sedis Concilio respuit, & hujus rei causâ fecit picturas in porticum Sancti Petri, quæ acta Sanctarum sex Synodorum universalium continerent. Nam hujusmodi picturas, cùm haberentur in urbe Regia, Philippicus jusserat auferri; quapropter idem Pontifex Constantinus simul cum populo Romano statuit, ne hæretici Imperatoris nomen, aut chartas, aut figuram solidi susciperet; unde nec ejus effigies in Ecclesia introducta est, nec nomen

C ad Missarum solemnia prolatum. Contra hunc Philippicum postquam uno anno & mensibus sex imperaverat, Anastasius, qui & Arthemius dictus est, insurgens, eum regno expulit, oculisque privavit, nec tamen occidit. Hic Anastasius literas Constantino Papæ Romam direxit, quibus se fautorem Catholicæ Fidei, & Sancti sexti Concilii prædicatorem esse docuit, tenuitque Imperium annis tribus. Qui cùm suis exosus (*esset*), exercitus ejus elegerunt Theodosium Imperatorem. Theodosius verò contra eumdem Anastasium veniens, apud Nicæam civitatem gravi prœlio eum vicit, datoque exercitui sacramento, Clericum fieri, ac Presbyterum fecit ipsum

D ordinari. Ipse autem Theodosius ut Imperium accepit, cùm esset Catholicus, mox in Regia urbe imagines illas venerandas, in quibus Sanctæ sex Synodi erant depictæ, & à Philippico fuerant deletæ, pristino in loco erexit. Regnavitque Theodosius anno uno. Interea Constantinus Papa diem obiit anno Dominicæ Incarnationis DCCXIX. Indictione V. & successit ei Gregorius natione Romanus ex patre Marcello, seditque annis XVI. mensibus IX. fuit autem temporibus Anastasii, & Theodosii, Leonis, atque Constantini Augustorum. Fuit quidem Gregorius vir castus, Divinæ Scripturæ eruditus, loquela facundus, animo constans, Ecclesiasticorum errorum de-

E structor, & contrarius, ac fortissimus impugnator. Cujus Imperatoris tempore per Indictionem XII. mense Januarii per decem dies stella, quæ Anthifer vocatur, cum radiis in cœlo apparuit in Occidente, cujus radii partem Aquilonis aspiciebant, & usque ad medium cœlum se extendebant. Hic per Bonifacium Monachum, & Episcopum gentem Germanorum sedentem in tenebris, & umbra mortis, doctrina lucis convertit ad Christum. Eo tempore, postquam IX. annis apud Bajoariam exulasset Ansprandus (de quo supra diximus) tandem cum exercitu Bajoariorum

Re-

Regis, Italiam venit, pugnavitque cum Ariperto Longobardorum Rege, & facta est ex utraque parte magna populorum strages; & quamvis extremum prœlium diremisset nox, & victori Ariperto Bajoarii terga vertissent, eadem nocte Aripertus extinctus est. Regnavit autem cum patre Daginberto, sive solus usque ad annum duodecimum, fuitque vir pius, & eleemosynis deditus, justitiæ amator, in cujus tempore ubertas nimia extitit. Denique post Ariperti funus, Ansprandus Longobardorum regno potitus est, qui tres solummodo menses regnavit, vir per omnia egregius, & cujus sapientiæ rari æquandi sunt. Cernentes Longobardi hujus interitum Liutprandum filium ejus in regali constituunt solio. Liutprandus verò cùm in regno confirmatus esset suo, donationem Patrimonii alpium Cociarum, quam Aripertus Rex fecerat, & ille repetierat, ex ammonitione venerabilis Papæ Gregorii Romanæ Ecclesiæ confirmavit. Hic initio regni sui Bajoariorum plurima castra cepit, Ravennam quoque obsedit, cepitque. Tunc Tyberis fluvius alveo suo egressus multa Romanæ fecit exitia civitati; ita ut in Via-lata ad unam & semis staturam hominis excederet aqua, & à porta Sancti Petri usque ad Pontem-Molvium aquæ se conjungerent. Mansit autem septem diebus. Interea Theodosio apud Constantinopolim Imperatore defuncto, Leo, cognomento Surus, cum Constantino persecutore dum Imperiali dignitate sublimatus esset, Sanctorum Imagines apud Constantinopolim deponi, atque incendi jussit. Quod non solùm per totam Imperii sui ditionem, sed & Romano Pontifici mandavit similia facere, si gratiam Imperialem habere vellet. Sed Pontifex non solùm hoc facere contempsit, verùm etiam à communione eum privavit. Attamen idem Imperator tam vi, quàm blandimentis habitantes Constantinopolim compulit, ut ubicumque haberentur imagines tam Salvatoris, quàmque Sanctæ Dei Genitricis, vel omnium quoque Sanctorum sibi exhiberentur; sicque illas in medio civitatis congregari fecit, & igne cremari. Et quia plerique ex populo tale scelus fieri præpediebant, aliquanti ex eis capite truncati, alii corporis parte mutilati sunt; regnavitque Leo annis novem. Quo tempore Sarraceni immenso cum exercitu Constantinopolim venientes, triennio civitatem obsederunt, donec civibus multâ constantiâ ad Deum clamantibus, plurimi eorum fame, frigore, ac pestilentia perierunt, ac sic perpessi obsidione abscesserunt. Qui inde egressi Wulgarorum gentem, quæ est super Danubium bello aggrediuntur, & ab his quoque victi refugiunt, ac naves petunt suas, quibus cùm altum peterent, ingruente subita tempestate, plurimi eorum mersi, sive confractis per litora navibus sunt necati. Interea Constantinopolim CCC. millia hominum utriusque sexus pestilentia perierunt. Germanus Patriarcha non consentiens Imperatoris errori, à propria Sede depulsus est, & in loco ejus Anastasius Presbyter, qui fuerat Imperator, Patriarcha ordinatus est. Liutprandus quoque Longobardorum Rex audiens, quòd Sarraceni depopulatâ Sardiniâ, etiam loca illa fœdarent, ubi ossa Sancti Augustini Episcopi propter vastationem Barbarorum olim ab Hyppone translata, & honorificè fuerant condita, misit, & dato pretio accepit, & transtulit ea in Ticinum, ibique cum debito tanti Patris honore recondidit. Quo tempore defuncto Gisulfo Beneventanorum Duce, Samnitum populum Romualdus filius ejus regendum suscepit. His autem diebus Franci in Francos invicem irruunt, ac sese mutuò dirissima cæde prosternunt. Interea Dagobertus Francorum Rex ægrotans mortuus est, regnavitque annis V. Franci autem invidentes Carolo, Danielem quemdam Clericum cæsarie capitis crescente in regno stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant, eumque cum exercitu contra Carolum dirigunt. Carolus itaque contra eos dimicans, victor extitit, vastans regiones usque Ardennam sylvam, & usque Rhenum, vel Coloniam, ibique seditionem intulit, & ipsam civitatem cepit, statuitque sibi Regem, Chlotharium nomine, qui non multo post mortuus est. Chilpericus autem, & Eudo Dux contra Carolum moventes exercitum veniunt; contra quos Carolus occurrit intrepidus, Parisiis civitate, Sequanæ fluvio transito, usque Aurelianis pervênit, debellans, eosque devincens. Post hæc ipse quidem Chilpericus mortuus est anno quinto & dimidio regni ejus. Franci verò Theodericum filium Dagoberti junioris Regem super se statuunt. Per idem tempus rebellantibus Saxonibus, Carolus Princeps veniens præoccupavit illos, debellansque illos revertitur. Sub hisdem diebus, evoluto anni circulo, collecto agmine Rhenum fluvium transiit, Alamannosque, & Suevos lustratur, & Danubium usque accessit, illoque transmeato, fines Bulgarenses occupavit, subacta illa regione, ac pretio multo sublato ab hostibus, qui patriam depopulati fuerant, iterum remeavit ad propria. Eudo igitur Bajoariorum gentis Dux cernens se superatum, gentem perfidam Sarracenorum ad auxilium suum contra Carolum Principem excitavit. Qui egressi cum Rege suo, Abdirama nomine, Garronam transeunt, usque Burdigalem consumptis populis, Ecclesiisque crematis, usque Pictavis progressi sunt cum uxoribus, ac liberis, quasi Galliam possessuri, quorum erat innumera multitudo. Contra quos Carolus Princeps audacter aciem instruxit, ac super eos belligerando irruit, tentoria eorum subvertit, & fortiter cum eis dimicavit. Interfecto Rege eorum Abdirama, exercitum ejus prostravit, atque devicit, victorque de hostibus triumphavit; in ipsa namque pugna (ut fertur) ex Sarracenis CCCLX. millia, ex Francorum parte MCL. ceciderunt. Post hæc autem Eudo mortuus est.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCXVII. Indictione XIV. Gregorius Romanæ Sedis Pontifex defunctus est, & sepultus ad Sanctum Petrum. Cui successit alter Gregorius, natione Syrus, ex patre Joanne, seditque annis X. mensibus VII. Hic autem erat vir mitissimus, & valde sapiens, in Divinis Scripturis sufficienter instructus, Græca, Latinaque lingua eruditus, atque disertus, in sensibus Divinarum Scripturarum subtilissima exhortatione elimatus, exhortator omnium bonorum, plebique florentissima Catholicæ Fidei, ac salutaria prædicans, corda Fidelium dicto, factoque corroborans, Orthodoxæ, ac Catholicæ Fidei æmulator, atque defensor fortissimus, Christianam Religionem diligenter complectens, paupertatis amator, erga inopum pro-

vi-

visionem non solùm meriti pietate, sed & studii labore sollicitus, captivorum redemptor, & debitorum, orphanis quoque, & viduis cum omni diligentia largiter necessaria tribuens. Quamobrem, Deo favente, non solùm ad sacrum Presbyteratus ordinem pervênit, sed etiam dum in exequiis sui decessoris ante feretrum ejus fuisset inventus, omnis Romanus populus à magno usque ad parvum Divina inspiratione subitò permoti, per vim auferentes eum, in Pontificatus honorem elegerunt, tempore Leonis & Constantini Imperatorum. Hic autem Gregorius Leonem Imperatorem, qui sacras imagines destruere nitebatur, excommunicavit, & regno privavit. Hic idem cùm Roma obsideretur à Liutprando Longobardorũ Rege misit navali itinere claves Sancti Petri, & ejus Confessionis Carolo Principi, rogans, ut Romanam Ecclesiam à Longobardis liberaret; noluit enim ab Imperatore Constantinopolitano (quemadmodum fuerat hactenus consuetudo) auxilium petere. Tum quidem, quia propter sacras imagines, velut supra dictum est, excommunicatus erat, & in eodem errore perseverans, nec pœnituit. Tum verò, quia per multa tempora (prout supra notatum est) à Sarracenis obsessus ipsam etiam Regiam civitatem, in qua manebat, defendere nequibat. Hæc itaque causa fuit, quare Constantinopolitani Imperatores patrocinium Romanæ Ecclesiæ amiserunt. Circa hæc tempora Carolus Princeps pepigerat fœdus cum Liutprando Longobardorum Rege, eique Pipinum filium suum misit, ut ejus juxta morem capillum primus succideret. Quod ille gratissimè complens, ejus cæsariem succidit. Sicque pater ejus spiritualis effectus, multis eum ditatum muneribus natum genitori remisit. Hujus igitur amicitiæ Carolus Princeps confisus, misit eidem Regi, rogans, ut causâ suæ dilectionis ab Urbis obsidione secederet, & Romanam Ecclesiam non inquietaret. Rex itaque compatris postulationi gratanter annuit. Sequenti verò anno Carolus Princeps regionem Burgundiæ, & Lugdunum Galliæ, Ligerim quoque fluvium transiens, usque Garonam, vel urbem Burdigalensem, vel Castroblaviam cum urbibus, ac suburbanis eorum sibi subegit, anno ejusdem Principis XIX., & à passione Domini annis septingentis XXXV. Subegit quoque & Phrisones circa maritima habitantes; Wandalos etiam gladio, & igne devastantes Galliam devicit, exterminans, ac de totis Galliarum finibus projiciens; itemque rebellantibus Saxonibus, qui circa Rhenum fluvium consistunt, Rhenum amnem sagaci intentione transmeavit, maxima ex parte regionem illam ditissimam stravit, gentemque illam sævissimam ex parte tributariam esse præcepit, & quamplurimos obsides ab eis recepit. Per idem tempus Sarracenorum exercitus Gallias introiens, multas devastationes fecit, contra quos Carolus apud Avenionem urbem dimicans, urbem ipsam cepit, hostes prosternens trucidavit, Rhodanum fluvium cum exercitu suo transiit, Gothorum fines penetravit, atque Narbonam usque processit; ipsam quoque urbem obsedit. Sarraceni itaque urbe egressi fortiter contra eum dimicarunt, illisque mutuò confligentibus, Sarraceni devicti, atque prostrati, videntes Regem suum, nomine Athima, interfectum, in fugam lapsi terga verterunt: Franci eos

A usque mare insequentes, super eos insiliunt; suffocantesq; in aquis interimunt. Non multo (*post*) tempore Sarraceni iteratò Gallorũ fines ingressi, usque ad Provinciam perveniunt, & capta Arelate, omnia circumquaque demoliti sunt. Tunc Carolus ut vidit innumeram multitudinem Sarracenorum, Legatos suos ad Liutprandum Longobardorum Regem sibi carissimum misit, auxilium ab eo contra Sarracenos deposcens. Qui nihil moratus cum ingenti Longobardorum exercitu ad ejus adjutorium properavit. Commisso itaque prœlio tanta eos cæde prostraverunt, quòd penitus eos ab illis regionibus deleverunt. Liutprandus verò multis ab amico ditatus muneribus,

B cum omni suo exercitu ad Italiam rediit, in qua multas per singula loca Ecclesias instruxit, rebusque plurimis ditavit. Romæ verò Gregorio Papa defuncto, & in Ecclesia Beati Petri sepulto, successit ei Zacharias, natione Græcus, ex patre Polycromio, seditque annis X. mensibus VII. vir mitissimus, atque suavissimus, omnique bonitate ornatus, amator Cleri, & totius populi, tardus ad irascendum, & velox ad miserendum, nulli malum pro malo reddens, suis etiam persecutoribus bona pro malis reddidit. Hic invênit totam Italiam valde turbatam, simul & Ducatum Romanum, persequente Liutprando Longobardorum Rege, ac Romanæ Ecclesiæ

C jura auferente. Tantam Deus omnipotens huic Zachariæ Papæ gratiam contulit, ut etiam pro salute populi animam ponere non dubitaret. Qui priùs missa legatione ad eundem Regem Liutprandum, post ipse veniens, salutaria illi verba prædicavit. Cujus sancti viri admonitionibus inclinatus prænominatus Rex, civitates Romanæ Ecclesiæ pertinentes, quæ per triginta annos ablatæ fuerant, reddidit, & pace facta cum Ducatu, ipse Rex in viginti confirmavit annos, sed & captivos omnes, quos ex diversis Provinciis Romanorum tenebat, eidem Pontifici redonavit. Eodem verò anno die Dominico post acta Missa-

D rum solemnia, eundem Regem ad prandium ipse Beatissimus Pontifex cum omni alacritate invitavit, ut eum Apostolica benedictione, ac dilectione firmaret: sicque reversus est ipse Pontifex. Universus itaque Italiæ Populus in XX. annorum spatium inita pace quievit. Hic autem Pontifex magni meriti, & sanctitatis vir Clerum suum valde dilexit, utpote pater, & bonus pastor omnes amplectens, & utiliter fovens, & neminem eorum tribulare vel angere permittens. Hic autem præcepit, ut filii compatrum se in matrimonium non conjungerent. Hujus quippe temporibus in magna securitate & lætitia populus à Deo illi commissus degens vixit. Liut-

E prandus verò Longobardorum Rex jam ætate maturus obiit, anno regni ejus XXXI. mensibus VII. Iste quoque Longobardorum leges adauxit. Fuit autem hic multæ sapientiæ vir, consilio sagax, pius admodum, & pacis amator, belli præpotens, delinquentibus clemens, castus, pudicus, orator, pervigil, eleemosynis largus, literarum quidem ignarus, sed Philosophis æquandus, nutritor gentis, juris amator, legumque augmentator, plus semper in orationibus, quàm in armis confidens, maximâ curâ amicitiam amicorum custodiens. Cui in regno ejus Ildeprandus nepos ejus successit, qui VII. evolutis mensibus post eum

obiens, regnum Rachisi, qui Dux ejus fuerat, reliquit. Iste quidem fuit pius, atque omnibus amabilis,& largus in donis plurimis. Ad quem Zacharias Papa missa legatione, continuò ob inreverentiam Apostolorum, ejus precibus inclinatus, inita pace, universus Italiæ populus quievit. Hic autem Rachis Rex, postquam regnavit annis quatuor & mensibus IX. devoto animo regalem dignitatem relinquens, Deo serviturus cum uxore, & filiis Monachus effectus est. Iste quoque aliqua in *Edicto* capitula legis adjunxit. Huic itaque Aistulphus in Longobardorum regnum frater ejusdem Rachisis Rex instituitur. Hic autem erat astutissimus, & ferox, qui postquam regni gubernacula suscepit, cœpit juri Romanæ Ecclesiæ pernimium infestus esse; nam ejus jura sibi vendicabat. Interea Carolus memoratus Princeps, febre correptus, consilio Optimatum suorum petito, filiis suis regna dividit. Primogenitum itaque filium, Carlomannum nomine, Austria, & Suevia, quæ nunc Alamannia dicitur, sublimavit. Alteri verò filio juniori, Pipino nomine, Burgundiam, Neustriam, & Provinciam permisit. Obiit autem Carolus Princeps Carisiaca Villa super Isaram fluvium, anno Incarnati Verbi DCCXLI. sepultusque est Parisiis in Ecclesia Sancti Dionysii Martyris. Rexit autem utraque regna annis XXXV. habuitque idem Carolus filium alium de priore uxore, nomine Griphonem, qui post mortem patris pleraque fratribus intulit bella, Saxones quoque contra eos sollicitavit. Carlomannus autem, & Pipinus frater ejus juncta manu Saxoniam ingressi sunt, & Theodericum primarium gentis ipsius in deditionem acceperunt. Eodem anno Carlomannus, quod diu antea voverat, dimissa expeditione, regnum fratri suo Pipino, cognomento parvo, relinquens, ipse Romam vênit, ibique dimissa sæculari gloria, ad Monasterium Sancti Benedicti, quod est in Cassino castro, Deo serviturum se statuit, Monasticum habitum suscipiens. Pipinus itaque Burchardum Wiziburgensem Episcopum, & Fuldradum Capellanum misit Romam ad Zachariam Papam, rogans, ut ejus auctoritate Francorum Rex institueretur. Dataque sanctione sua Romanus Pontifex jussit Pipinum Regem institui.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCLII. Indictione V. Zacharias Papa obiit, & sepultus est ad Beatum Petrum, cui successit Stephanus, natione Romanus, ex patre Constantino, seditque annis V. mens. I. Hic post patris sui obitum parvus derelictus, in venerabili cubiculo Lateranensi pro doctrina Apostolicæ traditionis sub prædecessoribus Pontificibus permansit. Quem seriatim per Ecclesiasticos Ordines promoventes, Diaconatus in Ordine eum ordinaverunt. Defuncto verò Zacharia Papa, Stephanum quemdam Presbyterum in Ordine Pontificatus cunctus populus sibi elegit, & in Lateranense Patriarchium intromisit. Qui dum causas disponeret, subitò obmutescens defunctus est. Post hæc cunctus populus congregatus in Basilica Sanctæ Dei Genitricis Mariæ ad Præsepe, ubi omnes misericordiam Dei, & ipsius semper Virginis Mariæ petentes, bono animo, & consona voce prædictum Beatissimum Virum sibi elegerunt Pontificem, quem omnes sincera mente cum laudis præconiis in Basilicam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, deportaverunt, & exinde venientes Patriarchium, juxta morem eum ibi intromiserunt. Erat enim isdem Beatissimus Papa amator omnium Ecclesiarum Dei, traditionem etiam Ecclesiasticam firma stabilitate conservans, pauperum Christi velox subventor, verbi Dei in magna constantia prædicator, pupillorum, ac viduarum voce manuque fortissimus auxiliator. Hic autem obsecrationibus, & muneribus præfatum Aistulphum Regem sæpissimè monuit, ut timore Dei, ac Beati Petri, ab infestatione Romanæ Ecclesiæ desisteret. Qui cùm id ullo modo ab ipso impetrare nequisset, tandem ipse Papa, spreto jam Constantinopolitano patrocinio, vênit in Gallias ad Pipinum Regem per Indictionem VII. ut se, & Romanam Ecclesiam à Longobardorum oppressione defenderet; vênit & Carlomannus frater Regis jam Monachus factus jussu Abbatis sui, quoniam Aistulphus Rex illum obnixè deprecatus est, ut apud fratrem suum precibus Romani Pontificis obsisteret, ac contrairet. Invitus tamen hoc fecisse putatur, quia nec ille Abbatis sui jussa contemnere, nec Abbas ille præceptis Regis Longobardorum, qui hoc imperavit, audebat resistere. Audiens itaque Pipinus Rex ejusdem Pontificis adventum, obvius ei festinanter advênit cum Berthrada conjuge, & filiis, & primatibus, cui & vice stratoris ipse pedes juxta sellam ejus ad palatium ejus usque magno cum honore deduxit. Mox idem Papa præfatum Regem lacrymabiliter deprecatus est, ut per caritatis fœdera, causam Beati Petri disponeret. Ut autem Stephanus Papa à Rege Pipino Ecclesiæ Romanæ firmitatem defensionis accepit, ipsum sacra unctione ad Regiæ dignitatis honorem consecravit, & cum eo duos filios ejus Carolum, & Carlomannum. Pipinus itaque Rex, postquam bis ac tertiò per suos Legatos ad Aistulphum Regem miserat, admonens, ac deprecans, pluraque illi munera pollicens, ut propria Ecclesiæ restitueret, illeque obstinatus obedire differret, tandem suggerente, atque insistente Romano Pontifice cum valida manu Italiam ingreditur; resistentibus sibi Longobardis, & claustra Italiæ tuentibus, ad ipsas montium clausas cum Longobardis acerrimè pugnavit. Cedentibusque Longobardis, Francorum copiæ difficili labore victores exiterunt. Aistulphus verò Rex iterum pugnare non ausus, in civitate Papia à Rege Pipino obsessus est. Qui ante obsidionem non solvit, quàm firmitatis causa pro reddenda Romanæ Ecclesiæ justitia obsides recepisset; datis verò obsidibus, promissisque jurejurando firmatis, ipse quidem Pipinus Rex in Gallias reversus est, Stephanum verò Papam Romam remisit. Carlomannus autem Monachus frater Regis, qui in Vienna civitate remanserat, postquam Rex de Italia reversus est, febre correptus diem obiit. Aistulphus autem Longobardorum Rex, quamquam superiores obsides dedisset, & de reddenda Sanctæ Romanæ Ecclesiæ justitia obstrictus esset, nihil tamen de promissis opere complevit. Sed post aliquantum temporis ipse cum Longobardorum exercitu Romanam vênit ad urbem unà cum Duce suo Desiderio, & ex omni parte circumdans quotidie fortiter eam expugnavit, omniaque extra Urbem ferro & igne devastans, atque funditus demoliens consumpsit, ut

ut Urbem caperet. Quod dum Regi Pipino per Legatos ejusdem Romani Pontificis nunciatum esset; Pipinus Rex iterum cum exercitu Italiam intravit, & Aistulphum in Papia civitate se includentem obsedit: nec ab obsidione destitit, usque dum Aistulphus ab eo compulsus, Ravennam, ac Pentapolim, & omnem Exarchatum Ravennæ pertinentem, prædicto Papæ reddidit. His ita peractis Pipinus in Galliam reversus est. Non post multum verò temporis, Stephanus Papa diem obiit, & sepultus est ad Sanctum Petrum Apostolum. Cui successit Paulus, natione Romanus, ex patre Constantino, seditque annis X. mens. I. Hic autem minor germanus Stephani Pontificis ab ineunte ætate in Lateranensi Patriarchio pro eruditione Ecclesiasticæ disciplinæ ab eodem fratre traditus est, tempore Gregorii II. junioris Pontificis. Et postmodum à Zacharia Papa in Diaconatus Ordinem pariter cum præfato germano suo promotus est. Sed dum isdem frater & antecessor Pontifex ad vitæ extremum pertingeret, illico populus Romanæ urbis divisus est, & alii cum Theophylacto Archidiacono se tenebant, alii verò eidem Diacono concordabant se Paulo. Dum verò (*de*) hac luce Pontifex idem migrasset, & in Basilica Beati Petri sepultus esset, continuò populi congregatio, quæ cum eodem Paulo erat (quoniam validior, & fortior erat) eum in Pontificatus culmine secundùm morem elegerunt; & ita in Apostolica Sede ordinatus est, temporibus Constantini & Leonis Impp. Erat enim mitis, & valde misericors, nulli umquam malum pro malo reddens; & si pro tempore per iniquos satellites tribulabatur, (76) in proximo tamen pietate motus consolationis illis misericordiam inferebat. Hic, ut multi testati sunt, noctu per semetipsum cum suis familiaribus cellas pauperum infirmorum adjacentium, qui ex suis nequaquam assurgere valebant lectulis, nec non & aliorum inopum circuibat silentio, ampliorem ministrans illis alimoniam, atque subsidii inferens opem. Sed & carceres, atque alia claustra per noctium secreta visitabat, & quos ibidem inveniebat retrusos à mortis eruens periculo liberos ire laxabat. Plures quoque, qui debitis obligati, atque afflicti, à suis fœneratoribus opprimebantur, præbito (77) ipso debito, à jugo redimebat servitutis. Viduis & pupillis, omnibusque egentibus opem ferebat. Hic aggregatis Sacerdotibus cum universo populo Romanæ Urbis, Corpus Beatæ Petronillæ de loco, ubi quiescebat foris portam via Appia abstulit unà cum sarcophago marmoreo in quo legebatur: PETRONILLÆ FILIÆ DULCISSIMÆ; unde non dubium est, quia sculptura illa literarum propria Beati Petri Apostoli manu designata esse dinoscitur, ob amorem suæ dulcissimæ natæ. Ipsum itaque Sanctum Corpus, unà cum sarcophago impositum super plaustrum novum in Ecclesia Beati Petri Apostoli deportavit cum Hymnis, & Canticis spiritualibus, & mirifico cum honore collocavit. Erat enim fortissimus Orthodoxæ Fidei defensor, unde sæpiùs suos Missos cum Apostolicis obsecratoriis, atque admonitoriis literis præfatis Augustis Constantino, & Leoni direxit pro restituendis, confirmandisque in pristino venerationis statu Sacratissimis Imaginibus Domini Salvatoris, Sanctæque ejus Genitricis, atque omnium Sanctorum. Hic multas Ecclesias restauravit, quamplures etiam noviter ædificavit, nonnullas mirificè decoravit. Aistulphus autem Longobardorum Rex multa Sanctorum Corpora ex Romanis finibus in Papiam detulit, construxitque eorum oracula, ubi Monasterium Virginum dedicavit, suasque filias ibidem consecravit; fecit quoque & Monasterium in fines Æmiliæ, in quo multa donaria largitus est. Qui valde dilexit Monachos, & in eorum manibus mortuus est, postquam regnavit annis VII. & mensibus V. Fuit autem pernimium audax, & ferox; hic etiam apposuit leges in Longobardorum *Edicto*. Aistulpho autem successit in regnum Desiderius, qui Comestabulus ejus fuerat. Iste quidem ultimus Longobardorum Rex, viginti octo annis mansit in regno, Longobardis jam in deliciis resolutis. Hujus quidem temporibus Paulus Diaconus eidem Regi charissimus, in artibus floruit. His quoque diebus Constantinus, cognomento Persecutor, cùm ipse solus apud Constantinopolim post prædictum Leonem regnaret, & ejusdem Leonis errores cum omni intentione prosequeretur, direxit Pipino Regi munera multa. Ipse enim Pipinus jam dicti Leonis jussa, necnon & acta omnino detestabatur. Pipinus verò Rex cum exercitu Saxoniam ingressus est, & quamvis Saxones ei validissimè resisterent, commissis prœliis plurimam ex ipsis multitudinem cædit, coëgitque, ut annis singulis honoris causa equos trecentos pro munere statuerent se daturos. His ita Pipinus Rex à Saxonibus sacramento firmatis, in Galliam cum exercitu suo se se recepit. Tunc Eclypsis Solis facta est II. Nonas Junii hora sexta. Eodem anno Paulus Papa Romæ defunctus est, & ad Sanctum Petrum est sepultus, & cessavit Episcopatus anno uno, & mense uno. Quo Constantinus transgressor Apostolicæ Sedis invasor extitit per sextam Indictionem. Obiit autem & Pipinus Rex anno suscepti regni ejus XV. mensibus IV. diebus XX. Tenuerat verò antea principatum, & Majoratum-domus annis X. ab obitu patris sui usque ad susceptionem Regni. Cujus corpus in Basilica Beati Dionysii Martyris Parisiis humatum est. Filii verò ejus Carolus, & Carlomannus, omnium Francorum consensu pariter Reges sunt effecti.

At verò Romæ defuncto Paulo Papa, Stephanus natione Siculus ex patre Olibo Romanum suscepit Pontificatum, seditque annis quatuor, mensibus V. vir strenuus, & divinis scripturis eruditus, atque Ecclesiasticis traditionibus imbutus, & in eorum observationibus constantissimus perseverator. Hic dum à Siciliensi Insula parvulus Romam venisset, tradidit eum Papa Gregorius tertius in Monasterio Sancti Grisogoni, ibique Clericus, atque Monachus est effectus. Quem postmodum Zacharias Papa ex ipso tollens Monasterio, in Lateranensis Patriarchii cubiculo esse præcepit, eumque postmodum Presbyterum in Titulo Beatæ Cæciliæ sacravit. Quem tamen pro ejus castitatis modestia, in suo officio Laterani detinuit. Sed & reliqui, scilicet Stephanus, & Paulus Beati Pontifices, eundem venera-

(76) In Anastasio *quemquam tribulabat*.

(77) *reddito*.

nerabilem Stephanum pro ejus piis consecutionibus (78), in suo servitio detinuerunt. Dum verò prædecessor ejus Paulus Papa infirmitate detineretur, de qua vitam finivit, Stephanus ipse in ejus perseverans officio, nullo modo ab ejus lectulo recessit, donec spiritum emitteret. Quo nec dum defuncto, Toto Dux Nepesinæ civitatis cum exercitus multitudine armatorum subitò elegit Constantinum fratrem suum tunc laicum existentem. Sicque in Lateranense Patriarchium introductus est. Statimque Georgius Prænestinæ civitatis Episcopus, ab ipsa eadem multitudine valde coactus, ipsum Constantium Clericum fecit. Alia verò die simili modo contra Canonum statuta Subdiaconus factus, populum sibi sacramentum præbere fecit. Et adveniente Dominica die, ab eodem Gregorio (79) Episcopo, & duobus aliis Episcopis consecratus est. Non multos post verò dies ejusdem Sergii (80) Episcopi, qui eum consecravit manus aruit, atque contracta est, ita quòd nec ad os suum conferre valuit, sicque languens vitam finivit. Constantinus autem transacto anno, seditione commota in populo, de Sede Pontificatus expulsus est. Alia verò die Philippum Presbyterum de Monasterio Sancti Viti trahentes elegerunt, eumque in Basilicam Salvatoris more solito deduxerunt; illic oratione data juxta antiquitatis morem omnibus pacem tribuit, & sic statim in Lateranense introduxerunt Patriarchium. Ibique similiter in Sella Pontificali sedens, tribuens eis denuo, ut mos est, pacem, ascendit sursum, & mensam, ut assolent Pontifices, tenuit. Eodem quippe die Romani ira accensi expulerunt eundem Philippum de Patriarchio, & in suum Monasterium retruderunt. Sequenti verò die Clerus, & populus universus unoque consensu in persona Beati Stephani acclamaverunt, & pergentes ad Ecclesiam Beatæ Ceciliæ, in qua Presbyter existens spiritualem degebat vitam, statim eum Pontificem elegerunt. Quem cum laudibus in Lateranense deportaverunt Patriarchium, & ritè omnibus in ejus electione peractis, Pontificatus culmen ascendit. Præfatus verò Constantinus deductus in Ecclesiam Sancti Salvatoris, in qua Episcopi, & Presbyteri cum populo erant congregati, lectisque sanctis Canonibus depositus est. Tunc accedens quidam Subdiaconus nomine Martinus, Oratorium (81) de collo ejus abstulit, & ante pedes ejus projecit, & compages ipsius abscidit, eumque in Monasterium retrudit. Sicque alio die Dominico antedictus Beatus Stephanus à tribus Episcopis (uti mos est) consecratus est. Facta statim ab universo populo Romano pœnitentiæ confessionisque deprecatione apud Divinam clementiam, per quam se omnes peccasse in prædicti Constantini invasoris Apostolicæ Sedis impia ordinatione confitentes, pro eo quòd non ei restiterunt. Ita excelsa voce in Ambone Basilicæ Beati Petri à Leone (82) Scriniario eadem relecta est confessio. Post aliquantum verò temporis quidam iniqui Deum non timentes perrexerunt ad Monasterium, in quo idem Constantinus retrusus erat, eumque de ipso Monasterio ejicientes, ejus oculos eruerunt, & ita in platea dimiserunt; multa quippe mala quotidie per eum, atque homicidia in Italia perpetrabantur. His ita gestis Beatus Papa Stephanus direxit in Franciæ partes Sergium Secundicerium ad Excellentissimos Francorum Reges Carolum, & Carlomannum, deprecans, & exorans per suas Apostolicas literas, ut aliquantos Episcopos gnaros Deumque timentes, & in Divinis Scripturis, atque Canonum institutionibus eruditissimos dirigerent ad faciendum in Romana urbe Concilium pro eadem impia novi erroris, ac temeritatis præsumptione, quam antefatus Constantinus Apostolicæ Sedis invasor usus (83) est perpetrare. Tunc ipsi Christianissimi Reges direxerunt de eisdem Francorum regionibus duodecim Episcopos Divinis Scripturis, & Sanctorum cæremoniis Canonum doctos, ac probatissimos viros in urbem Romam. Sanctissimus itaque Stephanus Papa congregatis Italiæ Episcopis in Basilica Salvatoris Laterani per Indictionem VII. Synodum celebravit. Deductus est autem ad medium sæpe præfatus Constantinus Apostolicæ Sedis invasor, jam orbatus oculis, & subtiliùs inquisitur, cur Apostolicam Sedem Laicus existens præsumpsisset invadere, & talem iniquæ novitatis errorem in Ecclesia Dei perpetrare. Qui coram omnibus professus, vim se à populo pertulisse, & brachio eorum fuisse electum, atque coactum, in Lateranense Patriarchium deductum propter gravamina, atque præjudicia illa, quæ Romano populo ingesserat Domnus Paulus Papa. Et corruens in terram manibus extensis in pavimento, & se reum, atque super numerum arenæ maris peccasse deflebat, petens misericordiæ veniam ab eodem Sacerdotali consequi Concilio. Quem à terra levare facientes, ipso die nullam de eo protulerunt sententiam. Alio verò die denuo afferentes eum, atque interrogantes de eadem impia novitate, respondit nihil novi se fecisse, dicens: quia & Sergius Archiepiscopus Ravennatium, laicus existens Archiepiscopus effectus est, & Stephanus Episcopus Neapolitanæ civitatis, & ipse laicus repentè Episcopus consecratus est. Dum verò talia isdem Constantinus prosequeretur, illico Sacerdotes universi irati zelo Ecclesiasticæ traditionis, turpiter illum extra eandem Ecclesiam projecerunt. Tunc deferentis (84) omnibus ejus actionum (85) gestis, simul & Concilio illo, quod in Scripturis quasi de ejus confirmatione edictum fuerat, igne combusserunt in medio presbyterii ipsius Ecclesiæ. Quo facto projiciens se in terram Sanctus Stephanus Papa, & universi Sacerdotes cum Populo Romano clamantes Kyrie eleison, cum ingenti fletu peccasse se omnes professi sunt; pro eo quòd de manu ipsius Constantini communionem susceperunt, sicque omnibus ex hoc indita est pœnitentia. Tunc allatis Sacratissimis Canonibus, eisque liquidò perscrutatis, prolata est sententia ab eodem Sacerdotali Concilio sub anathematis interdicto dicente: nullus unquam præsumat laicorum, neque ex alio ordine, nisi prædistinctis gradibus (86) ascendens, Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad Sacrum Pon-

(78) In Anastasio *conversationibus*.
(79) *Georgio*.
(80) *Georgii*.
(81) *orarium*.
(82) In Anastasio *Leontio*.
(83) *ausus*.
(84) In Anastasio *detectis*.
(85) ibid. *rationum*.
(86) *per distinctos gradus*.

Pontificatus honorem promoveri. Et alia plura, quæ canonica indigebant correctione in eodem Concilio statuerunt emendanda. De Episcopis verò, atque Presbyteris, & Diaconibus, quos ipse Constantinus consecraverat, ita in eodem Concilio promulgatum est: ut Episcopi illi, si qui eorum Presbyter, aut Diaconus fuerunt, in pristino honoris sui gradu reverterentur. Et si peccabiles fuissent, coram populo civitatis suæ, denuo facto decreto electionis, more solito, cum Clero, & populo, ad Apostolicam venirent Sedem, & ab eo Sacratissimo Papa benedictionis susciperent consecrationem. Presbyteri verò illi ac Diaconi ab eodem Constantino consecrati, simili modo in eo, quo priùs existebant, habitu reverterentur. Et postmodum si qui eorum placabiles extitissent, antedictus Beatissimus Pontifex Presbyteros eos, aut Diacones consecrasset. Statuens, ut ii, qui ex eis consecrati erant, nequaquam ad altiorem honorem ascenderent, nec ad Pontificatus promoverentur culmen, ne talis impius novitatis error in Ecclesia pullularet. Ipse verò Beatissimus Stephanus Papa coram omni Sacerdotali collegio clamavit dicens; nullo modo se permitti (87), aut penitus declinare in eorundem Presbyterorum, aut Diaconorum consecrationem. De laicis verò, qui ab eodem Constantino consecrati sunt, ita promulgatum est: ut in religioso habitu cunctis diebus vitæ eorum sive in propriis domibus, vel ubi voluissent permanere deberent. Hujusmodi itaque prolatis sententiis illi illico Episcopi, qui ab eodem Constantino consecrati fuerant, revertentes juxta ejusdem Concilii sententiam in pristino honoris gradu, electi denuo à Clero, & populo, ii qui de eis fuerant placabiles, factoque solito decreto, ad Sedem Apostolicam properantes, ab eodem Sanctissimo Papa sunt consecrati. Nam Presbyteri, & Diaconi illi usque ad mortem ipsius Pontificis sic remanentes nequaquam ab eo sunt consecrati. In eodem quoque Concilio statutum est: ut omnia, quæ isdem Constantinus in Ecclesiasticis Sacramentis, ac Divino cultu egit, irrita fuissent, præter Sacrum Baptisma, atque Sanctum Chrisma. His ita peractis continuò ex diversis Sanctorum Patrum testimoniis de sacris imaginibus Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, & gloriosæ Genitricis ejus semper Virginis Mariæ, & Beatorum Apostolorum, omniumque Sanctorum subtiliter perdagantes, in eodem Concilio statuerunt magno honoris affectu ab omnibus Christianis ipsas sacras imagines venerari, sicut ab Apostolicæ Sedis Pontificibus, & venerabilibus Patribus hactenus traditum est, & observatum. Confundentes, atque anathematizantes execrabilem illam Synodum, quæ in Græciæ partibus nuper acta est, pro deponendis ipsis sacris imaginibus. Expletis verò omnibus, quæ in eodem Concilio fuerant constituta, tunc isdem Beatissimus Pontifex, aggregans universos Sacerdotes, & Clerum, atque universum populum, simul cum eis profectus est ad Beatum Petrum Principem Apostolorum, cum hymnis & canticis spiritualibus, nudis pedibus omnes. Illicque in Ambonem ascendens Leontius Scriniarius, cuncta quæ in eodem peracta sunt Concilio, extensa voce legit po-

(87) In Anastasio *immitti*.

A pulo. Sed & tres Episcopi idest Gregorius Silvæ-candidæ, Eustasius (88) Albani, & Gregorius (89) Tiburtinæ, unà cum ipso Papa anathematis obligatione protulerunt, ne quisquam præsumeret quoquo tempore transgredi quippiam de omnibus, quæ in eodem Concilio sunt statuta. Post aliquantum verò temporis contigit de hac vita migrasse Sergium Archiepiscopum Ravennatium. Et continuò surgens Michaëlius Scriniarius ipsius Ecclesiæ, qui nullo Sacerdotali fungebatur honore, profectus est Ariminum ad Mauricium Ariminensium Ducem; qui congregans exercitum, unà cum consilio Desiderii Longobardorum Regis, B properavit Ravennam, & brachio forti elegit prædictum Michaelium, & in Episcopatum Ravennatis Ecclesiæ introduxit, & Leonem Archidiaconum, qui electus erat in Archiepiscopatus ordine, Ariminum deportans ibidem arcta custodia mancipatum isdem Mauricius detinere fecit. Tunc prædictus Michaëlius, atque Mauricius, & Judices Ravennatium civitatis direxerunt ad præfatum Beatissimum Pontificem, promittentes ei copiosa munera, ut ipsum Michaëlium Archiepiscopum consecraret. Ipse verò Beatissimus Præsul pro nullius dationis promissione inclinatus est ad ejus consecrationem, asserens nulla ratione fieri posse, dum Sacerdotali honore minimè C præditus existeret Michaëlius, cui obtestationis literas, atque missos direxit, ut ab eodem injusto proposito recederet. Ipse autem nullo modo Apostolicis admonitionibus acquiescere voluit, dansque plurima dona, & munera Desiderio Longobardorum Regi, & ornatus ipsius Ecclesiæ, cum aliis diversis rebus, in brachio forti per unius anni circulum, & eo ampliùs, ipsum Episcopatum pervasum detinuit, denudans illum, atque in magna paupertate redigens. Tunc Beatissimus Præsul Stephanus misit Legatos suos cum Legatis Caroli Regis Francorum, admonens omnes Ravennianos, ut ab eodem Michaëlio discederent. Qui statim eundem Michaëlium ab D Episcopio ejecerunt, Romamque direxerunt, & prædictum Leonem ejusdem Ecclesiæ Archidiaconum elegerunt. Qui ad Apostolicam Sedem properans, cum Sacerdotibus, & Clero ipsius Ravennatis Ecclesiæ, & Judicibus, ac plebe ejusdem urbis, in Archiepiscopatus honorem ab eodem Stephano Papa ordinatus, & consecratus est. Erat enim isdem Beatus Papa Stephanus Ecclesiasticæ traditionis observator, renovans pristinum Ecclesiæ ritum in diversis Clericatus honoribus. Hic statuit ut omni Dominico die, à septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observant, Missarum solemnia, super altare B. Petri, Gloria in excelsis Deo diceretur. E Nam sedulè isdem Beatissimus Pontifex suos missos, atque literas admonitorias dirigere studebat Carolo Regi Francorum, & ejus germano Carlomanno, pro exigendis justitiis Beati Petri à Desiderio Rege Longobardorum, quas obdurato corde Romanæ Ecclesiæ reddere nolebat. Interea Carlomannus frater Caroli Regis, post administratum communiter biennio regnum, morbo decessit. Carolus itaque totius administratione regni accepta Francorum omnium Rex constituitur. Iste verò multa bella gessit; primum quidem in Aqui-

(88) In Anastasio *Eustratius*.
(89) Ibid. *Theodosius*.

Aquitania, quod à Patre fuerat inchoatum, sed nondum finitum. Sed subactâ Guasconiâ, & compositis in Aquitania rebus, deinde superato Pyrenæi montis jugo, in Hispaniam transiit, & usque ad Hiberim amnem, qui est apud Venairos, & usque Dertosam processit, fugatis atque victis Sarracenis, qui ipsam terram occupaverant. Interea Carolus Rex matrem suam Beltradam in Italiam misit ad Desiderium Longobardorum Regem, & ejus filiam in matrimonio accepit. Romæ verò post hæc Stephano Papa defuncto, & ad Sanctum Petrum sepulto, Hadrianus ei in Pontificatu successit, seditque annis XXIII. Apud Constantinopolim autem mortuo Constantino persecutore, successit ei Leo, qui & Cazaris, qui imperavit annis V. Quo defuncto imperavit Irene cum filio Constantino. Carolus autem Francorum Rex Saxoniam aggredi bello statuit; eamque sinè mora ingressus, ferro, & igne cuncta depopulatus, Eresburgum civitatem cepit, & idolum, quod colebant (cujus causa præcipuè venerat) evertit, obsidibusque acceptis in Galliam reversus est, invênitque Legatos Hadriani Papæ postulantes, ut sibi & Romanæ Ecclesiæ subveniret, quoniam insolentiam Desiderii Regis, & Longobardorum ferre non poterant. Rex itaque Carolus res, quæ inter Romanos, & Longobardos erant, diligenti cura pertractans, pro defensione Romanæ Ecclesiæ commota exercitus multitudine Francorum, & Burgundionum, Alamannorum quoque, nec non & Suevorum, atq; Saxonum, ac bipertito exercitu, partim per montem Jovis, partim per montem Cinisium, Italiam intrare contendit. Superatoque Alpium jugo, Desiderium Regem frustra sibi resistere conantem commisso bello vicit, atque fugavit, Ticinoque inclusum obsedit, & in oppugnatione civitatis (quia difficilis erat) multum temporis spatium plura moliendo consumpsit. Interea Carolus dimisso ad oppugnandum civitatem exercitu, ipse cum paucis Romam voti gratia proficiscitur. Veniens itaque à Monte, qui dicitur Gaudii, usque ad Sancti Petri Ecclesiam pedester properavit. Hadrianus autem Papa in gradibus Sancti Petri præstolatus est venientem, & usque ad Confessionem Sancti Petri, cum hymnis & laudibus & psalmis, cum Clericis simul ac Romanis Judicibus (ut mos est) decenter illum deduxit. At ille potentissimus Rex, offerens Beato Petro multa donaria, promittensque ejus Vicario fidem, & debitam reverentiam, Patriciatus honore à Romanis est sublimatus. Et cùm peractis votis ad exercitum fuisset reversus, fatigatam longa obsidione civitatem ad deditionem compulit, quam cæteræ civitates secutæ Caroli Regis potestati se subdiderunt. Ex illo quippe die dici meruit Rex Francorum, ac Longobardorum, & Patricius Romanorum. At Rex subacta, & pro tempore sibi ordinata Italia, omnibusque B. Petro, ac Domno Papæ, quæ à Longobardis erepta fuerant, restitutis, in Galliam revertitur ducens captivum Desiderium Regem; erat autem hic multis exosus. Adalgisius autem ejusdem Desiderii filius, desperatis patriæ rebus, relictâ Italiâ, in Græciam ad Constantinum Imperatorem se contulit, ibique Patriciatus ordine, atque honore consenuit. Sicque Reges ex Longobardis cum eorum historia defecerunt. Paulus verò Diaconus qui Longobardorum scripsit historiam, postquam à Carolo Rege bis, ac tertiò per se suosque rogatus ut eum diligeret, & Desiderium nuper Regem oblivisceretur (honorabiliter enim circa se præcipua familiaritate, ac dilectione illum habere cupiebat) ejusque monitis nullo modo acquiesceret, magìs exilium elegit perpeti, quàm cum eo esse, qui amicum suum, & dominum in captione tenebat. Dicebat enim, se mutari non posse. (fuerat quippe pernimium Regi Desiderio carus) qui cùm in Insula quadam jussione Regis exulasset, tandem Arechis Beneventanorum Dux, qui alteram filiam Desiderii Regis, nomine Aldeperga, habebat uxorem, fecit illum ad se venire, sibique honorabiliter cum omni diligentia quoadusque viveret adesse præcepit. Rex autem Carolus de filia Desiderii Regis, quam uxorē habuit, posteaque dimisit, filium habuit nomine Carolum, & de Ildegarda, quam postea ex gente Suevorum duxit uxorem, habuit filios Pipinum, & Ludovicum, & filias Ratrudem, & Bertam, & Gislam, aliasque filias tres. Subactâ verò Italiâ Carolus Rex Saxonicum bellum, quod intermissum videbatur, repetiit, quod per XXXVI. annos contractum est. Poterat siquidem citiùs finiri, si Saxonum hoc perfidia pateretur, perfida quippe gens est, ac fidifraga. Difficile dictu est, quotiens superati ac supplices se Regi dederunt, imperata facturos polliciti sunt, & per sacramentum firmaverunt, obsides, qui imperabantur, absque dilatione dederunt. Aliquotiens ita domiti, & emolliti, ut etiam cultum dæmonum dimittere, & Christianæ religioni se subdere velle promitterent. Sed sicut ad hæc facienda aliquotiens proni, sic ad eadem pervertenda semper fuere præcipites; quippe cùm post inchoatum bellum vix ullus annus exactus sit, quo non ab eis hujuscemodi facta sit rebellationis permutatio. Sed magnanimitas Regis, & perpetua tam in adversis, quàm in prosperis mentis constantia, nulla eorum mutabilitate, vel vinci poterat, vel ab his quæ agere cœperat defatigari. Ter namque cum eis conflixit, semel quidem apud Guisaram fluvium in eo loco, qui Brunesber vocatur; secundo autem in loco, qui Thethmelli vocatur; tertio verò in finibus Guestfalorum. His tribus prœliis Saxones ita profligati, ac devicti sunt, ut ulteriùs Regi resistere non auderent. Qui cùm in Saxonia esset, Legati Regis Danorum ad eum pro pacis causa venerunt, qua composita, dispositisque pergrua (90) confiniorum loca præsidiis, Hispaniam quammaximo poterat belli apparatu aggreditur; saltuque Pyrenæi superato, omnibusque, quæ adierat oppidis, atque castellis in deditionem acceptis, cum exercitu revertitur. Subegit & Britones, illos etiam, qui ad Occidentem in extrema quadam parte Galliæ super litus Oceani resident. Per idem tempus Carolus Rex Italiam cum exercitu ingressus, ac per Romam iter agens, Capuam usque Campaniæ urbem accessit, ibique castris positis, bellum Beneventanis nisi dederentur comminatus est. Arichis autem Beneventanorum Dux intentionem Regis salubri consilio prævênit, nam reli-

(90) Fortè *per omnia*, vel *per congrua*.

relicto Benevento, in Salernum civitatem velut munitiorem se contulit. Missaque legatione, filios suos Romoaldum, & Grimoaldum cum magna pecunia obtulit Regi, promittens se ad omnia quæ imperarentur obediturum, cujus precibus Rex (ut ei mos erat) annuens, divini etiam timoris respectu, bello se abstinuit, & minore Ducis filio obsidatus gratia suscepto, majorem patri remisit. Accepit insuper à Populo obsides XII. Arechis autem qui hactenus Beneventanorum Dux nominabatur, hic idem postea primùm appellatus est Princeps Beneventi, atque Salerni. Quo defuncto successit ei Grimoaldus Princeps. Deinde Sico Princeps, & sic cæteri ejusdem civitatis successores per multa annorum curricula *Principes* sunt nuncupati. Nam antea ex quo Alboin Longobardorum Rex Italiam ingrediens, universas Italiæ provincias suæ ditioni componeret, omnes Beneventanorum rectores dicti sunt Duces, quorum primus Dux nominatus est Zotto. Rex itaque Carolus rebus Capuanorum, & Beneventanorum. Apuliæ quoque, & Calabriæ, totiusque Italiæ, sibi pro tempore ordinatis, vênit Romam. Dehinc in Galliam reversus est, congregatoque ingenti exercitu, Bajoariam petiit, cùmque super Lethum fluvium, qui Alamannos, & Bajoarios dirimit, cum exercitu consedisset, Bajoariæ Dux nomine Tasillo (quamvis malè in Regē conscius) cum valida manu populi sui vênit supplex, ac veniam sibi dari deprecatus est. Sed Rex sicut erat mitissimus, & clemens, ei pepercit, accepitque ab eo XII. obsides, populo terræ ei per sacramentum firmato, in Franciam reversus est. Non post multum verò temporis dum conventum Vavassorum suorum more solito Rex adesse jussisset, prædictus Tasillo Dux multis criminibus, etiam crimine majestatis, est accusatus. Ut autem coram omnibus de his, quæ sibi objiciebantur convictus est, uno omnium assensu, ut majestatis reus capitali sententia est damnatus. Sed clementia Regis licèt morti addictum liberare curavit: nam mutato habitu in Monasterium missus est. Bajoarii quoque, qui perfidiæ hujus, & fraudis conscii, & consentanei reperti sunt, exilio per diversa loca relegantur, nullusque eorum morte damnatus est. Est natio quædam Sclavenorum sedens super litus Oceani, quæ propria lingua Wellatari, Francica autem Vultzi vocatur, & Francis semper inimica, finitimosque suos bello premere solebat. Cujus insolentiam Rex diu non ferens, bello etiam aggredi statuit. Comparatoque exercitu, apud Coloniam Rhenum transiit. Inde per Saxoniam iter agens, ac per Albiam fluvium transiens, Vultzorum terram ingreditur, cunctaque ferro & igni vastari jussit. Sed gens illa, quamvis bellicosa, impetum Regis sustinere non valuit. Eorum quippe primates, & reguli cum universo populo omnes se Regis ditioni subdiderunt, & fidem se Regi servaturos jurejurando promiserunt. Deinde omnes barbaras, ac feras nationes, quæ inter Rhenum, & Salam fluvios, Oceanumque ac Danubium positæ, lingua quidem penè dissimiles, (91) moribus verò atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias dimitteret, inter quas

(91) *similes*.

A præcipuè sunt Welatabi, Sorabi, Obodriti, Boëmani. Quibus subactis, sibique sacramento firmatis, eâdem viâ qua venerat in Franciam reversus est. Quo tempore apud Bajoariam comparatis copiis, & commeatibus firmatis, Carolus Rex ut Hunnis, vel Avaribus bellum inferret, bipertito exercitu cum filiis suis Pipino, & Ludovico, nec non & Carolo, circa utramque Danubii ripam cepit iter, Bajoariis in navibus per aquam fluminis commeatus deferentibus, ac sic prima castra super Anisum fluvium, atque Hunnorum terminos, medius currit. Plura quippe in eadem regione prœlia ab eo gesta sunt, in quibus multum sanguinis effusum est. Tunc ipse Carolus Rex pontem navalem in Danubio, quo ad bellum Hunnorum uteretur ædificavit. Devictis igitur Hunnis, eorumque regno destructo, direptis penè omnibus Hunnorum opibus, per Commagenos simili modo transiens, ferro & igni penè cuncta vastavit. Sicque peragratâ, ac devastatâ maxima ex parte Pannoniâ, & oppositâ in altera Danubii parte Daciâ, Histriâ quoque, & Luburniâ, atque Dalmatiâ, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam, & ictum cum eo fœdus, Imperatorem Constantinopolitanum habere permisit, ipse Rex cum incolumi exercitu Francorum per Sabariam in Bajoariam se recepit. Dehinc in Regrinum civitatem, quæ nunc Reganesburgh vocatur, vênit, in qua civitate Rex Episcoporum conventum congregavit, propter Felicem Episcopum Argellis (*) civitatis in Pyrenæi montis jugo sitæ. Hic namque Episcopus natione Hispanus contra Ecclesiæ Catholicæ Fidem dogmatizabat: Dei Filium non proprium esse Patris sed adoptivum. Qui non solùm in conspectu Concilii, sed etiam cùm in præsentia Hadriani Papæ Romam missus esset, Apostolica auctoritate damnatus est. At verò Romæ Hadriano Papa defuncto

Leo tertius, qui Sermocinarius est appellatus Romanum Pontificatum suscepit. Qui mox per Legatos suos claves Confessionis Sancti Petri, ac vexillum Romanæ Urbis Regi Carolo misit, rogans ut aliquem de suis Optimatibus mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem, atque subjectionem sacramento firmaret. Tunc Legati Adelfonsi Regis Asturiæ, atque Galliciæ pacem petentes, Regi Carolo maxima dona detulerunt, quorum quidem petitionibus annuens, eos in pace dimisit. His autem diebus apud Constantinopolim Constantinus filius Irenæ Imperatricis à suis comprehensus est, & excœcatus. Romæ verò Leo Papa (ut (*in*) historiis Francorum legitur) cùm ad Lætaniam procedens de Lateranis pergeret, à Romanis captus, & erutis oculis, (ut quibusdam visum est) lingua quoque amputata, nudus, ac semivivus in Monasterium missus est. Dehinc ad Regem deductus, & valde ut Vicarius Sancti Petri honorificè susceptus, & cùm ei cuncta, propter quæ venerat, intimasset, Rex præ nimio cordis dolore flevit, statimque Legatos suos Romam misit, & cum honore eum in locum suum restituit. Sedit autem Leo Papa annis XX. mensibus V. Rex tamen iter suum, quod in Saxoniam facere disposuerat, non omisit, nam more solito propter contundendam perfidæ

(*) *potiùs* Urgellæ, *seu* Orgelli.

fidæ gentis contumaciam, Saxoniam vastaturus intravit, nec destitit, priusquam omnes terminos ejus peragrasset. Nam usque ad ultimos fines ejus, quà inter Albiam, & Wisaram fluvios Oceano alluitur, accessit: omnesque, qui trans Labiam habitant, Saxones cum mulieribus, & infantibus, transtulit in Franciam. Ultimum verò contra Normannos, qui Dani vocantur piraticam exercentes, & majori classe litora Galliæ, atque Germaniæ vastantes bellum ab eo susceptum est: ii jam Abodritos vicinos suos sibi subegerant, Frisiamque, ac Saxoniam bellis jam plurimis fatigaverant. Normannis penè sibi subactis, classem in mari constituit, præsidia ad contuendum sibi regnum disposuit, rebusque pro rerum opportunitatibus dispositis, per Oceani litus iter agens, Britonum provinciam plerumque sibi rebellantem, totam domuit; essetque sibi in fide subacta, nisi illius infidæ gentis instabilitas, atque perfidia citò aliorum more se solito commutasset. Et propterea Carolus Rex eosdem Britones tributarios fecit: quibus domitis in Franciam revertitur. Rex autem cùm Aquisgrani reversus esset, in Italiam cum exercitu Ravennam, & usque Anconam vênit. Deinde Romam proficiscitur, ibique honorificè à Clero, & populo cum gaudio susceptus est. Cùmque de investigandis, quæ Pontifici objiciebantur, criminibus perquireret, & nullus eorum criminum probator esse voluisset; ipse Pontifex coram omni populo in Ecclesia Beati Petri ad Evangelia se purgavit. Rex autem cùm die Natalis Domini ad Missarum solemnia in Basilica Beati Petri Apostoli coram Altare assisteret, Leo Papa coronam capiti ejus imposuit, cuncto populo Romano acclamante: *Carolo Augusto à Deo coronato magno, & pacifico Imperatori Romanorum vita, & victoria*. Post quas laudes more antiquorum Principum, ab eodem Pontifice adoratus est, ac deinde omisso Patricii nomine, Imperator, & Augustus appellatus est. Filium verò ejus Pipinum in Regem unxit, unxit etiam & Ludovicum fratrem ejus minorem, quibus & coronas imposuit, similiter & Carolum unxit, qui major natu erat. Et Pipinum quidem in Longobardia, Ludovicum in Aquitania, Carolum verò in Saxonia, & super Vultzos constituit. Post paucos verò dies, jubente Carolo Imperatore, ii, qui eundem Pontificem deposuerant, in judicium adducti, & habita de eis quæstione, secundùm legem Romanam, ut majestatis rei, capite damnati sunt, tam ii, quàm hujus facinoris principes. Pro quibus tamen omnibus Papa pio affectu apod Imperatorem intercessit; nam & vita, & membrorum integritas eis concessa est, cæteri pro facinoris magnitudine, exilio sunt deportati. Ordinatis igitur Romanæ Urbis, & Apostolici, totiusque Italiæ non tam publicis, sed Ecclesiasticis, ac privatis rebus, in Galliam ad hyemandum reversus est. Moris siquidem ei erat, ut nisi inevitabili necessitate præveniente, ubi Natalem Domini, ibidem & Pascha celebrarent, & plerumque Aquisgrani. Tunc Irene Imperatrix de Constantinopolim misit Legatos suos Carolo Imperatori propter pacem confirmandam inter Francos, & Græcos: & statuta pace Legatos ipsos dimisit. Græci verò post hæc Irene deposuerunt, & Nicephorum Imperatorem fecerunt. Eo tempore

A

B

C

D

E

Carolus Imperator in Corsicam Insulam contra Mauros classem misit, eamque ab eis liberavit. Hic autem ædificavit Basilicam Dei Genitricis Mariæ Aquisgrani opere mirabili. Apud Maguntiam quoque in Rheno flumine pontem fecit quingentorum passuum longitudinis, nam tanta est ibi fluminis latitudo. Interea Pipinus Rex Caroli Imperatoris filius, Beneventanorum subacta provincia, cæterisque Italiæ rebus compositis, ad patrem vênit. Carolus autem alius filius subacta Sclavorum provincia, ædificatis super Alboim fluvium ultra Saxones duobus castellis, ad quos à patre directus fuerat, ad eum reversus est. Ludovicus verò capta Barcinona civitate, quæ in Hispanico limine sita est, subactaque Dertosa, quæ est in ripa Iberis fluminis, cum plurimis circumadjacentibus ad patrem rediit. Eodem tempore IV. Nonas Septembris fuit eclypsis Lunæ. Eodem anno secundo Kalendas Februarii cùm Luna erat XVI. Stella Jovis per eandem Lunam transire visa est. Et Idibus Februarii fuit eclypsis Solis media die. Iterum IV. Kal. Martii, fuit eclypsis Lunæ. Mense Augusti XI. Kal. Septembris, eclypsis Lunæ facta est hora noctis tertia. Interea Pipinus Rex Italiæ Caroli Imperatoris filius diem obiit. Eodem anno Sol, & Luna bis defecerunt; Sol quidem VII. Idus Junii, & II. Kal. Decembris; Luna verò XI. Kal. Julii, & XVIII. Kalend. Januarii. Cùm Imperator Aquisgrani resideret, duas accepit legationes pro pace petenda: una quidem Nicephori Constantinopolitani Imperatoris; altera verò Regis Danorum, & pace firmata misit eos à se. Nec multo post Carolus filius Imperatoris, qui major natu erat defunctus est. Præterea Nicephorus Imperator Constantinopolitanus post multas, & insignes victorias, in Mœsia provincia commisso cum Bulgaris prœlio moritur. Et Michaël Curopalates gener ejus Imperator factus est. Hic ad Imperatorem Carolum pro pace petenda direxit, quod & Leo Papa satis laudavit. Tunc fuit Solis eclypsis Idus Maji post meridiem. Eodem anno Leo Papa obiit,

Et Stephanus Diaconus ei Papa successit, qui sedit annis VII. mensibus III. Carolus Imperator habito generali conventu cùm Aquisgrani hyemaret, Amalarium Treverensem Episcopum, & Petrum Abbatem Nonantulas Constantinopolim misit propter pacem cum Michaële confirmandam. Tunc etiam filium suum Ludovicum Aquitaniæ Regem, cum imposita sibi corona, Imperialis nominis sibi consortem fecit. Bernardum nepotem suum filium Pipini Regis filii sui, Regem constituit, & ad contuendam Italiam misit. Qui veniens pactum cum Grimoaldo, tunc Beneventanorum Duce firmavit, eo modo, quo & Pipinus pater ejus, scilicet ut Beneventani tributum singulis annis septem millia solidorum darent, quod etiam Ludovicus Imperator postea pacto confirmavit,

Et Michaël Constantinopolitanus Imperator Bulgaros bello appetens haud prosperis successibus domum reversus, deposito diademate, Monachus efficitur, in cujus locum Leo Armenus Bardæ Patricii filius Imperator constituitur.

Anno Domini DCCCXIV. Indictione VII. Carolus Imperator dum Aquisgrani hyemaret, obiit anno ætatis suæ LXXI. regni autem

tem XLVII. subactæque Italiæ XLII. Ex quo verò Imperator, & Augustus est appellatus anno XIV. Auxit etiam Carolus Imperator gloriam regni sui, quibusdam Regibus, ac gentibus per amicitiam sibi conciliatis. Adeò namque Adelfonsum Galliciæ, atque Asturiæ Regem societate devinxit, ut cùm is ad eum literas, vel Legatos mitteret, non aliter se apud illum, quàm proprium filium suum appellari juberet. Scotorum quoque Reges sic habuit ad suam voluntatem per munificentiam inclinatos, ut eum numquam aliter, nisi Dominum, seque subditos & servos ejus pronuntiarent: cum Aaron Rege Persarum, qui, exceptâ Indiâ, totum penè tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, ut omnium, qui in toto orbe terrarum erant, Regum, ac Principum amicitiæ eum Rex ipse præponeret, solumque illum honore ac munificentia sibi colendum judicaret. Per Legatos quoque suos inter vestes & aromata, & cæteras Orientalium terrarum opes, ingentia illi dona direxit, cùm ei ante paucos annos miserit Elephantem unum vivum, quem solum habebat. Concessit eidem Imperatori sacratissimum locum, in quo est Salvatoris nostri Sepulchrum, ut illius potestati adscriberetur. Ipse autem Imperator per singulos annos plurima ad eundem locum donaria mittebat. Imperatores etiam Constantinopolitani Nicephorus, Michaël, & Leo ultro amicitiam & societatem ejus expetentes, multoties ad eum cum muneribus complures misère Legatos; cum quibus tamen propter susceptum à se Imperatoris nomen, & ob hoc quasi qui Imperium eis eripere vellet, valde suspectum fœdus firmissimum statuit, ut nulla inter partes cujuslibet scandali remaneret occasio: erat enim in amicitiis optimè temperatus, ut eas & facilè admitteret, & constantissimè retineret. Cæterùm per omne vitæ suæ tempus, ita cum summo omnium amore atque favore & domi, & foris conversatus est, ut numquam ei vel minima injustæ severitatis à quoquam fuisset objecta (*culpa*). Religionem Christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissimè, & cum summa pietate coluit, Ecclesiam manè & vesperè, item ac nocturnis horis, & sacrificii tempore, quo ei valetudo permiserat, impigrè frequentabat, curabatque magnopere, ut omnia, quæ in Ecclesia gerebantur, magna fierent honestate: amabat Peregrinos, & in eis suscipiendis magnam habebat curam, ita adeò, ut eorum multitudo non solùm palatio, verùm etiam regno videretur onerosa, ipse præ magnitudine animi hujusmodi pondere minimè gravabatur. Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quæ tamen justam non excederet, nam septem suorum pedum proceritatem ejus constat habuisse; apice capitis rotundo, oculis prægrandibus, ac vegetis, naso paululum mediocritatem excedenti, canitie pulchra, facie læta & hilari, voce clara, incessu firmo, totaque corporis habitudine virili, vestitu patrio, idest Francico utebatur; ad corpus camisia linea, & fœminalibus (92) lineis, tunica verò quæ limbo serico utebatur; tibialiis quoque cum fasciolis, crura, & pedes calceamentis constringebat; amphibalo venero amictus, & gladio semper accinctus. Peregrina verò indumenta, quamvis pulcherrima, respuebat, nec umquam eis indui patiebatur. In festivitatibus quidem præcipuis veste auro texta, gemmisque, & calceamentis gemmatis, diademate quoque ex auro & gemmis ornatus incedebat, & gemmato ense. Aliis autem diebus habitus ejus parum à communi, ac plebejo distabat. In cibo temperatus, in potu temperantior, inter cœnandum numquam histriones, sed aut sapientem, aut lectionem audiebat: legebantur ei historiæ & antiquorum res gestæ, ac libri, præcipuè Sancti Augustini, (*nam*) in iis præcipuè delectabatur; erat eloquentia copiosus, & exuberans, poteratque quidquid vellet apertissimè exprimere; Latinam linguam ita didicit, ut ea tanquam patria uteretur. Artes liberales studiosissimè coluit, literarumque Sapientes plurimum veneratus, magnis ditabat muneribus. Circa pauperes sustentandos & gratuita liberalitate, quam Græci eleemosynam vocant, ita devotissimus extitit, ut non solùm in patria, & in regno suo id facere curaverit, verùm trans mare in Syria, & Ægypto, atque Africa, Hierosolymis, Alexandriæ, atq; Carthagine, ubicumque Christianos in paupertate vivere compererat, penuriæ eorum compatiens, pecuniam mittere solebat. Sacra ac venerabilia loca colebat, & præcipuè Romanam Ecclesiam, in cujus donaria magna vis pecuniæ tam in auro, quàm in argento, nec non & in gemmis ab illo congesta est: cujus quidem Pontificibus multa munera largitus est. In omnibus tamen quibus regnavit annis quater tantùm voti causâ Romam profectus est. Prosapia siquidem Regum à Beato Arnulpho usque ad Carolum Imperatorem (ut in Francorum habetur historiis) sic annotatur: „ Buotgisius illuster „ vir genuit Ansgisium; Ansgisius genuit Pipinum Majorem-domus; Pipinus genuit Carolum Ducem; Carolus Dux genuit Pipinum Regem; Pipinus quoque Rex genuit „ Carolum Regem famosissium, & primum „ Francorum Imperatorem.

Ludovicus filius ejus omnium Francorum consensu patri Imperator succedens administrationem regni potenter, clementerque curavit. Hic autem propter rebelliones in Saxoniam properans ad Vuclatabos, & usque ad litus Oceani cum exercitu vênit: quibus domitis, obsidibusque acceptis in Galliam reversus est, & filios suos Lotharium quidem in Bajoariam, Pipinum verò in Aquitaniam misit; alios verò filios suos Ludovicum, & Carolum adhuc puerulos secum retinuit. Quo tempore Leo Constantinopolitanus Imperator, qui Michaëli successerat, Legatos pro pace confirmanda Imperatori Ludovico misit; ipse autem Leo Imperator anno Imperii sui septimo, factione Michaëlis Comitis domesticorum in palatio interemptus est, & idem Michaël Imperiū arripuit. Interea Stephanus Papa diem obiit an. Pontificatus sui VII. & mens. III.

Quo defuncto Paschalis successit, in cujus electionem Ludovicus Imperator, postquam de eo sibi legatio fuerat (*missa*), assensum dedit. Hic autem Romæ ædificavit Ecclesiam in honorem Beatæ Mariæ, quæ Domnica nominatur, quam etiam marmoribus vestivit; sedit annos sex.

Eo

(92) *Lege* fœmoralibus.

Eo defuncto successit Eugenius, qui pœnitentialem librum composuit. At verò Pipinus jussu patris Guasconiam cum exercitu ingressus, sublatis ex ea seditiosis, totam ipsam provinciam ita placavit, ut nullus in ea rebellis remansisse videretur. Imperator Ludovicus copiis adunatis, Rhedonas civitate capta, quæ terminis est Britanniæ contigua, Britanniam ingressus, totam ferro & ignibus devastans sibi subegit; qua subacta, obsidibusque receptis, Rothomagum est reversus. Ibi prædicti Michaëlis Imperatoris ad eum cum muneribus causâ firmandæ pacis Legati venerunt, & eâ sancitâ, sunt reversi. Sequenti verò anno mense Junio in territorio Augustudonensi aëre in tempestatem mutato, ingens fragmentum ex glacie simul cum grandine cecidit, cujus longitudo XV., latitudo VII., grossitudo duos pedes habuisse dicitur. Ludovicus Imperator dum Aquisgrani Conventum haberet, Legatos de Normannia venientes, similiter & Legatos Danorum, atque Frisiorum, nec non & Vultzorum, Hispaniæque, & Adelphonsi Regis Galliciarum, Regis etiam Sarracenorum, omnes quidem pacem petentes, ac singulos dona deferentes recepit, quos & in pace dimisit. Tunc filiis suis Lothario quidem Italiam, Pipino verò Aquitaniam, Ludovico autem Bajoariam dono permisit; Carolum verò virilibus armis, idest ense cinxit, caput ejus regali corona insignivit, partemque regni, idest Neustriam ei tribuit, monens eos omnes, ut unanimes essent, & se alterutri tuerentur: Lothario quoque coronam imposuit. His quoque temporibus in territorio Tullense juxta Commerciacum Villam puella quædam annorum circiter duodecim post Sacram Communionem, quam in Pascha de manu Sacerdotis sumendo perceperat, primò quidem pane, deinde aliis omnibus cibis ac potibus abstinendo in tantum jejunasse perhibetur, ut nulla penitus corporis alimenta percipiens, sinè omni victus desiderio, plenum triennium compleverit. Quo tempore Eugenius Papa decessit.

In cujus locum Valentinianus Diaconus à Romanis electus & consecratus, vix decem menses in Pontificatu complevit; hic autem Ludovicum coronavit Imperatorem.

Quo vita decedente Gregorius Presbyter Tituli Sancti Marci à Romanis electus, sed non priùs Papa est ordinatus, quàm Legatus Ludovici Imperatoris Romam vênit, & electionem populi qualis esset examinavit. Ludovicus autem Imperator naturâ clementissimus, quamvis in magnis sæculi sublimitatibus constitutus esset, humilitate tamen altiùs eminebat, qui in initio sui Imperii causas Ecclesiarum diligenti cura pertractans, constituit ut Christi Ministri non essent humanæ servituti obnoxii, & unaquæque Ecclesia suos haberet sumptus vivendi communiter, ne alicujus avaritia ministerio Ecclesiastico ad proprium abuteretur quæstum, nec propter inopiam cultus negligerentur divini, & hoc opere curavit similiter & per singula Cœnobia ordinavit stipendia Monachorum, eleemosynarum etiam largitione plurimarum, sed & servorum Christi orationum instantiam, quibus semper se commendabat, quotidie Divinitatem sibi placare studebat. Hic anno ejus Imperii XVI.(*) Indictione VII., sed & anno Dominicæ Incarnationis DCCCXXX. apud Aquisgranum jussit congregari Synodum Episcoporum, Catholicorumque, & laudatorum virorum Clericorum ac laicorum propter statum atque utilitatem Fidei, maximè regiminis Ecclesiarum Dei, præsidente Gregorio Papa, & inter multa, quæ justè & piè ibi statuta sunt, in mandatis decretum est, ut Episcopi & Clerici pretiosas exquisitasque vestes, ac sericas, aut bracteis aureis, seu gemmis cultis oneratas deponerent, nec ulteriùs talibus ornamentis uterentur: similiter & pretiosa cingula, sive hujusmodi pretiosa ac deaurata calceamenta; monstro namque simile dicitur & impietatis crimini deputatur, si Ecclesiasticæ familiæ deputatus aspirare conetur ad hujusmodi pompæ sæcularis gloriam.

Anno Dominicæ Incarn. DCCCXXXVIIII. Indictione secunda corpus Beati Bartholomæi Apostoli de Lypari Insula in Beneventum translatum est, principante tunc in eadem civitate Sicardo quinto jam Beneventanorum Principe filio Siconis Principis.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXL. Indictione III. Ludovicus Imperator obiit anno vitæ suæ LXIV. Imperii verò XXVII. Aquitaniæ autem præfuit per annos XXXVI. sepultusque est Metis in Basilica Sancti Arnulphi. Eodem anno facta est eclypsis Solis feriâ IV. ante Ascensionem Domini, horâ diei nonâ, II. Nonas Madii. Vergente igitur anno in die Ascensionis Domini apud Fontanetum in Burgundia fit bellum à quatuor filiis ipsius Ludovici, Carolo scilicet, Lothario, Ludovico, atque Pipino, ubi multus effusus est sanguis humanus. Ex quibus Carolus, qui appellatur Calvus regnum Francorum, & postmodum Imperium Romanorum obtinuit: Lotharius verò Italiam, & eam partem Galliæ sibi vendicavit, quæ usque in hodiernum diem ex suo nomine Lotharii regnum appellatur: Ludovicus autem Burgundiam, deinde Germaniæ regnum sibi vendicavit: Pipinus verò Aquitaniam possedit. Post quatuor annos gens Normannica Galliam irrumpens Parisios usque vênit, Monasteriumque Beati Germani depopulata est, quorum Dux Ragenarius nomine sub Principe Horich hanc devastationem peragens, post triduum expiravit. Cæteri verò raptores & violatores sancti loci disenteriæ morbo perierunt. Interea Romæ Gregorius Papa diem obiit,

Et successit ei in Pontificatus honorem Sergius, seditque annis III. Cujus temporibus Sarraceni devastaverunt Italiam. Tunc quoque divisus est Principatus Beneventi, atque Salerni: & Beneventi quidem Princeps Radelchis, Salerni verò Sichenolfus factus est Princeps.

Romæ verò Sergio Papa defuncto, Leo quartus successit in Romanum Pontificatum, seditque annis VIII. Hic autem Ludovicum Lotharii filium coronavit Imperatorem, quiq; etiam ædificavit civitatem, quæ hodie Porticus nominatur, quam Leoninam de nomine suo appellavit. Hic fecit ciborium super Altare Sancti Petri argenteum, & ante ipsum Altare tabulam auream mira gemmarum varietate distinctam, & juxta Altare Crucem auream, & regulas confessionis argenteas. Hic ædificavit Ecclesiam Romæ, quæ hodie dicitur Sancta Maria Nova, & Ecclesiam Sanctorum quatuor Coronatorum. Hic idem, ut in Pontificali legitur, invidiosè super quibusdam criminibus pulsatus, Synodum congregavit,

(*) Anno XVI. Imperii idest ab Incar. DCCCXXVIII. Ludovicus Pius Placitum tantùm edidit Aquisgrani de celebrandis quatuor Conciliis, ut ex *Labbeo*, & *Balutio*.

vit, & se juramento innoxium demonstravit. Hic quoque à Romanis orbatus est, qui licèt orbatus, quamdiu tamen vixit, Romanam gubernavit Ecclesiam. (*confundit hic auctor Leonem III. cum IV.*)

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLV. corpus Beati Vincentii à Valentia Hispaniæ civitate, per quemdam Monachum in Galliam deportatum est, & apud Monasterium Beati Benedicti in Gallia, quod Castrum vocatur, situm in Pago Albiensi, conditum. Per idem tempus defuncto Leone Romano Pontifice (93).

Benedictus Papalem Cathedrā sedit annis II. Quo defuncto Nicolaus Pontificali Cathedra sublimatus est, seditque annis IX. Iste Michaëlem excommunicavit Constantinopolitanum Imperatorem propter Ignatii Patriarchæ injustam depositionem; excommunicavitque Lotharium Regem, propter Gualderadæ pellicis suæ societatem. Non multo post idem Lotharius Rex per Italiam veniens Romam, acceptâ pœnitentiâ mortuus est. Cui Ludovicus nepos ejus, genitus verò Caroli Imperatoris, in Imperium Italiæ substituitur; in Gallia autem ejusdem Lotharii regnum Carolus & Ludovicus Germaniæ Rex inter se dividunt.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLVI. Basilius cognomento Paracemomenus, quem Michaël Græcorum Imperator in consortium Imperii Constantinopolitani adsciverat, eumdem Michaëlem dolo interfecit, & Imperium sibi arripuit. Eodem anno Sarracenorum exercitus ad Ecclesiam Sancti Michaëlis in monte Gargano perrexerunt, & multos, qui ad orationem convenerant, deprædantes redierunt. Interea Romæ Nicolaus Papa defungitur, & successit ei Hadrianus, qui sedit annis V.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXI. Carolus Imperator Viennâ in sua potestate acceptâ, Normannos perdomuit, accipiens obsides quales quæsivit. Ludovicus autem frater ejus Germaniæ Rex habuit filios Ludovicum, & Carolum, & Carlomannum. Ludovicus verò Italiæ Imperator die Pentecostes Romæ apud Lateranense palatium ab Hadriano Papa coronatus est. Hic hoste collecta Capuam vênit, & per Beneventum in Apuliam cuncta sibi componens; qui non multo post mortuus est. Eodem anno Ludovicus Germaniæ Rex filium Carolum in Italiam misit, qui eam obtinuit. Quo tempore Basilius pater Constantini, & Leonis Constantinopolitanum regebat Imperium. Interea Hadrianus Papa mortuus est, & Joannes Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus in locum ejus substituitur.

Anno Dominicę Incarnationis DCCCLXXV Carolus Imperator à Joanne Papa invitatus Romam vênit, à quo coronatus, & Romanorum Imperator appellatus est; quique Episcopis, & cæteris quibusque Clericis assistentibus, & vestibus Ecclesiasticis indutis, ipse in gremio Synodi in vestitu deaurato, Romano more paratus & coronatus, cantans antiphonam: *exaudi nos Domine*, Concilium convocat. Præterea Ludovicus Rex Germaniæ diem obiit, cui successit Ludovicus filius ejus. Hic cum Saxonibus contra Hunnos, qui è regione Saxonum sunt, bellum committens, cum multa ex utraque hominum strage victoriam adeptus est.

Anni Domini DCCCLXXVII. Carolus Imperator febre correptus in Italia lethalem potum veneno mixtum bibit, quem sibi nimium dilectus ac credulus medicus Judæus, Sedecias nomine, dedit, anno ejus Imperii XXXVII., & in successione Lotharii Regis anno III. Carolo autem successit Ludovicus filius ejus in regnum, & hic à Joanne Papa coronatus est.

Anno Dominicæ Incarnat. DCCCLXXIX. Ludovicus filius Caroli, & Ludovicus filius Ludovici, concione collecta, regnum sibi staterunt, sicut patribus suis acciderat. Ipso quoque anno Ludovicus Francorum Imperator Caroli Calvi filius post administratum biennio regnum mortuus est; qui nihil fecisse nomen sortitus est. Vir omnibus immunditiis, ac vanitatibus plenus, nihil enim strenuè gessit. Hic quamdam Sanctimonialem Monasterio abstractam suo conjugio copulavit: cujus peccato Gallia afflicta est mortalitate, & maxima Barbarorum clade. Ludovico itaque diem obeunte, Carolus filius ejus, qui Simplex est dictus, patre orbatus, ei in Imperium successit. Ludovicus autem Ludovici Germaniæ Regis filius suggestione quorundam suorum amicorum vênit in Galliam ad obtinendum eam: & ut cognovit, quòd eam obtinere non posset in Germaniam est reversus. Hic utiliter sibi, ac regno vivens, non multo post tempore moritur.

Anno Dominicæ Incarnat. DCCCLXXXI. Carolus Simplex Italiam perrexit, Romamque veniens à Joanne Papâ Imperator unctus est. Iste multos à suis, maximè quidem à Roberto suo Principe labores in suo regimine pertulit. Apud Constantinopolim verò Leo & Alexander filii Basilii Paracemomeni tunc imperabant.

Anno Dominicæ Incarnat. DCCCLXXXIII. Joannes Papa, postquam decem annos, & menses V. Romanam gubernavit Ecclesiam defunctus est,

Et Marinus ei successit, qui sedit anno uno, & mensibus V. quo defuncto

Successit Hadrianus in Romanum Pontificatum, seditque anno uno, mensibus IV. post cujus obitum

Stephanus Papalem Cathedram gubernavit annis VI. eo autem vita decedente

Successit ei Formosus, qui sedit annis V. mensibus VI. cujus temporibus Longobardis repellentibus, Franci Italicum perdiderunt Imperium.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCIV. Primus Guaymarius suscepit Principatum in Salerno, & regnavit annis XXXIX.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCII. urbs Tauromenis à Sarracenis capta est. Eodem anno in nocte visi sunt igniculi in modum stellarum per aëra discurrentes: qua nocte Rex Africæ residens super Cosentiam Calabriæ civitatem, Dei judicio, mortuus est.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCVI. Carolus Francorum Rex, qui Simplex est dictus obiit anno regni ejus XXVII. post cujus mortem quidam Rodulphus, annuente Roberto

(93) Hinc collige, Romualdi ævo nondum enatam Johannæ Papissæ, hic postmodum locatæ, fabulam, quam is, commenta alia credulæ antiquitatis fidelissimè enarrans, minimè prætermisisset, si eandem Marianus Scotus, aut vetustior aliquis scriptor literis consignasset.

berto Principe, regnum Francorum arripuit njustè, tenuitque annis XIII. Sub hoc itaque Rodulpho Ugo Roberti filius post patris obitum nomen Abbatis sumpsit. Mortuo autem Rege Rodulpho Ludovicus Caroli Simplicis filius, transactis puerilibus annis, est jure unctus in Regem. Post hæc Francorum Proceres instinctu Ugonis Abbatis rebellaverunt contra Regem Ludovicum; & ipso anno facta est fames valida per totum regnum Francorum, itaut modius frumenti venundaretur solidos XXIV. Eodem quoque anno mense Majo sanguis pluit super operarios. Hac itaque tempestate Otho non tam suggestione Saxonum, quàm & quorumdam factione Francorum, maximè quidem Ugonis Abbatis, unctus est in Regem Saxoniæ. Interea apud Constantinopolim mortuis Leone, & Alexandro Imperatoribus, Constantinus ejusdem Leonis filius suscepit Imperium, regnavitque annis VI.

Anni Domini DCCCCXIII. Defuncto Constantino Imperatore Romanus Heliopolitanus Constantinopolitanum suscepit Imperium, tenuitque annis XXV. Inter hæc Formosus Romanæ Sedis Episcopus moritur,

Et successit ei Bonifacius, seditque annis XII. quo defuncto

Stephanus ei successit in Sede Pontificali, qui post annum unum, & menses II. vita decedens Sedem reliquit

Romano Episcopo, qui sedit mensibus III. Defuncto autem Romano

Theodorus sedit dies XX. Post hunc verò

Joannes sedit annis II. cui successit

Benedictus Papa, qui sedit annis III. Huic successit

Leo, & sedit mense uno;

Post quem Christophorus mensibus VI. sedit: hic ejectus de Papatu Monachus factus est,

Et Sergius in Sede Pontificali constitutus, qui sedit annis VII. mensibus tribus.

Post cujus obitum Anastasius sedit annis II. mensibus II. Eodem anno Landulphus Princeps Beneventi prœliatus est cum Ursileone Patricio Græcorum in Apulia, eumque vicit. At verò in Gallia Ludovicus Francorum Rex captus est à Normannis dolo Ugonis Abbatis, qui postea dictus est Magnus, multis Francorum interfectis, qui Rex totum tempus vitæ suæ plenum ducens angustiarum & tribulationum diem clausit extremum.

Anni Domini DCCCCXXII.

Sepultusque est Rhemis in Basilica Sancti Remigii. Hic autem duos liberos superstites reliquit Lotharium, atque Carolum, quos ex Giberga Othonis Saxonum Regis sorore genuerat. Defuncto igitur Ludovico Lotharius filius ejus adhuc juvenis unctus est in Regem Rhemis, & Ugo Magnus Dux ejus factus est.

Anni Domini DCCCCXXIII. Anastasio Papa defuncto

Lando Romanum suscepit Pontificatum, seditque mensibus sex: quo defuncto

Joannes Sedem Papalem sedit annis XIV. mensibus II.

Anno Dominicæ Incarnat. DCCCCXXVI. Venerunt Sclavi in Apuliam, & civitatem Sipontum hostili direptione, & gladio vastaverunt. Non post multum verò temporis Ungri venerunt in Apuliam, & captâ Auriâ civitate ceperunt Tarentum. Dehinc Campaniam ingressi, non modicam ipsius Provinciæ partem igni, ac direptioni dederunt.

Anno DCCCCXXXIII. Alius Gisulfus factus est Princeps in Salerno, vixitque in Principatu annis XLVIII.

Anno DCCCCXXXIX. Constantinus cum filio Constantino apud Constantinopolim post Romanum Heliopolitanum cœpit imperare, regnaveruntque annis XVI. Post quos filius ejusdem Constantini Romanus cum filio suo Basilio annis III. imperavit; & post eos Nicephorus imperavit annis VI. His autem temporibus Ungri secundò ingressi sunt in Apuliam, eamque obtinuerunt annis IX. Inter hæc quoque Johanne Papa defuncto, Leo Papa sedit mensibus VI. Cui successit Stephanus, qui sedit annis II. mense uno. Huic verò Johannes successit, & sedit annis IV. mensibus X. Hic autem fuit filius Sergii Papæ. Igitur Joanni successit Leo, qui sedit annis IV. mensibus VI. Post quem Stephanus sedit annis III. mensibus IV. Cui Marinus successit, seditque in Pontificatu Romano annis III. mensibus VI. Quo vita decedente, Agapitus sedit annis X. mensibus VII. Huic itaque Joannes successit, seditque annis IX. mensibus III.

Anno DCCCCLIV. Corpus B. Matthæi Apostoli, & Evangelistæ de Pestana civitate Briciæ in Salernum translatum est, principante tunc in eadem civitate Gisulfo. At verò in Gallia Carolus frater Lotharii Francorum Regis ævo junior privatis in rebus senuit. Fuerant autem Ugoni Magno filii Otho, & Ugo, atque Henricus, nati ex filia Othonis Regis Saxonum. Defuncto itaque Ugone Magno, successit ei Otho filius ejus, qui non post multum temporis mortuus est, & Ugo frater ejus effectus est Dux Regni Burgundionum. Non post multos verò dies Lotharius Rex Francorum congregans exercitum valde copiosum, renovavit in ditione sua Lotharicum regnum. Quod audiens Otho Saxonum Rex, qui Aquisgrani tunc commanebat, relicto Palatio, quod sibi vindicaverat, fugit. Post hæc Otho Rex congregans exercitum suum, vênit Parisius, ubi interfectus est nepos illius cum aliis quampluribus ad portam civitatis incenso suburbio illius. Lotharius igitur Rex tribus diebus, & tribus noctibus constanter persequens illos usque ad flumen, quod fluit juxta Ardennam, interfecta hostium multitudine, cum victoria in Franciam reversus est. Post hæc non apposuit ultra Otho Rex ut veniret in Franciam. In ipso autem anno Lotharius Rex consilio Ugonis Ducis sui pacificatus est cum Othone Rege Rhemis civitate, deditque Lotharius Rex Othoni Regi in beneficio Lotharium regnum in anno DCCCCLXIII.

Sequente verò anno (1) idem Otho Saxonum Rex Romam vênit nobiliter cum exercitu, & à Joanne Papa coronatus est, accipiens ab eo totius Italiæ vexillum cum Imperii dignitate, professus jurejurando servare fidem Romanæ Ecclesiæ. Ex tunc itaque Otho Rex appellatus est Imperator.

Anno DCCCCLXVII. Hic in Apuliam vênit cum exercitu, & Oppidum Barum expugnando cepit, cepitque civitatem Bobinum, atque Asculum, Græcos expellens. Interea apud

(1) Veriùs *superiore anno*.

apud Constantinopolim defuncto Imperatore Niceforo, Joannes cognomento Simischi tenuit Imperium annis VI. Quo defuncto, Basilius, & Constantinus filii ejus cœperunt imperare ab Anno Domini DCCCCLXX. regnaveruntque annis LV. At verò Romæ defuncto Joanne Papa, Benedictus Papa sedit annis II. Et post eum Leo sedit (2) anno uno, mensibus II. Deinde verò Joannes sedit annis VI. mensibus XI. Hic à Petro Præfecto Romanæ urbis comprehensus, & in Castello S. Angeli retrusus, deinde in Campaniam in exilium missus, & post menses decem Romam reversus est, & de persequutoribus ejus ab Othone Imperatore in urbe Roma supplicium sumtum est. Iste quoque Papa Joannes coronam posuit Imperii Othoni Imperatori, quique acceptâ Coronâ Aquisgranum reversus est. Hic etiam Papa Joannes nobilitavit Capuam Archiepiscopatu, in qua civitate tunc principabatur Pandulphus cognomento Capudferreus. Eodem tempore Sarraceni venerunt in Apuliam, & expugnaverunt civitatem Gravinam, eamque ceperunt. Hinc quoque secundo anno post hæc ceperunt civitatem Bobinum, ignique combusserunt.

Anno DCCCCLXXVI. Lotharius Francorum Rex senex, plenus dierum obiit, postquam regnavit annis LIV. sepultusque est in Basilica S. Remigii Rhemis. Cui successit Ludovicus filius ejus adhuc juvenis.

Anno DCCCCLXXXI. defuncto Joanne Papa, Benedictus ei in Pontificatus honore successit. Eodem annò Otho major Imperator obiit anno decimo octavo (3), ex quo Imperator appellatus est. Successit autem ei Otho Imperator, qui dictus est minor, qui postquam Imperii coronam accepit, veniens Salernum obsedit, cepitque illam expugnans. Dehinc per Brixiam, & Lucaniam in Calabriam perrexit, & apud Stylum Calabriæ oppidum cum Sarracenis pugnavit, eosque devicit, Rhegium quoque cepit. Regnavit autem annis II. Eo itaque defuncto, successit illi tertius Otho, quo tempore Joannes factus est Princeps Salerni. Interea Papa Benedictus, postquam annum unum sedit, diem obiit. Et successit ei Bonus (4), qui sedit anno uno, mensibus VI. Quo vita decedente, Bonifacius (5) sedit mense uno. Cui expulso Benedictus successit in Pontificatus honore, qui sedit an. IX.

DCCCCLXXXV. Obiit Ludovicus Francorum Rex juvenis, postquam regnavit annis novem; sepultusque est in Basilica B. Cornelii Compendio. Cui successit Carolus frater ejus, filius Lotharii Regis. Eodem anno, quo Carolus hic cœpit regnare, Ugo Dux ejus cognomento Chapet, rebellavit contra Carolum Regem, consilioque habito cum Ascelmo, qui erat Episcopus Lauduni, & Consiliarius Caroli, quatenus eum sibi traderet. Qui dolis acquiescens tradidit eum Ugoni Duci quadam nocte cunctis quiescentibus. Vinctus est itaque Carolus Rex cum uxore sua, & positus in custodia Aurelianis civitate in turri, in qua vitam finivit. Habuit tamen ex eadem uxore duos filios Ludovicum, & Carolum. Ugo itaque Dux regnum sibi Francorum arripuit, constituitque Regem filium suum, nomine

A Robertum. Sicque defecit prosapia Regum à Carolo Imperatore descendentium; & ex tunc Francorum Reges regali tantùm honore contenti, Imperii dignitatem amiserunt. In illis diebus in Rhemensium civitate erat Archiepiscopus vir bonus, & modestus, jam senex, frater Lotharii Regis ex concubina, nomine Arnulphus. Ugo autem Dux invidebat ei, volens exterminare progeniem Lotharii Regis. Congregansque in eadem civitate Synodum, fecit degradare Domnum Arnulphum; in loco verò ejus consecrare fecit Domnum Gibertum (6) Monachum Philosophum. Seguinus autem Archiepiscopus Senonum non consensit in degradatione Arnulphi, neque in ordinatione
B Giberti; sed plus timens Dominum, quàm terrenum Regem, ipsum Regem in quantum potuit redarguit. Rex itaque cum magno decore expelli jussit Arnulphum de Ecclesia, & sic alligatum retrudi in carcerem, ubi nepos ejus Carolus detinebatur, mansitque ibi annis III. Nunciantur hæc Præsuli Romano, qui valde indignans super hoc facto, interdixit omnes Episcopos, qui jam dicto facinori consenserant, misitque Leonem Abbatem à Sede Apostolica ad Domnum Seguinum Archiepiscopum Senonum, qui vice sua in urbe Rhemensi Synodum congregaret, mandans illi, ut sinè dilatione in pristino gradu revoca-
C ret Domnum Arnulphum, & degradaret Gibertum. Quod & fecit. Gibertus itaque intelligens, quòd injustè Pontificalem suscepisset dignitatem, pœnituit. Post hæc Domnus Gibertus electus est Pontifex in urbe Ravenna à Populo ejusdem urbis, & ab Othone Imperatore, reseditque in eadem urbe Pontifex quamplurimos annos. Defuncto verò Papa urbis Romæ, statim omnis Populus Romanus sibi dari acclamant Domnum Gibertum. Assumtus autem de urbe Ravenna, ordinatus est Pontifex in urbe Roma.

Anno DCCCCLXXXVII. Sarraceni depopulati sunt Calabriam, à quibus postea sequenti anno Consentia obsessa est, atque destructa.

D Anno DCCCCXC. Stella à parte Septemtrionis apparuit, habens splendorem, qui tenebat contra Meridiem quasi passum unum. Et post paucos dies iterum apparuit eadem Stella à parte Occidentis, & splendor ejus ad Orientem tendebat. Et non post multos dies fuit terræmotus magnus, qui plures evertit domos in Benevento, & in Capua, multosque homines occìdit, & in civitate Ariano plures Ecclesias subvertit. Civitas quoque Frequentus penè media cecidit. Civitatem verò Consanam prope mediam cum Episcopo subvertit, multosque homines oppressit. Ronsem totam cum ejus hominibus submersit. Prætere-
E a Romæ defuncto Papa Benedicto, Joannes Papa sedit mensibus IX. Hic autem in Castello S. Angeli retrusus, & per menses quatuor fame afflictus mortuus est. Et iterum superior Bonifacius, qui expulsus fuerat, sedit mensibus XI. Quo vita decedente, Joannes sedit mensibus IV. Post quem alius Joannes sedit annis X. mensibus VI. Cujus temporibus Romani Capitanei Patriciatus sibi tyrannidem vendicavere.

Anno

(2) Pseudo-Pontifex.
(3) Malè annum mortis & Imperii Ottonis signat hic Auctor; obiit enim anno CMLXXIII. incœpto XII. Imperii.

(4) Aliter *Donus*.
(5) Pseudo-Pontifex.
(6) Aliter *Gerbertum*.

Anno DCCCCXCIV. In Apulia civitas Maceræ à Sarracenis destructa est.

Anno DCCCCXCVII. Ugo Dux Francorum obiit, sepultusque est in Basilica Beati Dionysii Martyris Parisiis. Cui successit filius ejus Robertus Rex, qui pius fuit, ac modestus. Hic autem post mortem patris regnavit annis XXXIII. Per idem tempus Mel Catipanus primùm in Apulia conduxit Normannos, quos secum habens bellum in Apulia cum Græcis apud Basentellum commisit. Et non multum post temporis ipse Mel civitatem Asculum cepit. Non post multùm verò temporis Henricus Burgundiæ Dux, qui Burgundiorum quoque regnum sibi vendicaverat, mortuus est sinè filiis, & rebellaverunt Burgundiones in Regem Robertum, nolentes eum recipere. Post tertium itaque annum Robertus Rex, assumtis Normannis cum Duce suo Ricardo, & exercitu, vastavit Burgundiam. Rainaldus Comes Senonum post multa mala defunctus est. Cui successit Fromundus filius ejus. Mortuo itaque Fromundo Comite Senonum, successit ei Rainaldus filius ejus nequissimus. Hic persequutionem intulit Ecclesiis Christi, ejusque Fidelibus, quanta non est audita tempore Paganorum usque in hodiernum diem. Post aliquot verò annos capta est civitas Senonum ab Archiepiscopo Lotherico, qui successit venerabili Seguino, & Regi tradita Roberto. Præter hæc autem Romæ defuncto Joanne Papa, successit ei Gregorius, seditque anno uno, mensibus V. Cui Joannes Papa (7) successit, seditque mensibus decem. Hic turpiter vitam suam finivit. Successit autem huic Silvester, vir omnium artium liberalium peritissimus, qui primitus Abbas Bobiensis, postea Archiepiscopus Ravennas, post verò Romanus Papa effectus est, seditque annis IV. mense uno, cujus temporibus ingens in Campania per XV. dies terræmotus factus est, multa diruens ædificia. Silvestro autem obeunte, Joannes, qui vocatur Sigo (8), Papalem sedit Cathedram mensibus V. Quo defuncto, Joannes Papa, qui vocatur Fanassus (9), sedit anno uno. Hic Othonem Regem Saxonum coronavit Imperatorem. Post Joannem verò Silvester Tiburtinus, qui vocatur Osporco (10), Romanum suscepit Pontificatum, qui sedit annis IV. Suo quidem tempore fuit pessima fames. Hic autem mortuo Alberico, qui Patriciatus sibi nomen vendicaverat, à Crescentio Numentano, qui Patricius dicebatur, Papa ordinatus est, quique etiam Othonem coronavit Imperatorem. Post ea verò cum magno dedecore ab eodem Crescentio à Papatu expulsus est, & quidam Joannes Placentinus Episcopus, Græcus genere, legatione functus Othonis Imperatoris, à Constantinopoli rediens, dum Romam causa orationis veniret, à præfato Crescentio, & à Romanis capitur, tenetur, & licèt invitus, Papa (11) tamen infelix ordinatur Romanus. Quod audiens Rex mente efferus, Romam veniens, ipsum Crescentium diu obsessum cepit, & capite truncavit; ipsum Pontificem cœcavit, cæterisque membris debilitavit, & ad dedecus, & ignominiam Sacerdotalis Ordinis per plateas Leoninæ civitatis circumduci jussit. Sed antequam XXX. dies implerentur, anima, & corpore Rex impius (12) mortuus est anno M. per Indict. XIII. (13) Hic autem tertius Otho Imperator anno superiori obsederat Beneventum, in anno scilicet MI. Indict. IV. & acriter ipsam civitatem expugnans, vi ceperat. Eo itaque mortuo frater ejus Henricus majoris Imperatoris Othonis nepos fit Rex, quique regnavit annis XXV. Cujus Imperii anno secundo Sarraceni Campaniam ingressi Capuam obsederunt.

Anno MXI. Indict. IX. Fames valida Italiam obtinuit. Quo tempore Mel Catipanus cum Normannis Apuliam expugnabat.

Anno MXII. Indict. X. Silvester Papa (14) defunctus est, & Benedictus frater Alberici Papalem suscepit Cathedram. Eodem anno (15) Henricus Alamannorum Rex Romam vênit, & ab eodem Benedicto Papa Coronam Imperii accepit, & Imperator appellatus est. Sedit autem ipse Benedictus annis XI. mense uno. Per idem tempus Basilius, & Constantinus frater ejus, Constantinopolitani Catholici Imperatores, Catipanum suum nomine Bugano magna cum thesauri pecunia direxerunt, ut Apuliam cum circumquaque regionibus sibi vendicaret, ac Imperiali juri componeret. Qui veniens cœpit omnia tranquillè agere, atque strenuè ordinare.

Anno MXIII. Indict. I. Hic in Apuliæ finibus reædificavit civitatem diu dirutam, nuncupavitque eam Trojam, quæ antiquitus Ecana vocabatur, & jussu Imperatorum fines per statutum privilegium eidem stabilivit civitati.

In

(7) Verè Antipapa sub nomine Joh. XVI.

(8) Aliter *Sicco*.

(9) Aliter *Fasanus* seu *Fatton*.

(10) Sub nomine *Sergii IV.* Quæ autem sequuntur minimè congruunt tempori Sergii.

(11) Invasor sedis Apostolicæ fuit, à Gregorio V. anathemate perculsus.

(12) Immeritò, & falsò in Ottonem invehitur Auctor; cùm quæ acta sunt contra Joh. Pseudo-Pontificem, non *ad dedecus & ignominiam Sacerdotalis Ordinis*, sed ad conflatum ab ipso Schisma abolendum Otto imperaverit; quamvis nec certum sit, ipsum Auctorem ista habuisse; tradit enim Annalista Saxo apud Eccardum, inscio prorsus Cæsare hæc peracta fuisse, his verbis: *Tunc quidam non tantùm Imperatoris, quàm Christi amici, insequentes eum* (Joannem) *comprehenderunt, & timentes ne si eum ad Augustum destinarent, impunitus abiret, linguam ei, & nares absciderunt, & oculos penitus eruerunt*. Præterea non adeò infami memoria notanda est mors hujus Cæsaris, cùm Adelboldus Ultrajectensis Episcopus illius ævi Scriptor apud Gretserum, Leibnitium, Ludevvig, & Bollandianos ad XIV. Julii, S. Henrici Imperat. vitam exordiatur a commendatione Christianæ pietatis, quæ in Ottone III. effulsit, hæc post alia tradens: *quamvis in primæva ætate plurima pueriliter egisset, in supremis irreprehensibiliter vivebat: Deum amabat, amando timebat &c.* De illius autem morte sic loquitur: *qualis ejus anteacta vita fuisset in morte ipsius, qui affuerunt videre potuerunt; quicumque enim interfuit intelligere potuit, quia non obiit, sed ad desiderium suum singulare migravit &c.* Vide etiam quæ Tangmarus coævus tradit de præclaris gestis, & piissimo Ottonis hujus obitu in vita S. Bernvvardi apud Leibnitium tomo I. Script. Brunf. Jure igitur Sigonius & Pagius hoc illi Elogium inscribunt ad an. MII. *Fuit Otto III. bellica virtute Ottoni Magno avo inferior, religione verò ac eruditione, & Ottone II. patre, & avo multò superior*. Demum post Johannem cæsum, atque obtruncatum Crescentium, non dies tantùm XXX., sed quinque fermè annos Ottonem in vivis egisse Eruditis notum est.

(13) Lege MII. per Indictionem XV. ut proximè sequens historiæ hujus contextus evincit.

(14) Nempe Sergius IV.

(15) Non eodem anno, sed MXIV.

In hanc civitatem olim tempore Hadriani Imperatoris, qui Trajano successerat, fuit ab Apostolica Sede missus Eleutherius Episcopus, qui post duos annos jussu ipsius Hadriani Romæ ductus, ac passus est. Tempore quoque Diocletiani, & Maximiani Imperatorum exstitit in hac civitate Ecana Marcus Episcopus, quique martyrio vitam finivit. Et post aliquanta annorum curricula fuit in eadem urbe Secundinus Episcopus, qui Confessor, & Sanctus multas Sanctorum Ecclesias renovavit. Ipse etiam prænominatus Catipanus in finibus Samnii & Apuliæ ædificavit ac constituit plures urbes, & oppida; ipsaque regio usque hodie Catipania ex suo nomine dicitur. Quarto autem anno post prædictæ civitatis reædificationem, in anno videlicet Incarnationis Domini MXXII. Indict. V. Henricus Alamannorum Imperator ingenti cum exercitu, simul & cum Benedicto Papa, vênit super ipsam civitatem, obseditque eam per quatuor menses, machinis illam fortiter expugnans. Imperator itaque videns, quòd eam sinè mora capere non posset (dixerat enim iratus, quòd si eam vi cepisset, statim destrueret) timuit sibi, suisque æstivum Apuliæ calorem, & sic composita pace cum Civibus, obsidibusque ab eis receptis, ad propria est reversus. Pandulphum autem Capuanum Principem secum in Alamanniam deduxit.

Anno MXXIV. Ind. VII. Basilius Imperator Constantinopolitanus diem obiit.

Anno MXXV. Ind. VIII. Henricus Alamannorum Imperator defunctus est. Cui successit Chunradus, qui Dux ejus fuerat. Eodem anno Papa Benedictus obiit, & successit ei Joannes frater ejus, qui uno eodemque die & Laicus fuit, & Pontifex, seditque annos IX. & dies IX.

Anno MXXVIII. Ind. X. apud Constantinopolim Constantinus Imperator obiit, & successit ei Romanus gener ejus, unà cum ejus uxore Zoy Imperatrice, regnavitque annis V.

Anno MXXX. Ind. XIII. Joannes Princeps Salerni defunctus est anno Principatus sui LVII. & successit ei Guaymarius filius ejus.

Anno MXXXI. Ind. XIV. Romanus Imperator Constantinopolitanus mortuus est, & successit ei in Imperium Michaël, qui dicitur Catalactus, cum Zoy Imperatrice. Ipso quoque anno defunctus est Robertus Francorum Rex, cui successit filius ejus Henricus. Cujus in tertio anno urbs Parisii flagravit incendio, regnavitque hic Henricus annos XXIX.

Anno MXXXIV. Ind. II. fuit eclypsis Solis in Festivitate S. Petri, quo anno Joannes Papa defunctus est, & successit ei Benedictus, qui vocatur Theophylactus, seditque annis XIII. Iste quidem de Pontificatu ejectus est, & suscepit Papatum Joannes Sabinensis Episcopus, cui nomen Silvester (16). Et iste quidem ejectus est; & post dies LVI. recuperatus est Papa Benedictus, qui post mensem unum, & dies XX. vendidit Papatum Joanni Ravennati, Archipresbytero S. Joannis ante Portam Latinam, cui nomen positum est Gregorius, qui sedit anno uno, & mensibus VI.

Anno MXXXVII. Ind. V. mense Januario. Mons Vesubius eructavit incendium, ita ut quasi flumen usque ad mare discurreret.

Anno MXXXIX. Ind. VII. Apud Constantinopolim Michaël Imperator cognomento Catalactus diem obiit anno septimo ejus Imperii. Cui Michaël, qui Etherarchis dicebatur, successit cum Zoy Imperatrice. Eodem anno mense Februarii Normanni ingressi jam in Apuliam, & ter uno die cum Græcis gravi prœlio dimicarunt inter Aufidum amnem, & Bliventem, & Normanni victores exstiterunt. In ipso quidem prœlio fuit Drogo Normannorum Comes, & quatuor ex fratribus ejus. In ipso quoque anno Chunradus Imperator defunctus est anno ejus Imperii XV. Et successit ei Henricus filius ejus.

Anno MXL. Ind. VIII. Defunctus est Michaël Etherarchis Imperator Constantinopolitanus anno secundo, postquam imperare cœperat. Et successit ei Imperator Michaël Arconto-panthiu cum Zoy Imperatrice. Quo vita decedente eodem anno, ei successit Constantinus Monomachus in Imperium cum Zoy Imperatrice, qui regnavit annis XII. Quo tempore fames valida fuit in Italia, atque in Gallia per septem continuos annos.

Anno MXLII. Ind. X. Luna passa est eclypsim V. Idus Januarii per quinque horas noctis.

Anno MXLIV. Ind. XII. Hoc autem tempore Guilielmus filius Tangredi descendit cum Guaymari Principe, feceruntque ipsam Stridulam castellum.

Anno MXLV. Ind. XIII. Drogo Normannorum Comes cepit civitatem Bobinum, eamque depopulatus est. Sequenti verò anno, postquam eadem civitas reædificata est, flagravit incendio.

Anno MXLVII. Ind. XV. Henricus Imperator vênit Romam, invênitque Sedem Apostolicam valde turbatam; nam uno, eodemque tempore supradicti Theophylactus, qui & Benedictus, & Silvester, qui & Joannes, Sabinianus, & Gregorius, qui & Joannes Ravennas, Romanum non regebant, sed vastabant Pontificatum. Tunc Imperator ipse, convocatis Episcopis, atque Ordinis utriusque viris religiosis ac Catholicis, Synodum congregari jussit, in qua statim Canonibus exquisitis, ii tres damnati, & exilio relegati sunt; nullus enim eorum ampliùs jure poterat Episcopari. Et tunc à Clero, & Populo canonicè Clemens electus est, ipso Imperatore (quemadmodum in Canonibus statutum est) assensum præbente. Qui consecratus sedit Papalem Cathedram mensibus IX. Iste quoque Henricum coronavit Imperatorem. Defuncto itaque Clemente Damasus electus, & consecratus est, cujus electioni prædictus Imperator assensum præbuit; seditque Damasus dies viginti. Imperator autem ipse usque Capuam vênit, terram pro tempore sibi componens, & sic reversus est. Hoc autem tempore comprehensum est oppidum Stuni à Garangis in mense Octubris, & in mense Decembris. Et in mense Junii Benedictus (17) Papa per poculum veneni occidit Papam Clementem.

Anno MXLVIII. Ind. I. Zoy Imperatrix obiit.

Anno MXLIX. Ind. II. Damaso vita decedente, Leo Sanctissimus, qui vocatur Bruno, à Populo Romano expetitus, à Clero electus, ab Imperatore quoque commendatus, & ab Episcopis, quibus officii hujus auctoritas est attri-

(16) Silvester III. Antipapa.

(17) Nempe IX. jam in Synodo Sutriensi depositus.

attributa, consecratus est in Pontificatus honore, seditque annis V. mensibus II.

Anno MLI. Ind. IV. mense Augusti. Drogo Normannorum Comes defunctus est. Fuitque vir egregius, pius, strenuus, atque famosus, qui propter animi mansuetudinem, & justitiæ servatam æquitatem à cunctis est dilectus. Cui Gofridus frater ejus Normannorum Comes successit, tenuitque potestatem ipsius honoris per annos VII.

Anno MLII. Ind. V. Guaymarius Princeps Salerni à suis interfectus est, anno Principatus sui XXIII. Cui successit Gisulfus filius ejus.

Anno MLIII. Ind. VI. mense Julii. Leo Papa multis precibus ab Henrico monitus Imperatore, per quorundam Samnitum suggestionem vênit in Beneventum, ut Normannos Apulia expelleret. Inde movens gressum simul cum Alamannis, quos Imperator cum eo duxerat, apud urbem nomine Civitatem, quæ in confinibus Samnii est, & Apuliæ, cum Normannis acriter pugnavit. Commisso itaque prœlio Normanni totum Alamannorum exercitum in ore gladii percusserunt. In ipso quidem belli apparatu defecerunt Alamanni ii, quorum venerant suggestione, quique in auxilium eorum venerunt. Leo autem Papa minimè propter quod venerat perficere valens, reversus est. Iste primus Romanorum Pontificum à B. Petro ad se usque cum manu armatorum in bellum processit; qui quamvis Sanctus fuerit, & pio hoc animo egerit, tamen quia non ejus id erat officii, neque hoc illi permissum fuerat à Domino, qui pati venerat, suosque, ut ab aliis magis paterentur, quàm ut alios persequerentur, præmonuerat, ideo exercitus sui multitudo cæsa est, ipso prospiciente. Non enim Dominus Discipulis suis, neque idem Apostoli suis successoribus præceperunt, ut curis secularibus, velut Principes, materiali gladio Dei Populum tuerentur, sed verbo doctrinæ monerent, & piæ conversationis exemplo instruerent (18). Eodem anno Constantinus Monomachus Imperator Constantinopolitanus obiit. Post quem Theodora soror Zoy Imperatricis, virgo existens, Imperium Constantinopolitanum viriliter biennio tenuit. Qua defuncta, Michaël Novicius Imperii honorem adeptus est, qui eodem anno fuit invitus Monachus factus. Cui Isachius Commiano Imperator successit, qui post annos IV. ex quo imperavit, Imperio ejectus, ac Monachus factus est. Cui Constantinus cognomento Dioclizi in Imperium successit. At verò Leo Papa sequenti anno, postquam cum Normannis prœliatus est, diem obiit mense Aprilis. Et successit ei Victor, qui Gebeardus vocabatur, seditque annis duobus, mensibus duobus. Post cujus obitum Stephanus Gondifridi Ducis germanus, qui dictus est Fredericus, sedit mensibus VII. Quo defuncto Benedictus Beliternensis Episcopus Romanum invasit Pontificatum, qui sedit mensibus IX. Quibus temporibus Patarea, idest Patareanorum Secta apud Mediolanum exorta est.

Anno MLVII. Ind. X. Gofridus Comes Normannorum diem clausit extremum, relinquens sibi successorem Bagelardum filium ejus, militem strenuum. Sed Robertus cognomento Viscardus, ejusdem Gofridi Comitis frater, natus ex patre Tancredo, Normannorum Comitatus honorem sibi arripuit, ipsum Bagelardum nepotem suum expellens. Tancredus autem fuit timoris Dei non immemor, qui bissenos habuit filios. Quorum primus quidem fuit Sarnus, qui miles insignis extitit. Secundus autem Gosfridus pater Roberti Comitis de Lauritello. Tertius verò Drogus Comes, de quo superiùs scriptum est. Quartus autem Willelmus & ipse Comes, qui propter fortitudinis suæ prudentiam Brachiferreus est prænomine dictus; erat enim astutissimus, & ferox, fortisque viribus. Quintus exstitit Comes Gofridus. Sextus quoq; Malgrimus Comes, probus, atque famosus: Septimus itaque fuit Robertus Guiscardus. Hic autem propter animi astutiam, ingeniique providentiam primus ex Gallorum genere in Apulia Ducatus honorem adeptus est. Qui non multo post sibi subegit Apuliam, & Calabriam, Lucaniam, atque Siciliam; militarem namque disciplinam gloriosissimè rexit. Octavus autem Alberedus armis strenuus. Nonus Tancredus. Decimus Willelmus Comes de S. Nicandro, pater Roberti Comitis de Principatu. Fuit ipse Willelmus acer ingenio, & constans animo, ferenusque naturâ. Undecimus Frumentinus. Duodecimus Rogerius Siciliæ Comes, qui miles insignis exstitit, justitiæ tenax, suis suorumque opibus studens, Ecclesiarum Dei, atque Sacerdotum honori consulens. Habuit quoque Tancredus horum pater & filias tres.

Anno MLVIII. Ind. XI. Benedictus Papa (19) defunctus est, & successit ei Nicolaus, qui & Gerardus. Eodem anno Riccardus cum Jordano filio ejus effectus est Capuæ Princeps.

Anno MLXI. Ind. XIII. Henricus Rex Francorum obiit, & Philippus filius ejus successit in regnum. Ipso quoque anno Comes Robertus Guiscardus vocatus à Trojanis civibus ipsam eorum civitatem in sua potestate ab eis accepit, qui non post multos dies cum exercitu in Calabriam profectus, Rhegium civitatem cepit, atque omnium Normannorum Dux effectus est. Hic accepit uxorem nomine Sigelgaytam Guaymari Principis filiam, quæ sexu quidem mulier pudica fuit, atque honesta, animum verò virilem, & consilium providum gerebat. Ex qua habuit filios Rogerium, Robertum, atque Guidonem, & filias quinque. Ex alia quoque uxore nomine Alberada priùs habuit filium nomine Boamundum. Sed Robertus Guiscardus instituit sibi hæredem suum filium Rogerium. Interea Robertus Dux ad Nicolaum Papam perrexit, ejusque ligius homo effectus est, promittens se jurejurando fidem servaturum Romanæ Ecclesiæ, & eidem Papæ, ejusque successoribus canonicè intrantibus. Ipse autem Papa Nicolaus statim investivit eumdem Robertum Guiscardum per vexillum de honore Ducatus sui cum tota terra.

Anno MLXIII. comprehensa est Tarentum à Normannis.

Anno MLXIV. Ind. II. Hoc autem tempore comprehensa est Matera à Normannis mense Aprilis.

Anno MLXII. Ind. XV. Nicolaus Papa defun-

(18) Expeditionem hanc bellicam improbaverat jam S. Petrus Damiani in epistola ad Firminum Episcopum; Eidem respondit Baronius ad annum Christi MLIII. probare contendens utrumque gladium ad Romanum Pontificem pertinere. De hac expeditione plura vide in vita S. Leonis IX. à VViberto æquali conscripta & tomo III. hujus Collectionis recusa.

(19) Antipapa.

fungitur anno ordinationis suæ secundo, mense VIII. Et Alexander, qui vocatus est Anselmus, Papa ordinatur. Quo tempore Princeps Riccardus Capuam cepit, sibique ordinavit. His autem diebus Robertus Dux ad Alexandrum Papam proficiscens, ligius homo ejus devênit, & sicut Nicolao Papæ, ita & huic jusjurandum fecit, & per vexillum ab eo terram cum honore Ducatus accepit. Seditque Alexander Papa annos XI. menses VI. Hoc anno Riccardus Princeps Capuæ intravit terram Campaniæ, obseditque Ciperanum, & usque Soram devastando pervênit.

Anno MLXVI. Indict. IV. mense Aprilis. Stella Cometis apparuit à parte Orientis, cujus fumus per aliquot dies tendebat ad meridiem. Ipso quoque mense hæc eadem Stella apparuit à parte Occidentis, cujus fumus similiter ad meridiem per aliquot dies tendebat. Quo anno apud Constantinopolim Constantinus Dioclizi Imperator anno ejus Imperii VI. defunctus est. Cui Romanus Diogenes in Imperium successit. Eodem anno Dux Robertus cepit civitatem Vestis, apprehenditque ibi Catipanum nomine Kuriacum. Hinc etiam ipse Dux Barum obsedit Apuliæ civitatem, & triennio eam incessanter oppugnavit terra, marique; pontem quoque ibi in mari fecit.

Anno MLXVIII. Ind. VI. Hoc anno in sexto die mense Februarii Robertus Dux obsedit civitatem Montem-pilosum, & dimissa ibi obsidione cum paucis vênit Arianum, & cepit eam, & traditione cujusdam Gothifredæ intravit ipse Dux in præfatam Montem-pilosum civitatem.

Anno MLXX. Ind. VIII. Apud Constantinopolim Romanus Diogenes Imperator, transacto quarto Imperii ejus anno, defunctus est. Cui in Imperio Michaël filius Constantini Dioclizi successit. Eodem anno Robertus Dux cepit Barum civitatem longa obsidione fatigatam. Indeque movens exercitum Siciliam properavit, obseditque Panormum ditissimam Siciliæ civitatem, viriliter eam expugnans, cepitque eam. Hoc anno, mense Januarii magnum homicidium actum est in Brundusii civitate. Nam Normanni volentes eam comprehendere, tenti sunt ab eis quadraginta cum aliis eorum Ministris XLIII. & capita omnium prædictorum ad Imperatorem deportata sunt. Anno MLXXI. Ind. IX. Et exinde portas ferreas, & columnas marmoreas quamplures cum capitibus fecit afferri in Trojam causa victoriæ suæ. Anno autem subsequente, ordinatis ibi in Panormo municipiis, ipse Dux in Apuliam veniens cepit Tranum Apuliæ civitatem. Eodem anno Robertus Dux fecit fieri pontem in mari, quatenus concluderet portum præfatæ urbis Bari, & in quintadecima die mensis Aprilis Robertus Dux prædictam civitatem cepit; & in sequenti prædictus Dux cepit civitatem Panormum in mense Januarii.

Anno MLXXIII. Ind. XI. Alexander Papa diem obiit; & Archidiaconus ejus nomine Hildeprandus ipsa eadem die in Ordine Pontificali electus, & Papa Gregorius est nuncupatus, seditque annis XII. mensem I. Hic autem Pontifex administrationem regni sibi primus ut Rex assumsit.

Anno MLXXV. Dux Robertus Sanctam Severinam Calabriæ civitatem loco munitissimam tertio anno, postquam illam obsederat, cepit. Hinc quoque cepit civitatem Consanam, obsesso Castello Sanctæ Agathæ, quod incessabili oppugnatione cepit. His etiam diebus cum exercitu Dux proficiscens obsedit Salernum civitatem Medicinæ utique artis diu famosam, atque præcipuam. Gisulfus autem frater uxoris ejusdem Ducis tunc in eadem civitate morabatur. Hanc incessanter terra, marique expugnavit; nec destitit, donec post septem menses obsidionis suæ cepit illam mense Decembri. Hoc anno Robertus Dux dedit filiam suam nurum ad Imperatorem Constantinopolitanum. Anno MLXXVI. Indictione XV. Cepitque Gisulfum Principem, qui fame coactus se eidem Duci tradidit, atque turrim majorem, in qua se tutabatur. In eadem verò civitate ipse Dux Robertus construxit Ecclesiam in honorem Beati Matthæi Apostoli, & Evangelistæ. In Panormo quoque fecit Ecclesiam in honorem Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ. Anno primo, postquam cepit Salernum, Robertus Dux Beneventum obsedit, acriter eam expugnans. Et nisi Romanus Pontifex, cujus præcepto parebat, hoc idem Duci prohibuisset, nequaquam ab incœpto desisteret, donec eam caperet. Simili modo & Riccardus Princeps Neapolim obsedit ipso eodem anno, fortiter illam civitatem expugnans undique, ut eam vi caperet. Sed eodem anno in eadem obsidione Princeps ipse mortuus est, anno Principatus sui XX. Indictione I. Fuit autem hic statura procerus, forti animo, ingenio astutus, largitate famosus; circa benevolos, & sibi fideles mansuetus, atque benignus; rebellibus autem, ac perfidis valde terribilis. Cui successit Jordanus filius ejus. Hic autem in matrimonio accepit filiam Guaymarii Principis Salernitani, ex qua habuit filios Riccardum, & Robertum, atque Jordanum.

Anno MLXXVI. Ind. XII. Hoc anno obsessa est Salernus à Roberto Duce, & comprehensa est ab eo.

Anno MLXXIX. Ind. II. Apud Constantinopolim Michaël filius Constantini Imperatoris anno ejus Imperii VIII. ipse cum filiis suis Michaële, Andronico, & Constantino expulsus est. Et Nicephorus Butanioth Imperium sibi arripuit. Ipso anno Dux Robertus obsidens vicum cepit ipsam civitatem, ibique Gradelonem nepotem suum capiens, utroque statim privari lumine fecit, eo quòd ipse, & alii plerique Baronum rebelles ei exstiterant. Cæteri verò metu perculsi ei se subdiderunt. Eodem anno Corpus B. Canionis à loco, in quo olim positum fuerat, ab Arnaldo levatur Archiepiscopo, & in Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Ecclesia noviter inchoata honorificè collocatur.

Anno MLXXX. Indict. III. Dux Robertus Guiscardus cepit Spinazolam. Paucis etiam evolutis diebus, ipse Dux cepit Hidruntum, cepitque Tarentum. His autem diebus vênit ad eum vir quidam dicens, se Michaëlem Imperatorem fuisse, conquerens se malè tractatum à suis, & expulsum, poposcitque auxilium sibi dari. Dux itaque (ut ei mos erat) diligenter illum excipiens, ac honorabiliter circa se habens secum duxit eum usque Salernum. Inde movens gressum Dux ipse perrexit ad Gregorium Papam, ejusque ligius homo jurejurando effectus apud Ciperanum, accipiens ab eo vexillum S.Petri, mense Junio.

Anno MLXXXI. Ind. IV. Dux Robertus magnum apud Hydruntum assumsit exercitum, super Constantinopolim ire cupiens. Qui mare transiens cum Boamundo filio suo, applicuit Avelone, & eduxit exercitum suum, necnon & prædictum Rogerium filium suum, omnibus sibi commissis, in Apulia dimisit. Inter hæc autem Nicephorus Butanioth Constantinopolitanus Imperator adventum Roberti Ducis audiens, direxit Alexium Megadomesticum suum, cui æquo animo militiam totam commiserat, deditque sibi permaximam thesauri copiam, ut non solùm Christianorum, verùm etiam Paganorum exercitum congregaret, quatenus Duci Roberto viriliter resistere posset. Alexius civitatem Andrinopolim pergens, quoscumque poterat suscipiebat, susceptos quotidie singulos seducens, fidelitatis sacramentum occultè sibi facere studebat, quibus unicuique privatim multa tribuebat, & plurima jurejurando promittebat. Ceteris autem militibus, quibus adhuc animum suum aperire timebat, nil interim tribuebat, sed eos sæpe sic alloquebatur, dicens: Libenter vobis ego darem, si Imperator, velut ipse promiserat, mihi thesauros mitteret; sæpe enim propter hoc ad eum direxi, & quia non misit, valde doleo. Qui ut se suis auditoribus quasi veridicum redderet, vasa propria, & vestes, quibus utebatur, quibusdam largiebatur dicens: Si esset mihi posse, tam prudentes viros, veluti estis, de meis rebus ego largiendo ditissimos facerem. Et hæc incessanter machinabatur, ut omnium ad se militum voluntates subtraheret. Quibus etiam loquutus est: Ibo ad Imperatorem ego pro vobis loquens, ut vestra vobis omnibus donativa transmittat. Qui dum Constantinopolim perrexisset, quoscumque potuit simili modo, donis, ac promissionibus sibi illexit, subtrahens animos eorum ab Imperatoris amore. Sed quia infidelitas numquam de se secura est, Alexius ipse, postquam cum Imperatore tamquam cum Domino fidelis, ut eum securum redderet, simpliciter est loquutus, de se timens, noctu à Constantinopoli fugit, & ad exercitum, quem sibi præparaverat, reversus est, dicens: Imperator pro eo, quòd vestra sibi donativa petii, minatus est me capi, ac malè tractari. Et quia mihi credidistis, ideo reversus sum, vobis omnibus consulturus, ita ut, si vestra mihi voluntas non defuerit, beneficiis, & honoribus vos omnes ditabo. Quorum omnium voluntates dum suæ voluntati vidit concordes, statim cum omni exercitu armato super Constantinopolim perrexit. Imperator quippe supra quàm credi potest stupefactus, se, & civitatem, prout potuit, munivit. Alexius autem quemdam Magistrum militum Imperatoris, Arnonem nomine, ex genere Alamannorum, promissionibus magnis seduxit, ut sibi civitatem proderet. Qui dolis acquiescens, per noctem aperuit sibi portam, quæ Vulgarorum dicitur. Alexius igitur cum omni Christianorum, ac Paganorum exercitu civitatem ingressus nocte die Jovis, quæ Cœna Domini dicitur, totam exercitui suo prædam civitatis triduo, quemadmodum spoponderat, dono tribuit. Qui nulli indulgendo, hostiliter quæque invenire poterant vastantes, deprædati sunt. Non solùm autem hoc, verùm etiam Ecclesias rebus omnibus spoliabant. Sacerdotes quoque divina Mysteria celebrantes truncabant capite, pedibusque sacrificia conculcabant, plerisque Sanctimonialibus, ac Deo dicatis ab eis stupratis. Imperator autem Buthanioth, ut civitatem proditam vidit, statim è Palatio fugit, & in Ecclesia S. Sophiæ Monachum se fieri jussit. Alexius itaque Palatium ingressus, Constantinopolitanum Imperium arripuit. Ut autem Dominicæ Resurrectionis die coronatus est, exercitum à præda, & rapinis revocari jussit. Qui ut se non quasi cupidum Imperii Magnatibus ostenderet, constituit secum in Imperio Michaëlem filium prædicti Michaëlis Imperatoris, dicens omnibus: Non propter me, sed propter hunc, qui jure in solio residere debet, hoc quod factum est peregi. Postquam Alexius, qui & Commiano dictus est, Imperialia sibi jura composuit, statim cum ingenti copia exercitus undique collecta unà cum Imperatore, quem sibi quasi socium statuerat, contra Ducem Robertum properavit. Ordinatis itaque non longè à Dyrrachio suis ad dimicandum, ipse Imperator tuto in loco positus, præmisit in prima acie eum, quem secum Imperatorem fecerat, ut in bello interiret; nam diu socium eum habere nolebat, solus enim imperare cupiebat. Quid multa? Commisso prœlio Dux Robertus Guiscardus Imperatorem fugavit, ac devicit. Filius autem Michaëlis Imperatoris non diu Imperator statim in primo conflictu interiit. In ipsa namque pugna Imperator sexaginta millia milites, & decem millia sagittarios Turcos habebat. Dux verò Robertus habuit milites DCC. Alexius itaque Imperator, paucis secum assumtis, usque Constantinopolim fugiendi moram non habuit. Qui quum solus imperaret, quoscumque ex Imperatorum genere potuit invenire, aut eos lumine privari fecit, aut ipsi tyrannidem ejus timentes exilium ceperunt. Interea Robertus Dux cepit Dyrrachium civitatem mense Januario, & maximam partem regionis illius.

Eodem anno Henricus Alamannorum Imperator vênit Romam cum exercitu, obseditque Gregorium Papam, qui excommunicaverat eum, eo quòd Imperator ipse Investituram Episcopatus per annulum & virgam tradebat electis Episcopis in civitatibus suæ potestatis. Dicebat enim Imperator ipse, hanc sibi hactenus, suisque prædecessoribus Investituram à Romanis Pontificibus esse permissam, ut Episcopali electioni taliter assensum præberet. Gregorius Papa ex præceptione sui mandavit, ut quicumque eidem Imperatori jusjurandum fecerat nullus ei fidem, nisi Romanæ Ecclesiæ, sibique observaret, ut pariter Rex, & Pontifex ipse & Regni dominaretur, & Ecclesiam procuraret (20). Quamobrem ipse Imperator unà cum Clero, & Populo Romano Gibertum Archiepiscopum Ravennæ fecit eligi, atque constitui in ordine Summi Pontificis, nuncupans eum Clementem. Quo audito Dux Robertus, in ultramarinis partibus suis rebus ordinatis, dimittens Boamundum filium suum, ut eamdem terram custodiret, ipse cum uxore Apuliam repetiit. Dehinc assumens exercitum unà cum filio suo Rogerio Gregorium Papam adiit, hostes ejus ab Urbe propulit, ac civitatem Tiburim obsedit, acriter

(20) De hujus S. Pontificis gestis, vide vindicias Jacobi Gretseri in Commentario Pauli Bernriedensis, editi quoque in hac collectione tomo III. cum notis Mabillonii.

ter eam expugnans; illuc enim magna pars militum Imperatoris simul cum falso Papa Clemente se receptaverat. Tunc etiam ipse Dux hostiliter Capuam obsedit, & acriter ipsam civitatem expugnavit mense Julio, Ind. VI. Tamdem ipse Dux in Apuliam reversus est, obseditque Cannas Apuliæ civitatem, eo quòd Cives ipsius rebelles ei exstiterant, cepitque eam, igne incendens. Superiori quoque anno, priusquam Dux Robertus de Ultramarinis esset reversus, Rogerius ejusdem Ducis filius destruxit Asculum, combussitque eam igni.

Anno MLXXXIII. Ind. VI. Hoc anno intraverunt Longobardi Italiam, & Dux in mense Majo posuit ante Cannas civitatem Apuliæ B obsidionem, & mense Julio comprehendit eam.

Anno MLXXXIV. Ind. VII. Dux Robertus unà cum filio suo Rogerio iterum cum ingenti exercitu Romam profectus est super Henricum Imperatorem, qui obsederat Gregorium Papam. Imperator autem adventum ejus audiens, timore coactus fugam iniit. Dux itaque Romam ingressus cepit maximam partem Urbis, hostiliter incendens, & vastans à Palatio Laterani usque Castellum S. Angeli, ubi Papa Gregorius oppugnabatur. Romani enim simul cum Imperatore erant insidiantes eidem Gregorio Papæ. Tunc Dux extraxit eumdem Papam de ipso castello, duxitque C eum secum usque Salernum. Inter hæc Boamundus filius Ducis, absente patre, duo cum Alexio Imperatore prœlia gessit, quorum unum Boamundus ipse viriliter vicit, alterum verò Imperator vicit; non tamen vi, sed insidiosè agens.

Anno MLXXXV. Ind. VIII. Dux Robertus collecto agmine iteratò in ultramarinas partes statuit proficisci. Quod dum Imperatori Alexio compertum esset, suum direxit exercitum cum multitudine navium simul cum exercitu Venetianorum, ut maris iter Duci prohiberetur. Contra quos Dux Robertus unà cum filio suo Rogerio cum navibus suis non segniD ter progressus, cum suis acriter conflixit mense Novembris, & navali prœlio commisso, Dux Robertus unà cum filio suo Rogerio victoriam capiens maxima cæde prostravit eos. Quorum quidem multi in mare demersi, plurimi autem capti, nonnulli verò vix per fugam elapsi sunt. Sicque prostratis hostibus Dux ipse simul cum Rogerio filio exultans tripudio adiit Boamundum filium suum, quem in terris, quas ibi acquisierat, reliquit cum suo exercitu, Constantinopolitanum Imperium invadere cupiens. Sed mense Madio eodem anno Papa Gregorius obiit; mense verò Julio Robertus Guiscardus magnificus Dux, apud Insulam Cassiopam existens obiit morte comE muni, major sexagenario, anno Ducatus ejus XXVI. Fuit autem Robertus Guiscardus vir strenuus, in bello potens, & fortis, corpore insignis, animo constans, moderatus, civilis, providus, callidus moribus, & admodum astutissimus, & prudens ingenio, paululum impatiens, morum correptor, & diligens coërcitor disciplinæ militaris, dominandi supra quàm A credi potest ambitiosus. Urbes verò, quas cepit, castellis, turribusque munivit, cujus opinio insignis ubique præferebatur. Fuitque non minùs consilio, quàm viribus decoratus, quo nullus in bellis felicior, aut in pace moderatior. Privatos autem contubernio, pecunia, beneficiis, atque honoribus ditavit. Huic itaque successit Rogerius filius ejus Dux.

Anno MLXXXVI. Ind. IX. Hic autem post mortem patris Ducatum nobiliter tenuit, & ampliavit. Adauxit enim sibi Capuanum Principatum, & usque Romam, magìs beneficii munificentia, quàm potentiæ austeritate. Eodem anno XIII. Kal. Martii Stella clarissima ingressa est in circuitu primæ Lunæ.

Anno MLXXXVII. Ind. X. mense Madio. Corpus B. Nicolai de Mirrhæa trāslatum (*est*) in Barum Apuliæ civitatem, suitque virtus Domini ad sanandum multos infirmos. Eodem mense Victor, qui & Desiderius, Casinensis Abbas, genere Samnis, post duos annos, ex quo Gregorius Papa obiit, Papa est ipse ordinatus, qui post menses IV. & dies VI. ordinationis suæ diem obiit. Cui successit in Romanum Pontificatum Ostiensis Episcopus nomine Otho ex Francorum genere, & Urbanus est Papa dictus, seditque annis XII. mensibus VIII. Hoc anno terræmotus magnus factus est per totam Apuliam, ut in quibusdam locis turres, ac domos subruisse feratur.

Anno MLXXXVIII. Ind. XI. Boamundus frater Ducis Rogerii ex improviso intulit bellum apud Farnitum in Beneventi territorio, & commisso prœlio (mirum dictu!) quamvis plurimi ex parte Boamundi milites capti essent, nullus tamen hominum ex utraque parte ibi fuit interfectus, præter unum. Postea verò ipse Dux amore fraterno ductus, dedit eidem Boamundo quamdam partem terræ suæ in Apuliæ regionibus, quum pater ejus nil sibi reliquerit. Eodem anno comprehensa est Siracusa, Siciliæ quondam caput, in qua fertur homines comedisse infantes ob diuturnitatem obsidionis.

Anno MLXXXIX. Ind. XII. Luna in ortu suo passa est eclypsim.

Anno MXC. Ind. XIII. mense Septembri Urbanus Papa Synodum in civitate Melfia (21) celebravit, in qua Rogerius Dux ligius ejus homo effectus, promittens se jurejurando fidem servaturum Romanæ Ecclesiæ, & eidem Papæ, ejusque successoribus canonicè intrantibus, accepit per vexillum ab eo terram cum Ducatus honore. Eodem anno Sichelgayta Ducissa mater Rogerii Ducis defuncta est mense Aprilis. Eodem anno Acherontia civitas cremata est mense Augusti; in tantum enim eodem vastata est igne, ut nulla domus, nullum inveniretur ædificium, quod non ab igne consumtum deperierit. Homines etiam XXV. eodem incendio mortui sunt.

Anno MLXXXIX. Ind. XII. Eodem anno Papa Urbanus vênit in civitatem Barum, & sacravit illic Confessionem S. Nicolai, & Brundusianam Ecclesiam.

Anno MXCI. Ind. XIV. mense Februario. Jordanus Capuæ defunctus est, anno XIII. Principatus ejus. Hic autem fuit vir egregius, con-

(21) Concilium hoc anno superiore celebratum fuisse, ex epistola Joh. Cancellarii S. R. E., & Camillo Peregrinio, contendit Labbeus tomo X. Conciliorum, rejiciens culpam hujus mendi in imperitum Amanuensem, qui à numero annorum unitatem detraxerit; Indictio enim à Romualdo assignata, & Septembrio mense incœpta, congruit cum anno jam dicto MLXXXIX.

consilio sagax, virtute in bello prævalidus. Cui successit Riccardus filius ejus Princeps. Eodem anno dum obsideretur Oria civitas à Boamundo, auxilio Roberti de Ause, Oritani dissipaverunt obsidionem ejus, ipso Boamundo fugam petente cum toto ejus apparatu.

Anno MXCII. Ind. XV. Rogerius Dux duxit uxorem Reginam Danorum, nomine Alam, filiam Roberti Frisonis Comitis Flandrensium, & ex ea Dux habuit filios Ludovicum, & Guiscardum, qui in puerilibus annis mundo mortui Deo vixerunt. Habuitque ex ea alium filium, nomine Vilhelmum, qui postea eidem Duci in honore Ducatus successit.

Anno MXCIII. Ind. I. mense Martio. Urbanus Papa Trojæ Synodum celebravit. Eodem anno IX. Kal. Octobris fuit Solis eclypsis circa horam tertiam diei, feriâ VI. Ind. II.

Anno MXCIV. (22) Ind. II. mense Aprilis. Urbanus Papa Placentiæ Synodum celebravit, & IV. Nonas ejusdem mensis Aprilis fuit terribile signum in stellis, ita quòd à mediæ noctis tempore usque manè visæ sunt innumeræ stellæ mixtim ex omni parte Cœli decurrisse, & in terram decidisse. Sequenti verò anno Ind. IV. Urbanus Papa apud Clarum-montem Arverniæ Synodum fecit, & tunc multitudo Christianorum innumera, exhortatione Urbani Papæ, commota est ex omni Europa proficiscentium ad S. Sepulcrum Domini in Hierusalem. Eodem anno VII. Idus Augusti, Indict. IV. Luna passa est eclypsim à prima hora noctis usque ad tertiam horam ejusdem noctis.

Anno MXCVI. Rogerius Comes Siciliæ cum viginti millibus Agarenorum, & cum innumera multitudine gentium, & universis Comitibus Apuliæ, obsedit Amalfim, ibique subitò inspiratione Dei Boamundus cum aliis Comitibus, & militibus Rogerii Comitis sumserunt signum Sanctæ Crucis in humeris suis, & frontibus, & sic reliquerunt obsidionem. Videns hæc Comes Rogerius cum dedecore reversus est in Siciliam.

Anno MXCVII. Ind. V. mense Octobris. Boamundus frater Rogerii Ducis, & Robertus Flandrensium Comes, & Comes S. Ægidii, & Eustatius Comes, & Dux Gothisfredus, & Balduinus frater ejus, & Ugo Magnus, & Tancredus Marcisi filius, ii omnes unanimiter cum multitudine Christianorum ultra mare perrexerunt ad aperiendum iter Sancti Sepulcri. Et gravi bello apud Nicæam civitatem prœliati sunt cum Arabis, & Turchis, ac Persis, qui ipsam Christianorum terram occupaverant, & vicerunt eos; fertur enim fuisse Paganorum centum quadraginta millia. Captâ quippe Nicæâ, Antiochiam obsederunt, ibique cum maximo Paganorum ab Orientali parte undique populo collecto prœliati sunt, quorum erat innumera multitudo, eisque divino auxilio devictis, ceperunt Antiochiam civitatem famosissimam in anno Incarnati Verbi millesimo nonagesimo octavo, Indict. VI. Ipsam verò civitatem Boamundus ex omnibus sibi quidem vendicavit. Alii autem jam dicti Magnates simul cum cæteris cum omni devotione euntes obsederunt Hierusalem civitatem sanctam, & acriter atque incessanter expugnando cum machinis, undique eam aggressi sunt, & viriliter eam ceperunt mense Julii. Interfecta est ibi multitudo Sarracenorum, qui civitatem ipsam possidebant. Captâ itaque Hierusalem, Christiani statuerunt sibi Gothifredum Ducem, ac protectorem. Ipso quoque anno eadem Indictione, Rogerius Dux unà cum Rogerio Siciliæ Comite, urbem Capuam obsedit, & quadragesimo die ejus obsidionis acquisitam eam Riccardo Principi reddidit. Eodem anno Kal. Augusti Troja flagravit incendio.

Anno MXCIX. Ind. VII. VII. Kal. Decembris fuit eclypsis Lunæ serò. Eodem anno IV. Kal. Augusti Urbanus Papa Romæ defunctus est. Cui Raynerius Presbyter Cardinalis natione Tuscus succedens sublimatus est honore Pontificatus, & Paschalis est Papa nuncupatus, seditque annis XIX. mensibus VI. Hoc eodem anno Papa Urbanus congregavit universalem Synodum in civitate Baro, in qua adfuerunt ex diversis partibus Episcopi centum triginta.

Anno MC. Ind. VIII. Dux Rogerius Canusiam obsedit, cepitque illam civitatem, retibus circum circa extensis. Eodem anno Dux Gothisfredus in Hierusalem mortuus est, & Balduinus frater ejus Rex est constitutus. Hoc anno in mense Julio Boamundus exiens ab Antiochia cum CCC. Equitibus, cum Turcis bellum commisit, ceciditque, & comprehensus est, & vinctus catenis. Equites verò ejus omnes illic mortui sunt. Fertur autem fuisse Paganos CXXIII. millia.

Anno MCI. Ind. IX. mense Junii. Rogerius Siciliæ Comes defunctus est anno vitæ suæ quinquagesimo primo, Comitatus autem ejus anno XLI. anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo primo. Ind. VIII. Hic autem fuit miles egregius, moribus insignis, atque famosus, justitiæ tenax, suis, suorumque opibus studens; suos enim ditabat. Fuitque pauperum nutritor, pius, in eleemosynis largus, Ecclesiarum Dei, atque Sacerdotum honori consulens. Huic autem successit filius ejus Simon, qui paucis transactis annis mortuus est. Cui frater ejus prædicti Rogerii Comitis filius, Rogerius Comes successit. Hoc anno à Mulmachabæo mons Caveosus mutatur.

Anno MCII. Ind. X. Rogerius Dux simul cum Papa Paschali obsedit Beneventum maximo cum exercitu, nec destitit, donec eo, qui tunc in eadem civitate principabatur, expulso, cepit ipsam civitatem, & ipsius Papæ juri ac potestati eam dimisit. Hoc tempore Boamundus dimissus est, & rediit Antiochiam.

Anno MCV. Ind. XIII. Dux Rogerius obsedit Montem S. Angeli, cepitque ipsam civitatem, & castellum ejus mense Octobris. Mense verò Decembris Boamundus à civitate Antiochia in Apuliam rediit, profectusque in Galliam anno sequenti duxit uxorem filiam Philippi Francorum Regis, nomine Constantiam, ex qua Boamundus ipse duos filios habuit, quorum quidem unus nominatus est Joannes, qui puer mortuus est; alter verò dictus est Boamundus, qui patri suo successit.

Anno MCVI. Ind. XIV. Riccardus Princeps Capuanus defunctus est mense Junii, anno sui Principatus XIV. Cui Princeps successit frater ejus Robertus. Eodem anno apparuit stella Cometis magna à parte Occidentis serò per totum mensem Februarii. Ipso quoq; anno mense Julio Corpora SS. Pontiani Papæ & Martyris, & Anastasii Confessoris de Roma in Trojam Apu-

(22) Verius MXCV.

Apuliæ civitatem translata sunt, quorum meritis virtus Domini fuit ad sanandum multos infirmos.

Anno MCVII. Ind. XV. Dux Rogerius obsedit Luceriam Apuliæ civitatem, cepitque eam mense Augusto.

Anno MCVIII. Ind. I. Philippus Francorum Rex obiit anno, ex quo cœpit regnare, XLIX. Cui Ludovicus filius ejus successit in Regnum. Eodem anno obiit Guido frater Rogerii Ducis. Obiit quoque Guiscardus filius ipsius Rogerii Ducis mense Augusti. Eo tempore Alexius Constantinopolitanus Imperator mortuus est, & Calo-Joannes filius ejus in Imperio illi successit. His autem temporibus Henricus filius Henrici Imperatoris Alamannorum, monitus per Legatos à Paschali Papa, persequutus est eumdem patrem suum, auferens ei omnem Imperii potestatem. Quem postquam expulit, obsedit. Non post multum verò temporis idem Henricus Imperator mortuus est (23) obsessus, anno Imperii sui sexagesimo septimo. Et ipse filius ejus regnum sibi suscepit.

Anno MCX. Ind. III. Stella Cometis à parte Septemtrionali circa polum visa est tota nocte à serò usque mane per totum mensem Junii. Eodem anno mense Septembris Domnus Alexander Comes fecit Miliolongum ædificare castellum.

Anno MCXI. Ind. IV. Henricus filius Henrici Alamannorum Imperatoris, ingenti cum exercitu Alamannorum, & Suevorum Italiam vênit. Plerisque rebus sibi compositis, Novariam civitatem sibi resistentem cepit, eamque depopulatus est. Similiter & Aretiam. Cumque valde pacificus Romam veniret, Paschalis Papa simul cum Clero & Populo Romano honorabiliter illum excepit in Ecclesia B. Petri. Rex autem suorum militum caterva stipatus, post pacis osculum, benedictionemque ab eo acceptam, dum ab eodem Papa, quod ipse per Legatos sibi promiserat, obtinere se non posse videret, cepit ipsum Papam cum omnibus, qui cum eo illic erant, atque per duos menses in custodia haberi fecit, propter Investituram Episcopatus per annulum & virgam. Et Papa prædecessoris sui Gregorii, cognomento Hildeprandi, qui hoc inchoaverat negotium, statuta tenens, concedere sibi nullo modo volebat. Tamdem verò Paschalis non tam terrore sui coactus, quàm etiam suorum, eorum maximè, qui sibi fideliores quidem esse videbantur, suasu deceptus, sed & pro liberatione illorum, qui cum ipso tenebantur, flexus, timens ne propter hoc Rex ipse tyrannicæ potestatis occasione inventa, & illos, quos tenebat, perimeret, & plerumque Italiæ populum devastaret, eamdem Investituram Regi concessit, & pariter cum eo communicans, Imperii coronam capiti ejus imposuit. Rex itaque dimisso Papa cum omnibus, qui cum eo, & pro eo capti erant, statim acceptâ ab eo coronâ, reversus est. Eodem mense, quo Papa captus est, Rogerius Dux morbo detentus Salerni diem clausit extremum mense Februarii, anno Ducatus sui XXVI. mense VI. ætatis verò suæ L. sepultusque est in Ecclesia B. Matthæi Apostoli, quam pater ejus in eadem civitate construxerat. Fuit autem Rogerius Dux corpore insignis, moribus illustris, moderata gloria, civilis, affabilis, Ecclesiarum gubernator, Christi Sacerdotibus humilem se præbens, Clericos vehementer honorans, omnes ad se venientes honorabiliter excipiens, ac lætos à se remittens, nutritor gentis, pacis amator, delinquentibus clemens, suis benevolus, pacatus extraneis, & cunctis amabilis, atque largus in donis plurimis. Omnibus namque gratus, ac commodus, & tam suis, quàm aliis se exhibere benivolum studebat. Eo quippe mortuo tantus luctus publicus fuit, ut omnes doluerint tamquam in propria orbitate. Cui Vilhelmus filius ejus in honore Ducatus successit. Post obitum verò Ducis Rogerii die quartadecima Boamundus frater ipsius Rogerii Ducis simili infirmitate in Apulia mortuus est, sepultusque est juxta Ecclesiam B. Sabini Confessoris in civitate Canusia. Fuit autem Boamundus miles strenuus, corpore deducto honorabilis, animo constans, cautus eloquio, ingenio astutus, bellicosus, inquietus, semper impossibilia appetens, peritia atque virtute in bello prævalidus. Huic autem Boamundus filius ejus, unà cum matre sua Constantia successit.

Anno MCXIV. Ind. VII. Hoc anno mense Januario comprehensa est à Barensibus equitibus mater Roberti Comitis, & in custodiam missa. Inde iratus Comes Robertus fecit incidi olivas, & arbores, & vineas Barenorum. Tunc Barenses fecerunt sibi caput & dominum Risonum Archiepiscopum, & cœperunt habere guerram cum prædicto Roberto Comite. Eodem anno Tancredus Marcisi filius, cui Boamundus commendaverat Antiochiam, mortuus est, & Rogerius filius Riccardi accepit Antiochiæ procurationem.

Anno MCXV. Ind. VIII. Apud Ciperanum in Ecclesia S. Paterni Guilielmus Dux devênit ligius homo Papæ Paschalis, qui tunc Synodum celebrabat; & ipse Papa statim per vexillum tradidit eidem Duci totam terram cum honore Ducatus, quemadmodum Gregorius Papa concessit, & tradidit eam Duci Roberto Guiscardo apud ipsum Ciperanum; & quemadmodum Urbanus Papa concessit Rogerio Duci in civitate Melfia, & sicut idem Paschalis Papa concessit, & tradidit eidem Duci Rogerio apud Sanctum Trophimenem per illud idem donum atque consensum. In prædicta quidem Synodo Landulphus Beneventanus Archiepiscopus ab Ordine Pontificali dejectus est, eo quòd inobediens Papæ fuit, quique non multum post temporis, largito munere, (24) in Sede sua ab eodem Papa restitutus est. Eodem anno mense Decembris in Syria ante Natalem Domini terræmotus ita fuit magnus, quòd Manistra, & Marais ad solum usque, & aliæ quamplures civitates, & castella attritis hominibus, sed & pars civitatis Antiochiæ, ac usque Hierusalem prostratæ ceciderunt. Eodem anno mense Aprilis, Ala Ducissa mater Guilielmi Ducis defuncta est.

Anno MCXVI. Ind. IX. Guilielmus Dux accepit uxorem Gatelgrimam filiam Comitis Ro-

(23) Anno MCVI.

(24) Facilis admodum est Romualdus in hac munerum largitione asserenda pro Ecclesiasticis obtinendis Dignitatibus. Falco tamen Beneventanus ejusdem cum Landulpho urbis, & temporis scriptor, superiore tomo editus, dum ejus depositionem ac restitutionem enarrat, ne verbum quidem de erogato aliquo munere interserit.

Roberti de Airola. Eodem anno Regina, & Tancredus cum aliis multis, ideſt Goffredo Britton, & Unfredo Gravina, dominio, ut fertur, uſus ad * CXX. millia peditumque non exigua manu audacter pugnabant juxta flumen Bradanum. Quibus Comes occurrens Alexander cum ſuis ita deterruit, ac debellavit eos, ut Tancredus fugæ liberaretur præſidio, & Britto, Goffridus, Unfredus cum multis aliis caperentur equitibus, omniaque eorum direptioni, prædæque data ſunt. Regina verò ducta ſub cuſtodia eſt in Materam civitatem, in qua aliquanto peracto tempore retenta, dimiſſa eſt ſub jurejurando, ut reverteretur in Materam, & in Alexandri Comitis cuſtodia; ſed minimè hoc implevit. Inſuper menſe Majo cum CC. equitibus, & expedita turba peditum terram vaſtavit Alexandri Comitis Barenſis.

Anno MCXVII. Ind. X. menſe Aprilis. In Venetia, Liguria, Æmilia, atque Flaminia Italiæ Provinciis, in Gallia quoque Tranſalpina, multorum domus contritis hominibus, pluraque ædificia, ſimul & Eccleſiæ ingenti terræmotu concuſſæ ceciderunt. Eodem anno menſe Julii XVII. Kal. Auguſti, feriâ ſecundâ, Luna in ſigno Aquarii paſſa eſt eclypſim ab hora octava noctis uſque matutinum.

Anno MCXVIII. Ind. XI. tertio Id. Decembris, feriâ quartâ, Luna in ſigno Geminorum paſſa eſt eclypſim à quinta hora noctis uſque in horam nonam noctis ejuſdem. Eodem menſe Decembris poſt Solis occaſum uſque in tertiam horam noctis Cœlum rubeum quaſi ignis apparuit à Septentrionali parte uſque ad Arcton; ſequenti verò menſe Januario Paſchalis Papa Romæ defunctus eſt. Et Joannes natione Gayetanus, qui Romanæ Eccleſiæ Diaconus, & Cancellarius fuerat, ſtatim à Clero & Populo Romano in Romani Pontificatus honore electus, & Gelaſius eſt Papa dictus. Qui priùs quàm ordinaretur, propter Henrici Alamannorum Imperatoris, qui tunc Romam feſtinus advenerat, metum, ipſe Gelaſius in civitate Gayeta ſeceſſit, ibique à Cardinalibus, qui eum ſequuti ſunt, ordinatus, & conſecratus eſt; ſpreverat enim prædicti Imperatoris aſſenſum, ejuſque communionem. Imperator autem hoc videns, convocato Populo Romano cum quibuſdam Clericis, juſſit eligi in ordine Summi Pontificis quemdam Burdinum nomine, cui nomen impoſitum eſt Gregorius Papa, ſeditque in Eccleſia Beati Petri. Hic autem Burdinus priùs in Toletana Eccleſia Hiſpaniæ Archidiaconus fuit, de qua poſtea aſſumptus fuit Epiſcopus in civitate Conimbro, (25) & impoſuit ſibi nomen Mauricius; dehinc mortuo Bracarenſi Archiepiſcopo, effectus eſt ipſe civitatis ejuſdem Archiepiſcopus, Paſchali Papa in hoc aſſenſum præbente, non parvi muneris gratia ab eo ſibi collati. Hinc etiam nonnullis decurſis temporibus, mortuo Toletano Archiepiſcopo, Burdinus ipſe, largitâ præfato Romano Pontifici theſauri copiâ, petiit ab eo ſibi eumdem Toletanum Archiepiſcopatum. Paſchalis autem, acceptâ pecuniâ, in honore petito aſſenſum non præbuit (26). Unde Burdinus ipſe Bracarenſem Archiepiſcopatum omnino dimittens, Imperatori Alamannorum adhæſit. Paſchalis itaque, poſtquam ei mandavit, ut in Archie-

A

piſcopatum ſibi commiſſum rediret, & ipſe ejus juſſioni acquieſcere nollet, eum ab omni Sacerdotali Ordine depoſuit. Poſtea verò idem Papa Paſchalis excommunicavit eum pro eo quòd contra juſſionem ſuam in Eccleſia B. Petri Miſſam celebravit. Eodem anno quo Papa Gelaſius ordinatus eſt, menſe Martii, Ind. XI. in civitate Gayeta, ipſo Gelaſio cum Cardinalibus reſidente in Epiſcopali Eccleſia ejuſdem civitatis, Guilielmus Dux ligius ejus homo jure devênit; Et ſtatim ipſe Papa per vexillum tradidit eidem Duci totam terram ſuam cum honore ſui Ducatus, dicens: *Quemadmodum Gregorius Papa tradidit illam Roberto Guiſcardo avo tuo, & ſicut Urbanus Papa eam Rogerio patri tuo tradidit, & ſicut Paſchalis Papa eidem Rogerio patri tuo priùs illam, & poſtea tibi tradidit, ſic ego trado tibi eamdem terram cum honore Ducatus per illud idem donum atque conſenſum.* Eodem anno menſe Aprilis Balduinus Rex Hieruſalem obiit, cui ſucceſſit in regnum Balduinus cognomento de Rubaja. Ipſo quoque anno Auguſti menſe mortuus eſt Alexius Imperator Conſtantinopolitanus, ſucceſſitque ei in Imperium Calo-Joannes filius ejus.

B

Anno MCXIX. Ind. XII. pridie Kal. Decembris Luna paſſa eſt eclypſim à media nocte uſque in matutinum. Eodem anno menſe Januarii Gelaſius Papa poſtquam per annum Romanam gubernavit Eccleſiam, quum eſset in Galliæ partibus, defunctus eſt. Tunc Cardinales, qui cum eo ibi fuerant, elegerunt in Ordine Romani Pontificis Archiepiſcopum Viennenſem, nomine Guidonem, virum utique nobilem, quem Calliſtum Papam nuncupaverunt. Qui Romano Pontificio ſublimatus poſt annum unum Romam vênit, & Papalem in Lateranenſi Palatio Cathedram ſedit. Anno quo Gelaſius Papa defunctus eſt, menſe Auguſti Sarraceni invaſerunt Antiochiam. Contra quos Rogerius Riccardi filius Antiochiæ procurator cum militibus & peditibus, quos tunc habere poterat, exiens, atque cum Sarracenis dimicans, propter impatientiam ſuam victus ac mortuus eſt. Multitudo quoque Chriſtianorum cum eo mortua eſt: noluit enim expectare Balduinum Regem Hieruſalem, qui cum maxima militum manu veniebat in auxilium Chriſtianorum. Non poſt multos verò dies ipſe Rex cum ſuis vênit in Antiochiam, & cum prædictis Sarracenis, qui terram ipſam occupaverant, bellum commiſit, eoſque devicit, & Antiochiam in ſua manu accepit. Hoc tempore menſe Auguſti Regina Conſtantia comprehenſa eſt à Comite Alexandro, & Grimoaldo Barenſe in Menantia civitate, & cum ea equites L. traditione quorumdam Civium.

C

D

Anno MCXX. Ind. XIII. menſe Junio. Robertus Capuanorum Princeps defunctus eſt, cui Jordanus frater ejus ſucceſſit in honore Principatus ipſius, menſe Octobris, Ind. XIV. In Beneventi Palatio Guilielmus Dux devenit ligius homo Papæ Calliſti per directum contra omnes homines. Et ipſe Papa ſtatim eidem Duci donavit & conceſſit, & per vexillum tradidit omnem terram ipſius Ducis cum toto honore Ducatus ipſius dicens: *Ad honorem Dei, & B. Petri Apoſtolorum Principis, nec non & Pauli, fidelitatem quoque Romani Pon-*

E

(25) Non Epiſcopus, ſed Metropolita declaratus.

(26) Fabulam hanc eſſe probat Pagius ad an. 1117. num. 9. Romualdum ſugillans, multaque alia de hoc Burdino conficta refellens.

Pontificatus, & nostram, nostrorumque Successorum canonicè intrantium, donamus, & concedimus tibi terràm, & omnem honorem, quæcumque nostri prædecessores, videlicet Papa Nicolaus, & Alexander, atque Gregorius donaverunt olim Roberto Guiscardo avo tuo, ac deinde Urbanus Papa, & Paschalis ejus Successor donaverunt Duci Rogerio patri tuo, idemque Paschalis postea, atque Gelasius Papa donaverunt tibi. Eodem verò mense idem Papa Callistus Trojam vênit. Audiens itaque Guilielmus Dux ejusdem Pontificis adventum, obvius festinanter extra civitatem advênit cum Primatibus suis. Cui vice stratoris ipse pedes juxta sellam, usque ad Ecclesiam Episcopatus ejusdem civitatis ingenti cum honore dedu- B xit. Hoc tempore Dux Guilielmus unà cum Constantia regnum * Tancredum obsederunt castellum S. Trinitatis, quod situm est super flumen Basantur, & ceperunt illud in die Dominicæ in Palmis mense Aprilis.

Anno MCXXI. Ind. XIV. mense Junii. Calistus Papa cum multitudine armatorum obsedit Gregorium Papam, cognomento Burdinum, qui secesserat in civitatem Sutri; nec ab obsidione Callistus Papa destitit, donec Burdinum cepit, captumque direxit in Monasterium S. Trinitatis de Cava. Hoc tempore in mense Junio Rogerius Comes Siciliæ cum turba non exigua equitum, & peditum transfretavit in Calabriam, & castellum S. Mauri nomine C cepit, & cremavit. Hic autem Callistus Papatum Romanum in pace, & tranquillitate possedit, & urbem Romam pro sua voluntate disposuit. Sedit autem in Episcopatu Romano annos VII. Romæ mortuus est, & honorificè sepultus.

Anno MCXXII. Ind. XV. mense Septembri. Hoc tempore Callistus pervênit usque Calabriam causâ componendæ pacis inter Ducem Guilielmum, & Comitem Rogerium Siciliæ, quod minimè potuit facere. Sed mense Februarii Dux, & prædictus Rogerius Comes inter se pacificuntur, & acceptis à Comite Rogerio septingentis equitibus exhæredavit Comitem Jordanum.

D Anno MCXXVI. Ind. IV. Huic successit Honorius secundus natione Lombardus, priùs Archidiaconus Bononiensis, post Cardinalis, deinde Episcopus Ostiensis, qui & Lambertus dictus est. Hic Ducem Guilielmum secundum, sequens statuta prædecessorum suorum, per vexillum de Ducatu Apuliæ investivit, & ab eo ligium hominium, & juramentum accepit. Dux autem Guilielmus, licèt à Baronibus & hominibus suis multum diligeretur, tamen propter benignitatem & patientiam suam ab eis quodammodo habebatur contemptus, qui inter ipsum, & Rogerium Comitem Siciliæ ligium hominem ejus, & patruum consobrinum, materiam discordiæ ministrabant.

E (Anno MCXXIII. in mense Aprilis. Boamundus Rex Hierosolymæ capitur à Paganis, dum rediret de Antiochia, sed brevi tempore dimittitur). Quumque inter prædictum Ducem, & Comitem sæpe esset pax & concordia reformata, ipsi inter eos guerram & discordiam innovabant. Et quia prædictus Dux homo erat liberalis & largus, & quæcumque habere poterat militibus erogabat, necessitate coactus primò Calabriam pro sexaginta millibus Bisantiorum præfato Comiti in pignore posuit. Postea mediam civitatem Panormi,

A quæ ei jure hæreditario pertinebat, illi vendidit. Postremò quum de uxore sua filium habere non posset, receptâ à prænominato Comite multâ pecuniâ, eum apud Messanam de Ducatu Apuliæ, & tota terra sua hæredem instituit. Hic Salernitanæ Ecclesiæ omnia, quæ Robertus Dux avus suus, & Rogerius Dux pater ejus donaverant, confirmavit, & Judaycam pro magna parte adjunxit. Castrum Olibani reddidit, & totam Pastinam Ecclesiæ moriens dereliquit. Mortuus est autem apud Salernum morte communi major triginta annis, anno Ducatus sui decimo octavo, anno verò ab Incarnatione Domini MCXXVI. mense Julio in Festo B. Nazarii, Ind. V. sepultusque est apud Salernum in tumulo patris sui in Ecclesia B. Matthæi Apostoli, quam Robertus Dux avus ejus à fundamentis ædificaverat. Fuit autem Guilielmus Dux statura mediocris, corpore gracilis, miles audax & strenuus, & in militari arte peritus, largus, humilis, benignus, & patiens, affabilis omnibus, pius, & misericors, & à suis hominibus multùm dilectus, Ecclesias Dei, & ministros ejus vehementer honorans. Comes verò Rogerius, audita morte Guilielmi Ducis, qui eum hæredem instituerat, statim cum galeis Salernum vênit, & à Salernitanis civibus honorificè receptus est, quibus tenimenta, & possessiones, & antiquas consuetudines confirmavit, & eos in suo accepit hominio. Turrim tamen majorem in eorum potestate reliquit. Qui in eadem civitate ab Alfano Caputaquensi Episcopo est unctus in Principem. Dehinc Rhegium veniens ibidem in Ducem Apuliæ est promotus, & sic in Siciliam rediit.

Anno MCXXVII. Ind. VI. mense Septembris Boamundus juvenis transfretavit in Antiochiam, & factus est Princeps in loco patris sui, & omnes civitates suas Apuliæ Comiti Domino Alexandro consanguineo suo reliquit, ut vice sua eis uteretur. Altero verò anno cum magno exercitu Apuliam intravit. Papa autem Honorius, cognito quòd præfatus Dux auctoritate sua vellet sibi Ducatum Apuliæ usurpare, cujus investitura, & Dominium sibi prædecessorum suorum jure legitimo pertinebat, Apuliam ingressus cum Roberto Capuano Principe, Raydulfo Comite Ayrolæ cognato prædicti Ducis, cum Conversanensibus, Grimoaldo Principe Barensi, & aliis Barensibus Apuliæ, contra eum vênit, ut eum de Apulia expelleret. Dux verò Rogerius vir eruditus, & sapiens, pugnandi copiam eis præbere noluit; sed in tutis, & munitis locis cum suo exercitu se recipiens, tamdiu eos immorari fecit, quousque affecti tædio, & necessitate compulsi se dividerent, & unusquisque ad sua remearet.

Hoc anno Rogerius Comes Siciliæ excommunicatur ab Honorio Papa, quia non permittebat, ut Episcopi Siciliæ venirent Romam. Denuo excommunicatur ab eodem Papa, quòd indebitum sibi nomen Ducis, inconsulto Romano Pontifice, arripuit.

Papa verò videns se à Baronibus derelictum, Beneventum rediit, quem Dux Rogerius è vestigio prosequutus est, & missis nunciis cum eo concordatus est, cui ligium hominium fecit, & juramentum præstitit, & ab eo in Ponte, qui est super Sabbatum, per vexillum de Ducatu Apuliæ investitus est.

Quo

Quo facto Honorius Papa Romam rediit, & Dux Rogerius in Siciliam est reversus. Alio iterum anno in Apuliam vênit, & cum prædictis Baronibus, & Roberto Capuano Principe concordatus est, & turrim majorem, quæ est Salerni, in sua potestate recepit. (Hoc tempore Boamundus filius Principis Boamundi juxta Damascum occubuit, cujus corpus sinè capite fertur esse sepultum.) Postmodum Baronum, & populi consilio apud Panormum se in Regem Siciliæ inungi, & coronari fecit. Qui Regni solio potitus, cum navali exercitu, & magna militia Salernum vênit, & Amalfiam, Ravellum, & Scalam potenter obsedit, & longa obsidione cepit, B & tam castra eorum, quàm civitates suo dominio subdidit. Hoc anno mense Septembris Boamundus filius Boamundi Principis accersitus ab Antiochenis, ut in loco patris regnum obtineret Antiochenum, reliquit omnes civitates Apuliæ, quas tenebat, Domino Alexandro Comiti, ut vice sua eis uteretur, & ipse cum triremis navibus XIX. absque aliis sex onerariis, & cum juvenum manu electa, pontica sulcans æquora, perrexit Antiochiam. Mense Junii, eadem Indictione, dum castellum Obman. . . jussione Rocchi Comitis Siciliensis à Comitibus Calabriæ, idest Alexandro Senesii, & à Roberto Grandi Maruli, & aliis multis, adventante etiam ab eodem Rogerio Comite militum peditum Sarracenorum C non minima multitudine, Rogerius vir juvenis de intus cum militum copia æquè strenuissima agoni illi resisteret, subitò oriente Sole quadam die Rogerius Terlizus, & Robertus Ricuinus cum sua electa militum caterva super eos irruentes, ita illos protriverunt, ut nullus ex eis esset, qui non aut fugæ præsidio liberaretur, aut captionis pretio venumdaretur, seu victoris gladio perimeretur. Sarracenorum verò, aliorumque peditum nec referendus est numerus occisorum, quia (ut fertur) tota castra sanguine ut aqua maduerunt, eorum verò omnia direptioni, & prædæ data sunt. Post hæc Apuliam rediens obsedit Barum, quæ se ei D reddidit, & tunc Grimoaldum ejusdem civitatis Principem, & nobiles Cives, & potentes, qui ei repugnaverant, secum in Siciliam transportavit. Interea Honorius Papa mortuus est anno Pontificatus sui sexto.

Anno MCXXX. Ind. VIII. Quo defuncto, schisma in Romana Ecclesia exortum est; nam major, & sanior pars Cardinalium Gregorium natione Romanum Diaconum Cardinalem Sancti Angeli in Pontificem elegerunt, qui & Innocentius secundus est appellatus. Alia verò pars Cardinalium Petrum filium Petri Leonis nobilem civem Romanum Diaconum Cardinalem Sancti Nicolai de Carcere in Pontificem levaverunt, qui ab eis Anacle- E tus est appellatus. Hic autem parentum suorum, quorum habebat copiam, auxilio, & fortitudine, penè totam Urbem suo dominio subdidit. Innocentius verò Frangentium-panem usus consilio & auxilio, quum in Urbe morari non posset, privatim per Tyberim in mare descendens, cum galêis Pisanorum Pisas vênit, & honorificè à Pisanis susceptus est, & in ea civitate aliquantulum commoratus, solemne ibidem Concilium celebravit. Dehinc in Galliam vênit, & à Ludovico Rege Franciæ, & tota Occidentali Ecclesia est receptus.

A Anacletus verò Urbis dominio potitus, nuncium ad Rogerium Regem Siciliæ misit, à quo & receptus est; cujus auctoritate Apuliam intravit, & apud Melfiam Concilium celebravit. Qui quum per nuncios suos præfatum Regem sæpè rogasset, ut cum eo haberet colloquium, & eidem de more hominium faceret, ipse utpote vir astutus, & sapiens, & præcavens in futurum, ab ejus se colloquio, & aspectu subtraxit. Anacletus autem aliquamdiu in Apulia commoratus, Romam rediit, & ibi usque ad vitæ suæ terminum mansit. Interea Robertus Capuanus Princeps, & Raydulfus Comes Ayrolæ cum aliis Comitibus, & Baronibus Apuliæ, Regi Rogerio rebelles sunt effecti. Quo cognito, Rex Rogerius, congregato navali exercitu, & magna multitudine militum, & peditum, Salernum vênit, & apud Scafatum fluvium in territorio Nuceriæ cum Roberto Capuano Principe, & Raydulfo Comite pugnavit, & devictus est. Qui fugiens Salernum se recepit. Postmodum verò resumtis viribus iterum in Apuliam rediit, Conversanenses obsedit, eorum civitates, & castella viriliter expugnavit, & quosdam de eis captos in Siciliam misit. Transacto verò aliquanto spatio temporis, cum magno exercitu in Terram Laboris vênit. Nuceriam cepit, & diruit; Aversam destruxit; Capuam, & penè totam Terram Laboris occupavit. Princeps verò Capuanus simul cum Comite Raydulfo Neapolim se receptarunt. Sed quia civitas illa partim situ loci, partim militia munita erat, eam expugnare non potuit; sed militiam suam apud Aversam, & in aliis vicinis locis relinquens, eam continuò impugnari & devastari fecit. Robertus verò Capuanus Princeps Pisas ad implorandum Pisanorum auxilium ivit, relictis apud Neapolim Sergio Magistro militum, & Duce ejusdem civitatis, & Comite Raydulfo. Qui postmodum cum magno navali exercitu Pisanorum Neapolim vênit, & maximam audaciam & fortitudinem Baronibus, qui Neapoli erant, præbuit. Galêæ verò Pisanorum super Amalfiam venientes, eam immunitam, & hujus rei nesciam ceperunt, & exspoliaverunt. Quod audiens Rex Rogerius, qui tunc temporis in Terra Laboris erat, misso exercitu suo, Pisanos, qui adhuc in Amalfiæ partibus morabantur, fugavit, & multos eorum in ore gladii perdidit, & sic civitatem liberavit.

Anno MCXXIX. Indict. VII. mense Junii. Dum Ducis Rogerii stolium, quod usque ad sexaginta (ut fertur) velates galêæ erant velocissimæ, circumdederunt civitatem Barum, ita ut nec intrandi nec egrediendi facultatem in urbem esset locus lintribus Barenorum. Dux itaque cum exercitu suo veniens comprehendit Salpim in mense Augusti, & civitatem Rubum, ut fertur, traditione civium. Quumque Domnus Tancredus corporali molestaretur infirmitate, & Ducis Rogerii molestaretur oppressione, tamdem cum Domino Alexandro Comite fratre suo, & cum Domino Grimoaldo Barensi in Principatu, tempore æstatis, idest decimo die Augusti facta est pax cum dicto Duce Rogerio, reddentes Terras ab eisdem comprehensas, idest Gravinam Roberto, Aquam-vivam Cornulo . . . . prioribus dominis Sancti Guillelmi. Pisani verò devicti & confusi primò Neapolim, postea

stea Pisas redierunt. Rex autem Rogerius vir discretus & providus, qui in agendis negotiis suis magis consilio, quàm viribus utebatur, nunc in Terra Laboris, nunc in Apulia inimicos suos viriliter impugnabat, & quosdam eorum minis & terroribus, quosdam verò beneficiis & promissis ad suam amicitiam attrahebat. Robertus verò Capuanus Princeps, & Comes Raydulfus, & quidam alii de Baronibus cognoscentes quòd Regi Rogerio resistere non valerent, ad Lotharii Imperatoris Theutonici auxilium confugerunt, ipsum humiliter postulantes, ut eis amissas Terras restitueret, asserentes Apuliam, & Siciliam ad jus sui Imperii pertinere. Rex autem Rogerius, postquam inimicos, & rebelles suos à regno repulit, & fugavit, totam terram in pace, & tranquillitate possedit, præter Neapolim, quam expugnare non potuit.

Anno MCXXX. Ind. IX. mense Septembris. Dux itaque Rogerius postquam Apuliæ civitates suo subjugavit dominio, idest Trojam, Sipontum, Montem Garganum, & Tranem cum omnibus Castellis, & Villis circumquaque positis, vênit Melfim, fecitque ibidem congregari omnes Comites Calabriæ, Apuliæ, Salentiæ, Britiæ, Lucaniæ, & Campaniæ, & Episcopos, & Abbates, jussitque omnibus Comitibus, ut sibi filiisque suis, idest Rogerio, & Tancredo, omni tempore fideles essent, & obedirent præceptis suis, nec in Terris eorum furta & latrocinia sinerent esse, nec consentirent. Et his omnibus præscriptis sacramento firmatis, mense Octubris reversus est in Siciliam. Hic autem, quum esset Comes, & juvenis, Albyriam filiam Regis Hispaniæ duxit uxorem, ex qua plures liberos habuit, Rogerium, quem Apuliæ instituit; Tancredum, quem Tarenti Principem fecit; Ansusium, quem Capuæ Principem ordinavit; Guilielmum, & Henricum. Habuit etiam de prædicta uxore filiam unam.

Anno MCXXXI. Ind. X. die Natalis Domini, præfatus Dux Rogerius præcepit congregari in Siciliæ Provincia omnes Episcopos diversarum Provinciarum, idest Calabriæ, Apuliæ, Campaniæ, qui jussione Callisti Papæ unxerunt eum in Regem, ac super caput ejus Coronam Regiam posuerunt, & ab omnibus vocari Regem jusserunt. Hoc tempore Boamundus filius Principis Boamundi in bello juxta Damascum occubuit, cujus corpus sinè capite inventum est, & sepultum in Monasterio S. Mariæ, quod est juxta Sepulchrum nostri Redemtoris in dextera parte ejusdem Sepulchri, mense Februarii.

Interea Innocentius Papa in Francia aliquantulum demoratus, Alamanniam vênit, & ab Imperatore Lothario, & universis Principibus ejus cum summa est gloria & devotione susceptus. Imperator autem tum Papæ suggestione & admonitione continua, tum exulum Apuliæ precibus & miseratione commotus, cum magno exercitu Italiam intravit, & per partes Anconæ simul cum Papa Innocentio in Apuliam vênit. Robertum verò Capuanum Principem cum Comite Raydulfo, & aliis exulibus, & quadam parte sui exercitus Terram Laboris intrare jussit. Galêas etiam Pisanorum in eorum auxilio venire præcepit. Imperator autem totam Apuliam, resistente nemine, occupavit.

Anno MCXXXII. Ind. XI. mense Septembris. Dum Rogerius Rex Brundusium, ac turrim in eo constructam suæ subdidisset potestati, ipseque reversus Siciliæ fuisset, Tancredus ad obsidendam turrim perrexit, ubi tota ingenii arte decertavit, ut caperet eam. Sed ut vidit inexpugnabilem esse ejus munitionem, accensus ira fertur jurasse, quòd nulli, qui in eadem erat turri, parceret, sed alios patibulis, alios ignibus daret, alios verò vivos sepeliret, si capere illos aliquando posset. Sed hoc juramentum magis nocuit, quàm profuit; nam custodes ac defensores turris contra se hoc juratum facinus cognoscentes, invicem coarctantur, magis se mori viriliter pugnando, quàm se prodere eligentes. Quum ejus obsidio nihil proficeret, iram suam ad consilium revocat, ut Barensis Princeps Grimoaldus veniret, & dulci alloquio eos moneret, ut eandem turrim, seseque ipsi Grimoaldo darent; ipse autem Tancredus cum suis Gallipolim ad obsidendum pergeret. Quod & factum est. Mense autem Decembris prædictus Princeps plus mansuetudine, quàm ferocitate cepit præfatam turrim, nullique malum faciens cum suis rebus abire permisit.

Rex verò Rogerius cognoscens quòd Imperatori resistere non valeret, eo quòd Barones ejus, & civitates pro majori parte ab ipso recesserant, civitates, & castra sua fortia præmunivit. Ipse verò cum exercitu suo una diæta, aut multum duabus post Imperatorem veniens, civitates, & castella, quæ Imperator ceperat, expugnabat; & frequentiùs nuncios in exercitu Imperatoris mittens, Principes ejus promissionibus & muneribus ad suum amorem & gratiam attrahebat. Capuanus verò Princeps cum Comite Raydulfo Terram Laboris ingressus, eam, & Ducatum Amalfiæ potenter obtinuit, & cum magno exercitu militum, & galêis Pisanorum Salernum veniens eam obsedit. Salernitani autem Cives, qui de antiquo suis Dominis fideles exstiterant, in fidelitate solita firmiter perdurantes, eis viriliter restiterunt. Erat tunc Salerni Robertus Regis Rogerii Cancellarius cum militia Regia, & Baronibus plurimis, qui simul cum Salernitanis Civibus in exercitum Principis & Pisanorum insultum sæpiùs facientes, eos viriliter impugnabant. Quumque civitas ab eis ferè unius mensis spatio esset obsessa, & ab eis non posset modo aliquo expugnari, novissimè Imperator ab Apulia vocatus, cum Apostolico, & suo exercitu super eam vênit. Robertus autem Cancellarius vir magni consilii, & discretus, metuens, ne si fortè civitas per violentiam ab Imperatore caperetur, Regi Rogerio irrecuperabile damnum accideret, habito Baronum consilio, Salernitanis Civibus ex parte Regis præcepit, ut cum Imperatore concordiam facerent, & se, Regis militiam, quæ in Civitate erat, à periculo liberarent. Cives verò ejus præceptis obtemperantes, pacem cum Imperatore fecerunt, & datâ de suis Imperatori magnâ pecuniâ, quadringentos milites, qui in civitate fuerant, ad Regem Rogerium cum rebus suis illæsos abire fecerunt. Cancellarius autem cum Baronibus, & quibusdam militibus se in turrim majorem recepit.

Anno MCXXXIII. Ind. XI Hoc anno mense Madii Rogerius Rex transfretavit à Sicilia, vênitque in Apuliam, & perrexit Tarentum. Deinde

Deinde abiit Neriton cum grandi exercitu (fertur enim tria millia habuisse equitum, pedites verò, & sagittarios, & Sarracenos usque ad sex millia) quam vacuam factam inveniens, cepit, prædæ ac direptioni cuncta permiscendo; quin etiam & Christianorum sanguinem à Sarracenis crudeliter fundi præcipiendo. Nam senes interficiebant; pueros de sinu auferentes matrum allidebant, gladiisque findebant; Sacerdotes juxta Crucem & Altare stantes interimebant; Sacramenta Ecclesiæ, idest Sanctum Chrisma, in suis peronibus deridendo, seu corporibus fundebant; mulieres coram maritis adulterantes; reliquos verò, qui superfuerunt, vinculatos Siciliæ asportare præcepit. Et exinde amoto exercitu adiit Brundusium, posuitque ibi obsidionem in mense Junii per terram & per mare, fecitque ante eam turrem fieri ex trabibus proceris & altissimis, ferreisque nexibus, coriis, viminibusque munitam, cujus altitudo muros prædictæ urbis præcelleret. Sed nihil hujusmodi instrumentum machinæ profuit sibi, nec obfuit Brundusinis; Goffredus enim Domini Alexandri Comitis filius, & Riccardus Clarimontis Dominus, qui intus erant, simili modo confecerunt balistas, & machinas, quæ totam subitò destruxerunt turrim. Dux verò videns nullo modo suum prævalere ingenium, videns omnem exercitum fame afflictum, ignem in turrim misit, & cum illis pepigit.

Facta autem pace, Pisani utpote superbi & elati, cœperunt injurias & molestias civibus Salernitanis inferre. Qui eorum superbiam non ferentes, accipientes arma, in eos irruerunt, & maximum castrum ligneum, quod ad expugnationem civitatis fecerant, eis præsentibus, combusserunt. Unde Pisani in iram commoti ab Imperatore, qui eis super hoc auxilium non præstiterat, recesserunt, & postmodum sunt cum Rege Rogerio concordati. Imperator verò civitate potitus, acceptis ab ea pro pecunia obsidibus, à civitate recedens, apud S. Severinum sua castra locavit, ibique habito Apostolici, & Baronum consilio, Comitem Raydulphum Ducem Apuliæ ordinare disposuit. Propter quod inter Apostolicum, & Imperatorem maxima contentio est oborta. Apostolicus enim asserebat, investituram Ducatus Apuliæ ad jus Romani Pontificis pertinere, & hoc à suis prædecessoribus fuisse longo jam tempore firmiter observatum. Imperator è contrario affirmabat, hoc ad jus pertinere Imperii, & Ducatum Apuliæ debere auctoritate Imperatoria ordinari. Sed quia uterque in procinctu erant itineris, & deficientibus ad præsens utriusque partis instrumentis, & rationibus, controversia hæc ad plenum definiri non poterat, communi consensu ad hunc finem concordiæ devenerunt: ut Apostolicus, & Imperator per vexillum Comitem Raydulfum de Ducatu Apuliæ investirent; & postmodum habita opportunitate loci, & temporis, utriusque partis allegationibus pleniùs exhibitis, & ostensis, hæc controversia mediante justitia finiretur. Quod & factum est; nam Apostolicus, accepto vexillo à superiori parte, Imperator ab inferiori, Comitem Raydulphum de Ducatu Apuliæ investiverunt. Quo facto Imperator in Alamanniam rediit. Innocentius verò Romam intravit, & à Frangentibus-panem, & quibusdam aliis Nobilibus honorificè receptus est. Anacletus verò non multò post diem clausit extremum. Rex autem Rogerius audiens Apostolicum, & Imperatorem recessisse, receptis etiam suis quadringentis militibus, qui à Salerno venerant, fortior effectus, festinus Salernum vênit, & à Salernitanis Civibus cum summa est devotione susceptus. Nec mora: Nuceriam obsedit, expugnavit, & destruxit; totam Terram Laboris potenter obtinuit; Capuam in ore gladii cepit, & concremavit. Tunc cum Sergio Magistro militum Neapolitanorum concordatus est, & eum secum in expeditionem duxit. Dehinc acies suas versùs Apuliam dirigens, totam terram Beneventanam, & Capitanatum recuperavit. Quo audito, Comes Raydulfus, qui se Ducem vocari faciebat, congregato exercitu militum, & infinita multitudine maritimarum civitatum, apud Ranianum ei potenter occurrit; Quumque de pace inter eos componenda mediante Bernardo Clarevallensi Abbate, diutiùs esset tractatum, nec potuisset, peccatis exigentibus, consummari, bellum inter eos validum est exortum. Dux autem Rogerius filius prædicti Regis, qui in acie percussoria fuerat, oppositas sibi acies viriliter expugnavit, & Sipontum usque fugavit. Rex verò, qui in magna ac postrema acie fuerat, lacessentibus militibus, in fugam conversus est, & tunc multa millia hominum capta sunt, & occisa. Sergius quoque Magister militum Neapolitanorum gladio percussus occubuit. Rex verò tota nocte equitans Salernum vênit, & ab ejusdem urbis civibus more solito est reverenter exceptus. Qui in ea civitate aliquantulum moratus, civitates suas, & castella militibus & peditibus præmunivit. Tunc Guilelmus natione Ravennas, & electus Capuæ, in Salernitana Ecclesia est electus. Deinde recepta Neapoli, & dispositis & ordinatis partibus regionis illius, cum Rogerio Duce & Tancredo Principe filiis suis in Siciliam est reversus. Adveniente autem æstate per mare & per terram cum magno exercitu in Terram Laboris vênit. Papa verò Innocentius, mortuo Anacleto, dominio Urbis potitus, magnum exercitum de Romanis, & Campaninis congregavit, & Terram Regis ingressus, S. Germanum, & penè totam Terram S. Benedicti occupavit, & Galluzum castrum obsedit. Quod audiens Rex Rogerius Rogerium filium suum Ducem Apuliæ contra eum cum magno exercitu misit. Qui veniens castrum ab obsidione liberavit, Romanos vicit, Domnum Papam, & multos cum eo Nobiles Romanos cepit. Quem Rex è vestigio prosequutus, ad pedes Domni Papæ voluit humiliter satìs accedere. Sed ipse utpote vir constans, & egregius, eum primò recipere noluit. Tamdem discurrentibus inter eos nunciis, & de pace componenda tractantibus, Domnus Papa habito consilio Cardinalium propter multos Cives Romanos, qui cum eo capti fuerant, Regem in gratiam recepit, & recepto ab eo sacramento & hominio, ipsum per vexillum de Regno Siciliæ, & Ducatu Apuliæ investivit. Eo tempore Comes Raydulfus, qui Dux dicebatur, occasione flebotomiæ, Trojæ mortuus est. Tunc etiam mons Vesuvius emisit pulverem ferruginei coloris, & subrubei in tanta copia, quòd usque Neapolim, & Capuam, & Salernum pervênit. Rex autem Innocentium Papam satìs honorificè usque Beneven-

neventum deduxit, & acceptâ ab eo licentiâ, Trojam vênit, & eam recepit. Postmodum Barum obsedit, quæ post longam obsidionem se ei reddidit. Et tunc Jaquintum, qui se Principem Barensium vocari faciebat, & multos alios suspendi fecit. Riccardus etiam de Claro-monte ibi occisus est. Alexander verò frater ejus in Romaniam recessit. Sicque potentissimus Rex Rogerius, inimicis & proditoribus suis superatis pariter & destructis, cum triumpho & gloria in Siciliam rediit, & Regnum suum in summa pace & tranquillitate possedit. Papa verò Innocentius Romam rediit, & eam in pace & tranquillitate tenuit. Non multo post tempore Lotharius Theutonicorum Imperator obiit, & ei Chonradus in Imperio successit. Similiter & Ludovicus Rex Francorum mortuus est, & ei Ludovicus filius ejus in regno successit. Rex autem Rogerius in regno suo perfectæ pacis tranquillitate potitus, pro conservanda pace Camerarios, & Justitiarios per totam terram instituit; malas consuetudines de medio abstulit. Et quia cor magnificum, & dominandi animum semper habuit, dominio Siciliæ & Apuliæ nequaquam contentus, maximum navalem præparavit exercitum, quem cum multis militibus in Africam mittens, ipsam cepit, & tenuit. Susas, Bonam, Capsim, Sfaxim, & Tripolim expugnavit, & sibi tributarias reddidit. Cum Rege Babyloniæ, pacem ad honorem suum & commodum fecit. Eo tempore Calo-Joannes Imperator Constantinopolitanus sagittâ toxicatâ læsus apud Antiochiam obiit. Cui Emanuel filius ejus in Imperio successit. Hic autem ad Regem Rogerium Legatos de parentela inter eos componenda mandavit. Rex autem pro hac causa perficienda honorabiles Legatos ad Imperatorem misit, qui eos verbis suis more solito diutiùs detinuit, & postmodum in carcerem retrudi fecit. Unde Rex indignatus apud Hidrontum galêas & naves plurimas præparari fecit, & eas cum Comitibus, & multa militia in Romaniam misit. Qui venientes, Corphò, & multas alias Insulas depopulati sunt. Corinthum verò, & Stipham ceperunt in ore gladii, & eas exspoliantes, pecuniam multam & pannos sericos inde asportaverunt. Alio quoque tempore prædictus Rex Rogerius misit Salernum Ammiratum suum cum stolio suo in Romaniam, qui invênit maximum stolium Imperatoris apud Caput-Maleæ, & ibi viriliter pugnavit, Græcos devicit, & Angelum Despoti Magistrum stolii, & consanguineum Imperatoris cum multis aliis captivos in Siciliam duxit. Interea Romæ Innocentius Papa mortuus est, & sepultus apud Lateranum, anno Pontificatus sui XIV.

Anno MCXLIII. Ind. VI. Huic successit Guido natione Tuscus, priùs Presbyter Cardinalis, qui & Cœlestinus Secundus est vocatus. Hic concordiam, quæ inter Innocentium Papam, & Regem Rogerium facta est, ratam habere noluit, sed eam revocavit in dubium. Mortuus est autem sexto mense Pontificatus sui. Cui successit Gerardus natione Bononiensis priùs Presbyter Cardinalis S. Crucis, & Cancellarius, qui & Lucius Secundus appellatus est. Audiens autem Rex Rogerius promotionem Lucii Papæ, gavisus est valde, eo quòd compater, & amicus ejus exstiterat.

A Qui statim missis nunciis suis prædicto Papæ, per mare usque Gayetam veniens, ei apud Ciperanum occurrit. Quumque de pace inter eos componenda diu tractatum esset, repugnantibus Cardinalibus, concordari non potuerunt. Quare Rex indignatus in Siciliam rediit. Rogerius verò Dux Apuliæ filius ejus ex mandato Regis cum magno exercitu Campaniam ingressus, eam usque Ferentum depopulatus est, & cepit, & sic in Apuliam rediit. Lucius autem Papa ad Urbem regressus est. Non multò autem post, Populus Romanus contra voluntatem ejusdem Papæ Jordanum filium Petri Leonis in Patricium promovit, & Senatores de novo in Urbe creavit. B Mortuus est autem Lucius Papa mense Pontificatus sui undecimo.

Anno MCXLV. Ind. VIII. Huic successit Bernardus natione Pisanus, priùs Monachus Clarevallensis, & Abbas S. Anastasii, deinde Presbyter Cardinalis, qui Eugenius Tertius est dictus. Hic propter tumultum Senatorum, & Populi, de Urbe egrediens apud Farfense Monasterium solemniter est consecratus. Dehinc in Galliam proficiscens à Ludovico juniore Rege Francorum, & tota Gallicana Ecclesia honorificè est receptus. Hic Rhemis generale Concilium celebravit. Eo autem tempore Chonradus Rex Theutonicorum cum magna multitudine militum, & peditum Hierosolymam proficiscens, C Constantinopolim vênit, & ab Emanuele Imperatore tum timore, tum quia cognatam ejus in uxorem duxerat, honorificè est receptus. Imperator autem prædicto Regi Chonrado more Græco se satis humanum & benignum contulit, munera multa exhibuit, promittens se illi ducatum itineris, & victui necessaria præbiturum. Postquam verò Rex Chonradus Brachium S. Georgii cum suo exercitu transfretavit, suggestione (ut dicitur) & mandato Imperatoris, illi, & exercitui ejus victualia sunt subtracta. Quare deficiente alimonia, exercitus cœpit deficere, & lassescere. Turchi autem, hoc comperto, super eos viriliter irruerunt, D & debilitatos fame & labore itineris Theutonicos expugnaverunt, multos eorum in ore gladii trucidantes, multos in servitutem miseram redigentes. Imperator autem, amissa majori parte exercitus, vix cum paucis Hierosolymam vênit. Lodovicus Rex Francorum cum magno exercitu militum & peditum prædictum Regem Chonradum eodem anno, & eodem itinere prosequutus, ab Emanuele Imperatore simili modo receptus est, & deceptus. Nam postquam Brachium S. Georgii pertransiit, quum ex larga promissione Imperatoris crederet, sibi, & exercitui suo victui necessaria reperturum, deficiente alimonia, E magnam partem sui exercitus, partim fame, partim bello amisit, & Hierosolymam cum pauco exercitu vix pervênit. Sicque factum est, quòd peccatis exigentibus, suggestione Græcorum & malitia, duo adeò potentes & nobiles Principes, amisso exercitu, parum boni ad honorem nominis Christiani proficere potuerint. Qui Hierosolymam causâ orationis aliquantulum sunt demorati; dehinc Chonradus per Constantinopolim in Alamanniam rediit; Rex autem Franciæ per Apuliam ad propria remeavit. Quem Rex Rogerius satis officiosè suscepit, equitaturas multas & munera contulit plurima, & eum per terram

suam

suam honorificè conduci præcepit. Papa verò Eugenius postquam in Francia aliquantulum est demoratus, Italiam repetens, apud Tusculanum se recepit, & congregatâ militiâ, Romanos sibi inobedientes jussit constringere & expugnare. Rex autem Rogerius, cognito prædicti Papæ adventu, Legatos suos ad eum misit, & partem militum suorum ad ei serviendum delegavit. Quum autem prædictus Papa apud Tusculanum moraretur, Rex Franciæ ab Hierosolymis rediens ad eum vênit. Qui memor beneficii, & honoris sibi in Francia ab illo collati, eum prout decuit cum reverentia magna & honore suscepit, dona multa obtulit, & in pace ad propria redire permisit. Rex autem Rogerius Archiepiscopos, & Episcopos terræ suæ à Papa Eugenio jussit consecrari; frequenter Legatos ad eum de pace componenda transmisit, sed impetrare non potuit. Sed quia (ut ait Scriptura) *quem diligit Dominus, corrigit; & flagellat omnem filium, quem recipit*, postquam Deus omnipotens Regem Rogerium multis prosperis successibus extulit, & exaltavit, ne succedentia prospera animum ejus plus justo elevarent, eum quarumdam adversitatum flagellis paterna miseratione corripuit. Nam primò Albyria illustris Regina uxor ejus, ex qua tres filios habuerat, mortua est, & filia ejus. Post hæc Tarentinus Princeps, & Ansusus Capuanorum Princeps, & Henricus mortui sunt. Novissimè autem Rogerius Dux Apuliæ, primogenitus ejus, mortuus est Anno Dominicæ Incarnationis MCXLIX. Ind. XII. vir quidem speciosus, & miles strenuus, pius, benignus, misericors, & à suo populo multùm dilectus. Rex autem Rogerius tot flagellis afflictus, constanti animo pii patris flagella sustinuit, & sic se medium inter prospera & adversa exhibuit, ut nec eum prospera plus justo erigerent, nec adversa penitus inclinarent. Nam licèt multiplici dolorum stimulo perurgeretur in animo, foris tamen consolatoriam speciem, & doloris temperantiam prætendebat in vultu, & in sua consolatione Regno suo consolationem tribuit, & inimicis suis insultandi materiam denegavit. Et quia solum Guilielmum Capuanorum Principem habebat superstitem, veritus ne eumdem conditione humanæ fragilitatis amitteret, Sibiliam sororem Ducis Burgundiæ duxit uxorem, quæ non multò post Salerni mortua est, & apud Caveam est sepulta. Tertiò Beatricem filiam Comitis de Reteste in uxorem accepit, de qua filiam habuit, quem Constantiam appellavit. Biennio autem antequam moreretur, Guilielmum filium suum Capuanorum Principem in Regem Siciliæ fecit inungi, & secum jussit pariter conregnare. Interea Eugenius Papa apud Tusculanum aliquanto tempore demoratus, pacem cum Romanis fecit, & à Senatoribus, & universo Populo Romano cum summo est honore receptus. Hic autem adeò universum Populum sibi beneficiis & eleemosynis alligavit, quòd bene pro majori parte Urbem poterat pro sua voluntate disponere; & nisi esset mors æmula, quæ illum citò de medio rapuit, Senatores noviter procreatos Populi adminiculo, usurpata dignitate privasset. Eo tempore Chonradus Theutonicorum Rex mortuus est, & ei Fredericus nepos ejus in Regno successit. Non multò verò post Eugenius Papa Romæ mortuus est, & ad S. Petrum est sepultus, anno Pontificatus sui VIII. mense IV. die XII.

Anno MCLIII. Huic successit Chonradus natione Romanus, senex, & plenus dierum, priùs Presbyter Cardinalis, deinde Episcopus Sabinensis, & Vicarius Romanæ Ecclesiæ, qui Anastasius est appellatus. Interea Rex Rogerius, qui tempore pacis & belli otiosus esse nescivit, Regni sui pace & tranquillitate potitus, Panormi Palatium satis pulchrum jussit ædificari, in quo fecit Cappellam miro lapide tabulatam, quam etiam deaurata testudine cooperuit, & ornamentis ditavit pariter, & ornavit. Et ne tanto viro aquarum & terræ deliciæ tempore ullo deessent, in loco, qui Fabara dicitur, terrâ multâ fossâ pariter & effossâ, pulchrum fecit vivarium, in quo pisces diversorum generum de variis regiônibus abductos jussit immitti. Fecit etiam juxta ipsum vivarium, pulchrum satis & speciosum ædificari Palatium. Quosdam autem montes, & nemora, quæ sunt circa Panormum, muro fecit lapideo circumcludi, & Parchum deliciosum satis & amœnum diversis arboribus insitum, & plantatum construi jussit, & in eo damas, capreolos, porcos silvestres jussit includi. Fecit & in hoc Parcho Palatium, ad quod aquam de fonte lucidissimo per conductus subterraneos jussit adduci. Ut autem universus mundus evidenter agnoscat, qualiter Rex Rogerius tota fuerit intentione Catholicus, qualiter Christianæ Fidei zelo, & fervore succensus, subsequentis operis testimonium declarabit.

Rex Rogerius quemdam Eunuchum habuit Philippum nomine, qui pro sui probitate servitii ei gratus erat admodum, & acceptus. Et quia ipsum in agendis suis fidelem, & negotiorum suorum idoneum exequutorem invenerat, universo hunc præfecit Palatio, & totius domus suæ statuit esse Magistrum. Qui sic per incrementa temporum in ejus gratia & amore profecit, quòd illum stolii sui Amiratum esse disposuit, & cum eodem Bonam misit, quam in ore gladii cepit, & spoliavit, & cum triumpho & gloria in Siciliam rediit. Sed quia conditori suo de collatis beneficiis ingratus exstitit, & Regi cœlesti malum pro bono rependit, meritò terreni Regis iram & indignationem incurrit. Hic enim clamyde Christiani nominis Diaboli militem gerebat absconditum, & quum specie tenus se esse Christianum ostenderet, totus erat mente & opere Sarracenus, Christianos oderat, Paganos plurimùm diligebat, Dei Ecclesias invitus intrabat, Synagogas malignantium frequentiùs visitabat, & eis oleum ad concinnanda luminaria, & quæ erant necessaria ministrabat. Christianas traditiones penitus respuens, in diebus Veneris, & Quadragesimæ carnes comedere non curabat; nuncios suos cum oblationibus ad sepulchrum Magumetis miserat, & se Sacerdotum loci illius orationibus plurimùm commendaverat. Quum autem hæc & alia illius scelera, quæ sub umbra Christiani nominis palliabat, ad aures Rogerii pervenissent, usus zelo Dei secundùm suam scientiam fecit illum de prænominatis criminibus in sua Curia conveniri. Quumque ille de Regis gratia, & amore confisus, accusatoribus suis viriliter responderet, & quæ sibi objecta fuerant, tamquam falsa, penitus denegaret; operante divina gratia, accusatores ea,

ea, quæ dixerant, vera esse fidelium hominum testimonio comprobarunt. Philippus autem convictum se esse considerans, Regis justitiam metuens, cœpit veniam petere & Regis misericordiam postulare, & de cætero futurum se esse Christianum Catholicum repromittere. Tunc Rex Fidei flamma succensus, prorumpens in lachrymas ait: *Noscat vestra fidelitas, dilectissimi, quòd animus meus maximo dolore compungitur, & magnis iracundiæ stimulis agitatur, quia hic minister meus, quem à puero enutrieram ut Catholicum, peccatis suis exigentibus, inventus est Sarracenus, & Sarracenus sub nomine Fidei opera infidelitatis exercuit. Et quidem si majestatem nostram in rebus aliis offendisset, si thesauri nostri partem licèt maximam exportasset, servitii sui recolenda memoria pro certo apud nos promereretur veniam, & gratiam impetrasset. Sed quia in facto suo principaliter offendit Deum, & aliis peccandi materiam præbuit, & exemplum, nostræ Fidei injuriam, & Christianæ Religionis offensam proprio filio non remitterem, nec cuilibet proximo relaxarem. In hoc facto totus mundus addiscat, quòd Christianam Fidem tota affectione diligo, & ejus injuriam etiam in ministros meos vindicare non cesso. Exsurgant igitur leges, & nostra jura ense æquitatis armentur, & inimicum Fidei justitiæ gladio feriant, & per hoc Infidelibus laqueum terroris inducant.* Tunc Comites, Justitiarii, Barones, & Judices, qui ibi aderant, justum Regis animum attendentes, tracti in partem, diu communicato consilio, sententiam dictavere dicentes: *Philippum Christiani nominis delusorem, & sub velamento Fidei opera infidelitatis agentem, flammis ultricibus decrevimus concremandum, ut qui ignem Caritatis habere noluit, ignem combustionis incurrat, & nequissimi hominis reliquiæ nullæ remaneant, sed conversus in cinerem ab igne temporali ad ignem æternum perpetuò arsurus accedat.* Tunc mandantibus Justitiariis, equi indomiti pedibus alligatus usque ad calcariam, quæ ante Palatium erat, est violenter attractus; dehinc ab equi pedibus dissolutus in flammarum medio actatus, & repentè combustus est. Alii autem suæ iniquitatis complices, & consortes capitalem subiere sententiam. In hoc igitur facto, manifestiùs elucescit, quòd Rex Rogerius fuit Princeps Christianissimus, & Catholicus, qui pro injuria Fidei vindicanda Camerario, & nutrito proprio non pepercit, sed pro ejus honore & gloria incendio tradidit illum.

Sic vir sapiens & discretus prædictis deliciis, prout temporis expetebat qualitas, utebatur; nam in hyeme, & quadragesimali tempore pro copia piscium in Fabaræ palatio morabatur; in æstate verò apud Parchum æstivi caloris temperabat incendium, & animum doloris curis, & sollicitudinibus fatigatum, venationis usu mediocri quodammodo relevabat. Quamvis autem prædictus Rex sapientia, ingenio, & plurima discretione polleret, tamen sapientes viros diversorum ordinum, & è diversis Mundi partibus evocatos, suo faciebat consilio interesse. Nam Georgium virum utique maturum, sapientem, providum, & discretum, ab Antiochia abductum, magnum constituit Ammiratum, cujus consilio & prudentia in mari & terris victo-

A rias multas obtinuit. Guarinum, & Robertum Clericos literatos, & providos per successionem temporum Cancellarios ordinavit. Et si quos probos, & sapientes viros, sive de terra sua, sive aliunde genitos, Laicos, vel Clericos invenire poterat, sibi adhærere jubebat, & prout cujusque exigebat conditio, eos diversis honoribus & divitiis exaltabat. Novissimè Mayonem juvenem de Baro oriundum, virum utique facundum, satis providum, & discretum, primò Scriniarium, dehinc Vice-cancellarium, postremò Cancellarium fecit. De novo multos in regno suo Comites ordinavit; civitatem Cephaludium ipse fecit ædificari, in qua Ecclesiam Sancti Salvatoris pulchram satis & speciosam suis sumtibus fecit construi, cui civitatem obtulit, & ejus servitio deputavit. Circa finem autem vitæ suæ secularibus negotiis aliquantulum postpositis, & omissis, Judæos, & Sarracenos ad Fidem Christi convertere modis omnibus laborabat, & conversis necessaria & dona plurima conferebat. Ecclesiam etiam Sancti Nicolai de Messana cum majori parte suorum sumtuum ædificari jussit, licèt suo tempore non potuerit consummari. Hic etiam ad memoriam nominis sui in Salerno tabulam argenteam suis expensis factam, ante Altare Beati Matthæi fecit apponi; & quotiens Salernum à Sicilia veniebat, de more Salernitanæ Ecclesiæ unum, vel duo pallia offerebat. Sed quia negatum est summis stare diu, totius regni sui peccatis exigentibus, gloriosissimus Rex Rogerius post tot victorias & triumphos, apud Panormum febre mortuus est, & sepultus in Archiepiscopio ejusdem civitatis, anno vitæ suæ quinquagesimo octavo, mensibus duobus, diebus quinque, XXVI. die mensis Februarii, anno regni sui XXIV. Anno autem Dominicæ Incarnationis MLII. (27) Indict. I. Fuit autem Rex Rogerius statura grandis, corpulentus, facie leonina, voce subrauca, sapiens, providus, discretus, subtilis ingenio, magnus consilio, magis utens ratione, quàm viribus. In acquirenda pecunia multum sollicitus, in expendenda non plurimum largus. In publico ferus, in privato benignus, fidelibus suis honores & præmia largiens, infidelibus contumelias & supplicia inferens. Erat suis subditis plus terribilis, quàm dilectus; Græcis, & Sarracenis formidini, & timori.

Defuncto autem Rege Rogerio, Guilielmus filius ejus, qui cum patre duobus annis & mensibus decem regnaverat, illi in regni administratione successit. Hic autem post mortem patris, convocatis Magnatibus regni sui, proximo Pascha est solemniter coronatus, cui Curiæ Robertus de Basavilla Comes de Conversano consobrinus frater ejusdem Regis interfuit. Huic Rex Guilielmus Comitatum de Lauritello concessit, & eum in Apulia cum honore emisit. Postmodum Mayonem Cancellarium magnum Ammiratum constituit. Cujus consilio, & providentia, regni sui negotia præcipuè pertractabat. Interea circa nativitatem Domini Anastasius Papa mortuus est

Anno MCLIV. Cui successit Nicolaus natione Anglicus, priùs Canonicus Regularis, & Abbas Sancti Rufi, & post Albanensis Episcopus, qui & Hadrianus Quartus est appellatus.

(27) Annum MCLIII. huic morti assignat Epistola Conradi Dominicani, recusa in secunda parte tomi I. hujus collectionis.

latus. Quo audito, Rex Guilielmus nuncios ad eum de pace componenda transmisit, sed obtinere non potuit. Postmodum circa Quadragesimam Rex Salernum vênit, & ibi usque ad Pascha, est demoratus. Quo cognito, Hadrianus Papa Henricum Cardinalem SS. Nerei & Achillæi ad eum misit, quem Rex recipere noluit, sed Romam redire præcepit, eo quòd in literis Apostolicis, quas Regi portabat, Papa ipsum non Regem, sed Guilielmum Dominum Siciliæ nominabat. Pro quo facto Hadrianus Papa, & tota Romana Curia contra Regem turbata est, & commota. Rex autem, celebrata Festivitate Paschali, Scitinio Catheniensi Archidiacono, quem Cancellarium fecerat, Apuliæ administrationem commisit, & ipse cum Ammirato in Siciliam rediit. Cancellarius autem ex mandato ejusdem Regis, congregato exercitu, Beneventum obsedit, & eam usque ad mœnia devastavit. Cives autem ejusdem civitatis eidem viriliter restiterunt, & Petrum Archiepiscopum, quem pro parte Regis suspectum habebant, interfecerunt. Quumque civitas illa aliquanto tempore fuisset obsessa, quidam de Baronibus rebelles effecti, civitatem ingressi, hostibus adhæserunt. Alii verò sinè licentia relicto exercitu ad propria redierunt. Sicque exercitus divisus est, & civitas ab obsidione liberata. Comes autem Robertus de Lauritello timens ne suggestione Ammirati, qui eum habebat odio, à Rege caperetur, dolens, & invitus à Rege recessit. Multi etiam de Baronibus Apuliæ rebelles effecti guerram maximam in Apuliam excitaverunt. Quo audito, Barones Siciliæ & ipsi similiter guerram contra Regem in Sicilia commoverunt. Rex autem, congregato exercitu contra eos vênit, qui eum expectare timentes, in Buteria se receperunt, & quum aliquanto tempore eos obsedisset, mediante Mayone Ammirato, eis condonavit, & in suam gratiam illos recepit. Interea æstate proxima Fredericus Rex Theutonicorum Romam vênit, & ab Hadriano Papa (illi sacramento, ut moris est, præstito) in Ecclesia B. Petri solemniter est coronatus. Qui quum ante receptam Coronam Papæ promisisset, quòd Senatores noviter creatos deponeret, Urbem, & Regalia Beati Petri in illius potestate redigeret, post perceptionem Coronæ circa Urbem aliquantulum demoratus, in Alamanniam rediit. Papa verò sua promissione frustratus, congregato exercitu cum Roberto Capuano Principe, & Andrea de Rupe-canina Terram Laboris ingressus, eam violenter obtinuit, & à Beneventanis est cum honore receptus. Interea Emanuel Constantinopolitanus Imperator, inventa opportunitate, quòd de injuriis sibi à Rege Rogerio illatis vindicaret in filium, Palæologum virum quemdam nobilem cum multa pecunia ad Comitem Robertum, & Barones Apuliæ transmittit, ut de ea milites retinerent, & Guilielmo Regi guerram inferrent. Misit etiam Comminianum Sebastum, & alios potentes viros cum suo stolio, qui venientes Brundusium ceperunt, præter castrum, in quo Regis militia se recepit. Barum autem, & reliquæ civitates maritimæ Græcis, & Roberto Comiti adhæserunt. Sicque factum est, quòd partim à Roberto Capuano Principe, partim à Comite Roberto tota terra occupata est, præter Neapolim, Amalfiam, Salernum, Trojam, & Melfiam, & quasdam alias civitates, & castra munita. Quo cognito Rex Guilielmus, prout meliùs potuit, per mare & terram congregavit exercitum, & recto itinere Brundusium vênit. In quo Sebastum, & Comminianum, & reliquos potentes Græcorum cum multo exercitu, & stolio congregatos invênit, qui castrum Brundusii, & gentem Regis vehementer impugnabant. Comes autem Robertus, adventu Regis cognito, Brundusium reliquit, & Beneventum se contulit. Rex verò Guilielmus Brundusium per mare & terram potenter obsedit, & per mare & terram viriliter impugnando, in ore gladii debellavit, cepit Græcorum nobiles, & stolium, pecuniam multam, & plures de Baronibus Apuliæ, qui ei rebelles exstiterant, de quibus multos suspendi, & excœcari fecit. Quo facto Barum vênit, & eam cepit; & quia Barenses castrum Regis destruxerant, Rex ira commotus civitatem à fundamentis subvertit. Dehinc per maritimam Apuliæ rediens, omnes civitates maritimas cepit, & totam terram, quam perdiderat, sinè bello recuperavit. Ipse autem recto tramite Beneventum vênit, quò inimici, & rebelles ejus ad auxilium Domni Papæ confugerant. Robertus verò Capuanorum Princeps, dum præ timore regio vellet aufugere, & jam Garilianum fluvium pertransiret, Riccardus de Aquila Comes Fundanus, qui homo ejusdem Principis erat, positis insidiis, ipsum cepit, & Regis bajulis assignavit. Sicque sub hoc tempore, proditionis genere, gratiam Regis, quam perdiderat, recuperavit. Rex autem prædictum Principem incarcerandum in Siciliam transmisit. Comitem Robertum, Andream de Rupe-canina, & reliquos inimicos suos, qui Beneventum ad Domnum Papam confugerant, ejusdem Papæ precibus liberos & illæsos cum rebus suis de regno exire permisit. Ipse verò multis nunciis intercurrentibus, & capitulis pacis hinc inde dispositis, cum Papa concordatus est. Nam Hadrianus Papa cum Cardinalibus suis ad Ecclesiam S. Marciani, quæ prope Calorem fluvium sita est, veniens, Regem Guilielmum ad pedes suos humiliter accedentem benignè recepit. Qui facto juramento, ut moris est, ligius homo Papæ devênit, & Papa ipsum per unum vexillum de regno Siciliæ, per aliud de Ducatu Apuliæ, per tertium de Principatu Capuæ investivit. Hic autem amore Regis Guilielmi, precibus etiam ex studio Mayonis Ammirati, & Ugonis Panormitani Archiepiscopi interveniente, Agrigentinam, & Mazariensem Ecclesias, quæ ad jus Romanæ Ecclesiæ specialiter pertinebant, Ecclesiæ Panormitanæ subjecit, & earumdem Ecclesiarum Episcopos ejusdem Ecclesiæ suffraganeos in perpetuum esse concessit. Quo facto Hadrianus Papa in Campaniam rediit. Rex autem plures de inimicis suis de regno expulit, quosdam in carcere posuit. Dehinc Simonem Senescalcum, cognatum Mayonis Ammirati, Magistrum Capitaneum Apuliæ constituit. Ipse verò tanta potitus victoria, cum Ammirato in Siciliam rediit. Non multo post tempore magnum stolium præparavit, & ipsum cum Stephano Ammirato in Romaniam misit. Qui ad Egrippum veniens, maximum stolium Emanuelis Imperatoris ibidem præparatum invênit. Cum quo viriliter decertavit, & ipsum devicit, multos de Græcis cepit, stolium combussit, Egrippum,

A pum, & vicinas civitates exſpoliavit, & ſic victor in Siciliam rediit. Imperator autem cognoſcens multos de ſuis à Rege Siciliæ captos, nec poſſe cum eo de pari contendere, miſſis frequentibus nunciis, cum Rege concordatus eſt, & pacis fœdera ſunt hinc inde jurata. Eodem tempore Meſemuthi à Marrocho venientes, totam terram uſque in Africam in ore gladii ceperunt. Africana verò civitas adhuc ſub poteſtate Regis Guilielmi erat, & multos in ea milites & pedites ad ejus cuſtodiam & defenſionem poſuerat. Meſemuthi autem eam undique per terram & mare obſederunt. Chriſtiani verò, qui in ea erant, illis viriliter reſiſtebant, nec in aliquo eos formidabant, niſi quòd victualium maximam inopiam patiebantur. B Quo agnito, Rex Guilielmus ſtolium ſuum, quod in Hiſpaniam miſerat, feſtinanter revocari fecit, præcipiens, ut ad liberationem Africæ quantocius feſtinarent. Veniens autem Gaytus Petrus Eunuchus Regis, qui ſtolio præerat, ad Africam, cum ſtolio Meſemuthorum pugnavit, & pugnando in fugam converſus eſt, & multas de galèis ſuis amiſit. Chriſtiani autem, qui in Africa remanſerant, quum nullum poſſent habere ſubſidium, & victualia eis penitus defeciſſent, facta pace cum Meſemuthis, relicta eis Africæ civitate, ipſi cum rebus ſuis in Siciliam ſunt reverſi. Rex autem Guilielmus, adhuc vivente patre quum eſſet Princeps Capuanorum, Margari- C tam filiam Garſiæ Regis Navarræ duxit uxorem, de qua plures liberos habuit, Rogerium, quem Ducem Apuliæ conſtituit; Robertum, quem Capuanorum Principem ordinavit, Guilielmum, & Henricum. Audiens autem Fredericus Imperator Hadrianum Papam cum Rege Guilielmo concordatum, & quòd eum de Regno Siciliæ, & Ducatu Apuliæ inveſtiſſet, moleſtiſſimè tulit.

Eodem tempore Mediolanenſes ſuper Lombardos equitantes, penè totam Lombardiam ſuo dominio ſubdiderunt; unde Lombardi ira & dolore commoti, nuncios ad Imperatorem miſerunt, humiliter poſtulantes, ut veniret, D & eos de Mediolanenſium poteſtate eriperet. Imperator autem eorum petitionibus annuens, congregato maximo exercitu, cum Rege Bohemiæ, Duce Saxoniæ, & aliis ſuis Principibus, in manu valida Italiam intravit, & ſociatis ſibi penè omnibus Lombardis, Mediolanum potenter obſedit. Mediolanenſes autem, utpote viri bellicoſi & ſtrenui, Civitatem ſuam magnis foſsis circumdederunt, & Imperatori audacter & viriliter reſtiterunt. Quumque Imperator aliquanto tempore eſſet in obſidione moratus, & nihil Civitati per violentiam poſſet inferre, habito conſilio, receptis obſidibus, cum eis ad pacem & concordiam devênit. Non multo poſt quum Im- E perator vellet in Civitate Bajulum (28) conſtituere, & eam pro ſuo arbitrio ordinare, Mediolanenſes Theutonicorum ſuperbiam pati nequeuntes, cœperunt reſiſtere, & pacis fœdera violare. Qui ſuper caſtrum, in quo eorum obſides tenebantur, venientes, ipſum ceperunt, & recuperatis obſidibus, ſunt in ſuam Civitatem reverſi. Quo cognito, Imperator plurimum indignatus, quum non poſſet eos in campo de facili expugnare, cœpit caſalia, & caſtra eorum deſtruere, & terram eorum juriſdictioni pertinentem pro poſſe vaſtare, & Lombardos alios, qui illis præſtabant auxilium, ab eorum adjutorio revocare. Suaſione autem Cremonenſium, caſtrum Cremæ, quod Mediolanenſes pro poſſe juvabat, & Cremonenſibus viriliter reſiſtebat, potenter obſedit; nec priùs ab obſidione ceſſavit, quouſque ipſum caperet, & à fundamentis everteret.

Interea Hadrianus Papa apud Anagniam mortuus eſt, anno Pontificatus ſui quinto, menſe octavo, die ſexto, anno verò Dominicæ Incarnat. MCLX. Ind. VIII. primo die Februarii (29). Corpus verò ejus Romam ductum eſt, & in Eccleſia B. Petri cum honore ſepultum. Omnes autem Cardinales cum Epiſcopis in eadem Eccleſia congregati, primo unanimiter convenerunt in electione Rolandi Romanæ Eccleſiæ Cancellarii, & Cardinalis Sancti Marci, qui religioſus, & timens Deum, conſiderans tanti honoris ſarcinam pro poſſe reſtitit, & repugnavit. Epiſcopi verò, & Cardinales attendentes indignum fore Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus, prædictum Cancellarium humiliter repugnantem elegerunt, & Papam Alexandrum tertium nominarunt. Epiſcopus verò Tuſculanus cum Johanne Piſano Cardinale S. Martini, & Guidone Cremenſe, auxilio quorumdam Laicorum, & Falſagravi, & Comitis Blandratenſis Nunciorum Imperatoris, qui tunc Romæ erant, Octavianum Cardinalem Sanctæ Cæciliæ elegerunt, & eum Papam Victorem vocaverunt. Alexander autem cum reliquis Cardinalibus, & Epiſcopis, in Turri Beati Petri ſe recepit. Octavianus interim cœpit pecuniam multam per Urbem expendere, & Senatores, & Populum ad ſuum auxilium provocare. Alexander verò auxilio Oddonis Frajapane, & aliorum Nobilium cum Cardinalibus, & Epiſcopis Urbem egreſſus, Nymphas vênit, & ibi ab Ubaldo Oſtienſi Epiſcopo, & reliquis Epiſcopis, & Cardinalibus eſt ſolemniter conſecratus, & poſtea Terracinam vênit. Octavianus verò in Urbe aliquantulum demoratus, quum in ea parum poſſet proficere, Campaniam vênit, & apud Signiam manſit. Rex autem Guilielmus, audita promotione Papæ Alexandri, nuncios ad eum miſit, & eum in Patrem & Dominum cum ſuo regno recepit.

Eo tempore Jonathas Comes Conſiæ, & Gilbertus Comes Gravinæ, & Boamundus Comes Monopelli, & Rogerius Comes Acerræ, & Philippus Comes de Sangro, & Rogerius Tricarici Comes, & multi Barones cum Melfienſibus, & Neapolitanis, & quibuſdam aliis contra Mayonem Ammiratum conjurationem fecerunt, aſſerentes eum Regi eſſe proditorem, & ad regni dominium aſpirare. Quod audiens Rex Guilielmus, quia Ammiratum tenerè diligebat, & de eo plurimum confidebat, contra eos vehementer eſt indignatus, & per frequentes nuncios, & literas eis præcipiendo mandavit, ut ab hoc propoſito deſi-

(28) *Ideſt Poteſtatem*, ſeu ſupremum Judicem, de quo vide Radevicum in ſuperiori tomo lib. 4. cap. 6.

(29) Obiit Adrianus IV. anno 1159. primo die Septembris, ut ex duabus Epiſtolis Friderici I. Imperat. & Alexandri III. Summi Pontificis apud Baronium ad hunc annum conſtat. Error hic Librarii credi poteſt, cùm in Codice à Caruſio producto legatur *anno Dominicæ Incarnationis 1159. die prima Septembris*.

desisterent, quia ipsum Ammiratum pro fideli & legali viro habebat. Quod ipsi facere neglexerunt, dicentes, se Ammirati dominium, & administrationem nolle ulteriùs sustinere. Qua de causa in tota Apulia guerra maxima & divisio est exorta. Matthæus autem Bonella, qui filiam Ammirati in uxorem juraverat se ducturum, cum quibusdam aliis Baronibus Siciliæ huic conjurationi, licèt occultè, favebat. Promissum enim illi erat à Comitibus, quòd si Ammiratum occideret, Clementiam Comitissam Cantazarii illi darent in uxorem. Qua spe, & promissione ille succensus, sub occasione fidelitatis regiæ de occidendo Ammirato cœpit esse sollicitus. Quumque Ammiratus ab amicis suis super hoc esset sæpe præmonitus, tum pro parentela, quæ inter eos contracta erat, tum pro multis beneficiis, quæ illi contulerat, hoc credere recusavit. Dum autem in Vigilia B. Martini Ammiratus à visitando Panormitano Archiepiscopo inchoata jam nocte reverteretur, Matthæus Bonella positis insidiis in via, quæ est juxta portam B. Agathæ, ei obviam vênit, & illum ense percutiens interfecit; & eadem nocte à Panormo exiens ad suam Terram confugit. Quo cognito, Rex Guilielmus multùm turbatus est, & condoluit: sed quia tumultus propter hoc erat in civitate, & Matthæus Bonella habebat sociam multitudinem, dissimulavit dolorem, & visus est mortem Ammirati æquanimiter tolerasse. Unde uxorem ejus, & filios, sorores, & fratrem, & omnes res eorum capi præcepit. Posthæc rogatus à multis, Matthæum Bonellam quodammodo in suo amore recepit. Barones autem, & multi de populo, qui in hoc facto socii Matthæi fuerant, cognoscentes hoc Regi manifestum esse pariter & molestum, cœperunt valde timere, ne Rex temporis opportunitate inventa in eos de hoc facto acriter vindicaret. Quare cœperunt secum, & cum quibusdam aliis privatim deliberare, qualiter Regem caperent, vel morte damnarent: quod factum est. Nam adveniente prima quinta feria Quadragesimæ, dum Rex vellet ad audiendam Missam pergere, consentiente Castellano, & servientibus, carceres sunt aperti, & Comes Guilielmus de Principatu, & Riccardus de Mandra, & Alexander Monachus, & multi alii prisones subitò exeuntes carcerem, arreptis armis, cœperunt insilire Palatium. Multi etiam de solidariis, & de populo hujus conjurationis, prisonibus sunt adjuncti, & cœperunt eos in expugnando Palatio adjuvare. Rex autem hujus rei nescius & ignarus, & de tam repentino casu attonitus ad fenestram turris Pisanæ vênit, & quosque transeuntes cœpit ad suum auxilium convocare. Sed quum nullus esset, qui succurreret, captum est Palatium, nemine repugnante, & ex magna parte expoliatum. Sed & Rex ipse captus est, & in carcere positus. Regina quoque cum filiis suis in quadam camera honestè custodita. Prisones verò Rogerium Ducem Apuliæ, filium Regis, imponentes equo per totam civitatem Panormi circumduxerunt, volentes per hoc Populi sedare tumultum. Quo facto, adveniente nocte, prisones clausere Palatium, nec aliquem absque suo consensu illuc ingredi permiserunt. Facto verò mane, die Veneris, iterum Rogerium Ducem per Civitatem equitare fecerunt. Interea inter Sarracenos, & Christianos ejusdem civitatis bellum maximum est exortum, & multi de Sarracenis mortui sunt, & exspoliati. Adveniente autem nocte Sabbati, Guilielmus Comes de Principatu, & Tancredus Comes de Lycia cum quibusdam aliis, ad Matthæum Bonellam, qui hujus conjurationis caput exstiterat, & tunc erat apud Mestrectam, velociter iverunt, ut ipsum cum sua militia Panormum adducerent; timebant enim, quod evenit, ne si diu moram facerent, Rex, qui injustè captus fuerat, auxilio Populi de eorum manibus tolleretur.

Die verò Sabbati Romualdus Salernitanus, & Robertus Messanensis Archiepiscopi, & Riccardus Syracusanus electus, & Justinus Mazariensis Episcopus, videntes Regem injustè captum, & Palatium exspoliatum, deteriora his in posterum expectantes, cœperunt admonere Populum, ut ad Regis liberationem intenderent: quod & factum est; nam Populus eorum admonitione arma arripiens insultum fecit in Palatium, comminantes prisonibus, & his qui erant in Palatio, quòd nisi Regem liberarent, omnes in ore gladii interficerentur. Illi verò timore attoniti, quia nullum poterant habere succursum, & Populo resistere non valebant, ad pedes Regis humiliter cucurrerunt, ejus gratiam & misericordiam postulantes. Qua impetrata, simul cum Rege ad fenestram turris Pisanæ venerunt. Tunc Rex universo Populo de sua liberatione gratias egit, mandans eis, ut singuli reverterentur ad propria, & in pace quiescerent. Archiepiscopi verò, & Episcopi cum aliis fidelibus Palatium ascenderunt, & Regem de infortunio, quod acciderat, pro posse sunt consolati. Huic autem dolori Regio alius dolor non mediocris supervênit; dum enim pro liberando Rege insultus in Palatio fieret, Rogerius Dux Apuliæ, filius ejus, sagitta juxta oculum est percussus, qui non post multos dies hujus vulneris occasione interiit. Matthæus verò Bonella audiens Regis liberationem, plurimum doluit; sed dissimulavit, & per nuncios suos Regi mandavit, se de ejus captione plurimum doluisse, & quòd pro eo liberando cum sua militia veniebat. Rex autem malitiam ejus agnoscens, & conscientiam suam, conditione temporis exigente, abscondens, Legatis illius benignè respondit, & eos cum gratiarum actione remisit. Illi autem, qui Regem ceperant, & Palatium exspoliaverant, timore Regis ad Matthæum Bonellam pariter confugerunt. Matthæus autem cum Guilielmo, & Simone, & Tancredo Comitibus, & multis aliis usque Fabaram vênit, & frequentibus nunciis inter eos, & Regem discurrentibus, ad hunc modum concordiæ devenerunt. Rex liberalitate sua & gratia omnibus eis offensam, quam in eum fecerant, remisit. Matthæo Bonellæ, & aliis Baronibus Siciliæ gratiam, & terras suas restituit. Guilielmum, Simonem, & Tancredum Comites cum multis aliis, qui in terra remanere nolebant, salvos & illæsos cum rebus suis usque Terracinam cum galêa fecit conduci; alios verò Hierosolymam ire permisit.

Metuens autem Rex, ne Comites Apuliæ, qui cum eo occasione Ammirati fuerant discordati, rebelles fierent, Romualdum Salernitanum Archiepiscopum cum literis suis in Apu-

Apuliam misit, & per eum prædictis Comitibus gratiam suam & amorem restituit. Qui veniens tam Civium, quàm Baronum, & Comitum turbatos animos mitigavit, & eos ad amorem & fidelitatem Regiam vehementer attraxit, adeò quòd unanimiter volebant in Siciliam pergere, & Regis injuriam vindicare. Adveniente autem Pascha, Rex per literas suas prædictis Comitibus mandavit, ut sacramenta, quæ fecerant, abjurarent, quod ipsi nullatenus facere voluerunt. Sed de Regis recuperanda gratia desperantes, omnes præter Comitem Gilbertum, & Comitem Boamundum, ad Robertum Comitem de Lauritello iverunt, & facto ei hominio, simul cum ipso Terram Regis invadere & occupare cœperunt. Rogerius autem Sclavo simul cum Lombardis cœpit seditionem in Sicilia excitare, & Sarracenos ubicumque invenire poterat trucidare. Quo cognito, Rex Guilielmus primò Matthæum Bonellam capi, & in carcerem retrudi fecit, dehinc congregato exercitu Plazzam venit, & eam destruxit, & Lombardos in fugam vertit. Rogerius autem Sclavo cum multis Lombardis à facie Regis fugiens, in Buteria se recepit. Quò Rex eos persequutus, Buteriam undique cum suo exercitu obsedit, & quia Rex Guilielmus guerram in Terra Laboris, & Apulia exortam audivit, Aquinum de Moac in Terram Laboris misit, ut milites retineret, & inimicis suis resisteret; jam enim Andreas de Rupe-canina eamdem Terram ex parte invaserat; Comes etiam Robertus Terram Apuliæ, resistente nemine, occupabat. Qui Salernum veniens, eam habere credidit. Sed Salernitani Regi de more fideles existentes ipsum recipere noluerunt. Dehinc Beneventum veniens, à Beneventanis est cum honore receptus. Post hæc in Apuliam regressus, Tarentum usque pervenit. Rex autem Guilielmus penè per totam æstatem in obsidione Buteriæ est moratus. Sed quum eam situ loci, & fortium virorum numerositate munitam expugnare non posset, factâ concordiâ, Rogerium Sclavonem cum Lombardis ultra mare illæsos ire permisit. Ipse verò Buteriam destruens, totam Siciliam pacificavit, & Panormum est cum triumpho reversus.

Interea Alexander Papa quum apud Anagniam & Terracinam fuisset aliquanto tempore demoratus, suggestione Villani Pisani Archiepiscopi, qui ad eum cum una galêa venerat, acceptis etiam galêis Regiis, cum Cardinalibus Januam venit, & à Januensibus cum summa est devotione susceptus. Dehinc cum galêis eorum usque Provinciam perrexit. Octavianus autem, qui apud Signiam moratus fuerat, cognito recessu Alexandri, in Lombardiam ad Imperatorem venit, à quo satis honorificè est receptus. Dehinc Imperator, Episcoporum conventu apud Papiam solemniter congregato, Octavianum, qui Victor dicebatur, in Catholicum Papam recepit, promittens publicè & legaliter, quòd nec ipse, nec successores ejus Alexandro, vel successoribus ejus ulteriùs obedirent. Imperator verò, quum per quinquennium Mediolanum impugnasset, & civitatem, resistentibus bellicosis civibus expugnare non potuisset, tamdem cum eis ad concordiam devenit, promittens civitatem integram, & cives cum rebus suis permanere illæsos. Qui postmodum

A suæ promissionis oblitus civitatem destruxit, & cives ab ea expulsos in casalibus manere præcepit. Qua victoria potitus Imperator Lombardiam cœpit pro sua voluntate disponere. Ministros, & Bajulos in castellis, & civitatibus ordinare; Regalia, & tributa exquirere, & magnam partem Lombardiæ in dominio suo convertere. Sicque factum est, quòd Lombardi, qui inter alias nationes libertatis singularitate gaudebant, pro Mediolani invidia cum Mediolano pariter corruerunt, & se Theutonicorum servituti miserè subdiderunt. Audiens autem Imperator Alexandrum Papam perrexisse in Gallias,
B metuens, ne à Francorum Rege reciperetur, nuncios ad eum festinanter mandavit, rogans ut apud Digionem pariter convenirent, & quidquid de Papa Alexandro, & Victore eis esset faciendum, Ecclesiasticarum personarum judicio definirent. Quod verbum Ludovico Regi Francorum admodum placuit, qui in præfixo die & termino cum paucis militibus ad locum constitutum venit, sed Imperatorem minimè invenit. Altera autem die Imperator cum magna manu militum & peditum, & cum Octaviano ad eumdem locum venire curavit. Quod Rex Franciæ cognoscens, ejus versutias metuens, venire ad illud colloquium recusavit. Quare Imperator indignatus, cum Octaviano in Alamanniam rediit. Octavianus
C autem aliquantulum in Alamannia demoratus, nec ab Alamannis reverenter exceptus, intravit Italiam, & post hæc Lucam veniens, ibidem usque ad vitæ suæ terminum mansit.

Interea dum Alexander Papa apud Salviniacum moraretur, primò Rex Angliæ ad eum veniens, ipsum cum universo regno suo in Dominum & Patrem recepit. Post hæc Rex Franciæ cum tota Gallicana Ecclesia eum pro universali Papa recipiens, honorificè Parisios usque deduxit. Papa autem Alexander Regem Franciæ, & Angliæ conveniens, pacem inter eos, & concordiam reformavit. Qui
D non multò post Turonis universale Concilium celebravit, in quo Archiepiscopi, Episcopi, Abbates Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Hispaniarum, & totius Galliæ convenerunt.

Eo tempore Chonradus quidam nobilis Clericus Alamanniæ, & Imperatoris consanguineus, qui in Maguntina Ecclesia erat Electus, nolens Octaviano, & Imperatoris schismati consentire, Ecclesiam suam deserens, ignorante Imperatore, ad Alexandrum Papam in Franciam advenit, quem Papa satis benignè recipiens, postmodum secum Romam usque adduxit. Dehinc in Cardinalem, & Sabinensem Episcopum promovit, postremò in Maguntinum Archiepiscopum sublimavit. Quo
E audito, Imperator ira commotus, Christianum Cancellarium in Maguntina Ecclesia fecit eligi, & à suis Suffraganeis consecrari. Dum autem Alexander Papa demoraretur in Francia, & in Ecclesiis Dei Ecclesiastica jura disponeret, Octavianus Lucæ mortuus est. Cui Guido Cremensis auctoritate Raynaldi Cancellarii Imperatoris successit, & à suis Paschalis est appellatus.

Interea Rex Guilielmus, sedatâ Siciliâ, congregato per mare & per terram exercitu, in Apuliam venit, & primò Tabernas in ore gladii cepit, atque destruxit. Dehinc Tarentum veniens ipsum obsedit, & habuit, in quo vin-

vindictam maximam de suis proditoribus fecit. A Post hæc exercitum suum versùs maritimam Apuliæ direxit. Quod audiens Comes Robertus, qui tunc apud Salpas cum suo exercitu morabatur, metuens ne Barones Apuliæ ipsum solito more relinquerent, in Aprutium est reversus. Quo cognito, Rex Guilielmus Riccardum de Saya cum magno exercitu post eum misit. Sed Comes Robertus, utpote vir astutus & sapiens, ante adventum illius regnum exire curavit. Rex autem Guilielmus usque S. Germanum cum suo exercitu vênit; Comitem Riccardum de Aquila à Regno expulit, & Montem-Archanum, quem ipse de novo ædificaverat, à galiotis suis capi fecit, B & destrui, in quo uxorem ejus, & filium comprehendit. Et sic recuperatâ terrâ totâ, Salernum vênit. Et quia indignatus erat Salernitanis civibus, urbem intrare noluit, sed juxta eam tentoria fixit. Cœpit autem à civibus magnam pecuniam petere, quam quum illi statim solvere non possent, inventa occasione plurimùm indignatus, quosdam ex eis suspendi fecit, comminatus aliis, quòd nisi pecuniam citò solverent, urbem destrueret. Beatus autem Apostolus Matthæus, qui Salernitanæ civitati à Deo patronus datus est, & defensor, civitatem suam in tanto discrimine non reliquit. Nam quum Rex in eo esset proposito, quòd multa mala Salernitanis C inferret, media die quum tanta esset serenitas, quòd nulla in aëre nubes appareret, subitò à Septemtrione ventus validus cum ingenti pluvia, & turbo impetuosus erupit, qui totius exercitus tentoria universa dejecit, & tentorium Regium in eminenti positum sic à loco, in quo fixum fuerat, impulit, & commovit, quòd Regem dormientem penè prostravit. Expergefactus Rex, & tanta inundatione attonitus cœpit fugere, & Apostoli auxilium invocare, & vix in quodam parvo tentorio fugiens se recepit. Et licèt Rex animi sui timorem super hoc facto dissimularet, Magnates tamen Curiæ, & viri prudentes manifestè noverunt, hoc miraculum virtute Apostolica perpetratum. Apostolus enim D in hoc facto, & commisso sibi Populo, & Regi manifestè consuluit, dum & commissum sibi Populum à periculo eruit, & Regem, ne propositum malum perficeret, impedivit. Rex ergo quod factum fuerat secum recogitans, & indignationem Apostolicam pertimescens, quum se moraturum circa Salernum aliquantulum disposuisset, mutato proposito, altera die galêas intravit, & festinanter in Siciliam rediit.

Interea Romani, morte Octaviani cognita, nuncios suos ad Alexandrum in Franciam transmiserunt, affectuosè rogantes, ut ad Urbem rediret, & commissum sibi Populum visitaret, quia ipsi eum cum honore, & devotione reciperent. Alexander autem credens E hoc sibi, & Ecclesiæ profuturum, Magalonem vênit, & præparata quadam magna navi, quæ erat Hospitalis, quum eam penè omnes Cardinales intrassent, & Papa cum paucis Cardinalibus cum galêa Narbonensium eamdem navim ascensurus veniret, galêæ Pisanorum, quæ illi paraverant insidias, repentè apparuerunt. Quibus visis Papa cum galêa sua festinus Magalonem rediit. Galêæ autem Pisanorum navim, in qua erant Cardinales, circumdederunt, & non invento ibi Apostolico, eam in pace liberam abire permiserunt, quæ vento flante secundo, primò Panormum, dehinc Messanam applicuit. Non multò post Alexander Papa cum Cardinalibus, qui remanserant, & Maguntino Archiepiscopo quamdam minorem navim intravit, & alto se committens pelago, licèt multis exagitatus procellis, salvus tamen cum omnibus suis Messanam, Domino ducente pervênit. Quo cognito Rex Guilielmus, qui tunc erat Panormi, nuncios suos cum muneribus ad Papam transmisit, & eum cum quinque galêis usque Romam conduci præcepit. Qui Salernum veniens à Romualdo Salernitano Archiepiscopo, & toto Populo civitatis cum debita est reverentia & honore susceptus. Qui postmodum cum eisdem galêis usque Tiberim, & per Tiberim usque ad S. Paulum cum omnibus Cardinalibus vênit. Cui Clerus, & Romanus Populus obviantes, ipsum cum magno honore & gloria usque Lateranum unanimiter conduxerunt.

Eo tempore Rex Guilielmus Palatium quoddam altum satis, & miro artificio laboratum prope Panormum ædificari fecit, quod Lisam appellavit, & ipsum pulchris pomiferis & amœnis viridariis circumdedit, & diversis aquarum conductibus, & piscariis satis delectabile reddidit. Rex autem Guilielmus circa Quadragesimam fluxu ventris, & molestia cœpit affligi, quam passionem quum aliquanto tempore occultasset, circa mediam Quadragesimam, eadem passione crescente, credens se moriturum, pœnitentiam, & confessionem accepit; quosdam de captivis liberavit; redemtionem pecuniæ, quam Apuliæ imposuerat, condonavit; testamentum fecit, in quo Guilielmum filium suum majorem totius Regni hæredem instituit; Henrico alteri filio Principatum Capuæ, quem concesserat, confirmavit; pecuniam magnam expendendam pro salute animæ suæ dereliquit; Margaritam Reginam uxorem suam, totius Regni, & filiorum suorum tutricem, & gubernatricem pariter ordinavit. Richardum verò Syracusanum Electum, & Matthæum suorum Notariorum Magistrum, viros utique legales, providos, & discretos, illius, & filiorum suorum Consiliarios, & familiares esse disposuit. Sed quum prædicta passio ingravesceret, Rex Guilielmus Romualdum Salernitanum Archiepiscopum, qui in arte erat Medicinæ valde peritus, ad se vocari præcepit. Qui ad eum veniens circa Pascha, ab ipso honorificè est susceptus, cui multa salutaria medicinæ consilia tribuit. Sed ipse sui ingenii auctoritate confisus, sibi non nisi quæ ei opportuna videbantur medicamina adhibebat. Unde accidit quòd Sabbato ante Octavas Paschæ emitritea illum febris invasit, & invalescente passione mortuus est, & sepultus in Cappella B. Petri in Palatio suo. Defunctus est autem Rex Guilielmus anno vitæ suæ XLVI. anno autem Regni sui, quo cum patre suo, & per se regnaverat, XV. mense X. anno autem MCLXVI. Ind. XIV. mense Madii, septimo die intrantis ejusdem mensis circa horam nonam. Fuit autem Rex Guilielmus pulchra facie, & decorus aspectu, corpore pinguis, statura sublimis, honoris cupidus, & elatus; in prœliis per mare & terram victoriosus; Regno suo odibilis, & plus formidini, quàm amori; in congreganda pecunia multùm sollicitus, in expendenda non adeò largus; fideles suos divitiis & honoribus ex-

extulit, infidelibus supplicia intulit, & de regno exulare coëgit. Divino officio exstitit multùm intentus, & personas est Ecclesiasticas plurimùm veneratus. Cappellam S. Petri, quæ erat in Palatio, mirabilis musibii fecit pictura depingi, ac ejus parietes pretiosi marmoris varietate vestivit, & eam ornamentis aureis & argenteis, & vestimentis pretiosis ditavit plurimum & ornavit. Clericos in ea multos, & præbendas instituit, & divinum in illa officium decenter, & tractatim, & cum Dei reverentia & timore celebrari disposuit.

Quo defuncto, Guilielmus filius ejus major, natus annos duodecim, illi in regno successit. Hic autem secundo die post mortem patris, ex mandato Reginæ, consilio Archiepiscoporum, & Baronum, & Populi, in Regem est promotus. Nam eo die cum maxima gloria, & apparatu regio, ad Ecclesiam Beatæ Mariæ de Panormo veniens, assistentibus plurimis Archiepiscopis, & Episcopis, & Baronibus, à Romualdo Secundo Salernitano Archiepiscopo in Regem unctus est, & coronatus. Postmodum verò cum magno honore, & totius Populi gaudio, & lætitia, ad Palatium rediit coronatus. Regina verò, utpote mulier sapiens, & discreta, manifestè cognoscens animos Populi sui, propter molestias, quas à Rege Guilielmo passi fuerant, plurimùm esse turbatos, illos ad amorem, & fidelitatem filii sui beneficiis credidit provocandos. Inde est, quòd salutari usa consilio, carceres aperuit, captivos plurimos liberavit, liberatis terras restituit, debita relaxavit; Comites, & Barones, qui de regno exulaverant, revocavit in regnum, & eis terras sublatas reddidit; Ecclesiis, Comitibus, Baronibus, Militibus terras multas regia liberalitate concessit. His autem, & plurimis aliis beneficiis totius Populi sui animos in fidelitatem & dilectionem filii sui vehementer accendit, ita quòd de fidelibus fideliores, & de devotis devotiores effecit.

Eodem tempore Gaytus Petrus Eunuchus, & Magister Camerarius Palatii cum quibusdam aliis fugam petiit, & ad Regem de Marrocho veniens multam secum pecuniam transportavit. Emanuel autem Imperator Constantinopolitanus, cognita morte Regis Guilielmi, nuncios suos ad Regem Guilielmum juniorem in Siciliam misit, mandans quòd libenter cum eo pacem innovaret, & filiam suam unicam, & hæredem sui Imperii simul cum Imperio illi in uxorem traderet. Rex autem, & Regina, habito consilio, frequentes pro hoc negotio Legatos ad Imperatorem misit, & recepit; pacem cum eo pristinam innovavit, negotio parentelæ propter multa capitula indiscusso manente. Rex autem Guilielmus propter multa beneficia; quæ ipse, & Regina suo Populo contulerunt, multùm cœpit à suis hominibus diligi, & regnum suum in pace & tranquillitate tenere. Eo tempore Henricus naturalis frater Reginæ in Siciliam ad Regem vênit, cui Rex Comitatum Montis-Caveosi, & unam de filiabus Regis Rogerii in uxorem concessit. His etiam diebus Stephanus filius Comitis de Percia Clericus, & consanguineus Reginæ in Siciliam ad Regem vênit, quem Rex, & Regina primò Cancellarium, post hæc in Panormitana Ecclesia eligi fecerunt. Qui in brevi spatio temporis tantam Regis,

A & Reginæ gratiam, & familiaritatem obtinuit, quòd totum Regnum pro suo arbitrio disponebat.

Hoc autem tempore Fredericus Imperator Theutonicorum iterum Italiam intravit, & per partes Marchiæ usque Anconam vênit, & eam obsedit. Misit etiam Raynaldum Cancellarium, & Andream de Rupe-canina cum quadam parte sui exercitus usque Tusculanum, ut Papæ Alexandro, & Romanis guerram inferrent. Romani verò superbi & elati, plus justo de suis viribus præsumentes, inconsideratè & inordinatè super Theutonicos irruerunt. Theutonici verò positis insidiis ex adverso, Romanos expugnaverunt, & multi
B ex eis capti sunt, & occisi. Reliqui verò fugientes vix in Urbem se recipere potuerunt. Quod factum Alexandrum Papam, & omnes Cives Romanos plurimùm perturbavit, & eis timorem vehementer incussit. Cancellarius autem nuncios ad Imperatorem misit, mandans ut citò ad Urbem veniret, quia eam posset pro sua voluntate disponere. Qui licèt Anconam jam expugnasset, & in eo esset, ut terram Guilielmi Regis invaderet, festinus tamen in Augusto ad Urbem rediit, & juxta Ecclesiam B. Petri sua castra locavit. Romani verò tum pro morte parentum suorum, tum quia multi ex eis ab Imperatore capti detine-
C bantur, ei resistere non potuerunt. Unde Imperator, hac occasione inventa, armata manu Ecclesiam Beati Petri violenter invasit. Porticum, quæ erat ante Ecclesiam, comburi fecit; Guidonem Cremensem in Ecclesiam induxit, & eum ibidem Missam canere fecit. Quo cognito, Alexander Papa, qui tunc in Turri Cartulariæ morabatur, in habitu peregrini cum paucis Urbem exiit, & Gayetam usque pervênit, & ibi assumto Pontificali habitu, Beneventum veniens à Civibus ejusdem civitatis honorificè est susceptus. Deus autem injuriam Apostolo Petro illatam, & Ecclesiæ suæ violationem condigna pœna mulctavit; nam incontinenti mortalitas maxima exerci-
D tum Imperatoris invasit, ita quòd Cancellarius, & Carolus Chonradi filius, & multi Nobiles, & maxima pars exercitus sui in brevi spatio temporis interiit. Quod Imperator videns, & Dei vindictam manifestè cognoscens, relicto apud Urbem Præfecto, vix cum paucis tristis & mœrens in Alamanniam rediit.

Rex autem Guilielmus (ut prædiximus) propter multa beneficia, quæ ipse cum matre sua Regno suo contulit, ab hominibus suis cœpit multùm diligi, & Regnum suum viriliter in pace tenere. Stephanus autem Cancellarius primò quidem omnibus se humilem & benignùm exhibuit, postmodum verò in su-
E perbiam elatus, consilio pravorum hominum, indigenas terræ cœpit habere odiosos pariter & suspectos. Qui circa Nativitatem Domini cum Rege & Regina, & Magnatibus Curiæ, Messanam vênit. Gilbertus etiam Comes Gravinæ, Reginæ, & Cancellarii consanguineus, qui tunc Capitaneus erat totius Apuliæ, cum magna manu militum Messanam accessit. Cancellarius autem, habito cum eo consilio, Comitem Henricum fratrem Reginæ capi fecit, & apud Rhegium custodiri, imponens ei, quòd ipse cum multis mortem Cancellarii, & Comitis Gilberti jurasset. Pro qua occasione Richardus Comes de Mulisio, Bartholomæus

A de Parisio, Joannes de Sinopoli, & multi alii capti sunt, & in custodia positi. Quod factum animos hominum Regni non modicum perturbavit. Post hæc consilio & auxilio Cancellarii, Gilbertus Comes Gravinæ Comitatum Loritelli cum omnibus suis pertinentiis à Rege obtinuit, & in Apuliam cum honore recessit. Cancellarius verò cum Rege & Regina circa Pascha Panormum rediit, dehinc non multis transactis diebus Matthæum civem Salerni Magistrum Notariorum Domini Regis, & familiarem sinè causa capi fecit. Quod factum grave resedit omnibus & molestum, quia prædictus Matthæus homo erat sapiens, & discretus, & in Aula Regia à puero enutritus, & in agendis regiis probatæ fidelitatis inventus. B Infra Octavas autem Paschæ Populus Messanæ in tumultum conversus Rhegium ivit, & Comitem Henricum de carcere eduxit; & Comitem etiam Richardum, qui apud Taurimenium tenebatur in carcere, liberavit; & Oddonem Quarrellam Clericum Cancellarii, & ejus familiarissimum, qui tunc erat Messanæ, occidit. Quo audito, Populus Panormi similiter in seditionem versus, insultum in Cancellarium fecit, & eum cum omnibus suis in turri campanarum per diem unum obsedit; altera autem die ex mandato Regis, & Reginæ cum quibusdam de suis galêam intravit. C Sed quum venisset apud Lecatam, galêa fracta est. Qui postmodum navim ingressus, Hierosolymam vênit, & ibi non multo tempore demoratus interiit. Gilbertus etiam Comes Loritelli cum Berteraimo filio suo Comite Andriæ cum omnibus suis terram abjuravit, & Hierosolymam perrexit. Comes verò Henricus, & Comes Richardus, postquam de carcere exierunt, simul cum Messanensibus cum viginti galêis Panormum venerunt. Quibus Rex gratiam suam reddidit, & sublatas terras restituit. Postquam autem Cancellarius, & Comes Gilbertus de Terra exierunt, Terra in pace & tranquillitate remansit. Robertus verò Comes de Loritello, qui frequenter Regis Guilielmi gratiam postulaverat, nec poterat impetrare, D novissimè frequentes literas, & nuncios Regi Guilielmo juniori transmisit, humiliter postulans, ut ei amorem suum & gratiam restitueret. Rex autem, & Regina solita pietate ejus miserti, illum in suam gratiam receperunt. Cui etiam Rex liberalitate solita Comitatum Loritelli, sicut pater suus illi concesserat, reddidit, & de abundantia gratiæ plenioris, Comitatum Conversani illi adjecit. Recedente autem Cancellario, Clerus Panormitanæ Ecclesiæ Gualterium ejusdem Ecclesiæ Canonicum, & Agrigentinum Decanum, & Regis Magistrum sibi in Pastorem unanimiter elegerunt. Qui quum Regni esset negotiis applicatus, E & ob hoc à Regis latere facilè non posset discedere, Alexander Papa à Rege satis affectuosè rogatus, illius amore & gratia, prædictum Electum concessit à suis Suffraganeis consecrari, & per Joannem Neapolitanum Cardinalem suum pallium illi transmisit. Qui recepto ab eo sacramento obedientiæ, pallium illi de more concessit.

Eo tempore in Sicilia terræmotus factus est maximus, ita quòd castrum Syracusanum pro maxima parte cecidit. Civitas etiam Cathaniensium à fundamentis eversa fuit. Ecclesia etiam S. Agathæ corruens, Episcopum cum XLV. Monachis occidit. Lentinum etiam, Mahecum, & multa alia castra Siciliæ pro terræmotu corruerunt. Apud Messanam etiam maximus & manifestus terræmotus fuit. Hoc autem factum est

Anno Dominicæ Incarnationis MCLXVIII. Ind. II. mense Februarii, in vigilia B. Agathæ. Interea Guido Cremensis, qui & Paschalis dictus est, mortuus est. Cui successit intrusus quidam Tusculanensis Episcopus Joannes de Struma nomine, qui & Callistus à suis appellatus est. Papa autem Alexander, vir Catholicus & honestus, cum Cardinalibus suis apud Beneventum morabatur, & ibi ab Imperatore Græcorum, à Rege Franciæ, & Angliæ, & à Prælatis Ecclesiarum nuncios recipiens, negotia Ecclesiastica sapienter & providè disponebat. Post hæc Campaniam rediit, & rogante Jonatha Domino Tusculani, & ejusdem loci civibus, eamdem civitatem in sua protectione recepit, & ad illam cum Cardinalibus, & tota Curia sua perrexit, & prænominato Jonathæ de eadem civitate concambium tribuit. Quod factum Romanis multum displicuit; recolentes enim damna, injurias, & mortes suorum civium, quas Tusculanenses cum Raynaldo Imperatoris Cancellario eis intulerant, indignati sunt plurimùm & turbati, quòd Alexander Papa Tusculanum, quam ipsi destruere nitebantur, in sua protectione receperat; & ob hoc inter eos, & prædictum Papam guerra maxima est exorta. Quæ quum aliquanto tempore perdurasset, Romani utpote callidi, & dolosi, benignitatem Alexandri Papæ circumvenientes promiserunt, quòd eum tamquam Patrem & Dominum in Urbe reciperent, & mandatis suis libenter obedirent, si prænominatæ civitatis muros destrui pateretur. Alexander autem Papa eorum promissionibus & verbis fidem adhibens, muros prædictæ civitatis passus est dirui. Quo facto Romani voto suo potiti, quod Papæ promiserant adimplere noluerunt. Papa verò à Romanis se circumventum plurimùm condolens, turrim Tusculanorum fossis & muris circumvallari fecit, & relicta ibi militum & peditum competenti custodia, Anagniam rediit, & ibi est multo tempore demoratus.

Illis autem diebus, Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, vir religiosus, & Deum metuens, dum pro libertate, & Ecclesiarum justitiis Henrico Regi Angliæ viriliter repugnaret, de Anglia exire compulsus ad Regem Ludovicum vênit in Franciam; qui eum ob suæ religionis reverentiam satis officiosè recepit, & per aliquot annos in terra sua honestè detinuit, & quæ erant illi necessaria, liberalitate regia ministravit. Tamdem Alexandri Papæ precibus, & ejusdem Regis interveniente gratia, ad pacem Regis Angliæ Thomas Cantuariensis Archiepiscopus rediit, & ad Ecclesiam suam eo est permittente reversus. Transacto autem aliquanto tempore, Rex Angliæ suggestione pravorum hominum cœpit personas Ecclesiasticas molestare, & Ecclesiis sua jura subtrahere. Quod ubi Archiepiscopus comperit, ab æquitatis tramite non declinans, omni timore postposito, cœpit se ei pro justitia recta fronte opponere, & tamquam bonus Pastor pro liberando grege Regi verbo & opere contraire. Quumque hæc discordia de die in diem cresceret, & Cantuariensis Archiepiscopi dicta simul & facta Re-

Regem plurimùm prægravarent, quidam milites Angliæ, videlicet Ugo de Morville, Guillelmus de Trachi, Robertus de Boroch, Raynaldus filius Ursi, Richardus Britto, Regi in hoc placere credentes, Sacerdotalis reverentiæ, & divini timoris obliti, altera die post festum Innocentum, Thomam Cantuariensem Archiepiscopum ante Altare majoris Ecclesiæ stantem pariter & orantem, ensibus percutientes in capite, occiderunt. Moxque nemine persequente, sed sola illos commissi homicidii conscientia remordente, sunt in fugam conversi. Quum autem Monasterium, & civitatem tanti sceleris fama replesset, catervatim Monachi, Clerici, & Laici ad majorem Ecclesiam concurrentes (quod dictu nefas est) Pastorem suum juxta Altare occisum crudeliter reperierunt. Tamdem copiosas lacrymas profundentes, dantes ex alto corde gemitus & suspiria, Christi Pontificem in eadem Ecclesia cum Hymnis & laudibus sepulturæ honorificè tradiderunt. Justus autem & miserator Dominus, qui Sanctos suos non solùm in futuro, sed etiam in hoc sæculo sæpe remunerare consuevit, Thomam Archiepiscopum, qui pro testimonio veritatis occisus fuerat, & quem pœna simul & causa Martyrem fecerat, multis signorum indiciis, & novis miraculorum argumentis toti mundo celebrem reddidit & famosum. Quumque ad aures Alexandri Papæ miraculorum ejus certa fama & veridica pervenisset, communicato Fratrum suorum consilio, prænominatum Archiepiscopum auctoritate Apostolica canonizavit in Martyrem, & ipsum in catalogo Martyrum scribi, & ejus martyrium in die sui anniversarii per omnes Ecclesias præcepit annis singulis solemniter celebrari. Rex autem Angliæ audiens, quòd sceleris in Archiepiscopum perpetrati, tamquam illius rei fuisset conscius, opinio eum quodammodo vulgaris attingeret, & mendax illum sinè culpa fama morderet, de suæ innocentiæ puritate confisus, quosdam de Episcopis suis, & Clericis, Anagniam ad Alexandrum Papam direxit. Qui coram eo, & suis Cardinalibus, tactis sacrosanctis Evangeliis, publicè juraverunt, quòd prænominatus Rex ab effusione justi sanguinis erat innoxius, & à communione commissi criminis prorsus exstiterat alienus. Milites autem illi, qui in Christi Pontificem cruentas manus injicere non timuerunt, redeuntes ad cor, & reatum suum & malitiam recolentes, ad pedes Alexandri Papæ, humiliter advenerunt, & se reos, se esse impios publicè proclamantes, pœnitentiam de commisso scelere postulabant. Quos Papa de admissa nequitia vehementer redarguit, & venturum Dei judicium super eos, nisi dignè pœnituisset, comminando promisit. Quibus etiam dedit in mandatis, ut discalceati, & ciliciis induti Hierosolymam pergerent, & sacra loca cum dolore, & gemitu visitarent; dehinc ad Montem-nigrum, qui Antiochenæ civitati adjacet, festinanter accederent, ibique solitarii in jejuniis, vigiliis, orationibus, & lamentis, omni vitæ suæ tempore perdurantes, de tam immani scelere pœnitentiam agerent, & Dei misericordiam jugiter postularent.

Eo tempore quum Emanuel Imperator Constantinopolitanus frequētibus Nunciis delegatis filiam suam Zura Mariam Guilielmo Regi Siciliæ in uxorem tradere promisisset, tamdem ex conventione utriusq; partis factum est, quòd Imperator, præsentibus Legatis ejusdem Regis, in anima sua jurare fecit, & juramentum suum Magnatum suorum jurejurando firmari, quòd in termino & loco ab utraque parte præfixo filiam suam Regi pro uxore transmitteret. Et simile juramentum ex parte Regis, & suorum familiarium de filia Imperatoris recipienda præstitum est, & juratum. Quo facto Rex Guilielmus, utpote vir legalis, & Deum metuens, juramentum suum observare desiderans, simul cum Henrico fratre suo Capuanorum Principe Tarentum vênit, & ibi Nuncios Imperatoris cum ejus filia in præfixo loco & termino aliquamdiu expectavit. Dehinc ad S. Angelum in Monte Gargano orationis studio devotus Princeps accessit, & post hæc Barum rediit, & ibi aliquantis diebus demoratus est. Sed Imperator juramenti sui & promissionis oblitus, filiam suam Regi statuto loco & termino non transmisit. Quo Rex cognito, per terram Beneventanam transiens, Henricum Capuanorum Principem fratrem suum, quia infirmus erat, Salernum misit, & ipse primò Capuam, dehinc Salernum vênit. Prænominatus autem Princeps galêam ingressus Panormum rediit, & ibi corporis invalescente molestia, anno vitæ suæ tertio decimo mortuus est, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Panormo juxta sepulchrum Regis Rogerii avi sui honorificè sepultus est anno MCLXXII. (*) Rex autē quum aliquantis diebus Salerni moram fecisset, simul cum Gualterio venerabili Panormitano Archiepiscopo, & Matthæo Vicecancellario galêas ingressus Panormum rediit, ubi Principis fratris sui morte cognita, primò (sicut debuit) carni & naturæ compassus multùm doluit, dehinc (sicut decuit) rationi, & suorum fidelium consiliis acquiescens, sui mœroris in Domino consolationem accepit.

Anno MCLXXIII. Fridericus autem Romanorum Imperator recolens, & alta mente revolvens injurias sibi à Lombardis frequenter illatas, & quòd penè contra eum omnes conjurassent, & quòd Mediolanenses, eo prohibente, Mediolanum reædificassent, & Alexandrini civitatem suam de novo ædificare cœpissent, primò Christianum Cancellarium suum, & Maguntinum Archiepiscopum, virum utique providum & discretum, & in negotiis bellicis apprimè eruditum, per montana Lombardiæ, & Januam, usque in Thusciam, & Marchiam Anconæ direxit. Dehinc Marchione Montisferrati, & Papiensibus, & quibusdam aliis Lombardis ipsum affectuosè rogantibus, collecta magna multitudine Brebitionum (30), & aliorum conductitiorum militum, Italiam potenter intravit.

Anno MCLXXIV. Primo autem ingressu suo Astensem urbem, Taurinum, & vicinas civitates, ipsis se spontè reddentibus, occupavit. Dehinc Marchionis Montisferrati, & Papiensium suggestione Alexanuriam civitatem obsedit; multi enim Nobiles, & populares viri de terra prænominati Marchionis oriundi, plures injurias, & molestias perpessi, illius insolentiam perpeti non valentes, relictis

(*) Carusio *MCLXXII. medio mense Junii Ind. V.*

(30) Contelorius *Bretitionum*.

ctis habitationibus suis, in quadam planitie pariter convenerunt, & adjuvantibus eos Mediolanensibus, & aliis Lombardis, in eadem planitie civitatem de novo ædificare cœperunt, & eam ob reverentiam Papæ Alexandri Alexandriam vocaverunt. Quum autem hæc civitas ab Imperatore fuit obsessa, propter sui novitatem necdum erat tota fossatis circumdata, & domus ejus erant palea coopertæ, unde & à Theutonicis in contemtum, & ironiam, *palearum Civitas* est appellata, quæ postmodum in conflictu bellico ferrea est inventa. Imperator autem, animantibus eum Papiensibus, & Marchione, cœpit civitatem viriliter impugnare, machinas circumquaque instruere, fossata diruere, & replere, & eam B frequentibus insultibus molestare, credens illam in brevi tempore pro suo arbitrio obtinere. Sed Alexandrini, utpote viri fortes, & ad bella doctissimi, & pro libertate pugnantes, cœperunt Imperatori animosè resistere, fossas suas defendere, & illius machinas suis machinis oppugnare. Superveniente autem hyeme, quæ solitò asperior inhorruerat, adeò quòd pro inundatione valida, & algore nimio de equis & hominibus plures extingueret, Imperator in suo proposito perseverans, noluit ab obsidione recedere, sed eam frequentibus prœliis, & insultibus variis non destitit impugnare. Adveniente autem Pascha, in die C Parasceve, & Sabbathi Sancti propter dierum reverentiam Imperator eis imaginariam treguam concessit, quumque Alexandrini sub occasione treguæ suæ civitatis custodiam aliquantulum neglexissent, Imperator nacta opportunitate, nescientibus Alexandrinis, fossas & cuniculos sub terra fieri jussit, & per eos armatos milites intrare fecit, ut ex improviso de cuniculis repentè erumperent, & civitatem hujus fraudis nesciam occuparent. Sed mox ut Alexandrini hoc perceperunt, arreptis armis cœperunt ad fossata currere, & introëuntibus Theutonicis viriliter repugnare. Sed operante divina potentia, quædam pars fossati subitò corruit, & eos, qui in cuniculis erant, & in foveis, oppressit pariter, & D extinxit. Quo cognito, Alexandrini foràs egressi, castrum ligneum armatis militibus plenum, quod Imperator credebat in civitatem inducere, immisso igne simul cum militibus combusserunt. Imperator autem sua spe, & intentione frustratus, & de morte suorum vehementer afflictus, non valens ultra progredi, se intra castra recepit. Lombardi autem, & alii, qui cum Alexandrinis conjuraverant, oppressione civitatis cognita, magna militum & peditum multitudine congregata, ad ejus liberationem festinare cœperunt, & secundo die post Pascha circa Alexandriam castrametati sunt. Quo cognito, Imperator eis obviam, relicta civitatis obsidione, perrexit. E Quumque hinc & inde acies forent militares dispositæ, & in eo essent ut pariter dimicarent, religiosæ quædam personæ, & viri sapientes inter Imperatorem, & Lombardos hunc modum concordiæ tractaverunt: ut Lombardi, dimissis armis, Imperatoris tamquam Domini sui gratiam humiliter postularent; dehinc tres prudentes viri ex parte Imperatoris, & tres ex parte Lombardorum eligerentur, quorum dispositione & arbitrio, eorum deberet pax & concordia terminari. Quumque hoc pactum & Imperatori, & Lombardis non modicum placuisset, Imperator Papiam rediit, & Lombardi ad propria sunt reversi. Imperator interim Nuncios ad Alexandrum Papam apud Anagniam direxit, rogans ut aliquos de fratribus suis ad eum in Lombardiam mitteret, qui simul cum Lombardis tractandæ pacis colloquio interessent. Papa verò, consilio habito, Hubaldum Ostiensem, & Bernardum Portuensem Episcopos, & Guilielmum Papiensem Cardinalem S. Petri ad Vincula in Lombardiam misit, ut simul cum Lombardis pacem Ecclesiæ & Italiæ pertractarent. Qui venientes, habito Lombardorum consilio, diu cum Imperatore pacis colloquium habuerunt. Sed quum neque Cardinales, neque Lombardi aliquem fructum pacis ab Imperatore consequi potuissent, Cardinales, & Lombardi infectis negotiis ad propria redierunt.

Imperator autem spe pacis consequendæ frustratus, de novo guerram Lombardis facere cœpit, & Alexandriam modis quibus poterat infestare. Lombardi autem è converso cœperunt illi pro posse resistere, & Alexandrinis opem & auxilium pro viribus ministrare. Et quia Imperator multos de suis & fame & bello amiserat, & repugnante horrore hyemis, in obsidione Alexandriæ stare non poterat, se cum suis intra Papiam recepit, & nacta opportunitate temporis, frequenter circa Alexandriam discurrebat, ejus arbores & vineas devastabat, capiebat cives, & damna eis quantacumque poterat inferebat. Alexandrini autem tum per se, tum Lombardorum auxilio ei viriliter resistebant, & vicina loca, quæ ei favebant, impugnare, & destruere non cessabant. Imperator vires suas debilitatas, & militiam suam pro majori parte defecisse considerans, frequentes nuncios Principibus suis in Alamanniam direxit, rogans, atque præcipiens, ut ei, misso militari auxilio, proxima æstate succurrerent, quo se posset ab injuria illi à Lombardis illata viriliter vindicare. Christianus autem prænominati Imperatoris Cancellarius, quem ipse in Tuscia præmiserat, sicut vir providus, & discretus, partim viribus, partim precibus Tusciam pacificavit, & Imperatoris præceptum jurare fecit. Dehinc ad Ducatum Spolitanum, & ad Marchiam veniens, multa castra regionis illius depopulatus est, & cepit. Assisiam civitatem, & Spolitinam suo dominio subdidit. Anconam cum Venetis longo tempore obsedit; credebat enim Græcum quemdam Constantinopolitani Imperatoris Nuncium, qui in eadem civitate erat, cum sua pecunia capere; sed quia cives ejusdem civitatis ei viriliter resistebant, & Comitissa de Berthenora cum Guilielmo de Marchisella nobili Ferrariensi Catanio, cum magna multitudine militum & peditum ad succursum ejusdem civitatis veniebat, non potuit quod intendebat perficere; sed receptâ ab Anconitanis pecuniâ, ab obsidione recessit. Interea prædictus Cancellarius ex mandato Imperatoris Nuncios ad Guilielmum Siciliæ Regem transmisit, suadens & postulans, ut ipse, Imperatoris filiâ in uxorem acceptâ, cum eo pacem perpetuam faceret, & ipsi se amicabiliter counirет. Sed Rex Guilielmus, utpote Christianissimus, & religiosus Princeps, sciens hoc matrimonium Alexandro Papæ plurimùm displicere, & Romanæ Ecclesiæ non modicam jacturam inferre, Deum, & Alexan-

xandrum Papam in hac parte reveritus, Imperatoris filiam in uxorem, & ejus pacem recipere noluit. Quod factum Imperator ægrè tulit, & multùm ad animum revocavit. Sed non multò post Imperatoris filia est defuncta.

Adveniente autem æstate, Philippus Coloniensis Archiepiscopus cum quibusdam Principibus Alamanniæ, & magna multitudine strenuorum militum per montana Cumarum Italiam intrantes, Imperatori succurrere festinabant. Quo cognito, Imperator eis obviam perrexit, & simul cum illis versùs partes Mediolani ad devastandum eorum segetes ire disponebat. Quo audito, Lombardi, licèt omnes suos nullatenus expectassent, Imperatori obviam ire cœperunt. Quumque exeuntes quoddam nemus, ex insperato Imperatori, qui militares acies jam ad bella paraverat, subitò occurrissent, cum illo cœperunt habere conflictum. Sed quia non multi adhuc de Lombardis convenerant, primò sunt ab Imperatore in fugam conversi. Pedites verò Mediolanenses cum paucis militibus, qui circa carrucam (31) erant, fugere non valentes, simul conglomerati stare cœperunt. Imperator autem videns Lombardos milites aufugisse, pedestrem multitudinem, quæ remanserat, credidit facilè superare. Quumque congregatâ suâ militiâ super eos vellet irrumpere, illi oppositis clypeis, & porrectis hastis, cœperunt eorum furori resistere, & ad se venientes animosè repellere. Quumque conflictus iste inter Imperatorem, & Lombardos pedites aliquamdiu perdurasset, Lombardi, qui fugerant, resumtis viribus, & aliis, qui de novo venerant, sociati, ad pugnam sunt animosè reversi, & simul cum suis peditibus super Imperatoris exercitum impetum facientes, ipsum in fugam unanimiter converterunt. Lombardi autem Theutonicos fugientes usque ad vicinum fluvium insequuti, multos ex eis cædentes gladio, plurimos in flumine submerserunt. Deinde redeuntes ad castra, magnam Imperatoris, & exercitus ejus suppellectilem occuparunt, & sic tanta potiti victoria, circa Papiam castrametati sunt. Sed quia victoria solet elationis spiritum victoribus ministrare, in eodem loco moram facere negligentes, ad propria sunt reversi. Imperator autem quum in prænominata pugna viriliter dimicasset, & fugientium penè ultimus exstitisset, superveniente nocte delituit, & quum aliquantis diebus fuisset absconditus, & quò divertisset esset incognitum, nocte cum paucis Papiam intravit. Tunc verò manifestè Dei sibi repugnare potentiam, cujus Ecclesiam, & ministros persequi non cessabat, cognoscens; ad cor rediens, habito saniori consilio, Magdeburgensem Archiepiscopum, Electum Guarmaciensem (32), & Protonotarium suum cum Christiano Cancellario, qui in partibus illis erat (33), ad Alexandrum Papam pro consequenda pace Anagniam direxit. Qui quum aliquantis diebus circa Papam, & ejus Curiam moram fecissent, habito cum eo, & paucis Cardinalibus, secreto nimis & privato, de modo & forma pacis, consilio, ac lege & conditione proposita, discesserunt. Pa-

A pa quidem Alexander, utpote vir religiosus, & sanctus, pacem Ecclesiæ affectuosè desiderans, imitatus eum, qui ea, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt, sui sanguinis effusione placavit, dignitatem sui officii, & laborem sui corporis pro bono pacis & commodo non attendens, promisit per mare usque Ravennam, (34) vel Venetiam pergere; & habito Lombardorum consilio, colloquium cum Imperatore de bono pacis habere.

Eo tempore Emanuel Imperator Constantinopolitanus, congregato Christianorum, & Paganorum militum, & peditum sagittariorum, & balistarum infinito exercitu, Brachium S. Georgii transiens, terram Soldani B Iconii violenter invasit, & partem ejus non modicam occupavit. Soldanus autem de sua virtute diffidens, per internuncios suos Imperatoris amorem & gratiam satìs humiliter postulavit, nec eam potuit impetrare. Quumque de recuperanda Imperatoris gratia esset penitus desperatus, nec ei posset in campo resistere, congregata suorum multitudine, in angustis locis, unde erat Imperatoris exercitus transiturus, paravit insidias, & super eumdem ex improviso irruens, exercitum in fugam convertit. Cepit ex eis multos Latinos, qui noluerunt fugere; ferè omnes in ore gladii interemit; multos de consanguineis Imperatoris retinuit pariter, & occidit. Crucem C Dominicam, quam Imperator secum detulerat, & Sanctorum Reliquias, & spolia plurima, atque thesaurum maximum occupavit. Tunc Imperator, amisso tanto exercitu, nullam viam evadendi inveniens, cum Soldano treugas quales potuit inivit, & sic in terram suam, rebus, & hominibus perditis, humilis & inglorius rediit, quod ex justo Dei judicio credimus provenisse. Justus enim Judex considerans, quòd Imperator, neglecta religione fidei de filia sua illustri Regi Siciliæ tradenda in matrimonio, perjuraverat, per inimicos Fidei de eo voluit vindicari; & indignum reputans Crucem suam ab infideli Principe debere servari, passus est eam in ultionem Imperatoris & injuriam ab Infidelibus occupari. D Qui tamen ea cum magna reverentia detinentes factâ treguâ, Imperatori honorificè remiserunt.

Interea Rex Guilielmus, consilio Papæ Alexandri, Heliam Trojanum electum, & Arnulphum Caputaquensem Episcopum, & Florium de Camerota Regium Justitiarium, ad Regem Henricum in Angliam misit, ut ei Joannam minorem filiam suam in uxorem daret. Rex autem Henricus, Papæ Alexandri, & Principum suorum consiliis acquiescens, petitioni Regiæ præbuit gratanter assensum, & filiam suam cum Nunciis ejusdem Regis, & Principibus suis, usque ad S. Ægidium honestè E transmisit. Quo cognito, Rex Guilielmus Alfanum Capuanum Archiepiscopum, & Richardum Syracusanum Episcopum, & Comitem Robertum de Caserta cum XXV. galêis ei obviam misit. Qui venientes ad S. Ægidium, prænominatam (35) filiam intra galêas recipientes, eam usque Neapolim deduxerunt. Sed quia puella, navigationis insolita, fluctus maris

(31) Crediderim hac voce indicari celebre illud vexilli genus, quod à Mediolanensibus aliisque Italis populis currui impositum in bello usurpabatur, *Carrocium* vocatum. Quæ enim de significatione hujus vocabuli in Ducangii Glossario leguntur V. *Carruca* ægrè nimis accomodari possunt pugnæ hic narratæ. In Carusii Codice legitur *circa Carruveam*.

(32) Seu *VVormatiensem*.

(33) Carusius add. *cum aliis Comitibus*.

(34) Carusius pro *Ravennam* legit *Beneventum*.

(35) Carusius add. *Regis*.

maris pati non poterat, celebrato Neapoli Dominicæ Nativitatis festo, per Salernum, & Calabriam Panormum vênit, ibique à Rege Guilielmo, & Magnatibus suis, sicut decuit, satìs est honestè suscepta. Convocatis autem Rex Guilielmus Proceribus Siciliæ, & magna populi multitudine, prænominatam filiam Regis Angliæ in Cappella sua desponsavit, & se & eam gloriosè coronari fecit, & solemnes de illa nuptias celebravit

Anno MCLXXVII. (36) mense Februarii Ind. X. (37) Papa autem Alexander in Lombardiam iturus, ante (38) festum Nativitatis Hubaldum Ostiensem Episcopum, & Raynerium (39) Cardinalem in Lombardiam præmisit, ut Lombardorum consilio securitatem ab Imperatore reciperent, ut ipse cum omnibus suis, & quicumque ad eum ire vellent, securè, & sinè damno aliquo pergere possent. Venientes autem ad Imperatorem, ab eo honorificè sunt recepti, & præsentibus eis, & Lombardis, treuguæ & securitates hinc inde sunt præstitæ; & ut colloquium tractandæ pacis apud Bononiam fieret, utriusque partis assensu ordinatum est & dispositum. Cremonenses autem, & Terdonenses, audito quòd Papa venturus esset in Lombardiam, ut inter Imperatorem, & Lombardos pacem componeret, credentes anticipare alios, & ob hoc majorem Imperatoris gratiam impetrare, obliti promissionis, & juramenti, quod aliis civitatibus fecerant, eis nolentibus & contradicentibus, cum Imperatore sunt concordati. Unde postmodum à Papa, & ob omnibus, qui hoc audierunt, viles & proditores sunt habiti. Papa verò antequam iter arriperet, Nuncios suos ad Regem Guilielmum in Siciliam misit, ut aliquos de Magnatibus suis à latere suo ad eum transmitteret, qui cum illo, & pro parte ejus, tractandæ pacis colloquio interessent; Papa enim firmiter in suo habebat proposito, nequaquam cum Imperatore sinè Guilielmo pacem facere, ut qui adjutor Ecclesiæ & defensor in tribulatione fuerat, in compositione pacis Ecclesiasticæ socius & particeps fieret. Rex autem Guilielmus, Romualdo (40) Salernitano Archiepiscopo, & Rogerio Comiti Andriæ magno (41) Commestabulo, & magno Justitiario totius Apuliæ & Terræ Laboris, per literas suas dedit in mandatis, ut honorificè præparati simul cum Papa in Lombardiam pergerent, & pro parte Regia componendæ pacis cum Imperatore tractatui interessent.

Alexander igitur Papa ab Anagnia se movens, & per Terram Laboris Beneventum veniens, à Festo Nativitatis usque in Epiphaniam ibidem est demoratus. Dehinc per Trojam, & Sipontum Vastam (42) vênit, & Willelmum Portuensem Episcopum, & Hyacinthum Cardinalem S. Mariæ de Schola-Græca, & quosdam alios Cardinales per terram præmisit, quia mare propter ejus inundationes & procellas intrare metuebant. Quos exeuntes de terra Aprutii, & de finibus Regni, Christianus Cancellarius per Marchiam satìs honestè ad Imperatorem Ravennam usque deduxit. Imperator autem eos officiosè recepit, & sicut decuit, multum honoris, & reverentiæ illis exhibuit. Alexander autem Papa simul cum Manfredo (43) Prænestino Episcopo, & Johanne Neapolitano, & Hugone de Bononia, & Bosone, & Cencio Capello Cardinalibus, & prænominatis Regis Nunciis, impediente tempestate, apud Vastam (44) usque in quartam feriam, quando jejunium inchoabatur, nono scilicet die intrante mensis Martii demoratus, cum undecim galêis mare Hadriaticum est ingressus, & Dominico die primo venturo Jaderam (45) applicuit, ubi ab Archiepiscopo, & Episcopis regionis illius, & Comite, (46) & Populo civitatis satìs honorificè est receptus. Dehinc per Insulas Dalmatiæ navigans, XIII. (47) die residuo stante mensis Martii ad portum Venetiæ aura flante secunda pervênit. Et ibidem cum omnibus suis de galêa descendens, in Monasterio S. Nicolai, quod dicitur *Ad litus*, ipso die quievit. Altera autem die Dux Venetiæ cum magna navium & Populi multitudine, & Patriarcha Venetiæ simul cum Patriarcha Aquilejæ, & omnibus suis Suffraganeis ad pedes Alexandri Papæ humiliter accedentes, ipsum processionaliter cum summo honore & gloria usque ad S. Marci Ecclesiam deduxerunt, in qua facta oratione Populum benedixit. Dehinc navem Ducis cum ipso simul ingressus, usque ad Palatium Patriarchæ veniens, in ipso hospitio se recepit. Episcopi autem & Abbates vicinarum partium, adventu Papæ cognito, omnes cum suis Clericis ad ejus vestigia devotè & humiliter accesserunt. In Festo autem Annunciationis Virginis Papa à Duce Venetiæ, & Magnatibus ejus affectuosè rogatus, ad Ecclesiam S. Marci cum Cardinalibus suis accessit, & in ea Missam publicè decantavit.

Fridericus autem Imperator, qui apud Cæsenas morabatur, quum adventum Papæ in Venetias cognovisset, Magdeburgensem Archiepiscopum, & Electum Wormatiensem, & Protonotarium suum ad eum transmisit, affectuosè postulans, ut, si ei placeret, locum futuri colloquii à Bononia transmutaret; non enim sibi tutum fore arbitrabatur, Christianum Cancellarium suum cum aliis Nunciis illuc dirigere, eo quòd ejusdem loci civibus odiosus esset pariter & offensus, quia eos in bello devicerat, & injurias plurimas & damna intulerat. Quibus Papa respondit: *Imperator, Legatorum nostrorum, & Lombardorum consilio communi pariter & assensu, tractatum pacis apud Bononiam habere disposuit: quod ergo de eorum communi voluntate est dispositum, non debet sinè communi consilio immutari.* Qua de causa Alexander Papa Cardinalibus, qui erant Ravennæ, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, Potestatibus, Consulibus, & Rectoribus Lombardiæ mandavit, ut ei Ferrariam occurrerent, quatenus communicato consilio, Imperatori de loco, in quo habendum esset pacis colloquium, & de aliis suis petitionibus, responderet. Ipse verò quum Venetiis diebus esset XV. demoratus, per mare Lauretum vênit, dehinc per Padum Ferrariam cum galêis undecim in Dominica Passionis ascendit. Ubi ab Episcopis multis, & ejus-

(36) Contelorius *MCLXXVI.*
(37) *Ind. IX.*
(38) Carusius leg. *in*.
(39) Carusius *Raynald.*
(40) Carusius add. *II.*
(41) Contelorius, & Carusius *& Magistro Comestabuli.*
(42) Carusius *Vestam*.
(43) Carusius *Malphredo Palestino*.
(44) Carusius *Vestam*.
(45) Carusius *Jadarum*.
(46) Carusius *Communitate*.
(47) In editione Contelorii *IX*.

ejusdem urbis Civibus, & magna Populi multitudine, quæ illuc propter feriam, quæ illic celebrabatur, convenerat, satis est magnificè & honestè susceptus. Proxima verò septimana Ravennas Archiepiscopus cum suis Suffraganeis, Mediolanensis Archiepiscopus cum Episcopis, & Abbatibus Lombardiæ, Potestates, Rectores, Consules, & multi prudentes de civitatibus Lombardiæ Ferrariam ad Alexandrum Papam festino gressu lætabundi venerunt, quos Papa paterno affectu, prout debuit, benignè satìs & jucundè suscepit.

Altera verò die cum eis in majori Ecclesia S. Georgii, congregata Populi multitudine magna, convênit, quos facto silentio tamquam filios taliter est alloquutus: *Novit vestra discretio, Filii dilectissimi, quòd, peccatis nostris exigentibus, navis Ecclesiæ, quæ in portu placido & tranquillo deberet consistere, adeò persequutionis validæ procellas sustinuit, adeò iniquorum hominum turbines & fluctus incurrit, quòd penè est in profundo pelagi cum suo gubernatore demersa. Imperator enim Romanus, qui Ecclesiam tamquam illius Advocatus gubernare & defensare debuit, impugnavit; & suæ voluntatis, non rationis sequens arbitrium, eam à sua unitate divisit: altare contra altare extulit, & inconsutilem Christi Dei tunicam, quantum in eo fuit, dividere non expavit. Unde Ecclesiastica virtute divisa, & pacis vinculo dissoluto, Romanæ Ecclesiæ dignitas penè deperiit, & quæ Domina gentium, & Princeps Provinciarum fuerat, facta est sub tributo. Et quia, imminente validæ persequutionis articulo, Romanæ Ecclesiæ quodammodo est debilitata auctoritas, quùm non esset qui delinquentium errores & peccata corrigeret, Sanctorum Patrum statuta & Canones de suo ordine sunt & jure mutata. Sicque factum est, quòd occasione hujus schismatis & discordiæ, multæ Ecclesiæ & Monasteria sunt destructa, honestas ex parte perdita, & Religio violata; adulteria plurima, fornicationes, furta, & homicidia sinè vindice perpetrata; castella, & urbes sunt dirutæ, & incendio concrematæ, res viduarum & pauperum prædæ sunt & direptioni expositæ. Sed licèt justus Judex, & patiens retributor, culpa humani generis exigente, jam per decem & octo annos virgam peccatorum super sortem justorum justo judicio, sed occulto, reliquerit, & Ecclesiam suam persequutione valida passus sit vehementer affligi; tamdem motus ad veniam pio compassionis oculo afflictionem sui populi miseratus aspexit, & navem Ecclesiæ suæ cum Petri Vicario, & suis fratribus persequutionis unda penè demersam noctis medio visitavit; & de salute propria, & futura tranquillitate penitus desperantes, voce salutifera confortavit dicens: Confidite, ego sum, nolite timere. Ad cujus vocis imperium ventus tribulationis siluit, & unda persequutionis quievit. Operante enim illo, qui voluntates Principum pro suo beneplacito dirigit, & corda Regum, sicut vult, ordinat & disponit, Imperator Romanus, qui verbum pacis audire non poterat, mutatus in virum alterum, pacem modò requirit; & Ecclesiæ concordiam, quam despexerat, nunc affectuosè deposcit.*

Benedicta sit gloria Domini de loco sancto suo. Ecce enim lapis, quem ædificantes reprobaverant, factus est in caput anguli, & in summitate Ecclesiæ collocatus. Non ab homine, sed à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris quòd senex Presbyter, & inermis furori Theutonico potuit repugnare, & sinè bello Imperatoris potentiam potuit debellare. Quod ex manifesto Dei judicio credimus provenisse, ut humana superbia manifestè recolat, & totus Mundus evidenter agnoscat, quòd pugnare contra Deum sit impossibile, & nemo illius potentiæ audeat contraire. Solus enim Altissimus dominatur in regno hominum, & cui voluerit, dabit illud. Et licèt Imperator nos de pace Ecclesiæ, & dilecti in Christo filii, & illustris Regis Siciliæ apud Anagniam per suos Nuncios requisierit, & eam vobis absentibus patrare voluerit: nos tamen ardorem vestræ fidei, & devotionis firmiter recolentes, considerantes etiam, qualiter vos murum pro domo Hierusalem opponere studuistis, & qualiter pro statu Ecclesiæ, & libertate Italiæ viriliter decertastis: oblatam nobis Imperatoris pacem recipere sinè vobis nolumus, ut sicut fuistis socii tribulationis, participes sitis & gaudii. Inde est, quòd non attendentes honoris proprii dignitatem, nec causati corporis fatiscentis ætatem, nec maris veriti tempestatem, nos & Fratres nostros labori & periculo exponere non timuimus, sed ad vos per ignem & aquam indubitanter accessimus, ut vestro communicato consilio, oblatam Imperatoris pacem, si Ecclesiæ, & illustri Regi Siciliæ, & vobis conveniens fuerit & idonea, suscipere debeamus.

Postquam Alexander Papa suo sermoni finem imposuit, Lombardi in utraque militia diligenter instructi (sunt enim in bello strenui, & ad concionandum populo mirabiliter eruditi) per sapientes suos taliter Apostolico responderunt.

Venerande Pater, & Domine, universa Italia pedibus se vestræ dominationis inclinat, & suæ devotionis obsequia cum gratiarum actione multiplici vestræ Beatitudini repræsentat. Lætatur autem plurimùm & exultat, quòd Pater ad filios, Prælatus ad subditos, Dominus ad subjectos est dignatus accedere, ut errantes oves à luporum morsibus potenter eripere, & ad caulas Ecclesiæ prudenter valeat revocare. Persequutionem, quam vobis & Ecclesiæ Imperator intulit, magis opere, quàm sermone cognoscimus; & persequutionis ejus molestias, quas Mundus auditu didicit, nos in nostris tribulationibus experimento sentimus. Primò enim nos ejus impetum sustinuimus; primò nos illius furori objecimus; & ne ad destruendam Italiam, & libertatem Ecclesiæ opprimendam propiùs posset accedere, nostrorum corporum, & armorum obice probibuimus. Nos pro honore & libertate Italiæ, & Romanæ Ecclesiæ dignitate servanda, Imperatorem cum suis Schismaticis nec recipere, nec audire voluimus. Et ob hoc expensas non modicas, labores plurimos, & angustias, damna rerum, pericula mortis & corporum subire non refutavimus. Et inde, Reverende Pater, satìs est conveniens, & rationi plurimùm consentaneum, ut oblatam vobis Imperatoris pacem non solùm sinè nobis non recipere, sed nec etiam audire debeatis. Ipse namque sæpe nobis pacem sinè Ecclesia obtulit, nec recepimus; concordiam nobiscum sinè vobis facere voluit, nec admisimus; magis enim volumus guerram illius cum Ecclesiæ unitate incurrere, quàm pacem ejus cum Ecclesiæ divisione servare.

Quod autem Personam Vestram & Fratrum ve-

vestrorum exposuistis periculo & labori : Paternitati Vestræ super hoc de abundanti respondemus. Nam pro paucis laboribus multos rependimus, pro paucis periculis majora recepimus, dum pro honoris & Ecclesiæ gloria nostra indifferenter expendimus, & pro liberanda Ecclesia nos & nostros filios morti exponere non renuimus. Sciat autem Vestra Sanctitas, & Imperialis potentia evidenter agnoscat, quòd nos gratanter Imperatoris pacem (salvo Italiæ honore) recipimus, & ejus gratiam, libertate nostra integra remanente, præoptamus. Quod ei de antiquo debet Italia, libenter exsolvimus, & veteres illi justitias non negamus; libertatem autem nostram, quam à patribus nostris, avis, & proavis hæreditario jure contraximus, nequaquam relinquemus, quam amittere nisi cum vita timemus: magis enim volumus gloriosam mortem cum libertate incurrere, quàm vitam miserandam servitute servare. Quòd autem illustrem Regem Siciliæ ad consortium nostræ pacis adsciscitis, gratum nobis residet plurimùm & acceptum, quia eum amatorem pacis, & cultorem justitiæ recognoscimus. Ipse namque præ cæteris mundi Principibus, suis, & extraneis pacem tribuit, & securitatem impendit, quod viatores nostri per opera sentiunt, & peregrini experimento testantur, qui in viis & campis sinè custode dormiunt, & in nemoribus absque suarum rerum amissione quiescunt. Et ut brevi concludamus, in summa major pax & securitas in Regni ejus nemoribus, quàm in aliorum Regnorum urbibus invenitur. Et ideo talem ac tantum Principem, & nostræ pacis socium, & nostræ societatis esse volumus dominum & amicum.

Postquam Lombardi finem fecere dicendi, Papa eos de more benedixit, & ad hospitia singulos abire permisit. Post diem autem tertium Christianus Cancellarius, Coloniensis, Magdeburgensis (48) Archiepiscopi, Wormatiensis Electus, Gotifridus alius Cancellarius, & Protonotarius ex parte Imperatoris Ferrariam ad Papam venientes, residentibus cum eo Regis Nunciis, & Lombardis, in Consistorio, publicè protestati sunt, & dixerunt:

Venerande Pater, & Domine, sicut Imperator Romanus vobis per suos Nuncios apud Anagniam repromisit, ita paratus est vobiscum, & cum Ecclesia, cum illustri Rege Siciliæ, & cum Lombardis per nos pacem facere & servare. Et ideo nobis septem faciendæ pacis auctoritatem contulit. Et quidquid de bono pacis coram vestra præsentia statuerimus, hoc totum Imperialis dignitas ratihabitione firmabit.

Hoc autem verbum Papæ admodum placuit, & habito consilio, alios septem, Humbaldum videlicet Ostiensem, Willelmum Portuensem, & Manfredum Prænestinum Episcopos, Johannem Neapolitanum, Theodinum de (49) Arrone, & Petrum de Bona Presbyteros Cardinales, & Hiacynthum Diaconum Cardinalem pro parte Ecclesiæ pacis arbitros & mediatores instituit. Lombardi autem totidem personas, Taurinensem videlicet, Bergamensem, & Cumanum Episcopos, & Astensem Electum, Girardum de Pesta Mediolanensem, & Gaezo Veronensem Judices, & Albertum de Gambara Brixiensem civem, ad suæ pacis compositionem unanimiter sta-

A tuerunt. Præcepit etiam Papa Nuncios Regis Siciliæ huic pacis tractatui interesse. Priùs autem quàm pacis capitula hinc & inde essent in medium producta, de loco colloquii non modica inter eos est oborta contentio. Lombardi enim volebant hunc pacis tractatum apud Bononiam fieri, sicut per Imperatorem, atque Ostiensem Episcopum, & eos fuerat ordinatum. E contrario autem Imperatoris Nuncii reclamabant, se nequaquam pro tali causa Bononiam profecturos, eo quòd Christianus Cancellarius Bononiensibus odiosus esset plurimùm & infestus. Sed cum illis pro hoc negotio libenter Venetiis convenirent, ubi utræque partes possent sinè timore pergere, &
B cum securitate manere; Lombardi autem è diverso suspectos habebant Venetos, asserentes, illos pacis cum eis initæ fœdera violasse, & sæpe Imperatoris Nuncios contra hoc, quod statutum inter eos fuerat, recepisse. Quumque hæc contentio aliquantis diebus de loco colloquii perdurasset, tamdem suadentibus Regis Nunciis, voluntati Domni Papæ præbuere consensum, & se ituros Venetias, præstitis tamen priùs securitatibus, promiserunt. Qua de causa Papa Hugonem Bononiensem, & Rainerium Cardinales cum quibusdam Lombardis Venetias misit, ut à Duce & Populo Venetiæ securitatem reciperent, quòd ipse cum iis, qui essent ad colloquium profecturi,
C securè possent intrare Venetias, & exire, & in eis cum rebus suis salvi & sinè timore persistere; & quòd Imperatorem sinè mandato Papæ intrare fines Venetiarum ullatenus non permitterent.

Iis autem abeuntibus, Christianus Cancellarius, qui Ferrarienses, quos in bello offenderat, plurimùm metuebat, quintâ feriâ majoris hebdomadæ à Ferraria movens, Venetias festinus advênit. Papa autem Alexander cum magno conventu Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum, Paschalem festivitatem, quæ XXIV. die mensis Aprilis eo tempore occurrebat, atque octavas (ut mo-
D ris est) Ferrariæ solemniter celebravit. Quumque à Cardinalibus, quos Venetias miserat, de securitate à Duce & Populo præstita responsum idoneum accepisset, nono die intrante mensis Maji cum Regis Nunciis galêas ingressus, sequentibus eum Cardinalibus & Lombardis, eo die per Padum Lauretum descendit.

Altera verò die per mare ad S. Nicolaum, qui dicitur *Ad litus*, applicuit. Tertia autem die à Duce & Populo Venetiæ, à Patriarcha, & universo Clero, primò ad S. Marcum, dehinc ad Patriarchæ Palatium cum magna gloria est & honore deductus. Postquam autem Cardinales & Lombardi, qui Papam fuerant
E subsequuti, Venetias applicuerunt, Papa mediatoribus pacis injunxit, ut in Cappella, quæ erat in Palatio Patriarchæ, convenientes, primò de pace Lombardorum, quæ prolixiori indigebat tractatu, haberent colloquium, de pace Regis, & Ecclesiæ, quæ quasi una est, postmodum tractaturi.

Quum autem hoc factum esset, & rationes multiplices fuissent hinc inde prolatæ, tamdem Christianus Cancellarius pro parte Imperatoris disjunctivam triplicem proposuit, dicens: *Petit à vobis Imperator & postulat, ut aut de Rega-*

(48) In Cod. Contelorii additur *&* *Treverensis*.

(49) Carusius pro *de* leg. *dictum*.

Regalibus, & his, quæ ad eum pertinent, quæ vos detinetis, illi justitiam faciatis; aut sententiam à Judicibus Bononiæ apud Roncaliam contra vos pronunciatam exequutioni mandetis; vel ea, quæ antecessores vestri seniori Henrico reddere consueverunt, illi faciatis. Quo audito, Girardus Pesta Mediolanensis Judex pro parte Lombardorum respondit.

Nos quidem Imperatori, undecumque nos appellaverit, parati sumus sicut Domino justitiam facere; sed quia hæc justitia non est unius hominis, sed multorum, non unius civitatis, sed plurium: secundùm causarum merita inducias postulamus, ut deliberantes pleniùs super his, quæ nobis objecta fuerint, competenti loco & termino apud communem Judicem responsuri veniamus. Quod autem dixisti apud Roncaliam à Bononiensibus Judicibus contra nos sententiam fuisse prolatam: planè inficiamur, eam non fuisse sententiam, sed Imperatoriam jussionem. Etenim quum plures ex nobis, nec per contumaciam, fuissemus absentes, quidquid tunc contra nos dictum fuit, nobis nocere non debet, nec pro sententia reputari; secundùm leges enim in absentes prolata sententia nullius est roboris vel valoris. Quod verò postulasti, ut ea Imperatori reddere deberemus, quæ seniori Henrico à nostris antecessoribus sunt soluta: respondemus, quòd prænominati Imperatoris dispositiones pariter & statuta, propter antiquitatem temporis jam penè perdidere memoriam, nec vivit aliquis nostrum vel vestrum, qui bene posset illius temporis dicta vel facta recolere. Item Imperator Henricus (salva auctoritate Imperii) non debet Dominus, sed Tyrannus vocari. Quum enim misisset manum in Sanctum (50) Domini, & Paschalem Papam super altare cepisset, & quum multas Ecclesias destruxisset, & Episcopos excæcasset: ejus facta velut crudelia & tyrannica non sunt trahenda ad consequentiam, vel ad memoriam revocanda. Sed si Imperatori placuerit, ea quæ antecessores nostri juniori Henrico, Conrado, & Lothario, & ei usque ad hæc tempora reddiderunt, recipere: parati sumus in pace persolvere. Quòd si hoc Imperatori grave residet, & videtur: pacem, quæ inter nos & eum per Cremonenses tractata fuit, & in scriptis redacta, volumus firmiter observare. Quæ eo tempore completa fuisset, nisi quia Imperator volebat nos ab Ecclesiæ unitate recedere, & Alexandri Papæ Pontificium denegare. Provideat ergo super hoc vestra discretio, si, quia Schismati consentire noluimus, debeamus nostræ pacis conditionem deteriorem efficere.

Quum autem scriptura de Tractatu pacis habita, & per Cremonenses Lombardis aliis denegata (51), producta fuisset in medium, cœperunt Theutonici quibusdam scripturæ Capitulis diligenter opponere, & eorum sensum ad suæ partis commodum retorquere, quædam verò Capitula denegare. E contra Lombardi cœperunt illorum responsiones suis responsionibus confutare, & his, quæ objecta fuerant, satìs studiosè resistere. Ad comprobanda verò Capitula, quæ ipsi negaverant, cœperunt Cremonensium (licèt essent inimici) testimonium invocare. Quumque super his Capitulis diebus esset plurimis disputatum, & nihil penitus definitum: ex utriusque partis

A conscientia (52) quæcumque hinc & inde dicta fuerant, ad Papæ audientiam sunt relata.

Alexander autem Papa, utpote vir eruditus & sapiens, considerans Imperatoris & Lombardorum pacem multis esse controversiis & quæstionibus involutam, nec eam posse brevi spatio temporis consummari, Tractatu Pacis postposito, cœpit cum eis de treguis sex annorum agere, sperans per treguas ad consummationem Pacis faciliùs posse perveniri. Tunc etiam Theutonicis de Pace Regis Siciliæ verbum proposuit, affectuosè postulans, ut Imperator cum eo aut Pacem perpetuam, aut temporalem ad minus (53) usque ad annos quindecim faceret, in veritate sciturus, B quòd nullatenus Pacem ejus & Ecclesiæ posset habere, Rege Siciliæ in discordia permanente. Christianus autem Cancellarius cum sociis suis consilio communicato respondit: *Novit vestra discretio, venerande Pater, & Domine, quòd nos ab Imperatore accepimus in mandatis, ut vobiscum de Pace Ecclesiæ, Regis Siciliæ, & Lombardorum haberemus colloquium, & tractatum: sed quia vos tractatu Pacis omisso, novum verbum nobis de treguis faciendis proponitis, non possumus Sanctitati Vestræ super hoc certum dare responsum, quoadusque verbum istud, quod de novo audivimus, ad Imperatoris audientiam referamus.*

Acceptâ itaque à Papa licentiâ, ad Imperatorem, C qui apud Pomposam venerat, gradu concito perrexerunt. Est autem Pomposa locus quidam delectabilis & numerosus inter Ravennam, & Venetiam collocatus. Quumque Imperatori petitionem Papæ de componenda Pace cum Rege Siciliæ usque ad annos quindecim, & de faciendis treguis cum Lombardis usque ad annos sex per ordinem exposuissent, adversùs eos vehementer indignatus infremuit, asserens illos in hoc tractatu Pacis magìs Alexandri Papæ honori & commodo, quàm dignitati Imperii providisse. Quare præcepit eis, ut ad Papam redeuntes firmiter ei ex sua parte proponerent, quòd ipse cum eo D & Ecclesia Pacem libenter faceret, at Regis Siciliæ, & Lombardorum treguas denegaret. Qui venientes totum Papæ per ordinem retulerunt, sicut illis fuerat ab Imperatore mandatum. Post quorum discessum Imperator Gotifredum minorem Cancellarium cum Episcopo Clarimontis, & Abbate de Bonavalle Venetias delegavit, injungens eis, quòd Christiano Cancellario & sociis suis ignorantibus, cautè & privatim Papæ ex sua parte significarent, quòd ipse amoris ejus intuitu Pacem Regis Siciliæ usque ad annos quindecim, & usque ad sex annos Lombardorum treguas concederet, si Papa cuidam suæ petitioni præberet assensum. Quam tamen petitionem ei E volebat penitus esse incognitam, sed duobus Cardinalibus, quos ipse legisset, volebat illam diligenter exponi, ea tamen conditione, quòd si Cardinales electi petitione cognita de ea complenda consilium Papæ tribuerent, ipse eam sinè dilatione perficeret.

Ex mandato itaque Papæ Humbaldus Ostiensis Episcopus, & Theodinus Cardinalis ad hoc negotium sunt electi, quibus Imperatoris petitio ab ejus Nunciis privatim est & studiosè exposita. Quumque Cardinales petitione cognita

(50) Carusius leg. *servum*.
(51) In Codice Contelorii & Carusii *delegata*.

(52) In Cod. Contelorii & Caruf. *convenientia*.
(53) *τὸ ad minus* Contelorii Codex non habet.

gnita Papæ ſuggererent, quòd petitioni Imperatoriæ præberet aſſenſum, Alexander Papa, utpote homo providus & diſcretus, cœpit quænam eſſet illa occulta petitio animo æſtuanti revolvere, & Theutonicorum dolos & verſutias ſuſpectas habere. Quare mutavit cum voluntate conſilium, aſſerens: non decere auctoritatem Apoſtolicam petitioni incognitæ præbere conſenſum, nec de re dubia & incerta aliquid reſpondere; ſed ſi petitionem illam vellent ei fideliter aperire, & talis eſſet illa petitio, quæ contra honorem Dei, & damnum Eccleſiæ non ſpectaret, libenter eam effectui manciparet. Quo audito, Gotifredus minor Cancellarius indignatus ad Imperatorem rediit. Epiſcopus autem Clarimontis cum Abbate de Bonavalle, qui remanſerat, videntes quòd nullum à Papa poſſent habere reſponſum (licèt inviti) petitionem Imperatoris Papæ expoſuerunt.

Erat autem hæc petitio. Imperator Papæ per Nuncios ſuos promiſerat, quòd ſi Pacem cum eo faceret, Terram Comitiſſæ (54) Mathildis, quam ipſe tenebat, in manu ejus & Eccleſiæ poteſtate remitteret. Petebat ergo, ut liceret ei uſque ad quindecim annos videlicet quouſque pax Regis Siciliæ perduraret, ejuſdem Terræ reditus ſinè contradictione recipere: completis verò quindecim annis, volebat, poſſeſſione penes eum remanente, ſtatim de eadem Terra cum Eccleſia placitare, aſſerens illam ad jus ſui Imperii pertinere. Papa autem intuitu Regis Siciliæ, quem plurimùm diligebat, uſque ad condictum terminum Imperatori prænominatæ Terræ fructus habere conceſſit, hac tamen conditione, quòd completis quindecim annis ad poteſtatem & poſſeſſionem Romanæ Eccleſiæ Terra illa rediret. Et tunc Eccleſia in poſſeſſione poſita, ſi Imperator vellet de proprietate Terræ illius agere, libenter ei Eccleſia juſtitiam faceret.

Poſtquam autem hic modus petitionis implendæ per Epiſcopum Clarimontis, & Abbatem de Bonavalle, fuit Imperatori propoſitus, plurimùm illi diſplicuit, & ſic concordia per illos tractata remanſit. Chriſtianus autem Cancellarius, & reliqui, qui cum eo mediatores Pacis fuerant conſtituti, cognito quòd Imperator per alios Pacem Eccleſiæ tractare voluiſſet, nimium doluerunt, & venientes ad Papam Alexandrum, dixerunt: *Sanctitati Veſtræ, Domine, eſſe volumus non incognitum, quòd noſtri odio & invidia Pax Eccleſiæ præpeditur. Quidam enim noſtri æmuli falſa de nobis Imperatori ſuggerunt, & volunt in hac parte nos ei odioſos reddere pariter & ſuſpectos. Et ideo veremur plurimùm, ne dum nos abſentes ſumus, qui Pacem diligimus, & Nuncii in eundo & redeundo ſinè fructu tempora longa conſumunt, Imperator prolixitate temporis affectus tœdio, deſideratam Pacem abhorreat, & ſuggeſtione pravorum hominum, infecta Pace, recedat. Conſulimus ergo diſcretioni veſtræ, ut ſi vobis placuerit, propiùs Imperator accedat, ut veſtris & ſuis Nunciis citò ire & redire valentibus inchoata Pax, volente Domino, citò valeat conſummari.* Papa autem habito cum Nunciis Regis Siciliæ, & Lombardis conſilio, reſpondit:

Nobis quidem placet admodum, ut Imperator Clozam, quæ à Venetiis quindecim diſtat millibus, cum paucis veniat, ea tamen conditione, quòd vos in anima veſtra jurare faciatis, ut poſtquam illuc venerit, abſque noſtro mandato & licentia ulterius non procedat. Juramento itaque in hunc modum præſtito, Colonienſis Archiepiſcopus cum quibuſdam aliis Cæſenam ad Imperatorem vênit, & eum cum ſuis Clozam uſque deduxit. Quidam autem Populares Veneti, cognito Imperatoris adventu, ad eum accedentes cœperunt illi ſtudioſè ſuggerere, ut abſque mandato Papæ & licentia Venetias ſecurus intraret, firmiter promittentes, quòd eorum conſilio & auxilio Pacem poſſet cum Eccleſia & Lombardis pro ſua voluntate componere.

Quorum verbis Imperator aliquantulum acquieſcens, præcepit eis, ut dicta operibus conſummarent, dantes operam, ut totum Populum ad perfectionem hujus negotii cautè & ſapienter inducerent. Alexander autem Papa audiens, quòd Clozam Imperator veniſſet, Willelmum de Papia Portuenſem Epiſcopum, & Johannem Neapolitanum, & Theodinum, & Petrum de Bona Presbyteros Cardinales, & Hiacynthum Diaconum Cardinalem cum Chriſtiano Cancellario, & aliis Theutonicis, qui Pacis mediatores erant, ad eum direxit, mandans, ut ſi de beneplacito ejus eſſet, ipſe Nuncios Regis Siciliæ, & quoſdam de Lombardis Clozam tranſmitteret, ut illis præſentibus Imperator in anima ſua per Principes ſuos jurare faceret, quòd Pacem Eccleſiæ, & Pacem Regis Siciliæ uſque ad annos quindecim, & treguas Lombardorum uſque ad annos ſex firmiter obſervaret. Quo facto, Venetias poſſet ſecurus accedere, ejus procul dubio benedictionem & gratiam habiturus. Imperator verò, quia aures ſuas verbis Venetorum quodammodo inclinaverat, & eorum reſponſa diebus ſingulis expectabat, cœpit Cardinalibus de verbo Pacis, quaſi novum eſſet, & ſibi incognitum, reſpondere, & longis conſultationibus de die in diem ſua reſponſa differre. Quo cognito, Cardinales turbati ſunt plurimùm, & mirati; & quidnam deberent facere, neſciebant.

Interea Populares Veneti à Cloza Venetias redeuntes, in S. Marci Eccleſia congregati, totius (55) Populi ſeditionem & tumultum contra Ducem ſuum excitaverunt, dicentes: *Domine Dux, non bene honori & commodo commiſſi vobis Populi providetis. Ecce enim Imperator Romanus apud Clozam jam diebus aliquantis eſt demoratus, ubi caloris diſtemperantias, & muſcarum & culicum plures moleſtias ſuſtinet, nec ei licet Venetias intrare. Quod ipſe multum graviter recipit, & vindicandum in poſterum alta mente reponit. Et ideo veremur, ne tam gravis offenſa quandoque univerſo Populo periculoſa poſſit eſſe pariter & damnoſa. Quare de noſtra voluntate eſt, ut ſi veſtræ reſidet celſitudini, Imperator Venetias à vobis & à Populo invitatus accedat.* Quibus Dux benignè reſpondit: *Bene poteſtis firmiter recolere, Domini, quòd ad petitionem Papæ per duodecim prudentes viros in anima omnium noſtrorum jurare fecimus, quòd abſque mandato ejus & licentia Imperatorem intra fines Venetiæ nullatenus recipere deberemus. Provideat ergo veſtra diſcretio, ſi contra tenorem juramenti noſtri, Papa inconſulto, Im-*

(54) In Cod. Contelorii *Comitiſſæ R. Mathildis*.

(55) Contelorii Codex & Caruſ. addit *penè*.

Imperatorem debeamus huc advocare. Cui illi protinus responderunt: *Postquam ex mandato Papæ Clozam, quæ intra fines est Venetiæ, Imperator intravit: planè à nostri juramenti sumus vinculis absoluti*. Quumque super hoc à Duce & Populo esset diutiùs disceptatum, tamdem de communi consensu quidam Veneti sunt ad Papam directi. Qui venientes, sicut viri improbi & superbi, dormientem Papam excitare non timuerunt, proponentes ei ex parte Ducis & Populi, quòd de eorum erat voluntate & beneplacito, quòd Venetias Imperator intraret. Quod verbum admodum Papæ displicuit, & multum grave resedit, dicenti eis:

B *Vos nobis ex juramento tenemini, ut Imperator Venetias non debeat sinè nostra licentia, & mandato venire. Volumus ergo, ut Cardinales nostros, qui ad Imperatorem iverunt, cum ejus Nunciis usque in diem crastinum expectetis. Et eis venientibus, quid nobis faciendum sit, vobis respondere curabimus*. Quod verbum licèt Venetis displicuisset, plurimùm tamen precibus Papæ devicti, petitioni ejus (quamvis inviti) præbentes assensum, ad propria redierunt. Interea per totam regionem rumor insonuit, quòd Veneti contra voluntatem Papæ vellent Imperatorem Venetias intromittere. Quo audito Lombardi, qui cum Papa pro facienda pace Venetias venerant, C metuentes subitum Imperatoris adventum, & fidem Venetorum & constantiam suspectam habentes: intrantes naves, ad partes Tarvisiæ se transtulerunt. Papa autem cum paucis Cardinalibus, qui secum remanserant, cœpit contristari, & mœstus esse. Metuebat enim, si Imperator contra voluntatem suam, juramento non præstito, Venetias introiret, magnum ex hoc damnum & periculum posset Dei Ecclesiæ provenire.

Audientes autem hoc Nuncii Regis Siciliæ, venientes ad Papam cœperunt eum viriliter animare, dicentes: *Domine, non oportet vos dubitare in aliquo, vel metuere: ecce enim quatuor galêas Domini Regis Siciliæ ad vestrum obsequium præparatas habemus, quas* D *quum vobis intrare placuerit, securè vos de hoc loco, & absque periculo, invitis etiam Venetis, & contradicentibus, educemus*. Quibus verbis Papa plurimùm animatus respondit: quòd de suo erat proposito, ut Cardinales, qui ad Imperatorem iverant, usque in diem crastinum expectaret, ne si eis inconsultis recederet, posset meritò levitatis argui, & de violata fraternitate culpari. Quo audito, Regis Nuncii ad Palatium Ducis, ubi cum multis Venetis Dux de more convenerat, accedentes, eos taliter sunt alloquuti: *A vestra memoria excidisse non credimus, quanta beneficia Dominus Rex huic civitati contulerit, &* E *quòd hodie Princeps aliquis sub cœlo non vivit, cujus amicitia tantum sit vobis idonea, cujus gratia adeò sit vestris utilitatibus opportuna. Et vos ei ex juramento tenemini, sui Regni gloriam & honorem diligere, & pro ejus commodo plurimum laborare. Inde est, quòd nos hac consideratione inducti, & de vobis tamquam de amicis Domini Regis & fidelibus multam spem & fiduciam obtinentes, Papam, & Lombardos invitos pariter & renitentes Venetias venire coëgerimus: juramento tamen* A *priùs à vobis præstito, quòd sinè Papæ licentia non deberetis Imperatorem intra Venetiæ fines recipere. Sed ecce, ut audivimus, vestri juramenti & promissionis obliti, pace nondum disposita & firmata, Imperatorem non juratum ad civitatem istam, Papa contradicente, vocatis: & sic Pax Ecclesiæ, & Domini nostri Regis, vobis facientibus, impeditur. Sed in veritate sciatis, quòd nos in civitate ista non præstolabimur Imperatoris adventum, sed die crastina ad propria redeuntes, Domino Regi significare curabimus, qualiter pro tot & tantis beneficiis vobis à Regia liberalitate collatis, mala & damna plurima rependere studeatis*.

B Quibus auditis, Dux satìs placidè & benignè respondit: *Quòd vos indignatos aspicimus, & contra nos commotos esse cognoscimus, ægrè multùm patimur, & molestissimè sustinemus. Nos enim, qui Dominum Regem toto corde diligimus, & pro honore ejus & commodo nos & nostra exponere non dubitamus, nolumus non solùm vos, qui magni estis de Regno ejus, & Summi Principes, sed nec suorum minimum ad iracundiam provocare. Et quia inter eum, & Imperatorem Pacem esse dispositam credebamus, voluimus, ut in civitate nostra Pacis Domini Regis tamquam amicissimi nostri fieret consummatio. Et ideo recedendi vobis licen-* C *tiam non tribuimus; sed prudentiam vestram affectuosè rogamus, ut tamquam in domibus vestris securi, & sinè timore aliquo Imperatoris expectetis adventum*. Non autem idcirco taliter Dux respondit, quia ei & aliis sapientibus taliter Imperatoris displiceret adventus, sed quia timebat plebem, & popularem tumultum plurimùm formidabat.

Nuncii autem Regis hoc audientes, surgentes cum indignatione dixerunt: *Nos huc cum licentia vestra non venimus, nec cum vestra licentia recedemus; sed crastina die iter arripientes, Domini* (56) *Regis injuriam non verbis, sed operibus vindicare curabimus*. Qui ad D domos suas redeuntes, statim jusserunt galêas parari, tubas canere, arma, & totam suppellectilem in galêas induci. Quod factum postquam fuit per Venetias divulgatum, timor maximus Venetos occupavit. Timebant enim, ne si Regis Nuncii indignati recederent, hac occasione Rex Venetos, qui in terra sua erant, capi faceret, & in custodia detineri. Qua de causa magna multitudo virorum & mulierum, quorum parentes in Apuliam iverant, ad Ducem properans, proclamavit: *Vestram & totius Venetiæ prudentiam, illustris Dux, latére non credimus, quanta beneficia magnificus Rex Siciliæ nostræ regioni sua liberalitate præ-* E *stiterit, & qualiter nostræ famis inediam suæ terræ victualibus reparaverit. Ad quæ transportanda multi nostrorum civium in Apuliam transierunt, & secum non modicam pecuniam, & multas mercimonias detulerunt. Si ergo Rex audierit, Nuncios suos à nobis indignatos recedere, in cives nostros, & res eorum meritò poterit vindicare. Prævideat igitur vestra discretio, si occasione Imperatoris, à quo nihil umquam boni habuimus, amicitiam tanti Principis, à quo omne bonum recipimus, amittere debeamus. Et ideo magnificentiam vestram humiliter imploramus, ut nostrorum civium tam gravi damno & futuro periculo providentes, Nun-*

(56) Carusius add. *nostri*.

Nuncios Regis Siciliæ ab incœpto itinere revocetis, nec contra voluntatem Papæ, & illorum, Imperatorem Venetias intrare sinatis. Si qui enim sunt, qui contra hoc aliquid dicere, vel attentare præsumserint, parati sumus cum nostris parentibus & amicis eos morti tradere, & proximos nostros, qui in Regno Regis sunt, à futuro periculo liberare.

Dux autem eorum querimoniâ diligenter & gratanter auditâ, respondit: *Quòd Nuncii Regis Siciliæ volunt indignati recedere, non meæ imprudentiæ, sed quorumdam popularium seditioni est & malitiæ adscribendum, qui mea & prudentium virorum zelo & invidia provocati, non civitatis honori & gloriæ, sed suis utilitatibus providentes, die ac nocte dant studium & operam diligentem, ut Imperatorem, nobis contradicentibus, Venetias introducant; & ob hoc perjurii crimen & infamiam, & Papæ, & Regis Siciliæ grave & perpetuum odium debeamus incurrere.* Quumque illi iterum proclamassent, ut eorum, qui auctores erant seditionis, nomina Dux evidenter exprimeret, metuens, si noti fierent, ne ob hoc pugna in civitate maxima & seditio invalesceret, saniori usus consilio, Nobiliores & prudentiores, quos habere potuit, ad Papam direxit, pro parte totius Populi veniam humiliter postulans, & affectuosè deposcens, ut quod illi in eum stultè & superbè peccaverant, ipse eis ex innata humilitate & gratia relaxaret, & Nuncios Regis Siciliæ à proposito sui itineris revocaret.

Quibus Alexander Papa more solito satis benignè respondit: *Ego quidem, cui ..... sanctitas, & officium, ignoscendi gloriam reliquit, injuriam meam ad mentem non revoco, offensam meam pro Dei amore dimitto; sed Nuncios Regis Siciliæ tamquam viros nobiles & potentes, rogare quidem valeo, sed invitos detinere non potero.* Tandem Venetis multùm rogantibus & petentibus, ut ad hoc faciendum partes suas interponere dignaretur, motus Papa eorum petitionibus, per Rogerium de Pisa Subdiaconum, & Senescalcum suum, simul cum Venetis, Nunciis Regis Siciliæ preces affectuosè porrexit, ut divini & sui amoris intuitu indignationem compescerent, & conceptam iracundiam temperarent, atque propositum suum ab incœpto itinere revocarent. Quibus illi responderunt: *Dominus quidem Papa, sicut vir perfectus, & sanctus, & de sui meriti auctoritate confisus, mori non metuit, & Venetorum dolos & insidias non pavescit. Nos autem, qui adhuc imperfectiores sumus, mori nolumus, & nostro Regi inferre injuriam moriendo vitamus. Veneti ingratitudinis filii, & Regiæ liberalitatis obliti, volunt Domino nostro mala pro bonis rependere, & ad perturbationem Pacis ejus, contra voluntatem Domini Papæ & nostram, inimicum ipsius Venetias introducere. Dominus autem noster tantæ est potentiæ, & virtutis, quòd pro his excessibus, quos contra amicitiam suam faciunt, illis, sicut decet, respondere curabit. Sed quia nos preces Domini Papæ pro mandato accipimus, iter nostrum usque in diem crastinum differemus. Et debinc communicato cum eo consilio, quid nobis faciendum sit, disponemus.* Quibus auditis, Veneti ad Ducem suum redeuntes, ea, quæ à Papa & Nunciis Regis audierant, illi per ordinem retulerunt.

Altera autem die Dux sano usus consilio, apud Rivum-altum sub voce præconis fecit publicè declamare, ut nullus de adventu Imperatoris auderet verbum facere, nisi quum Alexander Papa præcepisset. Quum autem ea, quæ apud Venetias dicta & facta fuerant, ad Imperatoris ad Clozam demorantis audientiam pervenissent, sua spe & intentione frustratus, cœpit de suo rigore mollescere, & Cardinalibus, qui ibi erant, de verbo Pacis benigniùs respondere. Cancellarius verò, & alii Ecclesiastici Principes, qui Pacis consummationem plurimùm affectabant, spiritu libertatis assumto, Imperatori viva voce dixerunt: *Bene debet (57) Imperialis majestas recolere, quòd quidam è nostris ex mandato vestro Anagniam accedentes, cum Alexandro Papa de Pace Ecclesiæ, & Imperii, de Pace Regis Siciliæ, & Lombardorum tractatum habuimus. Et ipse, utpote vir sanctus, Pacis cupidus & amator, nostro consilio & hortatu Campaniam deserens, Venetias jam intravit, paratus ea, quæ de bono Pacis promiserat, firmiter consummare. Vos autem (ut credimus) suggestione pravorum hominum à consilio nostro vultis recedere, & à Pacis proposito declinare. Nos verò ex jure debiti, quo Imperio tenemur adstricti, parati sumus vobis, ut Domino, in temporalibus obedire, & pro Regalibus, quæ tenemus, consuetum vobis servitium facere. Sed quia nostrorum estis corporum, non animarum Dominus: nolumus pro vobis animas nostras perdere, & terrena cœlestibus anteferre. Quare noscat Imperialis discretio, quòd nos de cætero Alexandrum in Catholicum Papam recipimus, & ei ut Patri in spiritualibus obedimus. Idolum verò, quod erexistis in Tuscia, nullatenus adoramus.*

Quibus auditis, Imperator, operante eo, qui corda Principum sicut vult, & quando vult, humiliter (58) inclinat, leonina feritate deposita, ovinam mansuetudinem induit, & eis humiliter & benignè respondit, dicens: *Noscat vestra fidelitas, dilectissimi, quòd non est meæ voluntatis consilium vestrum deserere, & Pacis per vos tractatæ propositum evitare; quin potiùs volumus ea, quæ vestrò (59) sunt ordinata consilio, firmiter observare. Ut autem à vestris cordibus omnis super hoc dubitationis scrupulus excludatur: Comiti Henrico de Diessa, qui est in præsentiarum, præcipimus, ut vobiscum & cum Cardinalibus Venetias abiens, coram Papa in anima mea juret, quòd ex quo Venetias intravero, in anima mea jurare faciam, quòd Pacem Ecclesiæ & Imperii, Regis Siciliæ, & Lombardorum, sicut disposita est & tractata, firmiter observabo; & de ea observanda, præcepto nostro duodecim Principes nostri simile juramentum præstabunt.*

Cancellarius autem & reliqui mediatores Pacis cum Cardinalibus hæc audientes multùm læti effecti, festino gressu Venetias redeuntes, ea quæ ab Imperatore dicta & ordinata fuerant, Papæ per ordinem retulerunt. Qui protinus per Nuncios suos Rectores Lombardiæ, qui in partes Tarvisiæ secesserant, Venetias revocavit.

Altero autem die, coram Papa & Cardinalibus

(57) Pro *debet potest*: Contelorius.
(58) Contelor. & Caruf. *humiliat & inclinat*.
(59) Contelorii Codex malè *nostro*.

libus, Nunciis quoque Regis, & Lombardis, & magna Populi multitudine, Comes Henricus de Diessa, sicut ei ab Imperatore mandatum fuerat, in anima ejus de præstando juramento pacis observandæ juravit. Capellanus autem Coloniensis Archiepiscopi in anima Principum, qui ibi aderant, simile juramentum præstitit. Hoc autem facto, ex mandato Papæ, Veneti cum sex ga èis Clozam iverunt, & Imperatorem cum suis in galêis recipientes, eum usque ad S. Nicolaum, qui dicitur *Ad litus*, Sabbato in sero honorificè adduxerunt.

Sequenti verò die Dominica, octava scilicet die residua stante mensis Julii, in Vigilia B. Jacobi, Papa cognito Imperatoris adventu, galêas ingressus cum Nunciis Regis, & magna Lombardorum ac Populi multitudine, ad Ecclesiam S. Marci summo mane (60) devotus accessit, & Humbaldum Ostiensem, & Willelmum Portuensem, & Manfredum Prænestinum Episcopos, & quosdam de Cardinalibus ad Imperatorem transmisit. Qui venientes, ipsum & suos ab excommunicationis vinculo absolverunt. Christianus autem Cancellarius procedens in publicum, tactis sacrosanctis Evangeliis, ait: *Ut omnes evidenter agnoscant, me esse nomine & opere Christianum: Octavianum Cremensem, & Joannem de Struma cum suis complicibus prorsus abjuro; & Alexandrum, & Successores ejus in Catholicum Papam recipio*. Et alii Prælati Ecclesiarum similiter juraverunt.

Dux autem Venetiæ, cognito quòd Imperator ab excommunicationis esset nexibus absolutus, cum Patriarcha, & magna Cleri ac Populi & navium multitudine usque ad Ecclesiam S. Nicolai illi obviam vênit: quem in sua navi recipiens, usque ad litus S. Marci satis honorificè & pompòsè deduxit. Imperator autem de navi descendens, simul cum Duce, Patriarcha, & Episcopis suis, & Clero, & Populo Venetiæ, ipsum cum vexillis, & Crucibus processionaliter præcedente, usque ad Ecclesiam S. Marci, ante cujus atrium Alexander Papa cum Episcopis suis & Cardinalibus, cum Patriarcha Aquilejæ, Archiepiscopis, & Episcopis Lombardiæ, Ecclesiastico more ornatis, honorificè residebat, pedes accessit.

Quumque ad Papam appropiasset, tactus divino Spiritu, Deum in Alexandro venerans, Imperiali Dignitate postposita, rejecto pallio, ad pedes Papæ totum se extenso corpore inclinavit. Quem Alexander Papa cum lacrymis benignè elevans, recepit in osculo, & benedixit, moxque à Theutonicis *Te Deum laudamus* est excelsa voce cantatum. Imperator autem apprehensâ Papæ dexterâ, ipsum in Ecclesiam introduxit, & accepta ab illo benedictione, ad Palatium Ducis cum suis rediit. Papa verò cum Cardinalibus, & Nunciis Regis iterum galêas ingressus ad suum hospitium rediit. In Vesperis autem Imperator per Nuncios suos Papam satis affectuosè rogavit, ut si ei placeret, sequenti die, in Festo scilicet B. Jacobi, in Ecclesia S. Marci Missarum solemnia celebraret; desiderabat enim ab ore ejus divina officia supplex & devotus audire. Cujus petitioni Papa assensum benignus accommodans, summo mane cum Cardinalibus ad S. Marci

A Ecclesiam vênit. Cujus vestiarium ingressus, cum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & Cardinalibus, honorificè satis & Ecclesiasticè se induit, & ad celebranda divina Missarum solemnia præparavit.

Imperator autem, ut humilitatem, quam corde conceperat, opere demonstraret, sumto stratoris officio, pallium deposuit, manu virgam accepit, Laicos de Choro expulit, & Papæ ad altare solemniter & processionaliter venienti viam tamquam Ostiarius præparavit. Dehinc in Choro cum Archiepiscopis, Episcopis, & Clericis Alamanniæ remanens (quibus eo die cantandi injunctum erat officium) Missam Domini Papæ devotè satis & B humiliter audiebat.

Quumque dicto Evangelio Papa ascendisset pulpitum, ut alloqueretur Populum, Imperator accedens propiùs, cœpit verba ejus attentiùs auscultare. Cujus devotionem Papa diligenter attendens, verba, quæ ipse Latinè (61) proferebat, fecit per Patriarcham Aquilejæ in lingua Theutonica evidenter exponi. Finito autem sermone, & *Credo in unum Deum* solemniter decantato, Imperator cum suis Principibus ad pedes Papæ devotus accessit, & obtulit. Finitâ autem Missâ, quum Papa ad suum Palatium vellet redire, Imperator dexteram ejus accipiens, eum usque ad portas Ecclesiæ satis honestè deduxit. Quumque C equum suum album de more vellet ascendere, Imperator ex alia parte accedens, strevam ejus tenuit; & postquam equum ascendit, ipsum aliquantulum stratoris more per freni lora deduxit, quem Papa benedicens, ad hospitium redire permisit. Ipse verò cum Clero & Populo illum præcedente, usque ad mare descendit. Dehinc galêas ingressus, ad Palatium suum cum gloria est & honore reversus.

Venientibus autem proximis Kalendis Augusti, Imperator cum Archiepiscopis, & Episcopis, & reliquis Principibus suis, & magna Populi multitudine, ad Patriarchæ Palatium, in quo Papa erat hospitatus, accessit. In cujus Palatii aula longa satis & spatiosa, Papa D in eminentiori loco positus in faldistorio suo resedit, & Episcopis suis & Cardinalibus hinc inde circumstantibus, Imperatorem quidem in sua dextera supra Episcopos, & Præsbyteros Cardinales, Romualdum verò Salernitanum Archiepiscopum in sinistra supra Diaconos Cardinales residere præcepit. Finito (62) itaque silentio, sic est Papa Alexander exorsus.

Hæc est, inquit, *dies*, Fratres carissimi, *quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea, quia hic filius noster Romanorum Imperator illustris mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus est. Nam postquam cordi* E *ejus supernæ radius claritatis illuxit, totius falsitatis depulsa caligine, de errore ad veritatem rediit, de tenebris ad lumen transiit, de schismate ad unitatem accessit, & ad caulas Matris Ecclesiæ tamquam ovis erratica repedavit. Exultet igitur Fidelium votiva religio, quia hodie pater juniorem recepit filium, Catholicum Principem Romanum recuperavit Imperium; Mater Ecclesia suum evaginatum in vaginam convertit gladium; navis Piscatoris egregii, quæ, culpis exigentibus, adversitatum turbine penè demersa jam fuerat, nunc procel-* *lis*

(60) Contelorii Codex non habet *summo mane*.
(61) In Codice Contelor. *Literatè* Caraf. *Literatoriè*.

(62) In Contelorii Codice *Facto*.

A lis cessantibus, ad litus solidum, & veræ quietis portum illæsa pervenit. Ecclesiæ suæ preces pro bono pacis frequenter effusas Dei Filius clementer audivit, & eam cum suo Principe in pace & concordia collocavit. Inde est, quòd, destructis adversitatibus & erroribus universis, secura jam pace fruitur, & jucunda securitate lætatur. Cesset igitur antiqua discordia, finem accipiat inveterata malitia; una Fides, unus Dominus, una sit & Ecclesia. Schisma in unitatem transeat, & divisio ad Caritatem accedat. Omnis jam ad pacem Ecclesia redeat, & ad Matris suæ gremium filiorum numerositas gratiosa recurrat. Sit Deo gloria in altissimis, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. B Et quia nos Imperatoris nostri pium animum, & benignam agnoscimus voluntatem: cum intra nostræ mansuetudinis brachia tamquam carissimum filium benigniùs amplectimur, & tam ipsum, quàm uxorem, & ejus filium in Catholicos Principes paterno affectu recipimus, & ipsis honorem debitum impendere procuramus; Deum, & Apostolos nostros affectuosè rogantes, ut ipsos Ecclesiæ suæ servent incolumes, & per longa tempora custodiant defensores.

Postquam Papa loqui desiit, Imperator, deposito pallio, de faldistorio surgens, cœpit in lingua Theutonica concionari, Christiano Cancellario verba sua vulgariter exponente. Ait ergo: C *Majestati nostræ satìs gratum residet & acceptum, quòd Deus Omnipotens, cujus manu Principum corda tractantur, cujus arbitrio eorum voluntates & consilia diriguntur, nostræ conscientiæ puritatem attendens, ex diversis Mundi partibus viros providos & discretos huic Curiæ voluit interesse, ut ipsi errorem nostrum, & conversionem nobis referentibus manifestè cognoscerent; dehinc ad propria redeuntes, devotionem nostram, quam erga Dei Ecclesiam gerimus, publicè prædicarent. Totus igitur Mundus evidenter agnoscat, quòd licet nos Romani Imperii dignitate & gloria fulgeamus, tamen à nobis humanæ conditionis proprium Dignitas Romana non abstulit, nec ignorantiæ vitium Majestas Imperialis exclusit.* D *Nam suggestione pravorum hominum ignorantiæ fuimus tenebris involuti, & per viam veritatis credentes incedere, extra justitiæ semitas nos invenimus. Ecce enim Dei Ecclesiam, quam credebamus defendere, impugnavimus, & quam sperabamus extollere, penè destruximus. Occasione nostra Domini nostri Jesu Christi tunica inconsutilis est divisa; & quantum in nobis fuit, per hæreses, & schismata violata. Decepit nos causæ meritum, & color negotii perturbavit, quia dum in facto Ecclesiæ potiùs virtutem potentiæ, quàm rationem justitiæ, voluimus exercere, constat nos in errorem meritò devenisse. Justitia enim tyrannidem* (63) *respuit,* E *æquitas violentiam non admittit. Sicque factum est, quòd ille, qui humilia respicit, & alta à longè cognoscit, potentiam nostram, & adversæ partis humilitatem considerans, more suo potentes de sede deposuit, & humiles exaltavit. Sed quia Divina clementia nos ad correctionem nostram ad tempus errare voluit, sed deviare in perpetuum non permisit: universa hæc Fidelium turba cognoscat, quòd nos de cætero, errore totius falsitatis abjecto, ad veritatem convertimur, de Schismate ad unitatem redimus, & ad gremium Matris nostræ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ gratanter accedimus; Dominum Alexandrum, qui est in præsentiarum, & Successores ejus in Catholicum Papam recipimus, & ipsi tamquam Patri debitam reverentiam exhibere proponimus. Pacem nostram Ecclesiæ, illustri Regi Siciliæ, & Lombardis, sicut inter nos ordinatum est & dispositum, reddimus.*

Imperator verba finierat, cumque in laudem ejus qui aderant acclamassent, iterum facto silentio, Sancta Dei Evangelia cum Sanctorum Reliquiis, & Cruce de Ligno Domini sunt producta in medium. Mandante itaque Imperatore, Comes Henricus de Diessa in anima Imperatoris juravit, quòd ipse Pacem Ecclesiæ & Imperii, pacem Regis Siciliæ usque ad annos quindecim, & Treguas Lombardorum usque ad annos sex, sicut per mediatores hinc inde tractatum & scriptum fuerat, bona fide, sinè fraude & malo ingenio firmiter observaret; & Henricum Regem filium suum id ipsum jurare faceret, & servare. Dehinc duodecim Principes Imperii tam Ecclesiastici, quàm Sæculares, tactis sacrosanctis Evangeliis, modo simili juraverunt. Protinus Romualdus Salernitanus Archiepiscopus surgens, per eadem Evangelia juravit, quòd postquam Imperator Nuncios suos propter hoc ad Regem in Siciliam miserit, Rex infra duorum mensium spatium per aliquem Principum suorum de observanda Imperatori Pace usque ad annos quindecim, in anima sua jurare faciet; & per decem Principes suos juramentum ei simile faciet exhibere. Comes etiam Rogerius, sicut Archiepiscopus fecerat, id ipsum manu sua juravit. Dehinc Rectores Lombardiæ, qui ibi aderant, juraverunt, quòd usque ad annos sex bona fide, & sinè fraude, treguas Imperatori observarent, sicut inter eos tractatum, & dispositum erat; & quòd per singulas civitates Consules & Nobiles civitatum id ipsum jurare facerent. Quo facto, illius diei Curia est soluta, & tam Imperator, quàm reliqui cum gaudio & lætitia ad sua hospitia sunt reversi.

Interea Christianus Cancellarius, qui pro consummatione Pacis plurimùm laboraverat, nacta opportunitate temporis, cœpit per Imperatorem, & Principes suos dare studium & operam diligentem, ut Papa Alexander Moguntinum illi Archiepiscopatum auctoritate Apostolica confirmaret. Quod præsentiens Chonradus, qui in Moguntina Ecclesia priùs Electus & consecratus fuerat, ad Papam accedens ait: *Novit vestra Sanctitas, Veneranda Pater, novit universa hæc Romana Ecclesia, quòd ego vestræ personæ intuitu, Moguntinam Ecclesiam, in qua canonicè electus fueram, inscio Imperatore, reliqui, & honorem meum, parentes, & patriam pro Dei amore deserui, & ad vos in Franciam festinus accessi, exilium patriæ præposui, & in labores & angustias quietem meam & otium commutavi. Benè potestis recolere, quantum Catholicæ Ecclesiæ meus adventus contulerit, & qualiter partem vestram adhuc nutantem & debilem plurimùm roboraverit. Vos autem vestri gratiâ mihi vicem congruam pro tempore rependistis; nam primò me in Presbyterum Cardinalem, dehinc in Sabinensem Episcopum, postremò in Moguntinum Archiepiscopum consecrastis. Nunc autem (ut audio) vultis Christiano*

(63) Malè in Contelorii Codice: *fortitudinem*. Caruf. *fortitudinem respicit*.

A *no Cancellario, qui Moguntinam Ecclesiam per violentiam invaserat, eamdem converso religionis ordine confirmare. Quod multum ab æquitate discrepat, & à ratione discordat, ut Schismaticus Catholico, & intrusus canonicè electo debeat anteponi. Rogo igitur, & humiliter postulo, ut postquam Deus Pacem Ecclesiæ suæ reddidit, mihi quoque de jure mea reddatur Ecclesia, ut sicut fui socius tribulationis, ita sim particeps consolationis & gaudii.*

Cui Papa satis benignè respondit: *Devotionem tuam, Fili carissime, quam erga Romanam Ecclesiam, & personam nostram habuisse dignosceris, manifestè recolimus, & ardorem fidei tuæ publicè protestamur.* B *Multum nostræ parti vester adventus contulit, multum nostra Ecclesia de vestra societate profecit. Et nos quidem, Deo teste, pro utilitate vestra sumus valde solliciti, & facere quæ vobis expediant, tenemur obnoxii. Nolumus honorem vestrum minuere, sed augere: nolumus vobis inferre injuriam, sed gloriam ministrare. Non debet autem à vestra memoria excidisse quod sæpe nobis & Nunciis & literis significastis, quòd si inter Ecclesiam & Imperium Pax non posset aliter fieri, nisi Moguntino Archiepiscopatu à vobis dimisso (licèt hoc vobis grave resideret plurimum & molestum) tamen pro bono Pacis hanc jacturam æquanimiter pateremini, volentes honorem Ecclesiæ honori vestro, & illius commodum vestris utilitatibus anteponere.* C *Et ecce Imperator cum magna instantia asseverat, quòd nullatenus in Pace Ecclesiæ remanebit, si Christianus Cancellarius à Moguntinæ Sedis fuerit prælatione dejectus. Nos autem absque vestra notitia nullum suæ petitioni adhuc voluimus dare consensum, nec, vobis ignorantibus, aliquod præbere responsum.*

Tunc Chonradus benignam Apostolici responsionem considerans, & voluntatem ejus rationi consentaneam esse cognoscens, consultandi super hoc cum amicis suis à Papa inducias petiit, & accepit. Habito itaque consilio, ad Papam rediit, & humili voce respondit: D *Licèt, Reverende Pater, mihi injuriosum sit pariter & molestum, ut Ecclesiam meam debeam sinè culpa dimittere, & locum mei regiminis, nulla offensa interveniente, mutare; tamen quia ad meum spectat officium, non quæ mea, sed quæ Jesu Christi sunt, quærere, nolo ut occasione mei Pax inter vos & Imperatorem facta (64) remaneat, & discordia sepulta resurgat. Pro Pace Ecclesiæ conservanda, pro qua Christus vitam suam perdidit, libenter volo meum honorem perdere, & cum meo damno utilitati Ecclesiæ providere. Et idcirco ut omnis materia discordiæ & scandali auferatur è medio Moguntinum Archiepiscopatum in potestate vestra spontè relinquo, & me liberalitati vestræ, & patrocinio recommendo.*

E Quo audito, Papa lætus effectus, habito cum Imperatore consilio, prænominatum Chonradum, Cardinalatus illi & Sabinensis Episcopatus dignitate servata, in Saltzburgensi Ecclesia honorificè fecit eligi. Nam filius Regis Bohemiæ, qui eidem Ecclesiæ præerat, pro eo quòd de Simonia, & quibusdam aliis criminibus coram Papa fuisset accusatus, de merito suæ causæ diffidens, commissam sibi Ecclesiam in manu Papæ spontanea voluntate remisit. Sicque factum est, quòd Alexander Papa, sicut vir providus & discretus, pro conservanda Pace Ecclesiæ utens dispensatione (65) Canonica, Chonradum quondam Moguntinum Archiepiscopum in Saltzburgensem Ecclesiam sublimavit. Christiano autem Cancellario Moguntinam Ecclesiam auctoritate Apostolica confirmavit, & tam ei, quàm Philippo Coloniensi Archiepiscopo, qui à suis Suffraganeis & Catholicis fuerant consecrati, recepto ab utroque juramento obedientiæ, pallia de more concessit.

Alexander autem Papa prudentiam & literaturam Romualdi Salernitani Archiepiscopi diligenter attendens, & devotionem, quam erga Romanam Ecclesiam semper habuerat, recolens: ad petitionem ipsius Archiepiscopi, communicato Fratrum suorum consilio, ipsi & successoribus ejus usum & dignitatem portandæ Crucis per civitatem, & totam suam Parochiam Apostolica auctoritate concessit, & donum, quod exinde Salernitanæ Ecclesiæ in perpetuum fecerat, sui Privilegii munimine roboravit. Hoc etiam silentio prætereundum non est, quòd Schismatici, qui in diversis Ecclesiis Tusciæ, & Lombardiæ auctoritate Imperiali intrusi fuerant, & quidam dicti Cardinales, qui Joanni de Struma adhæserant, audito, quòd Imperator cum Ecclesia, & Papa Alexandro Pacem fecisset, pœnitentia ducti, Venetias festino gressu venientes, primò Schisma, quod defenderant, abjurabant, dehinc per Sancta Dei Evangelia promittebant, quòd de excessu, quem fecerant, Domni Papæ Alexandri mandato starent, & eum & Successores ejus in Catholicum Papam reciperent. Et sic ab excommunicationis vinculis absoluti ad ejus pedes accedebant.

Pace igitur, ut prædiximus, inter Imperatorem & Regem Siciliæ facta pariter & jurata, Nuncii Regis ad Imperatoris Palatium, ipsum ex Regia parte salutaturi iverunt. Quo cognito, Imperator de camera sua egressus, eos, multis adstantibus, satis honorificè & benignè suscepit. Quumque Romualdus Salernitanus Archiepiscopus de faldistorio suo surgens, stans loqui voluisset, Imperator eum sedentem loqui præcepit. Facto itaque silentio, Archiepiscopus sic est exorsus: *Dominus noster gloriosus Rex Siciliæ Dominum Imperatorem, qui est in præsentiarum, sicut carissimum amicum & fratrem suum devotè pariter & affectuosè salutat, & per nos magnificentiæ Imperiali significat, quòd, quum hoc anno Nuncii sui ad Dominum Papam pro bono Pacis Anagniam advenissent, scripsit Dominus Papa Domino nostro glorioso Regi, ut aliquos de latere suo ad eum mitteret, qui cum eo tractandæ Pacis colloquio interessent. Dominus autem Rex devotissimus filius ejus ad petitionem illius Comitem Rogerium, virum utique providum & discretum, & de sanguine Regio ortum, & me cum eo ad ejus præsentiam destinavit, ut in perficienda Pace adjutores essemus pariter & præsentes; non quòd Dominus noster Rex pacificus cum Domino Imperatore aliquam credat habere discordiam. Ipse enim sicut Catholicus Princeps, & Pacis filius, omnes Christianos Principes diligit, & quantum in eo est, cum illis pacem & concordiam habere credit. Solos inimicos Crucis Christi crudeli odio*

(64) Supple ex Contelor. Cod. *facta, infecta remaneat.*

(65) Contelorius *dispositione.*

odio mari & terra persequitur. Inde est, quòd non parcit pecuniæ, non indulget expensis, sed singulis annis biremes (66) *suas præparat, & cum eis armatam militiam destinat, ut hostes Christianæ Fidei devincat pariter & confundat, & euntibus ad Sepulcrum Domini securum iter præparet & expediat. Alii Mundi Principes subditos suos vehementer impugnant, & cum inimicis Fidei pacem facere non formidant, de Sepulcro Domini, quod à Sarracenis impugnatur, non multum cogitant, & eum, qui solus ipsum defendere nititur, impedire festinant. Alii quæ sua sunt quærunt. Solus Rex noster, quæ Jesu Christi sunt, devotus inquirit. Quum ergo ipse in Dei servitio tam sanctam & puram devotionem habeat, vos, Domine Imperator, qui Ecclesiæ Dei specialis estis filius & defensor, singulari amoris privilegio præ ceteris Mundi Principibus Dominum Regem & venerari debetis pariter & amplecti, qui Dei Ecclesiam semper intendit extollere, & inimicos ejus non desinit impugnare. Nulla est inter vos & Dominum Regem dissidii causa, vel odii seminarium intervenit. Dominus autem Rex à magnificentia vestra se numquam offensum meminit, vel vos in aliquo offendisse cognoscit; sed certum apud eum & firmum existit, quòd si Imperialis Majestas cum Regia magnificentia perfectæ Pacis vinculo fuerit counita, Ecclesiæ Dei & toti Orbi magnum poterit commodum provenire.*

Archiepiscopus verba finierat. Protinus Imperator per Gotifredum Cancellarium suum ad ejus verba respondit, dicens: *Salutes ex parte illustris Regis Siciliæ per vos magnificentiæ nostræ transmissas ea, qua decet, reverentia & honore suscipimus, & eidem loco & tempore opportuno rependere multiplices procurabimus. Quòd autem tam idoneas & elegantes personas ad Pacis nostræ colloquium destinavit, nostræ excellentiæ satìs gratum residet ac acceptum: quia ex Legatorum suorum scientia, probitate simul, & sapientia, delegantis Domini auctoritatem perpendimus, & à nobis meritò in numero summorum Principum reputatur, qui talibus & tantis personis præesse dignoscitur. Quod verò significastis, eum erga Serenitatem nostram amicam gerere voluntatem: hoc verum esse, rerum experientia comprobavimus. Nam licèt popularis opinio nos ad invicem esse crederet inimicos, tamen inter nos haberi Pacem & concordiam operis exhibitio demonstravit, quia eum & terram ejus numquam offendimus, & nos ab eo in nullo offensos veraciter profitemur. Et quia ipse præ universis mundi Principibus inimicos Crucis Christi mari & terra persequitur, & cum hostibus Christianæ Fidei guerram semper & discordiam habere dignoscitur, nos illi tamquam Catholico Principi & Pacis filio, Pacem nostram gratanter offerimus, & eum sinceræ caritatis brachiis amplexamur. Nam in veritate cognoscimus, quòd ex hoc mutuæ dilectionis affectu Ecclesiis Dei proveniet non parva utilitas; Christianis omnibus, & præcipuè ad Domini Sepulcrum euntibus magna securitas; Infidelibus autem terror, confusio pariter & egestas.*

Quo audito, Regis Nuncii Imperatori de bona voluntate, quam erga Regem se habere dicebat, gratias referentes, acceptâ ab eo licentiâ, ad sua hospitia alacres sunt reversi. Ipsi autem, sicut viri sapientes & providi, metuentes, ne Pacis factæ memoriam longævitas temporis aboleret, dederunt studium & operam diligentem, ut forma Pacis, quæ inter Imperatorem & Regem facta fuerat, Imperiali jussione redigeretur in scripturis, ut eam de cætero non posset temporis vetustas destruere, quam Imperialis Privilegii scriptura servaret. Ad petitionem igitur eorum, Pacis inter Imperatorem & Regem initæ scriptum est Privilegium, & sigilli aurei impressione munitum. Ut autem prænominati Privilegii notitiam semper habere possit sequutura posteritas, ejusdem Privilegii exemplar huic nostro operi dignum duximus adnotare.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen &c.

Nos Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator & semper Augustus, & Henricus Rex filius noster, interventu venerabilis Patris nostri Alexandri Dei gratiâ Summi Pontificis, & Fratrum suorum Cardinalium, pro parte nostra & hæredum nostrorum paciscimur vobiscum, Domine Willelme, eâdem gratiâ illustris Rex Siciliæ, quòd amodo (67) *usque ad quindecim annos observabimus vobis, & hæredibus vestris, & universo Regno vestro, & toti terræ dominationis vestræ, veram & firmam Pacem. Et quòd per nos, vel per quoslibet alios, mari, vel terra, vos prædictum illustrem Regem, & hæredes vestros, aut Regnum vestrum, & terram dominationis vestræ, sicut præscriptum & determinatum est, usque ad quindecim annos non invademus, nec invadi faciemus, nec vobis, aut Regno vestro, & jam dictæ terræ dominationis vestræ guerram aliquo modo faciemus. Et ut hæc omnia suprascripta firmiter & illibata à nobis supradicto Friderico Dei gratiâ Romanorum Imperatore & semper Augusto, & Henrico filio nostro Rege, & hæredibus nostris, tam vobis supradicto illustri Regi Willelmo, quàm hæredibus vestris, & Regno vestro, & toti terræ dominationis vestræ attendantur, & observentur: nos prædictus Imperator bona fide, sinè fraude, & malo ingenio, in præsentia Beatissimi Patris nostri Papæ Alexandri, & Cardinalium, & Legatorum vestrorum Romualdi venerabilis Salernitani Archiepiscopi, & Rogerii egregii Comitis Andriæ, & Principum ac fidelium nostrorum, à Comite Henrico de Diessa in anima nostra, super sancta Dei Evangelia, & Sanctorum Reliquias jurare fecimus, & Henricum filium nostrum per interpositam dignam personam in anima sua idipsum jurare faciemus usque ad medium futurum Septembrem, Indictionis undecimæ. Et Principes nostros idem jurare fecimus, videlicet Moguntinum Archiepiscopum, Arnoldum Trevirensem Archiepiscopum, Conradum Wormatiensem Electum, Gotifredum Imperialis aulæ Cancellarium, Guorvvinum* (68) *Protonotarium, Marchionem Theodoricum de Susiz* (69), *Florentium Comitem Holandiæ, Comitem Diedonem de Groyz, Comitem Henricum de Diessa, Comitem Robertum de Diuna. Ad hujus autem pacti, promissionis, & juramenti nostri,* (70) *& Principum nostrorum memoriam, & inviolabile firmamentum, præsens Privilegium no-*

(66) In Cod. Contelorii *triremes*.
(67) In Contelorii Cod. *quomodo usque &c.*
(68) Contelorius *Guorminum*.
(69) Centelorius *Suiz*.
(70) Contelorii Codex addit, *& Henrici filii nostri*.

nostrum per manus Guortvvini Protonotarii nostri scribi fecimus, & Imperiali sigillo nostro aureo sigillatum, & prædictorum Principum juramento communitum, vobis suprascripto illustri Regi Willelmo fecimus assignari. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo septimo, mense Augusti, decima Indictione.

Postquam verò Imperator præscriptum Privilegium Nunciis Regis tradidit, & quòd missurus esset Christianum Cancellarium in Siciliam pro recipiendis juramentis ei similibus repromisit; prænominati Nuncii non contenti Imperiali Privilegio, ad majorem certitudinem Pacis initæ robur & firmamentum, aliud Privilegium à Papa & Cardinalibus Romano fecerunt more conscribi, in quo Imperiale declaratum est Privilegium, & auctoritate Sedis Apostolicæ roboratum. Quo facto Huzizo (71) Cardinalis ex mandato Papæ, & Imperatoris cum Imperialibus literis, & cum Notario Salernitani Archiepiscopi, & Capellano Comitis Rogerii ad Castellum Gayvæ, ubi Imperatrix cum Henrico Rege filio suo morabatur, advênit. Præsentibus itaque Imperatrice, Rege Henrico filio ejus, C. Marchione de Monte-Ferrato, & quibusdam de Rectoribus Lombardiæ, & Notario Archiepiscopi, & Capellano Comitis, & multis aliis probis & idoneis viris, Verdensis Episcopus stolâ collo impositâ, ex mandato Imperatoris, & Regis Henrici, in anima ejus super sancta Dei Evangelia & Reliquias juravit, quòd ipse Rex Henricus Pacem Ecclesiæ & Imperii, sicut à patre suo jurata fuerat, & Pacem Regis Siciliæ usque ad annos quindecim, & treguas Lombardorum usque ad sex annos, bona fide, sinè fraude & malo ingenio firmiter observaret.

Advenientibus autem Vigiliis Assumtionis Beatæ Virginis, quæ eo tempore in die Dominico advenerunt, Alexander Papa cum Episcopis suis, & Cardinalibus, cum Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus Alamanniæ, Lombardiæ, & Tusciæ, cum Imperatore, & Duce Venetiæ, cum Nunciis Regis Siciliæ, & magna Populi multitudine in Ecclesia B. Marci conveniens, solemne ibidem Concilium celebravit. Dictis itaque orationibus, & Litaniis, & aliis, quæ de more in Concilio sunt dicenda, & longo sermone de Pace habito: Alexander Papa candelas accensas Imperatori, & Clericis, & Laicis, qui ibi aderant, dari præcepit. Et ipse excommunicationis formam hoc modo proposuit: *Nos ex parte Dei omnipotentis, & Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, excommunicamus, & à gremio Matris Ecclesiæ separamus omnes personas tam Ecclesiasticas, quàm sæculares, quæcumque Pacem, quæ inter Ecclesiam & Imperium modò facta est, & Pacem Regis Siciliæ usque ad annos quindecim, & treguas Lombardorum usque ad annos sex, aliquo modo disturbare, vel impedire præsumserint. Et sicut hæ candelæ extinguuntur, sic eorum animæ æternæ visionis lumine & claritate priventur.* Quumque candelæ projectæ essent de manibus, & extinctæ, Imperator alta voce cum aliis, *Fiat, Fiat*, pariter acclamavit. Sicque Concilium celebratum est, & solutum.

Eo autem die Nuncii Regis Siciliæ, acceptâ à Papa & Imperatore licentiâ, cum galêis suis ad Monasterium S. Nicolai, quod *Ad litus* dicitur, pervenerunt. Celebrato ibidem Festo Virginis, altero die Hadriaticum mare intrantes, aura flante secunda, nono die stante mensis Augusti, sani & incolumes cum omnibus suis Barolum descenderunt. Archiepiscopus itaque, & Comes Rogerius communicato consilio, Nuncium suum cum literis in Siciliam direxerunt, modum & ordinem gestæ Pacis Regi plenariè significantes. Et hoc facto, Comes Andriam rediit, Archiepiscopus autem Salernum vênit. Rex verò eo tenore literarum Pacem factam & juratam esse cognoscens, lætatus est valde, & per literas suas Archiepiscopo & Comiti dedit in mandatis, ut ad eum festino gressu in Siciliam properarent. Sicque factum est, quòd Archiepiscopus & Comes, sexto die intrantis mensis Novembris, Panormum ingressi, à dominis & familiaribus Curiæ, & reliquis Magnatibus honorificè sunt suscepti. Altera verò die coram magnificentia Regia venientes, ei à principio usque ad finem totius negotii modum & seriem plenissimè retulerunt: & Privilegium Papæ Alexandri, & Imperatoris de Pace factum & roboratum eidem (suis familiaribus præsentibus) assignarunt. Rex igitur ex tenore Privilegiorum, præter spem & opinionem suam, Pacem ad honorem suum & commodum factam esse considerans, Archiepiscopi & Comitis super hoc fidem & prudentiam plurimùm commendavit, dans illis in mandatis, ut Imperatoris Nuncios, qui in Siciliam erant venturi pro recipiendis juramentis, æquanimiter expectarent.

Hæc autem omnia, quæ prædiximus, ita gesta fuisse, nulli dubitationis, vel incredulitatis scrupulum moveant, quia Romualdus secundus Salernitanus Archiepiscopus, qui vidit & interfuit, scripsit hæc: & sciatis, quia verum est testimonium ejus. Interea dum Imperator per totum mensem Augusti, & aliquam partem Septembris esset Venetiis demoratus, acceptâ à Papa licentiâ, tertiodecimo die ejusdem mensis à Venetiis recedens, Ravennam vênit, per vallem Spoletinam in Tusciam descensurus. Dominus autem Papa omnibus, quæ in partibus illis facienda erant, ritè dispositis, in mense Octobris cum quibusdam de Cardinalibus à Venetiis movens, cum quatuor galêis Venetorum, secundo die stante ejusdem mensis, Sipontum applicuit, & inde per Trojam, & Beneventum, Anagniam festinus advênit; quidam verò è Cardinalibus eum per terram sunt prosequuti. Magister autem Rainerius Cardinalis, & Græcus Subdiaconus cum Christiano Cancellario in Romaniam descenderunt pro restauratione Regalium, quæ Imperator invaserat, recipienda. Dum autem Papa à Siponto Anagniam veniret, Ecclesiæ peccatis exigentibus, Hugo de Bononia Cardinalis Beneventi est mortuus, Willelmus de Papia Portuensis Episcopus apud Aversam obiit, Manfredus Prænestinus Episcopus apud Anagniam diem clausit extremum.

Anno MCLXXVIII. V. die intrante mensis Martii, Luna passa est eclypsim in signo Virginis, & incœpit à fine primæ horæ, & duravit usque ad principium quartæ, & obscurata est tota minùs quarta.

Comes autem Rogerius de Andria juxta man-

(71) Contelorius *Huizo*.

mandatum Regium usque in carnis levamen, (72) Panormi Imperatoris Nuncios expectavit. Quibus moram facientibus, acceptâ à Rege licentiâ, in Apuliam rediit. Salernitanus Archiepiscopus, præcipiente Rege, usque in mediam Quadragesimam Panormi est demoratus. Quumque Imperatoris Nuncii iter suum differrent, simili modo impetratâ licentiâ ad Ecclesiam suam feliciter est reversus. Papa verò Alexander aliquantis diebus apud Anagniam demoratus, invitantibus eum Romanis, cum summo honore & gloria in Festo B. Gregorii Urbem feliciter est ingressus, in qua juxta morem Romanorum Pontificum in diversis Ecclesiis, secundùm studia ab antiquo disposita, processionaliter & pomposè procedens, Missarum officia solemniter celebravit. Imperator verò à Ravenna usque in Vallem Spolitinam descendens, per Tusciam, & Januam usque in Lombardiam rediit, Maguntino Archiepiscopo circa partes Urbis ad Papæ Alexandri obsequium derelicto. Quum autem prænominatus Imperator in partibus Taurini in æstate aliquanto fuisset tempore demoratus, & cum Lombardis Pacem pro velle suo componere non potuisset, cum suis in Alamanniam rediit.

Joannes verò de Struma, qui à suis Callistus appellatus est, Alexandrum Papam cum Imperatore audiens concordatum, timore correptus, Bitervum deserens, Præfecti consilio & auxilio, Albanum Montem intravit. Quem Joannes ejusdem castri Dominus satis honestè recepit, credens se pro eo ab Alexandro Papa pecuniam non modicam recepturum. Quo cognito, Moguntinus Archiepiscopus idem castrum obsedit, vineas ejus incidit, & segetes devastavit, & militum & peditum circa ipsum custodiâ derelictâ, Bitervum rediit, & Populum ejusdem civitatis in manu sua pro parte Alexandri Papæ recepit. Nobiles verò ejusdem urbis divisi à Populo, noluerunt (73) subire dominium; sed adhærentes Chonrado filio Marchionis de Monteferrato, diebus singulis Moguntinum Archiepiscopum, & Populum impugnabant. Quumque eis resistere non valerent, Præfecti consilio, Romani Populi, & Senatorum auxilium postularunt. Romani verò more suo fidem Apostolici non servantes, Alexandro Papa dissuadente pariter & vetante, congregata militum & peditum multitudine Bitervum perrexerunt, ut ejusdem civitatis Nobiles viriliter adjuvarent, Moguntinum Archiepiscopum, & Bitervenses pro viribus impugnarent.

Alexander autem Papa, hoc cognito, sicut vir religiosus & sanctus, metuens ne si Romani cum Cancellario, & Bitervensibus confligerent, multa inde homicidia provenirent, missis Cardinalibus suis, mandavit Cancellario, & Bitervensibus, ut intra Bitervi mœnia se continerent, & nullam Romanis pugnandi copiam præberent. Romani autem venientes, nemine resistente, Bitervensium segetes vastaverunt, olivas & vineas inciderunt, & sic infectis negotiis Romam reversi sunt. Præfectus verò ad pedes Alexandri Papæ accedens, confirmatâ sibi Præfecturâ, ejus homo (74) devênit.

Quum autem Papa Alexander Romæ penè usque ad medietatem Augusti demoratus fuisset, calorem aëris & distemperantiam metuens, Urbem cum suis Cardinalibus egressus, Tusculanum vênit. Considerans verò, quòd occasione Schismatis, quod, peccatis exigentibus, decem & novem annis perduraverat, multa mala in Dei Ecclesia (75) provenissent, quæ correctione Canonica indigerent, habito Fratrum suorum consilio, Orientis, & Occidentis, & totius Italiæ Episcopos convocavit, mandans eis per Nuncios, & literas, & Apostolica auctoritate præcipiens, ut in prima Dominica Quadragesimæ, in qua cantatur *Ecce nunc tempus acceptabile*, omnes ad eum pro celebrando universali Concilio convenirent.

Imperator verò Fridericus, sicut cum Romualdo Salernitano Archiepiscopo, & Rogerio Comite Andriæ apud Venetias condixerat, Nuncios suos, Hugolinum scilicet Boni-Comitis, & Rodegarium Magistrum Camerarium suum pro recipiendis juramentis de confirmanda Pace, ad Regem Guilielmum in Siciliam misit. Quos Rex, sicut decuit, honorificè & honestè suscepit, & eis præsentibus, Comitem Rogerium de Avellino in anima sua jurare fecit, quòd ipse, & totum Regnum ejus, Imperatori Frederico, & universo ejus Imperio veram & firmam Pacem usque ad annos quindecim observaret, & undecim de Principibus suis id ipsum jurare fecit; & Privilegium de confirmatione Pacis jussit conscribi, & Bulla aurea insignitum, ejusdem fecit Nunciis assignari. Qui acceptâ à Rege licentiâ, reversi sunt, quodam Regis armigero eos, ut moris est, usque ad fines Regni deducente. Quumque ad castrum quoddam, quod Lacus-niger dicitur, pervenissent, inter Rusticos ejusdem castri, & Regis armigerum rixa exorta est. Quumque Regis armiger Rusticos metuens, ad Nunciorum hospitium se contulisset, Rustici utpote superbi & temerarii, domum, in qua erant Nuncii, cum lapidibus sunt aggressi, & eos malè & inhonestè tractantes, scrinium Hugolini Boni-Comitis fregerunt, & ex eo coppam unam argenteam, & Privilegium, quod Rex Imperatori fecerat, asportarunt. Nuncii verò, recepta hac injuria, indignati Salernum venerunt, & Gualterio Ammirato, & Archiepiscopo totius gestæ rei seriem exposuerunt. Quòd quum ad Regis Guilielmi notitiam pervenisset, indignatus plurimùm & turbatus, Daniel (76) Ostiarum suum cum literis suis ad Justitiarios regionis illius transmisit, præcipiens eis, ut hujus mali factores, & complices diligenter inquirerent, & inventos cruci suspenderent. Cujus præceptum statim est exequutioni mandatum; nam venientes Justitiarii cum Ostiario Regis, quoscumque potuerunt de malefactoribus invenire ceperunt, & juxta mandatum Regium, quosdam ex eis apud Barolum, quosdam apud Trojam, unum Salerni, alium Capuæ, & duos apud S. Germanum suspendi fecerunt, ut universus mundus evidenter agnosceret, quòd Rex Guilielmus justitiæ & æquitatis amator, si quæ maleficia in Regno suo fiunt, non vult silentio & impunitè transire. Præcepit etiam Rex aliud Privilegium de confirmanda Pace scribi, & Bulla

(72) Seu *Carnisprivium*, ideſt Quadragesimæ initium, quo carnes tolluntur.

(73) Contelorii Codex *noluerunt Papæ subire* &c.

(74) Contelorii Cod. *homo logius*, meliùs *ligius*.

(75) Contelorius *multa mala inde Ecclesiæ* &c.

(76) In Contelorii Codice *David*.

Bulla sua aurea insignitum, per Tancredum Notarium ad Imperatorem usque transmisit.


Eodem tempore mense Madii, Indict. XI. Rustici de Fajano, sicut proditores & perjuri, consentientibus (ut dicitur) quibusdam Monachis, qui ibidem erant, Matthæum Abbatem S. Benedicti de Salerno cum gladiis & fustibus & lanceis invaserunt, & eum percussum in ventre & gutture crudeliter occiderunt. Quo cognito, Rex Guilielmus Lucæ Guarnæ, & Florio (77) de Cammarota Justitiariis præcipiendo mandavit, ut hujus sceleris auctores cum summo studio & cautela inquirerent, & inventos carceri mancip arent. Qui adhibita diligentia competenti, quosdam de Rusticis, qui neci Abbatis interfuerunt, & Petrum Priorem S. Benedicti, & Amatum Priorem Faciani (78), & quosdam alios de Monachis comprehenderunt; asserebant enim Rustici, qui capti fuerant, consilio & machinatione prædictorum Monachorum Abbatem fuisse occisum.

Anno MCLXXVIII. mense Augusti, Indict. XI. quarta die stante ejusdem mensis, videlicet in Festo Decollationis B. Joannis Baptistæ, Joannes de Struma, qui & à suis Callistus appellatus est reatum suum agnoscens, Montem Albanum deseruit, & apud Tusculanum ad pedes Papæ Alexandri cum quibusdam de suis Clericis, humilis & devotus accessit. In conspectu Cardinalium, & multorum se peccasse publicè confessus est dicens: *Domine Venerande Papa* (79), *peccatum meum manifestè confiteor, & me auctoritate Imperiali contra Deum, & Sanctam Ecclesiam, & vos, egisse cognosco. Sed nunc reversus ad cor delictum meum recolo, & veniam à vestra pietate deposco; omnem Hæresim, & Schisma abjuro, & vos in Dominum, & universalem Patrem totius Ecclesiæ devotè recipio.* Quem Alexander Papa, ut erat pius & humilis, non objurgavit, & reprehendit, sed secundùm sibi innatam mansuetudinem benignè recepit, dicens: *Frater, gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Quòd suggestione diabolica unitatem Ecclesiæ scindere voluisti, multùm doluimus; & quòd inspirante Domino ad ejus unitatem redire voluisti, plurimùm congaudemus. Romana Ecclesia, quæ juxta Jesu Christi magisterium inimicos diligere consuevit, te hodie pœnitentem in filium recipit, & pro malis bona tibi retribuere procurabit.* De cætero (80) Alexander Papa eum & in Curia, & in mensa sua honorificè habuit.

Secunda autem die stante ejusdem mensis, Luna in signo Virginis post mediam noctem passa est eclypsim, & penè in tertia parte sui obscurata est. Tertiodecimo verò die intrantis mensis Septembris, Ind. XII. (81) Sol in signo Virginis circa horam ....

(77) Contelorius *Floro*.
(78) Eidem *Fajani*.
(79) Contelorius *Pater*.
(80) Contelorius *Die crastina Alexander* &c.
(81) Fortunatus Ulmus hoc loco vim non modicam facit contra Romualdi historiam, inquiens mendum haberi in Indictione, quæ tantùm undecima eo anno currebat. Felix Contelorius nil ultra reponit fol. 140. nisi condonandum esse Librarii oscitantiæ hunc errorem. Ego verò nullum prorsus agnosco, cùm, juxta morem antiquum à Romualdo in hac historia pluries usurpatum, ineunte Septembri mense XII. Indictio incœpta jam foret.

F I N I S.



HISTORIA
HUGONIS FALCANDI
DE REBUS GESTIS
IN SICILIÆ REGNO
EX BIBLIOTHECA SICULA
JOHANNIS BAPTISTÆ CARUSII
DEPROMTA,

Et cum prioribus editionibus collata, ac emendata.

IN HUGONIS FALCANDI HISTORIAM SICULAM *PRAEFATIO* LUDOVICI ANTONII MURATORII.

PRimus, qui hanc Historiam aeneis typis describendam curavit, fuit Gervasius Tornacensis, qui haustam ex Bibliotheca Matthaei Svessionensis Episcopi Anno 1550. Lutetiae Parisiorum publici juris fecit. Iterum vero Historia eadem Anno 1579. Francofurti ad Moenum typis Wechelienfibus tradita, inter *Rerum Sicularum Scriptores* lucem vidit, ac postremo in Bibliotheca Sicula Panormi recusa per Joannem Baptistam Carusium, quem nobis paulo ante mors eripuit non sine ingenti bonarum literarum jactura. Sed & nunc Collectioni nostrae est adjungenda. Quamvis enim de Siciliae rebus ibi potissimum agatur, attamen de Apuliae quoque, hoc est de Regni Neapolitani, factis multa occurrunt, quum unum imperium duae illae Provinciae tunc constituerent, & praeterea sub Siciliae nomine utraque veniret. Ad haec nemo nescit, Italiae partem Siciliam recte appellari posse. Fuit igitur *Hugo Falcandus* patria Siculus, & eorum, quae scripsit, ut ita dicam, oculatus testis. Verum non intelligo, quei praelaudatus Gervasius Tornacensis haec in Praefatione scripserit, nempe *satis constare, ab Anno Domini circiter Millesimo ducentesimo sexagesimo* haec *Auctorem scripsisse, sitque omnino annorum numerus, ex quo hae, quae nobis supersunt reliquiae hominis Siculi, scriptae esse possint, Annorum fere Trecentorum*. Nisi me fallit Francofurtensis editio, haec mihi emendationem poscere videntur. Nam Falcandus noster, ut ut duobus verbis innuat Normannicae dominationis exordium in utraque Sicilia, qui eventus ad medium fere Seculum XI. pertinet, attamen is narrationem suam revera deducit a Rogerio Primo Siciliae Rege, cui Anno 1130., & rectius postea Anno 1139. Regia dignitas collata fuit. Sed & hujus vitam paucis absolvit, ad Guillielmi Primi Regis gesta se deinde convertens. In describendis autem calamitatibus, quae sub istius Principis, cognomento *Mali*, Siciliae acciderint, totus est Falcandus. Sublato autem e vivis Guillielmo I. Anno 1166. successit in Siculo Regno ejus filius Guillielmus Secundus, agnomento *Bonus*, sub quo, dum adhuc in puerili aetate versaretur, plurimae turbae, ac mala consequuta sunt, quae itidem a Falcando fuse enarrantur. Quare si rationes recte ineas, ab Anno tantum 1154. ad Annum 1169., quo Gualterius, teste Roccho Pirro in Sicilia Sacra, Panormitanum Archiepiscopatum suscepit, tota ferme Scriptoris hujus Historia procedit, ut (quod Vossius affirmavit) ne dici quidem possit, complecti res *Annis prope XXIII.* in Sicilia gestas.

Ceterum Falcandus, sive hanc Historiae partem, calamitatibus demum, ac turbis pacatis, conscripserit, quum testetur se referre, *quae non sine multorum periclitatione nuper in Regno gesta Siciliae partim ipse vidi, partim eorum, qui interfuerant, veraci relatione cognovi;* sive eamdem serius concinnarit: certum est, minime ab ipso evulgatam, nisi sub finem Anni 1189. aut initium subsequentis 1190. Etenim ipse in Praefatione ad *Petrum Panormitanae Ecclesiae Thesaurarium* scribit, sibi *auditam mortem Regis Siciliae*, hoc est Guillielmi II., qui mense Novembri Anno 1189. vita cessit; neque Regem hactenus electum ait, subinde praedicens teterrimum Siciliae bellum, quod revera Anno 1191. Henricus VI. Imperator, Constantiae Siculae maritus, Tancredo Regi deinde electo intulit. Is autem est Historicus noster, ut multis se titulis commendet Eruditorum Reipublicae. Sagacissimus fuit, & aequalis eorum temporum: quod in primis Historiam fide dignam praestare potest, ac solet. Judicio non vulgari, simulque magna libertate scripsit, ita ut ne suis quidem Siculis aliquid indulgeat. Tamdem stylo usus est eleganti, gravi, & concinno, ut virum putes a barbaro illo Seculo longe dissitum, aevo meliore floruisse.

Ac propterea etsi Fazellus scrinia Falcandi (quem sub nomine *Guiscardae* ali-
quando appellavit) depopulatus fuerit , & ab eo enarrata in suam intulerit Hi-
storiam : adhuc tamen, uti Vossius recte monet, ipsum Falcandum legere præstat;
& potissimum quum ab eo fusius omnia enarrentur, & civilis Prudentiae semina
intermisceantur ubique.


Siciliam Falcando nostro patriam tribuebam Siculorum quamplurium opinio-
nem sequutus, eoque simul argumento ductus, quod is ita de rebus in Sicilia ge-
stis narrationem suam instituerit, ut diligentiam, simulque amorem civis prodere
ubique videatur. At mihi scrupulum injiciunt ea quae post alios tradit Cl. V.
Antonius Mongitorius de Sicilia sua bonisque literis optime meritus in appendice
ad Bibliothecam Siculam: Scriptorem hunc in Sicilia quidem enutritum, sed alibi
natum, ac Normannis potius quam Siciliae tribuendum. Vide subsequentem il-
lius narrationem, quam intulit in tomum I. pag. 401. suae Bibliothecae Siculae
paulo ante laudatus Joannes Baptista Carusius. Utcunque vero se res habeat vix
Falcandus ipse juri suo cesserit, quod ab educatione sua longoque incolatu fuerat
adeptus.

DE HUGONE FALCANDO
BREVIS NOTITIA
JOHANNIS BAPTISTÆ CARUSII
Ex D. Antonino Mongitore in Appendice ad tom. II. Bibliothecæ Siculæ fol. 51.

H*Ugo Falcandus auctor celebris Historiæ de rebus gestis in Siciliæ Regno, quæ prodiit primùm
Parisiis* 1550. *exinde inter rerum Sicularum Scriptores Francofurti* 1579. *Siculus à nonnul-
lis extimatur. Siculum putant Augustinus Inveges in Panormo Nobili pag.* 417. *Joannes
Buseus in Notis ad epist. Petri Blesensis epist.* 46. *pag.* 683. *& Josephus Ambrosius in descrip.
festi epist. Marianæ pag.* 564. *Hi autem sententiam amplexi sunt Gervasii Tornacei, qui in ejus
historiæ præfatione Siculum arbitratus, de Falcando ejusque historia, ait*: hæcque supersunt reli-
quiæ hominis Siculi: *quod ex eodem Falcando eruit ; hic enim in præfatione ad Petrum Panormi-
tanæ Ecclesiæ Thesaurarium de Sicilia, ejusque Calamitatibus pag.* 2. *ait*: Verùm quia difficile
est in morte Nutricis alumno persuaderi, ne lugeat, non possum, fateor, lacrymas continere,
non possum desolationem Siciliæ, quæ me gratissimo sinu susceptum benignè fovit, & extulit,
vel præterire silentio, vel siccis oculis memorare: *His verbis addit in ore libri Tornaceus: Sicu-
lum se innuit. Hinc in ipsa libri facie affixum Siculi nomen adjecit: (Historia Hugonis Falcan-
di Siculi) quod ab eodem Tornaceo additum puto. At ex allatis Falcandi verbis potiùs extra Si-
ciliam, quàm in Sicilia natum colligimus : si enim Siculus fuisset, non in morte Nutricis alumno
persuaderi ne lugeat, dixisset, sed in morte matris filio persuaderi. In verbis verò* : quæ me gra-
tissimo sinu susceptum benignè fovit *clarè patet Siculum non esse, sed alibi natum à pueritia in Si-
ciliam delatum. In eadem præfatione pag.* 12. *Panormitani agri delicias describens addit* : quòd
si in partem aliam visum deflexeris, occurret tibi miranda Seges arundinum, quæ cannæ-mellis
ab incolis nuncupantur. *Et paulò post*, communes autem fructus, & qui penes nos habentur,
his adjungere superfluum existimavi. *Cùm autem extra Siciliam historiam scripsisset Falcandus,
ut ex fine præfationis liquet; Nonne ex allatis verbis se non Siculum innuit? Hinc meritò Ma-
rianus Valguarnera de orig. & antiq. Panormi pag.* 76. *&* 78. *ex allatis verbis non Siculum Fal-
candum rectè deducit. Ideoque non audiendus Josephus Bonfilius in hist. Sicil. par.* 1. *lib.* 4. *pag.*
189. *In descrip. Messanæ lib.* 8. *pag.*61. *&* 63. *& in apolog. ad topograph. Siciliæ pag.* 3. *qui
Panormitanum vocat Falcandum: eoque animo id scripsisse puto Bonfilium, ut scilicet Falcandi
auctoritatem enervaret, qui Panormi laudes in ipsius historia latè, ornatèque prosequitur, & in-
nueret Falcandum, Panormi encomia scribentem, patriæ studio permotum. Natione Normannum
fuisse cum Valguarnera cit. pag.* 76. *statuo: Ideoque ab hac Bibliotheca excludendum.*

*Hæc eruditissimus Mongitorius de patria Falcandi, cujus codex manuscriptus exstat in Biblio-
theca S. Nicolai de Arenis Catanæ sinè nomine Auctoris : unde Amicus & Inveges in Apparatu
Sac. fol.* 103. *veluti diversum à Falcandi historia citant Anonymi manuscriptum de rebus gestis
sub Guglielmo Secundo ab anno Christi* 1150. *ad annum* 1189. *Nos autem tertiò typis damus
absque præfatione supradicti Tornacei, qui utramque Normannorum Principum seriem, Apulien-
sium scilicet, & Siculorum mirè confudit, & consequenter res ab illis gestas.*

HUGO.



HUGONIS FALCANDI
IN SUAM HISTORIAM DE REGNO SICILIÆ
PRÆFATIO
AD PETRUM PANORMITANÆ ECCLESIÆ THESAURARIUM.
DE CALAMITATE SICILIÆ.



STatuebam, Petre chariſſime, poſt hyemis aſperitatem clementioris auræ beneficio mitigatam, lætum aliquid ac jucundum ſcribere, quod tibi quaſi quaſdam renaſcentis veris primitias dedicarem. Sed audita morte Regis Siciliæ, intelligens ac mecum reputans quantum hæc rerum mutatio calamitatis afferre, quantum illius Regni quietiſſimum ſtatum, vel hoſtilis incurſus procella concuteret, vel gravis ſeditionum turbo ſubverteret: repentè conſternatus animo accepta deſerui, verſâque in luctum cytharâ malui flebiles modos & lamentationum lugubre carmen ordiri: licèt repurgati cœli blanda ſerenitas, & hortorum ac nemorum amœna facies importunam animo lætitiam ingerentes, ad aliud me conentur abſtrahere, & flendi ac lamentandi propoſitum impedire. Quis enim lamentationi locus eſt, aut querelæ: aut quis intempeſtivè fluentibus A non offendatur lachrymis, ubi jam annus pruinoſæ ſenectutis deterſa canitie, gratæ denuo juventutis pubeſcit in florem: & hybernis frigoribus ſuccedens verna temperies, feriatas avium fauces ad intermiſſæ ſuavitatem modulationis invitat? verùm quia difficile eſt in morte nutricis alumno perſuadere ne lugeat, non poſſum, fateor, lachrymas continere, non poſſum deſolationem Siciliæ, quæ me gratiſſimo ſinu ſuſceptum benignè fovit, promovit, & extulit, vel præterire ſilentio, vel ſiccis oculis memorare. Intueri mihi jam videor turbulentas Barbarorum acies, eo quo feruntur impetu irruentes, civitates opulentas, & loca diuturna pace florentia metu concutere, B cæde vaſtare, rapinis atterere, & fœdare luxuria. Ingerit ſe mihi, & lachrymas à nolente futuræ ſpecies calamitatis extorquet. Occurrunt hinc cives, aut reſiſtendo gladiis intercepti, aut ſe dedendo miſera ſervitute depreſſi. Illinc virgines in ipſis parentum conſpectibus conſtupratæ: matronæ poſt varia & pretioſa capitis, colli, ac pectoris ornamenta direpta, ludibrio habitæ, & defixis in terra oculis inconſolabiliter deplorantes, venerabile fœdus conjugii fœdiſſimæ gentis libidine violari. Nec enim aut rationis ordine regi, aut miſeratione deflecti, aut religione terreri

Theutonica novit insania, quam & innatus furor exagitat, & rapacitas stimulat, & libido præcipitat. Hæc autem in Apulia viciniſque provinciis geri, licèt horrendum ac triste sit facinus, & multo cum mœrore deflendum, utcunque tamen tolerabile putaretur, si in Cispharinis tantùm partibus Barbarorum immanitas desæviret. Quòd si beatam illam Insulam omnibus quidem Regnis & præclaris dotibus & meritis amplioribus præferendam vis procellæ sævientis irrumpat, si jucundum otium & quietem omni voluptatis genere gratiorem armorum fragor importunus exturbet, quis jam animo poterit imperare, ne dolendi modum excedat? quis non totus in lachrymas defluat, cùm jam apparere cœperint vastitas urbium, civium ædes, fœdata pulvere senum reverenda canities, matronæ pro sericis, saccis indutæ, pueri puellæque Barbaræ linguæ stridore perterriti, omnesque omnino indigenæ, de multa rerum copia ad ultimam egestatem, de gaudio ad mœrorem, de gloria ad ignominiam, de summo felicitatis culmine ad extremæ miseriæ dispendia devoluti? Atque utinam Constantia cum Rege Theutonico Siciliæ fines ingressa, perseverandi constantiam non haberet, nec ei daretur copia Messanensium agros, aut Æthnæi montis confinia transeundi. His enim in locis aptissimè gens illa consistat, ubi & cum crudelitate piratica Theutonum confligat atrocitas, & inter ambustos lapides, & Æthnæ flagrantis incendia, gens dura & saxea sævientis iracundiæ flammis exæstuet. Nam interiora Trinacriæ loca, eam maximè partem, quam nobilissimæ civitatis fulgor illustrat, quæ & toti Regno singulari meruit privilegio præeminere, nefarium esset & monstro simile, vel Barbarorum ingressu pollui, vel irruentium terrore percelli, vel prædonum rapinis exponi, vel omnino peregrinarum legum barbarie conturbari. Nunc mihi velim edisseras, ad quem intelligis finem rem in tanto discrimine perventuram, quove putas Siculos usuros consilio? utrum ne Regem sibi creandum existiment, & collectis viribus contra Barbaros dimicandum? an verò rei diffidentia & insueti laboris odio tempori servientes, malint quodlibet durum servitutis jugum suscipere, quàm famæ & dignitati suæ, & patriæ libertati consulere? Ego quidem hæc tacitus dubia mente pertractans, dum variis hinc inde rationibus distrahor, mecum ipse dissentio, nec satis liquet utrum horum eis censeam eligendum. Certè si Regem sibi non dubiæ virtutis elegerint, nec à Christianis Saraceni dissentiant, poterit Rex creatus rebus licèt quasi desperatis, & ferè perditis subvenire, & incursus hostium, si prudenter egerit, propulsare. Si enim amplioribus stipendiis militum sibi favorem conciliet, si collatis beneficiis animos plebis alliciat, si civitates, oppidaque maritima diligenter præmuniens, in Calabria quoque præsidia per congrua loca disponat, Siciliam, Calabriamque tueri poterit, ne in jus & potestatem transeant Barbarorum. Nam in Apulis, qui semper novitate gaudentes, novarum rerum studiis aguntur, nihil arbitror spei aut fiduciæ reponendum: quos si coactis copiis ad pugnam jusseris expediri, ante fugere plerumque incipiunt, quàm signa bellica conferantur: si munitionibus servandis præficias, alii quidem alios produnt, & hostes, ignorantibus, aut resistentibus sociis, introducunt. At verò quia difficile est Christianos in tanto rerum turbine, sublato Regis timore, Saracenos non opprimere, si Saraceni multis illorum injuriis fatigati, ab eis cœperint dissidere, & castella fortè maritima, vel montanas munitiones occupaverint, ut hinc cum Theutonicis summa sit virtute pugnandum, illinc Saracenorum crebris insultibus occurrendum: quid putas acturi sunt Siculi inter has depressi angustias, & velut inter malleum & incudem multo cum discrimine constituti? hoc utique agent quod poterunt, ut se Barbaris miserabili conditione dedentes, in eorum se conferant potestatem. O utinam plebis ac procerum Christianorum & Saracenorum vota conveniant, ut Regem sibi concorditer eligentes, irruentes Barbaros totis viribus, toto conamine, totisque desideriis proturbare contendant. Hei miseræ conditionis & damnatæ sortis Insula, quæ sic alumnos nutris & provehis, ut, cùm in optatum robur excreverint, prima ex te virium suarum experimenta capiant, & uberum tuorum pinguedine saginati, viscera tua recalcitrando discerpant. Sic olim plurimi tuo in sinu tuisque in deliciis enutriti, multis te postmodum injuriis, multis prœliis afflixerunt. Sic & Constantia primis à cunabulis in deliciarum tuarum affluentia diutiùs educata, tuisque instituta doctrinis & moribus informata, tandem opibus tuis Barbaros ditatura discessit: & nunc cum ingentibus copiis vicem improbam tibi repensura revertitur, ut pulcherrimæ nutricis ornatus violenter diripiat, & munditiam tuam, qua regnis omnibus antecellis, barbarica fœditate contaminet. Age nunc Messana, civitas potens & multa civium nobilitate præpollens, quo putas incolumitati tuæ prospiciendum consilio, ut possis Barbarorum primos conatus elidere, & hostiles copias à Phari transitu prohibere? Expedit tibi maturè deliberare quid agas. Nam quia transeuntibus in Siciliam prima post trajectum ratibus Pharum occurris, primos etiam pugnantium impetus sustinere, primaque bellorum auspicia cogeris experiri. Certè si civium tuorum virtutem & audaciam, senes tuos maturandis aptos consiliis, juvenes rebus bellicis assuetos, murorum etiam ambitum densis turribus circumseptum inspicias, si vires tuas, quibus sæpe Græcorum superbiam contrivisti, quibus Africam, Hispaniamque depopulans, ingentem inde prædam & opima sæpe spolia revexisti, diligenter attendas, multum hinc tibi roboris & fiduciæ, multum spei ac securitatis accrescet. Nihil tibi ergo formidinis, nihil terroris incutiat turbulentæ gentis barbaries, cujus si primos incursus fortiter resistendo sustineas, poteris durissimum de cervice tua jugum excutere, & immortalem tibi gloriam nomenque celebre propagare. Væ tibi Catinensium civitas, quæ adversantem toties experta fortunam, nullis unquam cladibus ejus sævitiam mitigare, aut compescere potuisti. Nam si veteres Annalium revolvimus historias, inveniemus te frequenter & pestilentibus exhaustam nebulis, & atroci bellorum clade consumptam, ignemque in te aliquoties de cavernosis Æthnæ fornacibus in modum fluminis emanasse. Quòd si nostri temporis mala, & quæ ipsi vidimus, volumus recensere, nuper te vehemens terræ motus tanta concussit violentia, ut cunctis ruentibus ædificiis, haud facilè numerabilem utrius-

utrius-

utriusque sexus multitudinem lignorum, ac lapidum moles oppresserit. Nunc autem, ut vel sic fortunæ lentescat improbitas, post multa & varia calamitatum genera, turpissimè tandem addiceris servituti. Jam (1) Syracusana civitas, diuturnæ pacis pertœdeat, jam si potes ad bellum tibi vires instaura, & eâ qua florere soles eloquentiâ, civium tuorum mentes erige, murorum ambitum propugnaculis densis attolle, & angustum illud spatium, quod duobus portibus interjectum, insulæ tibi nomen invidit, extructis turribus præmunire festina, si fortè Barbarorum possis incursibus obviam ire. Verùm ad hoc tibi (proh dolor) vires non suppetunt, & conatus tuos tam inopia civium, quàm paucitas bellatorum elidunt. Servire Barbaris jam cogetur antiqua illa Corinthiorum nobilitas, qui patriis olim relictis sedibus in Siciliam transeuntes, & urbi construendæ locum idoneum perquirentes, tandem in optima & pulcherrima parte Siciliæ inter inæquales portus mœnia tua loco tutissimo construxerunt. Quid tibi nunc prodest Philosophorum quondam floruisse doctrinis, & Poëtarum ora vatifici fontis nectare proluisse? Quid juvat Dionysii sibique similium de cervice tua jugum improbum excussisse? Satius quidem tibi esset ac tutius, Siculorum adhuc tyrannorum sævitiam pati, quàm Barbaræ fœdæque gentis tyrannidem experiri. Væ tibi fons celebris & præclari nominis Arethusa, quæ ad hanc devoluta es miseriam, ut quæ Poëtarum solebas carmina modulari, nunc Theutonicorum ebrietatem mitiges, & eorum servias fœditati. Ideo ne solum natale fugiens & immensa maris spatia longis tractibus subterlabens in civitate Syracusana caput attollis, proximoque mari influens Alphæum, quem ante fugeras, in majori portu se tibi immiscentem offendis? Longè melior Cyane conditio tua, quæ paulatim fluendo deficiens in eundem portum, vix modico rivo decurris, aquas tibi furtim occultèque subtrahens, ne contactu barbarico polluaris. Quid autem futuram Agrigentinorum calamitatem defleam? quid imminentem Marcariensium cladem recenseamus? Præterea Cæphaludi nova mœnia, misera turpique servitute damnanda. Taceo Pactensium agros furentis populi rapinis expositos. Ad te mihi veniendum est urbs famosissima, totius Regni Siciliæ caput & gloria, quam etsi dignè laudare non valeo, tacere tamen omnino non possum, tam accepti memor beneficii, quàm singularis gloriæ tuæ miraculo provocatus. Quis enim tanto non succumbat oneri, vel quem ingentis ausi aliquando non pœniteat, si Panormum laudibus extollere, & ejus gloriam verbis æquare contendat? Quia verò semel conceptum verbum intra pectoris claustra continere non possum, tentabo facultate qua valeo, pauca de laude ipsius breviter succinctèque perstringere, ut ex hoc ipso appareat quanta sit lamentatione deflenda, quæ tantis fuerit dotibus gloriosa. Hæc ergo civitas in plano sita maris; ex uno latere crebris insultibus fatigatur, cujus tamen fluctibus retundendis vetus palatium, quod dicitur Maris castellum, murosque multa turrium densitate munitos opponit. Alterius verò lateris partem oppositam Palatium novum insedit, mira ex quadris lapidibus diligentia, miro labore constructum, exteriùs quidem spatiosis murorum anfractibus circumclusum, interiùs verò multo gemmarum aurique splendore conspicuum: hinc habens turrim Pisanam thesaurorum custodiæ destinatam: illinc turrim Græcam ei civitatis parti, quæ Khemonia dicitur, imminentem. Medium verò locum pars illa palatii, quæ Joharia nuncupatur, plurimum habens decoris illustrat, quam multiformis ornatus gloria præfulgentem Rex, ubi otio quietique indulgere voluerit, familiariùs frequentare consuevit. Inde per reliquum spatium variæ sunt circumquaque dispositæ mansiones, matronis, puellisq; & eunuchis, qui Regi, Reginæque serviunt ædificatæ. Sunt & alia ibidem palatiola multo quidem decore nitentia, ubi Rex aut de statu Regni cum familiaribus suis secretiùs disserit, aut de publicis & majoribus Regni negotiis locuturus Proceres introducit. Nec verò nobiles illas palatio adhærentes silentio præteriri convenit officinas, ubi in fila variis distincta coloribus serum vellera tenuantur, & sibi invicem multiplici texendi genere coaptantur. Hinc enim videas amita, dimitaque, & trimita minori peritia sumptuque perfici: hinc exhimita uberioris materiæ copia condensari. Hic diarhodon igneo fulgore visum reverberat. Hic diapisti color subviridis intuentium oculis grato blanditur aspectu. Hic exarentasmata (2) circulorum varietatibus insignita, majorem quidem artificum industriam, & materiæ ubertatem desiderant, majori nihilominus pretio distrahenda. Multa quidem & alia videas ibi varii coloris ac diversi generis ornamenta, in quibus & sericis aurum intexitur, & multiformis picturæ varietas gemmis interlucentibus illustratur. Margaritæ quoque aut integræ cistulis aureis includuntur, aut perforatæ filo tenui connectuntur, & eleganti quadam dispositionis industria, picturati jubentur formam operis exhibere. Porrò ex ea parte, quæ urbem respicit, palatium ingressuris Capella Regia primùm occurrit, sumptuosi operis pavimento constrata, parietes habens inferiùs quidem pretiosi marmoris tabulis decoratos, superiùs autem de lapillulis quadris partim auratis, partim diversicoloribus, veteris, ac novi Testamenti depictam historiam continentes. Supremi verò fastigii tabulatum insignis elegantia cœlaturæ, & miranda picturæ varietas, passimque radiantis auri splendor exornant. Sic ergo dispositum, sic ornatum, sic omnimodæ voluptatis gratiâ delibutum palatium, tanquam caput reliquo corpori, sic toti supereminet civitati. Quæ trina partitione distincta, tres in se particulares, ut ita dixerim, continet civitates. Quarum quæ inter extremas media collocatur, nobiliori ædificiorum structura præpollens, ingenti murorum altitudine ab utraque dextra lævaque sejungitur, latitudinis parum habens, in longum verò spatio majore porrecta: ut si quis duas æquales æqualium circulorum minores portiones ad chordam unam conjungat. Hanc item tres viæ dividunt principales, quæ totam ejus longitudinem metiuntur. Harum media, quæ Vicusmarmoreus nuncupatur, & rebus occupatur venalibus, à parte superiori viæ copertæ ad palatium Arabum, indeque ad inferiorem por-

(1) In edito apud Mathurinum Dupuys additur *te*.

(2) Vel fortè *exanthemata*. Carusius.

portam juxta forum Saracenorum directè protenditur. Alia quoque à turre Pisana per viam coopertam ad domum Archiepiscopi juxta majorem Ecclesiam, mox ad portam Sanctæ Agathes, deinceps quæ per domos Majonis Admirati ad prædictum forum Saracenorum pertransit; ibidem Viæ-marmoreæ conjungenda. Tertia sanè ab Aula Regia, quæ palatio subest, per domum dicti Saraceni ad ædes Sylvestri Comitis, & Capellam Georgii Admirati porrigitur, & inde ad propinquam urbis portam obliquata deflectitur. At verò dextra pars civitatis à Monasterio Sancti Joannis prope palatium in Khemonia constituti habens initium, muris usque ad mare circumductis includitur. Pars autem sinistra ab ipsius item palatii confinio, ad Castellum se maris extendens, ibidem finem sortitur, ingenti nihilominus murorum vallata circuitu. Spatium quoque, quod inter mediam civitatem & portum extenditur, ubi duæ reliquæ partes urbis conveniunt, Amalfitanorum continet vicum, peregrinarum quidem mercium copia locupletem, in quo vestes diversi coloris, ac pretii tam sericæ, quàm de Gallico contextæ vellere, emptoribus exponuntur. Quis verò præclaræ hujus urbis miranda ædificia, quis fontium passim ebullientium suavissimam ubertatem, quis semper virentium arborum amœnitatem, aut aquæductus civium abundanter usibus servientes, satis mirari sufficiat? Quis inclytæ planitiei gloriam, quæ inter urbis mœnia montesque, quatuor ferè millibus patet, laude congrua prosequatur? O beatam cunctisque seculis prædicandam planitiem, quæ intra gremium suum arborum fructuumque genus omne conclusit: quæ quicquid usquam est deliciarum, sola prætendit: quæ voluptariæ visionis illecebris cunctos sic allicit, ut cui semel eam videre contigerit, vix unquam ab ea quibuslibet possit blandimentis avelli. Illic enim mireris vineas tam fœcundi cespitis ubertate, quàm præclari germinis generositate gaudentes. Illic hortos aspicias mirabili fructuum varietate laudandos, turresque ad hortorum custodiam, & voluptatis opera præparatas: ubi & rotæ volubilis obsequio descendentibus, itemque ascendentibus urceolis, puteos videas exhauriri, cisternasque adjacentes impleri, & inde aquam per rivulos ad loca singula derivari, ut irrigatis areolis vegetentur & crescant citroli angusta brevitate contracti, & cucumeres tractu longiore producti, melonesque ad formam magìs sphœricam accedentes, & cucurbitæ per arundines connexas latiùs evagantes. Hinc si convertas oculos ad diversas arborum species, videbis mala punica, vel acetosa, vel dulcia, granis interiùs occultatis, exteriùs contra intemperiem aëris duro cortice præmuniri. Citros quoque triplici substantiæ diversitate distingui, cùm cortex exterior colore simul & odore caliditatis præferat argumentum: quod autem circa centrum est acetoso liquore frigiditatis præstet indicium: medium verò inter utrumque temperatius comprobetur. Videas ibi & lumias acetositate sua condiendis cibis idoneas, & arengias acetoso nihilominus humore plenas interiùs, quæ magìs pulchritudine sua visum oblectant, quàm ad illud utiles videantur. Hæ quidem ab arbore sua etiam cùm maturuerint, difficilè cadunt, & novis supervenientibus veteres cedere dedignantur. Nam & tertii anni poma jam rubea, & secundi adhuc virentia, & præsentis anni flores in eadem possunt arbore pariter inveniri. Hæc autem arbor continuæ juventutis pollens insignibus, nec fit hyemis sterili senectute deformis, nec ingruente frigoris asperitate frondibus spoliatur, sed virentibus semper foliis veris temperiem repræsentat. Quid verò nuces, amygdalas, aut ficuum diversa genera, vel olivas condiendis cibariis, & lucernarum fovendis ignibus oleum ministrantes enumerem? Quid loquar siliquarum vaginulas, & fructum ignobilem insipida quadam dulcedine rusticorum ac puerorum gutturi blandientem? Mireris potiùs palmarum procera cacumina, dactylosque detonsæ arbori summo vertice dependentes. Quòd si in partem aliam visum deflexeris, occurret tibi mirandarum seges harundinum, quæ Cannæmellis ab incolis nuncupantur, nomen hoc ab interioris succi dulcedine sortientes. Harum succus diligenter & moderatè decoctus in speciem mellis traducitur; si verò perfectiùs excoctus fuerit, in saccari substantiam condensatur. Communes autem fructus, & qui penes nos habentur, his adjungere superfluum existimavi. Hæc igitur breviter perstringendo descripsi, ut ex paucis multa, ex parvis majora solliciti prudentia lectoris intelligat, simulque, ut, quemadmodum dictum est, liquidum fiat, quantis lamentationibus, quantaque sit opus copia lachrymarum, ut dignè civitatis hujus calamitas defleatur. Vivas diu Petre charissime, diuque gaudeas, & de statu Regni, tuoque, vicarias pro te literas mihi mittere non graveris.

HISTORIA HUGONIS FALCANDI DE TYRANNIDE SICULORUM.

REm nunc eam me scripturum propono, quæ sui ipsius atrocitate satis abundèque sufficeret, vel omnino fidem excludere, vel suspectam reddere veritatem: nisi certè in Sicilia nihil miraculi esset ea monstra scelerum perpetrari, quæ potiùs Tragœdorum sint deflenda boatibus, quàm historicæ veritatis ordine contexenda; nec enim alibi rotam fortuna torquet celeriùs, aut majori mortalium ludit discrimine: Itaque loci ipsius inhumanitas, eorum, quæ dicturus sum, fidem faciet: eritque operæ pretium tam atroces, quàm repentinas rerum commutationes memoriæ tradere posterorum, ut qui fortunæ finibus alligati, suam ex rerum affluentia gloriam metiuntur, aliorum casu moniti, beatos se desinant prædicare, ne toties miseros rursus se clamitent, quoties aut à dignitatis gradu deciderint, aut opimi acervi quomodolibet fuerint imminuti. Ad id quoque nihilominus operam sum daturus, ut pauci, quorum inter tot, ac tanta pessimorum flagitia memorabilis fides enituit, meritis nunquam possint laudibus defraudari, perpetuisque in ævum successibus virtutis gloria propagetur. Quæ sicut præclaris ab initio factis virens, ut ita dixerim, enitescit, sic in posterum taciturnitate consenescens elabitur. Ita fit ut gloria, quam ingenti quisque labore, summa industria, multisque periculis sibi ipse pepererit, in brevi favillatim decidens evanescat. Interest ergo multorum si qua fortiter acta sunt, ea posterorum cognitioni transmittere. Hinc enim accidit, non solùm viros fortes meritum laboris fructum percipere, verùm totius quoque posteritatis commodo provideri: præsertim cùm ad virtutem plerumque liberi patrum provocentur exemplo, patriæque probitatis velut quædam in filios transfusa scintilla licèt in quibusdam sopita sit, & quasi præmortua, facilè tamen hæreditariæ virtutis memoria convalescat. Si qui verò suopte ingenio ac natura perpetuandi nominis amorem conceperunt, ipsa tamen patrum recordatio eorum foveat desiderium, ac proposito robur adjiciat ad maturandum id, quod speraverint, eos utique faciens promptiores. Hinc nimirum antiquitus Romani patrum domi conservabant imagines, ut antecessorum eis acta semper occurrerent, puderetque degenerem sequi lasciviam, ac turpi languere desidia, & amplectendæ virtutis quasi quandam necessitatem haberent præ oculis. Nec igitur inerti situ patiar eorum obliterari memoriam, quæ non sinè multorum periclitatione nuper in Regno gesta Siciliæ partim ipse vidi, partim eorum, qui interfuerant, veraci relatione cognovi. Non tamen id ago, ut omnia bellorum discrimina, militumque congressus, aut quid in singulis urbibus oppidisve gestum fuerit, sigillatim expediam: satisfecisse videbor proposito, si qui laude digni fuerint eos non taceam, si majora rerum momenta breviter ac succinctè transcurram, in his maximè, quæ circa Curiam gesta sunt occupandus.

PRimùm igitur satis constat, quòd cùm Rogerius Comes Siciliæ frater Roberti Guiscardi Ducis Apuliæ rebus excessisset humanis, Rogerius ejus filius totam primùm Siciliam, ac partem Calabriæ jure successionis obtinuit. Postmodum verò consanguinei sui Guilielmi Ducis Apuliæ morte cognita transiens in Apuliam, postquam universis civitatibus, ac Principibus, qui ei resistendum putaverant, expugnatis, ad suum cuncta redegit imperium, tandem Ducatum suscepit Apuliæ, minùsque ratus idoneum tantam, ac tam latè diffusam potentiam indignitate nominis coartari, Regem se maluit appellari, quàm Ducem, exindeque Siciliam Regnum esse constituit. Placet autem, nec à proposito quidem dissidet, de moribus ejus pauca summatim perstringere, cùm satis incivile sit tanti viri mentione habita, virtutem ejus silentio præterire. Inter alias ergo naturæ dotes, quibus ingentis spiritus virum ipsa ditaverat, promptissimus erat ingenio, nec unquam adeò sibi diffidens, ut de qualibet re consultus, vel modicam responsioni moram innecteret. Quoties tamen ad majorum rerum examinationem ventum erat, contractâ Curiâ, non pudebat eum singulorum priùs opiniones audire, ut ex eis potiorem eligeret. Si quid autem ei super eodem negotio subtilius aut examinatius occurrebat, suam ultimus proferebat sententiam, ratione statim subjunctà cur hoc ei potissimum videretur. Cùmque vigilantissimus viri animus altiora semper appetens nullum inertiæ segnive otio locum relinqueret, nihil tamen inconsultè, aut ex præcipiti agere instituerat, ingentisque motus animi discretio temperabat adhibita, ut in consultissimi Regis operibus nulla prorsus levitas appareret: nec erat facilè cognitu, utrum ne consultiùs loqueretur, an ageret. Ingens illi studium erat, & præsentia cautè disponere, & ex præsentibus futura sollicitè præmetiri: idque curabat, ut non magìs viribus, quàm prudentia & hostes contereret, & Regnum suum productis finibus ampliaret; Tripolin namque Barbariæ, Africam, Faxum, Capsiam, aliasque plurimas Barbarorum civitates multis sibi laboribus, ac periculis subjugavit. Aliorum quoque Regum, ac gentium consuetudines diligentissimè fecit inquiri, ut quod in eis pulcherrimum, aut utile videbatur, sibi transumeret. Quoscumque viros, aut consiliis utiles, aut bello claros compererat, cumulatis eos ad virtutem beneficiis invitabat. Transalpinos maximè cùm ab Northmannis originem du-

duceret, sciretque Francorum gentem belli gloria cæteris omnibus anteferri, plurimùm diligendos elegerat, & propensiùs honorandos. Postremò sic justitiæ rigorem, ut novo Regno pernecessarium, studuit exercere: sic pacis ac belli vicissitudines alternare, ut nihil quod virtutem deceret omittens, neminem Regum aut Principum temporibus suis parem habuerit. Porrò quod quidam pleraque ejus opera tyrannidi dant, eumque vocant inhumanum, eo quòd multis pœnas graviores, & legibus incognitas irrogaverit, ego sic existimo, virum utique prudentem, & in omnibus circumspectum in novitate Regni ex industria sic egisse, ut neque flagitiosi quilibet de scelerum sibi possent impunitate blandiri, neque benemeritos nimia severitas absterreret, quibus ita mitem se præbuit, ne tamen ex nimia mansuetudine locus superesset contemptui. Ac si fortè in quosdam duriùs animadvertisse visus est, quadam ad id necessitate compulsum intelligo. Nec enim aliter rebellis populi ferocitas conteri, aut proditorum poterat audacia coërceri. Is ubi post multos labores ac pericula, pacem Regno quoad viveret, peperit inconcussam, ingentes etiam thesauros ad Regni tuitionem posteritati consulens præparavit, ac Panormi reposuit. Exinde jam otio quietique deditus, faustaque se prole felicem existimans, filiis suis, Rogerio Duci Apuliæ, Amphulsoque Capuæ Principi, in quibus verissima paternæ virtutis reddebatur effigies, Regni sollicitudinem participandam crediderat. Qui postea non sine dolore patris incredibili, totiusque Regni luctu maximo, fati debitum agnovere, superstite Guilielmo Tarenti Principe, quem vix pater eodem dignum principatu censuerat. Huic igitur, quando jam alius nullus supererat, regium diadema pater imposuit, Regnique fecit participem. Nec multò post, ipse tum immensis attritus laboribus, tum ultra quàm bona corporis exigeret valetudo, rebus assuetus venereis, immatura senectute consumptus cessit in fata. Cui succedens Guiliel. ejus filius, quem adhuc vivens Regem fecerat, palatium, ac thesauros obtinuit, Regnique curam suscepit. Eo tempore Regnum Siciliæ strenuis, & præclaris viris abundans cùm terra, marique plurimùm posset, vicinis circumquaque gentibus terrorem incusserat, summaque pace ac tranquillitate maxima fruebatur. Verùm brevi temporis interjecto spatio, sic tranquillitas omnis elapsa repentè disparuit; ut facilè quidem ex hoc intelligas Regnorum fortunam, ac statum virtuti parêre regnantium, tantumque Regni cujuslibet gloriam ampliari posse non dubites, quantum in Principe virtutis esse cognoveris. Guilielmus enim Rex cùm patriæ solùm potestatis, non etiam virtutis hæres existeret, in tantam est primùm efferatus amentiam, ut optimi patris acta contemneret, suâque industriâ Curiæ statum in melius reformatum pessum ire permitteret. Unde & quos familiares pater habuerat, eos partim condemnavit exilio, partim carcerum conclusit angustiis. Majonem quoque Barensem humili ortum genere, qui cùm primùm in Curia Notarius extitisset, gradatim ad Cancellariatus pervenerat dignitatem, magnum Admiratum instituit, monstrum utique, quo nulla pestis immanior, nulla ad Regni perniciem, ac subversionem poterat efficacior inveniri. Nam ingenium illi promptum erat ad omnia, facundia non dispar ingenio, simulandi ac dissimulandi quæ vellet summa facilitas, præceps in libidinem animus, nobilium maximè matronarum, ac virginum concubitus expetebat, & quas honestiùs viventes audierat, earum vehementiùs pudicitiam attentabat. Dominandi quoque semel accensus desiderio, multa volvebat in animo, multis mentem fatigabat consiliis, & continuis scelerum stimulis agebatur, sed æstuantis animi tempestatem vultus serenitate celabat. Huic igitur maxima collata dignitate, totiusque Regni cura, & administratione commissa, in brevi sic actum est, ut Rex plenam verbis ejus fidem adhibens, nihil alii cuipiam credere, nihil prorsus ab alio vellet audire. Cæteros omnes excludens, cum illo singulis diebus solus habebat colloquium, solus Regni tractabat negotia, Regisque animum quòcunque libuerat inclinabat, cùm falsa pro veris ingerens, tum adulationibus illius temeritatem demulcens. Subit inde spes animum, efficere velle & conari quod mente conceperat; visaque temporis adesse opportunitas, ut maturet consilium, & quem regnandi libido præcipitem agit, moram omnem damnosam existimat. Nulla interim animo pax datur, nulla tranquillitas, omnia circuit, omnia præmetitur, omnia diligenter explorat, quo consilio, quibus artibus Regnum obtineat. Multaque diu præcogitans, intelligit viros nobilissimos, quibus adhuc Regnum florebat Siciliæ, suum impedire propositum. Præ cæteris autem ei metum incutiunt Robertus Comes Lorotelli, Regis consobrinus, Symon Comes Polycastrensis, Ebrardus Comes Squillacensis, quorum illi virtus haud dubia erat, sciebatque fidem eorum nulla fraude, nullis unquam præmiis corrumpendam, nec, si superessent incolumes, sperabat rem posse procedere. Visum ergo primùm aliquid ad eorum machinari perniciem, in eoque sceleris sui primitias prælibare. Placuit etiam, & ad id totis viribus nitebatur, ut Hugonem Archiepiscopum, qui tunc Panormitanæ præerat Ecclesiæ, socium ac participem ejus haberet consilii, cujus fretus auxilio ad id quod separaverat (3), maturiùs perveniret. Sciebat enim illum prudentem, providum, summæque virum esse industriæ, & ad quaslibet machinationes aptissimum; cæterùm elati quidem erat animi, gloriæ cupidus, libidinique deserviens. Hujus primùm Admiratus pedetentim pertentat animum, dehinc confidentiùs mentem aperit, propositi partem exponit, regnandi tamen dissimulat voluntatem. Nec difficile persuadet, ut amoto Rege inutili, ipsi tutelæ munus subeant, Regnum pueris conservantes incolume, dum pubertatis annos impleverint. In hoc ambo consentiunt, ut Regem deponant, cætera Majo reticet, ne facti socium atrocitate deterreat, sperans, si tutor possit fieri puerorum, nullius se de cætero ad obtinendum Regnum indigere consilio. Dictum est præterea, quòd ii juxta consuetudinem Siculorum fraternæ fœdus societatis contraxerint, seseque invicem jurejurando astrinxerint, ut alter alterum modis omnibus promoveret, & tam in prosperis, quàm in adversis unius essent animi, unius volun-

(3) In Edito Mathurini Dupuys, *speraverat*.

luntatis atque consilii; quisquis alterum læderet, amborum incurreret offensam. Hac inita societate, præfatus Archiepiscopus, instinctu, & consilio Majonis, in familiaritatem Regis admittitur, ut quicquid Admiratus Regi suggereret, socii testimonio confirmaret. Dum hæc inter eos Panormi versantur consilia, Rex Pharum transire instituit, ac primò Messanam, dehinc paucis post diebus Salernum proficiscitur. Cùmque ex diversis Apuliæ, & Terræ Laboris partibus ad videndum Regem Proceres multi concurrerent, Robertus Comes Lorotelli eadem ratione persuasus Salernum iter ingreditur. Cujus adventu præcognito, sic erga Comitem Majonis astutia Regis animum immutavit, ut neque loquendi cum Rege copiam impetraret, eoque non viso tristis iratusque discederet. Ibi Rex aliquanti temporis intervallo consumto, paucisque nec dignis memoria gestis negotiis, Panormum rediens, deinceps, acsi humanos horreret aspectus, inaccessibilem se præbuit, nisi quòd Admirato singulis diebus, Archiepiscopo plerumque sui copiam faciebat, audiens ab eis Regni sui negotia, non qualia erant, sed qualia ipsi proposito suo conformabant. Sub id temporis Anscotinus Cancellarius, & Comes Symon cum magno exercitu in Apulia erant, ut Alamannorum Imperatori, cujus adventum fama prædixerat, obviarent, simul & ne quid ibi turbinis accideret providentes. Omnia enim jam timoris, ac suspicionis plena erant, nec satis liquebat qui Regis, quive Admirati essent: ita in incerto ambiguoque res erat. Nam Admiratus per totum Regnum propositi sui multos jam habebat participes & fautores, ejusque nomen haud aliter quàm Regis ipsius ab omnibus timebatur. Eoque ipso spe subnixa regnandi cupiditas, acriores viro stimulos ingerebat. Scribit itaque Cancellario, uti Robertum Comitem Lorotelli tanquam ad audiendum Regis impium, (4) Capuam evocet, idque modis omnibus agat, ut eundem captum sub fida custodia Panormum transmittat. Ut enim Rex idem vellet, multis persuasionibus effecerat, asserens quòd ipse Comes ad Regni subreptionem plurimùm aspiraret, ipsumque Regnum ad se jure diceret pertinere, eo quòd Rogerius Rex avunculus ejus in quodam testamento suo præcepisse diceretur, ut siquidem Guilielmus ejus filius inutilis, aut parùm idoneus videretur, Robertum Comitem, cujus virtus haud dubia erat, Regno præficerent. Comes ergo acceptis literis Cancellarii, cognitoque per amicos quid fraudis intenderet, animadvertit ejusmodi sibi expedire consilium, ut neque Regis imperio contumaciter obloqui videretur, & propositos sibi laqueos evitaret. Itaque cum quingentis ferè militibus optimè armis instructis Capuam veniens, extra urbem in plano figit tentoria. Cancellarius ubi hunc venisse comperit, illico denunciat ei, ut omissis militibus suis ipse cum paucis in urbem veniat, velle se cum eo secretè loqui, & Regis aperire mandatum. Ad id Comes, se urbem non ingressurum asserit, siquidem Cancellarius exeat, paratum audire quicquid ex parte regia sibi præceperit. At ille contra spem suam Comitem dolos intelligens præsensisse, egressus est ad eum, dicens voluntatem Regis hanc esse, ut universos milites suos,

(4) Corrige ex Edito Mathurini Dupuys *imperium*.

A prout feudum suum exigebat, Boamundo Comiti assignaret. Quod quidem molestissimè Comes tulit, respondit que indignum, & contra consuetudinem esse, ut milites sui Ducem alium sortirentur, acsi ipse proditor, aut bello videretur inutilis. Cùmque instaret Cancellarius, persuadens ut regiæ satisfaceret voluntati, adjecit Comes, aut non sani capitis, aut proditoris istud esse mandatum: Ideoque se nullatenus id facturum. Sic inani spe delusus Cancellarius Capuam rediit, Comes in Aprutium iter convertit. Nec multò post in exercitu inter milites Cancellarii, & Comitis Symonis orta seditio eousque processit, ut in

B dominos quoque militum injuria redundaret, multaque hinc inde verba minæque discurrerent. Quod utrum industria Cancellari factum sit, casuve contigerit, parum constat. Verisimile tamen est Majonis intercessisse mandatum, ipsumque Cancellarium in optimo Comite non videntem quid crimini daret, in excitanda lite id habuisse consilii, ut inde maledicendi causam eliceret. Nam & super hoc literis Curiæ destinatis, rem non tam verè, quàm hostiliter expressit, & majori Comitem, quàm res exigeret, criminatione pulsavit: dicens eum in exercitu crebras suscitare discordias, milites suos ad seditionem hortari, Comitem etiam Robertum ejus indicio propositas insidias effugisse, Nuncios inter eos dis-

C currere, nescio quid eos fovere propositi, satis periculosè deinceps ei creditum iri exercitum. Hæc & hujusmodi plurima Regi magnus Admiratus suggerens à Cancellario sibi transmissa, subjunxit, fidem plenissimam eisdem literis adhibendam. Nam se quoque dudum audisse, quòd Robertus Comes cum plerisque aliis contra Regem conspiraverat, Comitemque Symonem ejus ipsius factionis esse participem, quod claris nunc apparebat indiciis. Inde maturandum censet, ut emergentis mali periculum evitetur, serò carnem putridam resecari, cùm vicinas partes corruperit. Id eo faciliùs Regi persuasum, quòd

D propinquos omnes consanguineosque habebat suspectos. Comes igitur literis Regiis citatur ad Curiam, aliusque in ejus locum Comestabulus subrogatur. Sed eidem venienti, neque suam purgare licuit innocentiam, nec objectis ordine judiciario respondere. Statim enim, non sinè multa Majonis invidia, captus & in carcerem est retrusus. His eo modo gestis, ita Rex deinde suam omnibus avulsit præsentiam, ut per multum temporis spatium, excepto Majone Admirato, & Hugone Archiepiscopo nulli penitus appareret. Quæ res argumento fuit, ut à plerisque mortuus putaretur. Erant qui venenum ei ab Admirato dicerent propinatum, nec erat difficile creditu, cùm id eum machinari dudum audissent.

E Multi quoque cùm ex diversis Apuliæ partibus venissent ad Curiam, videndique Regem, prout consueverant, eis copia negaretur, certissimos de morte ejus rumores per totam Apuliam detulerunt, nihil hæsitandum super hoc, quod fama prædixerat, asserentes. Tunc Apulorum inconstantissima gens, libertatem adipisci frustra desiderans, quam nec adeptam quidem retinere sufficeret, ut quæ nec bello multùm valeat, nec in pace possit esse tranquilla, capessit arma, societates contrahit, Castellis muniendis operam dat. Alii quia jam

jam diuturnæ pacis pertæsum erat, sola raptantur inconstantia. Alios prædæ spes trahit ad bellum, plerique ea ratione concitantur ad arma, quòd Regis mortem censeant vindicandam. Multi tamen Admirati causam armis tuendam suscipiunt. Sic ubique re turbata, tumultuque exorto, dubiis eventibus hinc inde sæpe confligitur, Comes Lorotelli plerasque maritimas occupat civitates. Imperator etiam Græcorum à Comite rogatus auxilium, speque ductus recuperandi Apuliam, nobilissimos ac præpotentes viros cum maxima pecunia mittit Brundusium. In Terra verò Laboris non minori turbine cuncta cerneres agitari, aliosque ab Rege deficere, alios stare cum Rege. Robertus Surrentinus à Capuanis suscipitur, & hæreditario ad se jure pertinentem occupat Capuæ Principatum. Hæc ubi Panormi cognita sunt, inopinata res Admirati paulisper animum conturbavit, non tamen usque adeò, ut vultum quoque sufficeret immutare; nam in maximis quoque periculis ex industria dignitatem oris integram conservabat, ne si quoties timendum erat, vultus id fateretur indicio, hostibus quidem spem ingerens, suis nihilominus metum incuteret. Quod ergo ratus est optimum in tanta perturbatione consilium, eos, qui nondum rebellaverant, literis Regiis suisque crebriùs exhortatur, uti virtutis suæ memores cum proditoribus audacter dimicent, habitamque de se hactenus opinionem ratam faciant, meminerint virtuti præmia, laudemque proponi. Contra verò pœnas, & perpetuæ notam infamiæ proditoribus irrogari. Ipse interim Panormi quoscunque potest sibi conciliat, propositum suum eis de morte Regis aperit, censetque hoc maturiùs peragendum, timens ne si fortè Rex id eum sceleris machinari perpenderit, crimine sibi majestatis objecto, capitali supplicio addicatur. Erat tunc Panormi Gaufredus Comes Montis-Caveosi, vir utique summæ liberalitatis, armis eximius, admodumque consulti pectoris, sed mobilis erat ingenii, fidei vacillantis, novitates rerum semper exoptans. Hujus opem Admiratus plurimùm sibi fore putans necessariam, ita commodissimè sibi eum allici posse perspicit, si priùs odium ei Regis incutiat. Habebat autem ipse Comes oppida quædam in Sicilia, Nothum, Sclafanum, Calatanissetum. Sed Nothum cæteris specialiùs diligebat. Nam idem Castellum tum virorum frequentia, tum natura loci munitissimum erat, & defensioni locum præbebat aptissimum. Primùm ergo Regi Majo persuadet, ut hanc sibi munitionem accipiat, dicens non sinè periculo eam à Comite possideri. Dehinc ubi Comitem ex amissione oppidi satis comperit indignatum, secretò eum ad se præcipit accersiri, jurat ultra quàm credi facile sit hac de re se dolere, Regique, cùm hoc præciperet, plurimùm restitisse, sed tantam hominis esse temeritatem, tantam insaniam, ut neque cujuspiam consilium jam admittat, nec ab eo quod semel dixerit, qualibet possit persuasione deflecti. Quodque indignius est, Salomonem etiam parum scisse commemorans, ipse cùm sit mortalium stolidissimus, sibi soli prudentiam, sibi virtutem adscribat. Præterea tyrannum hunc veriùs, quàm Regem, nescio quid sceleris in animo gerere, facilè ex verbis ejus posse conjici, si diutiùs regnaverit, brevì futurum, ut virorum nobilium paucos superesse contingat, qui non aut suppliciis destinentur, aut carceri. Nec immeritò, inquit, deteriora nobis contingerent; nam siquidem viri & non fœminis molliores essemus, si ratione utentes, & non brutorum similes animantium, hujus tantæ pestis exitio dudum querelas ejusmodi sopissemus. Sed fortè ad interitum fata nos trahunt, & imminentis mali necessitas cœcitatem nobis inducit. Certè fatum hoc temeritas nostra est, quæ jam ad extrema nos periculorum adduxit. Tunc Comes, quid hæc sibi vellet oratio satìs intelligens, subjungit in hac omnes opinione versari, quòd absque ipsius Admirati consilio nihil omnino Rex gereret, ideoque hujus rei culpam penes eum esse, qui Regis insanias, & tyrannidem publicare deberet, nec alienam in se criminationem transfundere, sed ad omnium vindictam singulos exhortari. Facilè ei omnes obsequi, si voluntatem ejus cognoverint, sese quoque ad primum ejus imperium sanguinem Regis hausturum. Ad hæc Admiratus Comitis laudare prudentiam, virtutem ad cœlum tollere, ipsumque cœpit amplecti, referens ei quòd Archiepiscopus, aliique quamplures in id consenserint, ut interfecto Rege ipsum Admiratum ei substituant. Inde magìs tentandi gratia, quàm ex animo, subjungit, indignum se esse, qui tanto Regno præesse debeat, sanius sibi videri consilium, ut Regis filius patri succedat. Sed, & quo id animo dixisset Comitem Gaufredum non latuit, respondítque hoc se nunquam passurum. Nam de semine tyranni nihil unquam nisi tyrannicum procreari, impioque patre genitos paternæ quoque futuros impietatis hæredes. Hoc unum se laudare, hoc velle, ut Admirato regia dignitas conferatur. Subinferente illo sic futurum, si quidem ipsi placuerit, Comes ei suum ad hoc spondet auxilium, & ut nutantem adhuc animum certiorem efficiat, illi se jurejurando astringit. Exinde jam Admiratus perpetrando sceleri locum, ac tempus quærebat idoneum, existimans Comitem Gaufredum sibi per omnia fore subsidio. Comiti verò longè alia mens erat, aliudque volvebat in animo. Jam enim plurimos Barensium, qui tunc Panormi morabantur, ipse sibi jurare fecerat, erantque cum eo Symon Sangrensis, & Rogerius filius Richardi, pluresque alii nobiles & factiosi milites, per quælibet eum pericula secuturi, quibus indignum, turpe, miserumque videbatur, ut cujus pater oleum Bari vendere consueverat (sic enim dicebatur) eum regnare permitterent. Sed neque displicebat eis Regem interfici ob tyrannidem, quam in viros nobiles exercebat. Erat autem hoc eorum consilium, ut quorum primum Regem Admiratus occidisset, ipsi statim in eum tanquam interfecti Regis ultores irruerent, ne sua diutius proditione gauderet, Regisque filium majorem natu patri substituerent hæredem. Ita Comes adversùs dolos Majonis fraudulenter agere instituerat, plurimùm interim ipsi blandiri, rogare ne rem tantam negligendo differret, paratos semper habere secum milites, præstolari de die in diem, ut Admiratus quod proposuerat adimpleret. Ubi segniùs eum videt rem gerere, tepidumque languere propositum, fidem suam illi suspectam esse, sibique parùm credi certis colligit argumentis. Posthabito igitur de morte Regis consilio, Majoni parat insidias, & vel in præsentia Regis, si quidem ali-

aliter non possit, eum sibi destinat occidendum. Quod quadam die non secus ac providerat accidisset, nisi quòd jam in palatium percussoribus introductis, subitò nunciatum est de partibus Apuliæ galêas advenisse. Ea re tunc ab incœpto milites absterrente, Majo fortunæ beneficio liberatus evasit. Comes autem videns id, quod gestum erat, celari non posse (nam & multi milites cum armis viderant introductos) pro tempore consilium capit, & cum Admirato secretum habens colloquium, narrat ei ordine quid sibi acciderit, & quanta sit spe frustratus. Nam hodie, inquit, ad Curiam optimè venimus præparati, ultimumque vitæ tyrannus diem clausisset, nisi galêa Callipolitana, quam applicuisse audivimus, impedimento nobis fuisset. Admiratus autem frustra eum timuisse respondit; nam Callipolin totam ei jurasse, & unius secum esse propositi. Eadem die suggestum est ei à pluribus amicorum, quòd Comes Gaufridus cum armis Curiam eum interfecturus intraverit. Quibus ille hæc omnia scire se dixit, suo totum id actum consilio; Regi timendum fuisse, non sibi. Interea jam incipiente turbari Sicilia, Bartholomæus de Garsiliato cum quibusdam aliis Buteriam occupat, locum utique munitissimum, & adversùs quoslibet obsidentium impetus prærupti montis beneficio facilè resistentem. Ad quem plures alii confluentes, cœperunt ex agris finitimis prædam agere, loca vicina populari, cum plerisque potentibus viris societatem contrahere. Ea res Majonem ad ultimum ferè desperationis compulit, adeò quidem, ut incœptum facinus necessariò crederet differendum, nec aliter invalescentis mali posse dispendium evitari, nisi Regi ipsi dum adhuc ad debellandos hostes vires suppetunt, rem totam aperiat, alioqui totam Siciliam in brevi defecturam ad hostes. Quod ubi Regi cognitum est, primùm negligendo rem distulit, dicens non tanti viros esse momenti qui perseverare audeant, ultro ab occupata munitione nuperrimè discessuros. Id enim Regi consuetudinis erat, ut difficilè palatio vellet exire, sed ubi necessitas eum compellebat egredi, quanta priùs torpuerat ignavia, tanto deinceps impetu, non tam audacter, quàm indiscretè, ac temerè raptabatur, quantislibet se periculis objecturus. Nec quid sibi, quid adversæ parti virium esset attendebat, par an impar hostes adoriretur parùm sollicitus. Mox ubi comperit eos, qui erant Buteriæ ab incœpto nolle desistere, sed acriùs urgere propositum, Comitem Ebrardum ad eos Legatum mittit, ut sciscitetur ab eis quo consilio, qua mente castellum suum occupaverint, quid se deinceps acturos existiment. At illi non aliter id se dicturos respondent, quàm Comes eis jurejurando se obliget, ut quicquid ei dixerint, ipse Regi seriatim exponat. Præstito deinde quod petierant à Comite sacramento, dicunt se contra Regem nihil agere, aut egisse, sed eo duci consilio, ut Majonis Admirati, & Hugonis Archiepiscopi proditionem detegant, impediantque propositum: quos adversùs Regem certissimè noverant conspirasse, ipsumque Majonem ad Regnum totis viribus anhelare; ultro se Panormum ad regios pedes venturos, si de proditoribus supplicium sumtum audierint. Cùm igitur hæc omnia Comes Ebrardus, ut erat incorruptæ vir fidei, non

A tam efficaciter, quàm audacter ad Regis pertulisset notitiam, Rex primùm novitate rei attonitus mirari cœpit, dehinc inhumanum ratus, ut crederet eum sibi mortem moliri, quem tanta sublimaverat dignitate, quid ei Comes dixerat, retulit Admirato, subjungens nunquam se de illo tale quippiam crediturum. Admiratus exinde Comitem Ebrardum suspectum habens, atrox in eum odium exercebat, sed id prudenti dissimulabat consilio, donec ultioni tempus congruum inveniret. Interim Comes Gaufredus Buteriam transfûgit, per aliquot castella sua militum relicto præsidio. Tunc verò Panormi tumultus ingens exoritur,
B ubique civitatis timor & indignatio, tota plebs adversùs Majonem fremit, ac murmurat. Comitem Symonem injustè captum, omnes unanimi voto deposcunt. Admiratus autem videns murmur invalescere, nec jam facilè posse compesci, nisi plebis satisfiat desiderio, persuadet Regi, ut Comes Symon extrahatur de carcere. Quo ad jussionem Regis educto, ita subitò status civitatis immutatus est, ut cum eo pax, & tranquillitas urbi reddita videretur. Rex itaque, ut in tanto necessitatis articulo nullum videt superesse locum ignaviæ, nec dilationis causam idoneam, vix tandem instinctu Majonis educit exercitum, Buteriam obsidet; ubi nisi Comitem Symonem secum duxisset, non parum fuerat temporis consumptu-
C rus. Cùm igitur aliquandiu castellum totis viribus oppugnasset, oppidani verò nihilominus audacter ei resisterent, & ad deditionem eos cogi ferè jam impossibile videretur, demum hortatu, & consilio Comitis Symonis res est in transactionem deducta: Comitique Gaufredo, & sociis ejus ab Admirato, Archiepiscopo, ac plerisque Comitibus in animam Regis juratum, quòd eos Rex incolumes liberè ac securè, & absque impedimento extra Regnum suum ire permitteret. Sic oppido recepto, totaque jam quiescente Sicilia, paucis post diebus Messanam proficiscitur, in Apuliam transiturus. Eodem tempore Cancellarium ad Curiam venientem Comes Sy-
D mon, instigante Majone, multis pulsavit criminibus. Qui cùm singulis audacter se diceret responsurum, suis ei allegationibus uti non licuit, nam captum subitò damnatumque carcer excepit; ubi etiam post aliquot annos diem vitæ clausit extremum. Rex itaque Pharum transiturus, Comiti Gaufredo, qui parata jam navi, cæterisque ad transfretandum necessariis Messanæ morabatur, transitum interdici præcepit, & ipsum usque ad reditum suum diligenter observari. Multiplicato dehinc exercitu Brundusium vênit; ubi cum Græcis conflicturus, ad pugnam jubet milites expediri. Græci verò ubi Comitis Roberti, cujus
E præstolabantur adventũ, vident se defraudatos auxilio, quod unicum restabat consilium, fortunam eligunt experiri. Anceps in principio pugna fuit, inde Græci non valentes ampliùs hostiles impetus sustinere, fusi cæsique sunt; magna pars eorum cum Ducibus suis Panormum transvecti. Ea Rex potitus victoria, Barum traducit exercitum, ibique populum ejusdem urbis inermem obvium habet, ut sibi parcatur orantem. At ille castelli sui, quod à Barensibus dirutum erat ruinas aspiciens. *Justo*, inquit, *vobiscum agam judicio: & quia domui meæ parcere noluistis, certè nec ego vestris sum domibus parciturus. Vos tamen omnes*

 libe-

liberè cum rebus vestris abire permittam. Dantur ergo eis duorum dierum induciæ, ut interim exeuntes omnia sua secum asportent. Quod ubi factum est, muris primùm æquatis solo, totius insecutum est excidium civitatis. Ita præpotens Apuliæ civitas, fama celebris, opibus pollens, nobilissimis superba civibus, ædificiorum structura mirabilis, jacet nunc in acervos lapidum transformata. Hujus rei fama Comitem Robertum, aliosque, qui rebelles extiterant, valde perterruit, præsertim cùm viderent de totius Apuliæ civitatibus ad Regem omnes confluere. Nec jam facilè tantis erat viribus resistendum, omnemque spem veniæ crudelitas Regis excluserat. Relictis B ergo castellis, oppidis, urbibusque, quas possederant, multi Regni terminos exierunt. Plerique cum Comite Roberto in terram Aprucii transfugerunt. Robertus Surrentinus Capuæ Princeps cùm nihil sibi fuga tutius comperisset, per terram Comitis Richardi de Aquila securè transiens, in transitu fluminis ab eodem capi jussus, Regique traditus est. Quem Admiratus Panormi non multò post in vincula conjectum, oculis fecit privari. Eo facto Comes Richardus cùm Regem antea plurimùm offendisset, gratiam ejus promeruit, sed nec infamiæ notam penitus evitavit. Nam à multis crimini datum accepi, quòd idem dominum suum summæ nobilitatis ac mansue- C tudinis virum, cui sacramentum quoque fidelitatis præstiterat, turpiter prodidisset. Rex autem Græcis devictis, fugatoque Comite Roberto, reliquos hostes suos persequens, cùm omnes ante faciem ejus fugitarent, totius Apuliæ, ac Terræ-Laboris tumultum compescuit; ac demum prosperè gestis omnibus Pharum transiens, Panormum rediit. Interea Comes Gaufredus, cui Phari transitus interdictus fuerat, suadente Majone, privatus oculis, carceri datur. Comes Symon, qui Polycastri remanserat, ob idem accersitur ad Curiam, ut quamprimum venerit capiatur. Sed in ipso procinctu itineris felici morte præventus est. Præterea Comes Guilielmus Alesinus & D Comes Boamundus Tarsensis, cum pluribus aliis Panormi jam in vinculis tenebantur, inter quos erat & Robertus Bovensis, Comitis Ebrardi, ut ferebatur, avunculus, vir quidem armis strenuus, sed parum habens fidei, quem Francorum Rex ob proditionem, quam ibidem perpetraverat, ad tempus jusserat exulare. Filii quoque Ducis Rogerii, Tancredus, & Guilielmus nobilissima matre geniti, ad quam Dux ipse consuetudinem habuerat, intra palatii septa servabantur inclusi. Necdum tamen Majonis quiescit animus, aut nefandum cessat propositum, cùm tot præclaris ac nobilibus viris carceres plenos aspiciat, quorum E aliis oculos fecerat effodi, alios cædi fustibus, quosdam in teterrimis locis cum serpentibus habitare. Uxores quoque, ac filias eorum è domibus suis abstractas diversis clauserat in locis, aliasque suæ deservire libidini, alias, inopia cogente, venalem passim formam compulerat exhibere. His omnibus proditoris rabies expleri non potest: nihil actum putat, quia Comitem Ebrardum superesse videt incolumem. Sed neque satis scit, quid tanto viro criminis possit intendere, cujus fides omnibus evidenter apparet. Jam tunc ergo omnia Comitis facta, dictaque subtiliter explorat, ut detrahendi causam inveniat. Cùm ergo quadam die Comes cum paucis venatum exisset, Admiratus illico Regem adit, nunciatque Comitem Ebrardum absque licentia Curiæ cum multitudine militum recessisse, rebellandi hoc esse satis evidens argumentum, eum, siquidem abire liberè possit, multos ejusdem propositi socios habiturum, suadetque missis absque dilatione Nunciis Comitem ex itinere revocari. Comes autem Regis mandatum audiens, omissa venatione redit Panormum, subitòque vocatus ad Curiam, ibidem retentus est, & in vincula conjectus. Cui primùm effossis oculis; non multò post Admiratus linguam quoque fecit abscindi. Jamque viris fortibus, quoscunque sibi timendos, Admiratus putaverat, aut captis, aut in exilium compulsis, totius Regni tumultus quieverat. Videns autem Majo superesse jam neminem, qui suæ possit vel audeat contradicere voluntati, ad perpetrandum, quod necessitate cogente distulerat, faciliùs rursus accingitur. Sed ita facillimè sperat id posse fieri, si populi priùs amorem sibi conciliet, si propinquis, & affinibus suis maximas Regni conferat dignitates, quorum adversùs nobilitatis superbiam sese tueatur auxilio. Symonem ergo Seneschalcum maritum sororis suæ toti Apuliæ, ac Terræ-Laboris Magistratum (5) Capitaneum præficiens: Stephanum quoque fratrem suum Stolii constituit Admiratum. Ipse interim indigentibus multa largiri, omnibus præbere se facilem, Legatos undecunque venientes plurimùm honorare in animum induxerat. Strenuos bello milites Longobardos, ac Transmontanos indifferenter plurimis sibi largitionibus alliciens, Clericos quoque magnis sæpe promovebat honoribus, prout cujusque dignitas exigebat. Ita modis omnibus sollicitus erat, ut nihil omitteret, quod ad alliciendum plebis animos utile videretur. Dum hæc in Regis perniciem præmoliens Admiratus callide suum occultaret propositum, Regnum aliquandiu visum est quievisse, nisi quòd Comes Robertus Terram Aprutii, vicinasque partes Apuliæ crebris adeò fatigabat incursibus, ut in Apulia necessariò teneretur exercitus, ubi variis est sæpe pugnatum eventibus. Richardus de Mandra Comitis Roberti Comestabulus, interim cum Episcopo Tetino captus est, & Panormum deductus. Per idem tempus cum Imperatore Græcorum fœdus initum est, paxque firmata, Græci Constantinopolin dimissi, qui post Brundusinum bellum in vinculis tenebantur. Jam itaque omnem rei difficultatem Majo superaverat, jam ad id pervenerat potestatis, ut non tam Admirati, quàm Regis videretur præditus dignitate. Jam Regis ipsius apertè prædicabat insanias, jam stultitiam ejus publicè deridebat: & si quid tyrannicum aut inhumanum Rex eo suadente præceperat, velut innocenti cuipiam oculos erui, linguam abscindi, vel aliquid talium perpetrari, ipse sua postmodum auctoritate prohibebat id fieri, dicens non omnia, quæ tyrannus inconsultè, aut delirando jusserit, statim effici oportere, alioqui innocentium vitam periclitari sæpissimè. Nam ad hoc nitebatur, ut in Regem plebis exasperaret animos, & omnium ei conflaret invidiam. Eam plerique causam fuisse existimant, ut idem Africam à Sarracenis capi

(5) In edito Dupuys leg. *Magistrum Capitaneum*.

pi permitteret. Cùm enim in partes Hispaniæ misso Stolio, Masmudorum Rex potentissimus Africam obsedisset, idque nunciatum esset in Sicilia, placuit ad auxilium Africæ Stolium revocari, cui tunc præerat Gaitus Petrus eunuchus: isque sicut & omnes Eunuchi palatii, nomine tantùm, habituque Christianus erat, animo Sarracenus. Erant autem galeæ circiter CLX. Quæ cùm ex Hispania redeuntes è stationibus Masmudorum possent jam conspici, cœperunt milites, qui Africæ erant, resumptis animis clamorem tollere, insultare hostibus, & venientes galêas ostendere. Contra verò Masmudorum Rex inopinato galêarum adventu perterritus, intra castra cogebat exercitum, qui tamen præ sui magnitudine regi vix poterat. At ubi jam terræ Stolium propinquabat, ingens in urbe cum lætitia militum clamor exoritur, & siquidem, ut arbitrabantur, Stolium ex uno latere, ipsi apertis portis ex alio in hostes irruerent, ea die victus fususque Barbarorum cessisset exercitus. Sed secus actum est; nam Gaitus Petrus Magister Stolii totum id prævidens, cùm jam plerique vela deducerent, ultro mirantibus cunctis in fugam conversus, carbasa ventis exposuit. Cæteræ quoque galêæ fugientem Ducem, prout quæque poterat, sequebantur. Barbari verò, quos proditoris dolus non latuit, LX. galêas armantes, quas ad terram metu Stolii priùs eduxerant, persecuti sunt illico fugientes. Septem galêæ captæ sunt à Masmudis, reliquæ, turpiter miserèque re gesta, in Siciliam pervenerunt. Ea res & Barbarorum animos plurimùm extulit, & obsessis desperationem incussit. Nam & pauci quidem, sed invicti bello, milites erant, & cibi premebantur inopia; quicquid tamen in tanta rerum angustia virtus poterat, effecerunt. Nec enim solùm tantæ multitudinis creberrimos impetus viriliter sustinebant, sed & singulis ferè diebus egressi, Barbarorum proturbabant exercitum, non nisi post multam stragem hostium revertentes. Rex itaque Masmudorum, consumptis omnibus, quæ ad obtinendam urbem sibi crediderat expedire, jam obsessorum militum audaciam considerabat attonitus, eorumque virtutem, & constantiam mirabatur, & nullis urbem jam sperabat posse viribus expugnari, ultroque, nisi famis intolerantiam perfugarum indicio cognovisset, ab obsidione amoturus erat exercitum. Sed ubi contra consuetudinem humanam, nec equis jam parci, nec à canibus, aliisque immundis animalibus abstineri cognovit, cœpit milites ad deditionem hortari dicens, frustra suam eos indigentiam occultare, quæ patiebantur sibi non esse incognita; è Sicilia nihil venturum auxilii; nam se literas Eunuchorum palatii nuperrimè recepisse, quibus rei veritatem plenè didicerat; denique nihil spei reliquum esse, ut evasuros se putent, sed eorum virtuti velle se parcere, & siquidem Regis Siciliæ tyrannidem metuentes secum morari maluerint, largissima eis, quotquot fuerint, stipendia se daturum. Sin autem in Siciliam redire præelegerint, datis, quæ sufficiant, navibus, liberum eis transitum permittendum. At illi super hoc habentes consilium, paucorum dierum inducias petiere, ut missis in Siciliam Legatis postularent auxilium, quo non impetrato, tum demum conditioni starent propositæ; nec idipsum eis negatum

A est. Sed cùm eorum Nuncii Panormum venientes urbis suæ periculum, & famem exponerent, omnia jam se passos quæcunque summa necessitas indixisset, peterentque frumentum saltem eò transmitti, nihil tamen multis persuasionibus effecerunt. Nam Admiratus falsò Regi suggesserat, frumentum Africæ, quod per totum annum sufficeret, se jubente fuisse repositum, foris autem publicè prædicabat, in ea Regem esse sententia, ut diceret, si caperetur Africa nihil se damni passurum: eamque civitatem plus oneris sibi esse, quàm honoris, cùm in stipendiis militum, aliisque ad urbis tuitionem necessariis maximos quidem sumptus faceret, unde nihil

B unquam emolumenti speraret. Hoc autem ab Admirato, sicut dictum est, eo fiebat animo, ut insani capitis esse Regem ostenderet, qui nobilissimæ civitatis amissione Regnum suum mutilari jacturam non duceret, cùm eidem posset facillimè subveniri, nec animadverteret rei turpitudinem, aut quod inde Siciliæ periculum immineret. Igitur ubi Africæ cognitum est Legatos elusos esse, cùm jam nihil sperarent auxilii, sed neque fames ultra poterat sustineri, priùs oblatæ conditioni stari placuit: ac tum demum Masmudis urbe tradita, acceptisque navibus, quæ ad transfretandum sufficerent, in Siciliam transierunt.

C At verò Majonis propositum ampliùs tegi non poterat, aut diutiùs occultari: nec erat dubium, quin regnandi libidine traheretur: nemo tamen tam impiæ machinationis index erat, nemo tam apertam proditionem audebat Regi detegere. Sciebant enim omnes id eum minimè crediturum, memores quid inde Comiti Ebrardo, aliisque quamplurimis contigisset. Præelegerant ergo silere, quàm subire periculum, attonitique rei exitum expectabant. Jamque totam ferè Siciliam varii super hoc dissonique rumores impleverant, passimque vulgatum erat, Admiratum diademata quædam, aliaque Regis insignia, quæ sibi præparaverat, multis familiaribus suis ostendisse, nec deerant,

D qui Reginam hæc ei de palatio dicerent transmisisse. Nam & ejus consensu totum hoc fieri, eamque Majoni putabant inhonesti contractu fœderis obligatam. Plerisque falsò videbatur id dici. Alii quoque nihilominus asserebant Notarium Matthæum Majonis familiarem Alexandro Papæ, qui tunc Romanæ præsidebat Ecclesiæ, multam pecuniam detulisse, idque consilio & ope Joannis Neapolitani, qui unus erat Cardinalium, impetrasse, ut, amoto Rege Siciliæ, Admiratus in ejus locum succederet, ad exemplum cujusdam Regis Francorum, cui deposito, eo quòd inutilis videretur, Romanus Pontifex Pipinum Caroli patrem substituit. Hæc & hujusmodi plurima totus

E jam triviatìm populus loquebatur. Quidam in ipso palatio Regem gladio feriendum, multi claudendum in Monasterio prædicebant. Erant & qui in aliquam insularum crederent deportandum. Hæc eadem in Apulia jam divulgata erant, omniumque mentes adversùs Majonem indignitas rei commoverat. Melfenses igitur, qui primis semper consueverant rumoribus excitari, decernunt in primis, ut nulli deinceps Majonis mandato pareant, nec in urbe sua quemlibet eorum recipiant, quos Apuliæ Capitaneos idem præfecerat. Comites etiam, aliique viri nobiles, quibus præcipuè Majonis erat suspecta potentia, consilio super hoc habito

bito sibi invicem juravere, quòd Majonis mortem totis viribus, totoque studio perquirerent, neque parêrent deinceps Curiæ, aut ab ea societate discederent, nisi priùs illum aut interfectum esse cognoscerent, aut extra Regnum fugisse; idemque jusjurandum proposuerant per totum Regnum vel à spontaneis accipere, vel ab invitis nihilominus extorquere. Jamque multæ civitates, oppidaque quamplurima eorum se societati conjunxerant. Circuibant ergo totam Apuliam, ac Terram-Laboris cum ingenti militum multitudine, ut universos sibi jurare compellerent. Erant autem in ea societate Comes Jonathas, Comes Richardus de Aquila, Comes Rogerius Acerranus, aliique Comites, ac potentes viri, cum quibus erat & Comes Gilbertus consanguineus Reginæ, cui Rex nuper ex Hispania vocato Gravinæ dederat Comitatum. Marius quoque Burrellus vir eloquentissimus Salerni habita oratione ad populum, satìs efficaciter peroravit, maximæque parti civium persuasit, ut Comites reciperent, in eumque modum quo & ipsi juraverant sacramentum eis præstarent. Per idem tempus Andreas de Rupe-Canina, qui tunc in Campaniæ partibus exulabat, videns tanto schismate Regnum distrahi, congregatis militibus Aquinum cepit, oppidoque Sancti Germani, quod Cassino Monti subjacet, occupato, dehinc Aliphias usque pertransiit. Sed paulò post ab eisdem civibus, qui eum sponte receperant, circumventus, cum paucis militum suorum vix evasit, tutiùsque potuerat urbes hostium expugnare, quàm expugnatas deserere. Interim dum in hunc modum Apulia turbaretur, adhuc Sicilia quiescebat, nec ullis agitabatur tumultibus. Licèt enim utraque gens infida, mobilis, pronaque sit ad quodlibet facinus perpetrandum, Siculi tamen cautiùs dissimulando celant propositum, & quos oderunt blandis adulationibus demulcent, ut improvisi lædant atrociùs. Sed nec in Sicilia quemquam Admiratus reliquerat, cui ad audendum animus superesset. Nam Comes Sylvester hominum timidissimus, quamquam Apulorum consilium approbaret, quibus etiam sese modis omnibus spoponderat futurum auxilio, suam tamen nullis audebat indiciis detegere voluntatem. Comes etiam Rogerius Creonensis, cujus filiam Majo virginitate privaverat, injuriam suam patienter dissimulans, vindictam Apulis reservabat. Admiratus ubi contra spem suam animadvertit Comitum vires in immensum excrescere, primùm Amalfiam, Surrentum, Neapolim, maritimas civitates, quæ nondum defecerant, dehinc ex altero mari, Tarentum, Hidruntum, Brundusium, Barolum, literas ex parte Regis transmisit, admonens, ut nullis moverentur rumoribus, neque falsis Comitum, vanisque sermonibus crederent, aut se proditorum turbæ miscerent. Sed eò res devenerat, ut Regis literas nemo susciperet; dicebatur enim per manus proditoris eas fieri, neque Regis in eisdem, sed Majonis exprimi voluntatem. Stephanum quoque fratrem suum, qui militibus in Apulia præerat, ut Comitis Roberti crebros impetus sustineret, sæpiùs admonens hortabatur, ut amplioribus stipendiis militum sibi mentes alliceret, eosque tam muneribus, quàm promissis ad resistendum Comitibus invitaret. Nam Symonem Seneschalcum in quoddam munitissimum oppidum se receptare Comitum timor compulerat. Placuit etiam Majoni Mazariensem Episcopum Melphiam mitti Legatum, ut civium animos mitigaret, & eorum indignationem compesceret. At ille non solùm ab incœpto Melfenses revocare non studuit, verumetiam ampliùs eorum mentes exasperans, plura de proditione Majonis, & atrociora, quàm audissent, eis narravit. Sed & Calabria jam ingruentibus Apuliæ procellis quati cœperat, cujus antea fides difficillimè consueverat vacillare. Ea res Admirato plurimum terroris attulit, visumque est maturè talem eò mitti oportere Legatum, cujus facilè persuasionibus fides habeatur à Calabris. Huic autem legationi neminem magìs, quàm Matthæum Bonellum putabat posse sufficere. Nam & genere nobilissimus, integræque apud omnes opinionis erat, & eum plerique nobiles viri Calabriæ propinquitatis linea contingebant; sed & eum Admiratus non aliter quàm filium diligebat. Videns enim eumdem adhuc ætate juvenem, ut qui prima lanugine genas vestiret, summè nobilem, formá pulcherrimum, corporis præstantem viribus, ultra quàm id ætatis exigeret, optimam quoque terram in Sicilia possidentem, filiam suam adhuc parvulam illi desponderat. Idem verò militibus multa largiens, omnibusque se præbens affabilem, & in equestribus ludis, quæ vocant *hastiludia*, nemini posthabendus, militum sibi gratiam, magnumque nomen pepererat. Cæterùm inconstans erat animo, facilis à proposito resilire: quod persuasum esset audax promittere; ubi ad rem ventum erat, tepidior. Is autem cujusdam filiæ Regis Rogerii spuriæ, quæ Hugonis Comitis Molisini uxor fuerat, forma captus, desponsatæ sibi puellulæ, eo quòd ignobilis esset, cœperat nuptias abhorrere. Sed & hoc molestissimè ferebat, quòd Admiratus re cognita palatium ejusdem Comitissæ diligentiùs custodiri præceperat, utriusque votum impediens. Cùm igitur legatione suscepta Pharum transisset, & quibusdam potentibus viris Calabriæ, qui ad loquendum ei convenerant, adventus sui causam exponeret, Majonis innocentiam modis omnibus asseverans, Rogerius de Marturano, qui tunc in Calabria magni nominis erat, omnium, qui aderant, vice respondit: satìs superque se mirari, quo consilio ad id temeritatis devolvi potuerit, ut nefandissimi proditoris mandatum exequens, contra omnium opinionem eum ostendere velit innoxium, adeòque causam Admirati tuendam susceperit, ut ejusdem conspirationis non immeritò particeps æstimetur. „ Nam alios, inquit, Majonis deliramenta sectari, ejusque „ negotiis, ac sceleribus immisceri æquiore „ tulerim animo, nec tanta dignum admiratione crediderim. Quosdam enim tenue patrimonium, & rei familiaris angustia cogit „ honestatem negligere, dum suam quolibet „ pacto tolerabilem faciant egestatem. Alios „ obscuritas generis altum aliquid sperare non „ sinit, eòque miseriæ traducit, ut potentioribus adulando deserviant, summam beatitudinem æstimantes, si possint vel nobilium „ pedibus inhærere, eoque pacto quibuslibet „ se non vereantur objectare periculis, nec „ ullius reatum sceleris pertimescant. Differunt item ab his, sed non dispari laborant „ insania, qui cùm ignobiles sint, nullaque „ genus virtute redimant, sublimia tamen spe-

„ rare

„ rare præsumunt, potentium virorum patrocinia multis ementes periculis, ut abjecti generis possint ignominiam diffiteri. Plerique nobiles criminosis actionibus bonam famam demeriti, fas & nefas æqua lance trutinant, nihil se deinceps sperantes acturos, quo possint semel inflictam notam infamiæ propulsare. Nonnulli quoque de proditorum semine procreati, patrum eligunt sequi vestigia. Ejusmodi quidem homines haud indignè ferendum est Majonis parêre mandatis, ejusque limina frequentare. Te verò summæ nobilitatis, & integerrimæ famæ juvenem amplissimis ditem patrimoniis, nulla permittit ratio lucris turpibus inhiare. Præ oculis habe, qui te parentes genuerint, & omnem tibi delinquendi viam obstructam intelligens, aspernandique sceleris necessitatem indictam. Certè si neminem videres proditoris hujus obviare sceleribus, tu saltem nobilitatis, quam idem atrocissimè persequitur, vindex esse debueras. Nunc autem cùm omnes adversùs eum unanimiter moveantur, tu solus eumdem prædicas innocentem? Cujus dum asseris innocentiam, suspectum te facis, verendumque tibi ne famæ dispendium, ac læsionem incurras. Quis enim eo putandus nocentior, qui bonorum omnium sanguinem sitit, qui nemini nocet, nisi quem innocentem cognoverit, qui demum ei fraudulenter quærit Regnum subripere, per quem in hanc eminentiam potestatis evasit? Tu consilium hoc innocentiam vocas, tu propositum hoc approbas, tu Regem occidi consentiens, aut honore privari, cùm ei sacramento sis fidelitatis astrictus, aut eo deposito Notarium hunc Regem fieri dudum olei venditorem? At eo regnante secundus eris à Rege, summis fulgebis honoribus, optio tibi dabitur, quem velis Comitatum eligere. Sic tibi jam, nisi fallor, de futura prosperitate blandiris. O perditissimi virum ingenii! puta jam Regem depositum. Quid ergo? Majonem regnaturum existimas? Eadem certè die, qua Regnum occupaverit, cum omnibus his, qui ejus familiaritati adhæserint, & si ferrum nusquam compareat, saltem lapidibus obruetur. Adde quòd unus es in Sicilia, cui virtutis aliquid vendicetur; te solum omnes respiciunt. Quicquid egeris, obscurum esse non potest. Eligere (6), virtutem tuam malis, an scelera publicari. Pudeat te quidem omnium expectationem deludere. Pudeat inter primæ juventutis auspicia malarum artium rudimenta suscipere. Aspernare socerum, cujus affinitatis contagio tua sit nobilitas polluenda. Respue, si sapis, uxorem liberos tibi parituram degeneres, prolemque generis biformitate patri dissimilem. Adquiesce tandem amicorum consiliis, & ad communem omnium vindictam accingere, teque pariter, & id nobilitatis, quod superest, in libertatem vindica, nec patere truculentissimam hanc belluam in nostram perniciem diutiùs debacchari. Experiatur certè virtuti, licèt innumeris eam persecutionibus oppressam attriverit, ad vindictam tamen scelerum, audaciam, & ultores gladios non deesse. Regis quidem ipsius incolumitas, Regnique salus, ac libertas in manibus tuis est. Nam cæteris omnibus hujus tam præclari facinoris impotentia condemnatis, tantæ laudis cumulum fortunæ tibi benignitas reservavit. Nec ad id cujuslibet procrastinationis dilatio necessaria est, aut temporis opportunitas expectanda. Adeò enim suis te fraudibus, ac dolis circumventum existimat, ut neminem alium putet jam familiariùs admittendum. Sive igitur eidem armatus, sive inermis, solus, an militum multitudine stipatus occurras, nihil ex hoc ei timoris, nihil suspicionis innascitur. Unde & eum securè potes ubicunque libuerit obtruncare. Quo semel occiso, nihil tibi verendum est, ne quempiam ad vindictam sui superstitem derelinquat. Age ergo juvenis enitere, ut gradum hunc felicitatis attingas; quò te virtus vocat sequaris intrepidus, nec poscenti fortunæ tuum deneges obsequium. Quòd si te facturum non dubia nobis pactione spoponderis, præter eam, quam inde consequêris, immortalem gloriam, non deerit etiam mutua, grataque meriti compensatio. Nam id modis omnibus perquiremus, & impetrabimus, ut Comitissa Catacensis matrimonii tibi fœdere conjungatur, & omnis dubietatis sublato scrupulo, hujus te pactionis reddemus certissimum, seu jurisjurandi religione malueris esse contentus, seu quolibet alio satis dationis genere tibi prospiciendum esse putaverimus. Quantum autem eadem Comitissa nobilitate tibi præemineat, quàm potentium virorum nuptias recusaverit, non attinet dicere, cùm nihil horum tibi putem incognitum. „ Hæc eo dicente, cœperat jam animus juvenilis, ut facilè movebatur, amore laudis accendi, ipsiusque Majonis detestari scelera, jamque ejus affinitatem plurimùm abhorrebat; quadam tamen adhuc velut hæsitatione suspensus. Mox autem dum paulisper secum deliberans, hinc desponsæ sibi virginis genus obscurum, patris ejus infamiam, & quod ei periculum imminebat, inde pactas sibi Comitissæ nuptias animo metiretur, puduit eum super hoc hæsitasse, cœpitque in eodem proposito pleniùs roborari. Nec diutiùs moratus, Rogerio de Marturano, aliisque, qui aderant, nobilibus viris respondit ea se, quæ persuaderent, confidenter ausurum, plenâque peracturum fiduciâ, si pactioni starent propositæ. Sic ubi visum est utrique parti nihil eorum penitus, quæ promiserant, immutare, ipsaque etiam postmodum Comitissa, nec non & ejus propinquis prædictum fœdus matrimonii ratum habentibus, utrinque præstito sacramento, pactum ipsum mutuò roboratur, mortique Majonis terminus certus præfigitur. Additque etiam Matthæus Bonellus, si temporis interim occurrat opportunitas, nequaquam id sibi esse animi, ut præfixam diem expectet, nec per se staturum quin illud quàm maturè possit perficiat. Nec minùs alibi quoque fortunam tantis Admirati fatigatam successibus, jam ab ejus obsequio descivisse perciperes. Cùm enim instaret jam dies, quem interficiendo Regi idem providerat, placuit ei cum Archiepiscopo secretum habere colloquium. Cùmque de Rege maturiùs amovendo, de sedandis populi motibus, Re-

(6) Corrige ex edito apud Dupuys *Elige*.

Regnique statu mox futuro deliberantes invicem disceptarent, suborta est inde controversia de thesauris, ipsiusque Regis filii utrius deberent custodiæ committi. Dicebat enim Admiratus puerorum tutelam, ac thesauros, totumque palatium sibi debere committi, quoniam oporteret Regni negotiis insudare, maximèque thesauros necessarios esse ad tumultus rebellantium comprimendos, & arcendos exterorum incursus hostium, nec sinè magnis sumptibus emersuras dissensiones, & intestina bella posse compesci. Archiepiscopus autem ajebat, id se nunquam passurum; nam ex ea puerorum tutela plurimùm posse suspicionis innasci, maximèque roborari præcedentem plebis opinionem, tunc omnes fore certissimos, nihil illum aliud, quàm Regnum appetere: tunc adversùs eum modis omnibus asperandos. Suspectum enim tutorem pueris dari nec jura permittere, & si datus sit, removendum censere. Sanius autem esse consilium, ut Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Venerabilibus, & Religiosis personis, de quibus nulla posset haberi suspicio, puerorum, ac thesaurorum custodia crederetur. Nam & reditus totius Regni sumptibus faciendis suppetere, &, si necessitas exigeret, ab ipsis eum thesaurorum custodibus quantum sufficeret accepturum. Sic igitur alternis disceptationibus eâ controversiâ diutiùs protractâ, cùm Archiepiscopus à prædicta non posset avelli sententia, eademque Majoni penitus displiceret, quippe quem suis noverat machinationibus obviare, tandem iratus subintulit non ita se de Archiepiscopo meruisse, ut suo debuerit adversari proposito: sed nunc compensationem sibi mutuam reponi, quòd eum solâ gratiâ socium, & consilii participem ascivisset, cùm ejus non indigeret auxilio, & eo quidem ignaro, aut etiam reluctante facilè posset quod proposuerat adimplere. Verùm hanc ad præsens nihil obfuisse discordiam: nec enim esse jam dubium quid in tali socio spei sibi debeat reservare. Præterea jam se pœnitere propositi, animumque suum ab incœpto penitus avertisse, nec unquam deinceps tale quidpiam admissurum. Tunc Archiepiscopus licèt hæc eum ex animo dixisse non crederet: *optimum quidem ait, & satis approbandum consilium, nam & me quoque facti deterret atrocitas, nec absque salutis & famæ nostræ periculo posset hoc fieri*. In hunc modum contractæ dudum societatis fœdere dissoluto, Majo discessit, totis jam se nisibus præparans ultioni. Ac primò quidem erga socium ita Regis animum spe lucri, ut erat cupidissimus, irritavit, ut septingentas ab eo auri uncias extorqueret. At ille quanquam ejusmodi jactura satis efficaciter ad doloris eum impatientiam permovisset, pudore tamen & indignitate rei vehementiùs exæstuans, totum ad ejus rei vindictam ingenium transtulit. Cùmque priùs tanto pacis ac dilectionis fœdere tenerentur astricti, ut se fratres invicem appellarent, nunc hostes atrocissimi, sed occulti in exitium suum plenis operabantur affectibus, non jam fortunas alter alterius petituri, sed vitæ dispendio, pœnæque capitis imminentes. Admiratus enim pestifera veneni potione meditabatur illum extinguere, ad idque locum ac tempus præstolabatur idoneum. At ille detestabile Majonis facinus tam per se, quàm per familiares suos multis detegens, ad vindictam eos tanti sceleris hortabatur, & jam conceptam de se suspicionem removens, adversùs illum plebis animos irritabat, multos etiam milites ac nobiles viros plurimis sibi persuasionibus alliciens. Sub ea tempestate Nicolaus Logothetus, qui tunc in Calabriæ partibus jussu Curiæ morabatur, Majoni scripsit epistolam, ubi quicquid à Matthæo Bonello gestum fuerat, pactaque inter eum, & Comitissam Catacensem habita, prout relatu didicerat amicorum, breviter enarravit. Ea res primò dubiam viri mentem longa deliberatione suspenderat, nec dum fide dignum censebat eum suis refragari consiliis, quem summa promotum diligentia tanquam filium educarat. At ubi multis id asserentibus pleniorem fidem adhibuit, jam de vindicta secum deliberans, ad id operam dabat, ne factum hoc impunitas sequeretur. Matthæus autem Bonellus ita re gesta, reversus in Siciliam jam Thermas pervenerat, quod oppidum ab urbe Panormo XX. millibus distat. Ibi quendam militem suum obvium habens, quem in Calabriam profecturus Panormi reliquerat, mentem ac propositum Majonis ejusdem persensit indicio, quòdque jam sibi venturo carcerem præpararet. Et quanquam Admirati literis crebriùs citaretur, nec longam temporis angustia deliberationem admitteret, prudenti tamen consilio statuit non priùs Thermis abscedere, quin missis Nunciis animum illius præleniat. Literis ergo Majoni directis narrat operâ suâ sedatos esse Calabriæ tumultus, Calabros omnes de inimicis amicissimos ei factos, & ad peragendum quicquid injunxerit expeditos, nihilque jam aliud, quàm ejus imperia præstolari. Additque suam ipsius fidem hac in re maximè satis abundèque spectatam, qui tanto studio tantaque sollicitudine negotia gesserit Admirati, licèt semper ejus nihilominus voluntati diligentissimè fuerit obsecutus, suæ per omnia jussioni deserviens, ea spe quidem ac fiducia, ut quem suis videret insudare negotiis, eum ampliori benevolentia crederet amplectendum, pactasque sibi filiæ nuptias non differret; verùm hoc in contrarium cessisse. Nam pro gratia potiùs ingratitudinem compensationis vice sibi repositam, jamque se longa promissionis expectatione suspensum diutiùs cruciari, suoque fraudari desiderio. Nunc id se rogare, id plenitudine votorum exposcere, ac per si quid de eo bene meruerat obtestari, ut qui timorem ejus in gaudium commutasset, qui timendum ac triste belli principium ad lætos exitus perduxisset, eum redeuntem promissi conjugii lætitia muneraret. Has igitur literas Admiratus inspiciens familiaribus suis eas ostendit, illisque præcipuè, qui adversùs Matthæum Bonellum ejus indignationem commoverant, dicens palàm esse nunc eorum falsitatem, quæ sibi dicta fuerant: iniquum esse tanti criminis eum argui, qui filiæ suæ nuptias tanta præ se, tantisque votis expeteret, nec se deinceps crediturum si quis de eo mali quippiam sibi suggesserit. Dehinc illi quammaxima celeritate rescribit, uti securus veniat, & conceptam deponat sollicitudinem, suo quamprimum venerit satisfactum iri desiderio, eumque nuptias, quas tam affectuosè postulaverit, adepturum. At ille visis ejusmodi literis, tamquam ea nuptiarum promissione lenitus, læta fronte Panormum ingreditur, ibique ab Admirato benignè & cum honore susceptus, gratias ei agit,

agit, rogatque ut promissionem suam celeri prosequatur effectu. Hinc Archiepiscopum febribus laborantem secretiùs adit, eique quod gestum fuerat totum expediens, ab eodem plurimùm admonetur, ut omnibus modis acceleret, & dilationis impedimentum omne submoveat; rem enim tantam non sinè periculo jam differri. Interim ergo Matthæus Bonellus perpetrando facinori tempus idoneum sollicitè perquirebat, sed & huic ejus sollicitudini fortuna non defuit, quæ quasi pœnitentiâ ducta, quòd virum ignobilem tantis horrendum flagitiis in summo ferè rerum culmine collocasset, jam ei præcipitium minabatur, & volubilis circuli supereminentiam sensim detrudens ad infima, circumductis anfractibus rotam cœperat obliquare. Cùm enim jam Admiratus ipsi Archiepiscopo per manum cujusdam familiaris sui, quem donis ac promissis allexerat, venenum propinari fecisset, mirabatur eum tardiùs mori, diuque languere, & curis ingentibus angebatur, timens ne fortè posset sanitati restitui. Idque ex impotentia veneni prævidens accidisse, præparat aliud multo vehementius ad nocendum, & amplioris malitiæ. Quod secum deferens die quadam circa horam undecimam, Archiepiscopum invisit, eique assidens primò de valetudine ejus interrogat, inde subjungit, eum facilè, si consilio amicorum crediderit, evasurum, rogatque ut facilem & expertissimam ad hoc genus ægritudinis medicinam accipiat, quam ipse in præsentia sua diligentissimè fecerat præparari. Ad hæc Archiepiscopus tantum se jurat pati fastidium, tanta membrorum debilitate vexari, ut neque sinè magno periculo corpus ita debile possit ampliùs inaniri, & ipse quamlibet medicinam solo visu abhorreat, sed & cum summa difficultate cibos accipiat. At Majo ne videretur importunè instare, eoque ipso suspectus fieret, præparatam jubet potionem in diem aliam reservari: dehinc illi familiariùs assidet, & blandè super hoc eum redarguens, hortatur ne consilium amicorum tam negligenter audiat, neque suæ semper obtemperet voluntati, cùm sciat eam esse legem ægritudinis, ut animus nociva frequentiùs appetens, ea, quæ prosunt, nihilominus aspernetur: vim sibi, si sanari desideret, aliquoties faciendam: seque de illius, ut propria salute, jurat perinde esse sollicitum; nam si quidem eum mori contigerit, nescire se quid deinceps sit acturus, quò se vertat, quam expetat societatem, cujus fidei se committat; nihil enim in alio quoquam spei aut fiduciæ sibi repositum. At ille gratias ei referens, impotentiam suam excusat, fidemque laudat amicitiæ. Ad singula prolixiùs respondendo, aliisque insuper de rebus verba multiplicans, mittit illico qui Matthæo Bonello dicat, ut si quidem vir est, nunc acceleret, & ad peragendum quod promisit viriliter accingatur, milites suos occultè faciat armari, armatos congruis ipse disponat in locis, interim se Majonem variis sermonum ambagibus detenturum. Matthæus ergo Bonellus, prout ei imperatum fuerat, in secretiore domus parte militibus convocatis, rem eis totam exponit, paucisque admonet, ut audaci fortique sint animo, sinè metu, sinè periculo facillimè posse rem fieri. Sive enim nesciens hoc sibi periculum imminere securus exierit, non esse dubium, quin omnis ei fugiendi aditus obstruatur, sive re cognita timens exire, aliud quicquam machinari voluerit, itidem eum in ipsis ædibus nihilo segniùs obtruncandum, nec ei deliberandi spatium indultum iri. Nec verò longis erant persuasionibus onerandi, quos ad id perpetrandum & sacramentum astrinxerat, & Majonis dudum inflammaverat odium, & lucri spes vehementiùs accendebat. Inter hæc occasui Solis jam succedente crepusculo, totam urbem subitis incertisque rumoribus videres attonitam, civesque hinc inde turmatim dispersos incedere, & quidnam esset rumoris quod urbem repentè sic attonuerat, à se mutuò sciscitari. Alios autem obstipo quidem capite, sed arrectis auribus per plateas urbis conventicula facientes, varias super hoc dissonasque proferre sententias. Plurimorum tamen circa id versabatur opinio, ut Majonis instinctu Regem ad Archiepiscopum ea nocte venturum, in ipsaque via crederent occidendum. At Matthæus Bonellus ubi videt militum sibi promptam audaciam non deesse, Majonem ab Archiepiscopo satis commodè detineri, noctem interim nihilominus opportunè suas mundo tenebras injecisse, primùm in Via-Cooperta ab eisdem Archiepiscopi ædibus ad palatium Regis protensa, qua Majoni fuga sperari poterat, plerosque militum per congrua loca disponit: dehinc eam, qua transiturus erat, occultè præmunit insidiis, ac sic ubi fortè per Venulas, ut vulgo dicitur, in vias alias lateraliter effluebat, easdem militibus suis providè distribuit observandas; turbæ quoque, quæ Majonem sequebatur, quosdam suorum præceperat immisceri. Ipse cum paucis ad portam Sanctæ Agathes exeuntem prævenire constituerat Admiratum, eumque locum putabat opportunum insidiis, eo quòd ibi via plurimùm coartata, deinceps sese dispergebat in trivium, & præcedentis culpam angustiæ, dilatatione prodiga redimebat. Itaque ubi jam Admirato visum est re parum bene gesta discedere, jubet Archiepiscopus fores diligentissimè, quamprimum exierit, obserari. Cùm igitur Episcopo Messanensi, qui ejus lateri adhærebat colloquens, prope locum insidiarum, in viæ jam angustias incidisset, subitò Matthæus Notarius ejus familiaris, & Adenolfus Camerarius vix sequentis turbæ multitudinem transeuntes, ad eum perveniunt, ejusque auri immurmurant, Matthæum Bonellum cum plerisque militibus armatis visum esse in insidiis, ipsumque ab eodem, sicut audierant, debere interfici. Tunc Majo stans ac subiti mali rumore turbatus, Matthæum Bonellum ad se præcipit accersiri. At ille sentiens se vocari, suaque Majonem jam non latêre consilia, prosilit ex insidiis, strictoque gladio terribilis ei repentè supervenit. *Et ecce*, inquit, *adsum, ò proditor pessundatæ nobilitatis ultor, vel servus, ut nefandissimis sceleribus tuis modum imponam, unoque semel ictu in te tam Admirati, quàm Regis adulterum nomen abradam*. At Majoni cùm nec orandi veniam indulgeretur spatium, nec in extremo tamen vitæ discrimine fatigatum defecit ingenium. Nam in alteram partem defluens, & sublati ensis ictum evasit, & ferientis violentiam in irritum aliorsum reflexit. At ejusdem fortiùs redeuntis impetum evitare non potuit, acceptoque lethali vulnere ad terram corruit moribundus. Hi verò, qui sequebantur eum, subitò

subitò disparentes, quà quisque potuit, aufugerunt. Matthæus Notarius vix inter noctis tenebras graviter vulneratus evasit. Matthæus ergo Bonellus, ejusque Comites ita re gesta, timentes Panormi diutiùs immorari, cùm incertum haberent quo id factum animo Rex erat accepturus, ipsa nocte Cacabum quoddam ejus oppidum devenerunt. Tota verò civitas, quæ priùs ambiguis erat suspensa rumoribus, proditoris morte cognita, sic exhilarata est, ut tunc primum in Majonem plebis odium appareret. Nam alii cadaver in media via projectum pedibus conculcabant, alii barbæ pilos proterviùs evellentes, ejus faciem conspuebant; nec verò deerant, qui Majonem putarent adhuc vivere, tantique virum ingenii nunquam adeò consilii fuisse inopem, ut sic interfici potuisset; eum autem, qui jacebat exanimis, aliquem ex militibus suis fuisse assererent. Eadem nocte Rex insolitum è palatio vulgi tumultum audiens, mirabatur quid in urbe turbinis accidisset, vidensque Odonem Magistrum stabuli, qui ob id ipsum nunciandum ad palatium accedebat, rem ab eo totam edidicit, indignatusque est plurimùm tam audacter id injussu suo quempiam præsumpsisse. Nam & si contra regiam majestatem Admiratum aliquid machinari constaret, ad se tamen primò referri debuisse, sibique reservari vindictam. At Regina mortem Majonis multo molestiùs, nec adeò patienter audivit, & in Matthæum Bonellum ejusque socios majori quidem impetu indignationis exarsit. Interim ergo ex mandato regio delecti sunt, qui civitatem tota nocte pervigiles circuirent, ne fortè ex ea occasione inter cives seditionis aut discordiæ quidpiam oriretur. Plerique etiam domus Admirati custodiæ delegati. Propinquorum enim & affinium ejus domos, quia facilè plebs inhiberi non poterat, permissum erat licitè deprædari.

Sequenti die Rex Henricum Aristippum Archidiaconum Cataniensem mansuetissimi virum ingenii, & tam Latinis, quàm Græcis literis eruditum, familiarem sibi delegit, ut vicem & officium interim gereret Admirati, præessetque Notariis, & cùm eo secretiùs de Regni negotiis pertractaret. Cùm igitur hic, & Comes Sylvester Admirati dolos ac propositum Regi pleniùs indicarent, & erga Matthæum Bonellum tentarent ejus animum mitigare, nullis tamen assertionibus illius indignatio poterat emolliri, nisi quòd in Thesauris Majonis regia quædam inventa diademata, scelerum ejus fidem fecere, tandemque Rex se deceptum non dubiis comperit argumentis. Eadem ergo die capti sunt Stephanus Majonis filius, ejusdemque frater Stephanus, uterque Admiratus, cum Notario Matthæo qui plurimùm illi familiaris extiterat. Thesauris autem ejus quotquot inveniri potuerunt, ad Curiam finè dilatione translatis, cùm Andreas eunuchus ac plerique alii tortoribus traditi cogerentur indicare quicquid de rebus Majonis scirent, vel alicubi secretiùs occultatum, vel apud amicos depositum, multaque eorum indicio fuissent inventa, tandem Stephanus ejus filius multis terroribus & minis adactus, jurabat se nihil ampliùs scire quod Curiam super hoc edoceret, nisi quòd olim patrem, ut sibi videbatur, dicentem audierat, Episcopum Tropeensem ab eo depositi nomine prope trecentas auri uncias accepisse. Episcopus ergo vocatus ad Curiam, jussusque reddere prædictas uncias auri, quas apud eum Majo deposuerat, respondit plura se, quàm peterent redditurum, domumque reversus septingenta millia Tarenorum hostiariis, qui cum eo missi fuerant, assignavit. His ita gestis missi Cacabum Legati, qui Matthæum Bonellum accersirent, Regemque nunciarent Admirati mortem post comperta ejus scelera lætis auribus accepisse, præstitoque etiam sacramento metum omnem ac periculi suspicionem excluderent. At ille quanquam ejusmodi jurijurando parum crederet, sciens tamen Regem in se nihil ausurum, tum ob favorem plebis, tum quia Comites omnes, qui ob id ipsum rebellaverant, totamque Calabriam sperabat sibi futuram auxilio, cum universis militibus suis Panormum securus accessit. In ingressu verò civitatis plurima tam virorum ei quàm mulierum turba obviam exierunt, cum ingenti eum gaudio usque ad portam palatii prosequentes. Ibi benignè susceptus est à Rege, & in ejus gratiam integrè restitutus. Dehinc à majoribus Curiæ sub eadem est frequentia plebis domum suam perductus. Eo igitur tam famoso facinore Matthæus Bonellus non solùm in Sicilia, verùm trans Pharum quoque per totam Calabriam, Apuliamque, ac Terram-Laboris adeò sibi plebis, nobiliumque mentes allexerat, ut ejus universi virtutem & audaciam laudantes extollerent, nec in remotissimis quoque Regni partibus, ejus ad quenquam inefficaciter literæ pervenirent. Comitesque ipsi ac civitates Apuliæ cum omnibus, qui eis confœderati erant, rebellandi jam causâ sublatâ, ejus deinceps voluntatem & consilium expectabant. In Sicilia verò, Panormique maximè totus jam apertè populus conclamabat, quisquis Matthæo Bonello nocere tentasset, hostem eum publicum judicari, seseque etiam adversùs Regem, siquidem ob Admirati mortem in eum severiùs animadvertere præsumpsisset, arma sumpturos. Nam ei debere omnes obsequi, qui publico Regni sublato periculo, libertatem omnibus reddidisset. At Eunuchi palatii, quibus flagitiosus animus, ac scelerum conscientia potentiam illius suspectam fecerat, eo quòd & ipsi machinationum Admirati conscii fuissent & participes, ad id operam dabant, ut adversùs illum Regis indignationem & odium concitarent. Itaque Reginæ ipsius freti consilio, sollicitudinis suæ Regi causas aperiunt, asseruntque non negligendum ejus capiti, nisi mature præcautum fuerit, periculum impendere. Nam Matthæum Bonellum ob id, quod ei nuper acciderat, in tantam elatum superbiam, ut neminem sibi jam in Regno viribus vel potentia parem existimet. Cùmque quadam ductum temeritate totum ad se videat populum confluentem, virosque etiam nobiles suis per omnia parêre consiliis, & jussionibus obsequi, nihil eorum, quæcumque animus imperaverit, putet illicitum, nec à plebe solùm, verùm & ab ipsis Curiæ Magnatibus eandem sibi velit reverentiam exhiberi. Interim eum sibi omnes astringere sacramentis, & ignotis pactionum fœderibus obligare. His accedere, quòd universi Transpharini Proceres, quibus hoc ipsum desperationem incusserat, quòd eatenus Regem offenderant, ut eum sibi crederent implacabilem, literis suis juvenilem animum crebriùs hortabantur, ut si quidem ple-

plenam consequi gloriam affectabat, si nulli deinceps subjacere periculo, eniteretur quatinus integram & Regno libertatem, & sibi securitatem, acquireret, quam adipisci, Rege vivente, non poterat, neque fallaci Curiæ promissione seductus, æstimaret eum tam facilè sibi placatum, cui manum dexteram amputasset. Sic enim Regem opinari, sic dicere interfecto Majone manu se dextera mutilatum. His ergo persuasionum stimulis avidum gloriæ juvenem plurimùm incitatum, promptumque audere & experiri omnia, & nisi citiùs ejusmodi consiliis providè fuerit obviatum, quòcunque fervor animi, & juventutis impetus eum traxerit, facilè secuturum, nulloque coërcendum metu perjurii. Satis quippe vecordem B esse & improvidum, quisquis existimet fidem eum cuipiam servaturum, qui tam jusjurandi, quàm affinitatis jure posthabito, socerum suum, quem vice patris habuerat, cujus etiam opera patrimonii sui restitutionem impetraverat, tantis ingratus beneficiis prodiderit, interfecerit innocentem; falsum enim quicquid ipse cædisque factæ socii adversùs Admiratum confinxerant, nec illum inventa in thesauris ejus diademata sibi præparasse, sed Regi, ut eadem in Calendis Januarii strenarum nomine juxta consuetudinem ei transmitteret: verùm nunquam ob id solùm à Matthæo Bonello tot contracta fœdera, tot societates initas, ut C Majonem interficeret. Aliud eum majus ambire, altiusque fovere propositum, ad quod ejusmodi principio viam sibi commodè censuerat præparandam. Hæc & hujusmodi plurima sæpissimè Regis auribus inculcantes, id effecerant, ut neque jam Matthæum Bonellum inter familiares admitteret, neque Majonem ob aliam causam ab eo crederet interfectum, nisi ut communicatum cum quibusdam proditoribus de morte sua consilium, liberiùs posset compendiosiùsque efficere. Sed hujus rei vindictam vix jam, ut erat ad puniendum facilis, moras sustinens, in tempus congruum necessariò differebat, dum populi tumultu composito, novitatis fervor & impetus quievisset. Interim tamen LX. millia Ta- D renorum, tam ab eo, quàm ab illis, qui pro ipso fidejusserant repeti jubet, quos idem olim ut patrimonium suum reciperet, Curiæ spoponderat se daturum; eorum autem solutionem Admiratus genero parcens, ignorante Rege, distulerat. Itaque Matthæus Bonellus ex improviso repentina debiti veteris exactione pulsatus, simulque videns solito rariùs ad Curiam se vocari, neque jam ubi solebat admitti, mirabatur quid hoc novitatis portenderet. Sed & hoc ejus animo non parum metus ac suspicionis injecerat, quòd Adenolfum Camerarium plurimùm posse videbat in Curia, qui summum amicitiæ locum apud Majonem obtinuerat, & tam hunc, quàm alios E hostes suos audaciùs atque apertiùs in se odium exercere, eo quòd eum Archiepiscopi viderent ope, & consilio destitutum, qui diuturna fatigatus ægritudine nuperrimè mortem obierat. Hæc autem omnia non sinè consensu Regis existimabat fieri, nec unquam viros ejusmodi adversùm se quicquam ausuros, nisi Regis animum erga se crederent immutatum. Nam eò furoris, & audaciæ ventum erat, ut Philippus Mansellus nepos Adenolfi cum militibus armatis Viam-Marmoream noctu perambulans, à plerisque visus fuerit domum

A Matthæi Bonelli tardiùs pertransire. Quod ubi Matthæo cognitum est, sequenti nocte militibus suis armatis primùm circa domum suam per congrua loca disponens insidias, reliquos militum præcepit per Viam-Coopertam usque ad portam Galculæ replicato frequenter itinere transeuntes, ante domum Adenolfi morari diutiùs, sperans ita Philippum posse & ejus milites, siquidem ea nocte, sicut in præcedenti, exierint, vel ab istis per viarum transitus inveniri, vel ab illis, qui in insidiis erant, intercipi: simulque ut ostenderet eorum se non ignorare consilia, neque sibi militum deesse copias, aut virtutem, ut eos posset ad unum omnes delere, nisi Regis timor ejusmodi facultatis licentiam refrenaret. Sic mediam ferè noctem ducentes insomnem, demum infecto negotio redierunt. Matthæus autem Bonellus cùm his, atque aliis pluribus rerum indiciis voluntatem ac propositum Regis agnosceret, aliter interim sibi providendum existimans, nondum deliberandi libertate sublata, Matthæo de Sancta Lucia consobrino suo, & quibusdam aliis nobilibus viris Siciliæ, qui literis ejus citati Panormum convenerant, omnia pandit ordine, quæ sibi acciderant: quodque hostes sui cum Eunuchis societatem iniecerant, ut in se Regem exasperent, eosque facilè quod voluerint effecisse. Jam enim se ab ipso Rege ad veteris debiti solutionem urgeri, à quo conservatæ salutis præmium expectabat. Dehinc rogat, eos obsecrans per fidem amicitiæ, fœderisque nuper inter eos habiti sanctionem, uti hac in necessitate sibi non desint, qui pro salute totius Regni periculum istud subierit, neque se communi quisquam oneri fraudulenter conetur subtrahere. Admonetque id maturè capiendum esse consilii, ut hostium dolos, Regisque deliramenta præcaverent. Siquidem unius fuerint animi, & in una firmiter voluntate permanserint, ut omnem fortunam communicato velint periculo sustinere, nunquam sibi plebis animos, nunquam militum gratiam defuturam; ita quicquid aggressi fuerint, facilè peracturos. Quòd si dissimulando subterfugere quisque maluerit, neminem eorum, qui in mortem Majonis consenserit, evasurum. At illi rumorum novitate permoti, cùm mirarentur & gravissimè ferrent inde sibi periculum, & ingratitudinem emersisse, unde se benemeritos æstimabant, maximè tamen indignabantur Adenolfum Camerarium, eò præcipitatum audaciæ, ut in Matthæum Bonellum manifestas auderet inimicitias exercere. Neque verò putabant tantam rem deinceps habendam neglectui, aut ejusmodi Regis tyrannidem, & insaniam oportere diutiùs sustineri: erantque qui jam tunc in ipsum Adenolfum, ubicunque eum inveniri contingeret, impetum faciendum, neque tantæ ejus sycophantiæ vindictam ulteriùs protelandam censerent. Nam quicquid ab eis inchoatum foret, plebem avidè secuturam. Alii verò rem incœptam moderatiùs & cum cautela dicebant feliciùs proventuram: neque nunc Adenolfi morte periculum minui, sed augeri, si flagitiorum caput, quod ante præcidi debuerat, relinqueretur incolume: ad id dandum operam, ut, malorum origine sublata, cætera facilè subsequantur; fontis enim scatebrâ priùs consumptâ, sinè difficultate deinceps rivorum copiam exsiccari. Hoc igitur apud eos præponderante consilio, placuit, ejusdem rei sibi so-

socios adhibere, Symonem Comitem, Rogerii Regis filium ex consuetudinaria matre progenitum, Tancredumque filium Rogerii Ducis, ingenio magis & industria, quàm corporis virtute præstantem, cujus etiam supra meminimus. Sciebant enim eos quicquid adversùs Regem decretum foret, facilè consensuros. Nam idem Symoni Principatum Tarenti, contra patris testamentum abstulerat, dicens patrem in multis errasse spuriorum amore deceptum. Ducatum enim Apuliæ, Tarentique, & Capuæ Principatum legitimis tantùm filiis debere concedi. Ad Comitatus autem, aliasq; Regni dignitates non indignum esse liberos etiam naturales admitti. Tancredum verò, sicut prædictum est, intra palatii muros tenebat inclusum, cujus etiam frater Guilielmus ibidem non sinè magna Regis invidia, nuper obierat, adolescens utique pulcherrimus, qui cùm ferè XX. ætatis annum ageret, neminem militum viribus sibi parem reperarat. Hos itaque sibi Matthæus Bonellus jurejurando, seque illis invicem obligat, multosque præterea milites, & potentes viros, in quibus & nobilem adolescentulum, Rogerium Comitem Avellini, Regis consanguineum non dissimili pacto sibi confœderat. Erat autem eorum hoc propositum, ut in primis Regem caperent, captum in qualibet includerent Insularum, vel in alio quolibet loco, juxta quod omnium communi decerneretur assensu: dehinc ejus majorem filium Rogerium Ducem Apuliæ novennem ferè puerum Regem crearent, id existimantes populo gratum fore, seque videri nihil animo malo, sceleratoque gerere, si tyranno ob facinora sua sublato, filium ejus ipsi substituant. Ad hoc autem facillimus putabatur aditus præparari, si Malgerium Castellanum palatii quibuslibet possent promissionum pactionibus irretire, ut idem ab eo jusjurandum, quod inter se fecerant, extorquerent. Nam aliter inchoata parùm procedere videbantur, cùm ille trecentos ferè juvenes secū haberet assiduè, ipsius palatii custodiæ præfectos: qui sic erant per portarum angustias distributi, ut quantumvis numerum militum ab ingressu facilè submoverent, & si furtim aliquos ingredi contigisset, certum erat ibidem eos sinè spe salutis intercipi, redituris exitu non patente. Verùm id eorum desideriis obstabat, quòd idem Malgerius multæ austeritatis homo erat, nec facilis ulla persuasione quopiam inclinari, aut hujusmodi se negotiis immiscere. Timebant ergo rem secretissimam illius fidei, pressi hac ambiguitate, committere, indeque ad aliud necessariò divertere consilium, sperantes idem se per Gavarretum palatii tutiùs effecturos. Castellanus enim, ut discursandi crebriùs necessitatem, & laborem subterfugeret, oneris sui difficultatem in eum trajecerat, & totam ei custodiendi palatii curam crediderat. Ad hujus quoque spectabat officium, eos, qui per diversos carceres tenebantur inclusi, frequenter inspicere, eorumque statum mitiùs, asperiùsve, prout ei visum fuerat, commutare, & prout vellet custodes singulis designare carceribus. Confidebant autem cupiditatem illius spem lucri non difficile secuturam: quòdque non multùm votis eorum viri facilitas repugnaret, præsertim cùm jam plerique amicorum ejus in eadem confœderatione sacramento tenerentur astricti, quorum indicio res ei securè poterat aperiri. Primùm

A itaque sensim ejus animo pertentato, dehinc ejusdem certiùs agnita voluntate, quod speraverant voto pleniùs assecuti, spontaneum ab illo jusjurandum accipiunt, imperata se sinè fraude, &, ut ipsi disposuerant, impleturum. Modus autem dispositionis hic erat, ut ad præfixam diem incarceratis omnibus, quos etiam ab hac societate placuerat non excludi, vinculis relaxatis, aperiret carceres, armaque singulis provideret, & ipsi dato signo quisque de loco suo promptiùs exilirent. In ipso enim palatio circa Campanarium, eamque partem, quæ turris Græca vocabatur, carceres erant dispositi. His ita dispositis, Matthæus Bonellus Mistretum profectus est, ut eò frumentum, B armaque convehi faceret, cæteraque oppida sua rebus necessariis præmuniret. Recessurus tamen socios suos diligenter præmonuit, ut usque ad reditum suum prudenter & circumspectè se haberent, neque secretum illis creditum temerè publicarent. Si quid interim præter opinionem cura dignum emergeret, suis eum literis evocarent; nam si res exposceret, cum ingentibus militum copiis sperato citiùs adfuturum. At illi non eam, quam promiserant, super hoc adhibentes diligentiam, secura rei principia periculoso satis exitu concluserunt. Quidam enim eorum cùm amicissimum sibi militem ejusdem conspirationis optaret esse participem, quicquid actum fueC rat ei seriatim exposuit, jusjurandumque de non propalando consilio negligenter omisit, sive fidem illius ex sua metiens, sive rei periculum ut minùs discretus parùm intelligens. Sed & tempus ad hoc præfixum, reique auctores illud edocens diligenter omnia perscrutantem, demum expertus est verum esse quod dici solet, *superabundantem non nocere cautelam*. Miles enim præfatus gratias illi referens quòd rem sibi perutilem indicasset, tanquam ad deliberationem in crastinum postulatis induciis, ad alterius amici sui notitiam audita pertulit, tam horrendum inquiens scelus non oportere dissimulando celari, quod si perpetrari contigerit, perpetuam Siciliæ sit allatuD rum infamiam, nec immeritò Siculos omnes proditores deinceps appellandos. Verùm id se præcauturum ne accidat, Curiamque quantùm maturè poterit, & auctores sceleris, & conspirationis socios edocturum. Ille verò cùm & ipse de conjuratorum esset numero, proditores eos appellans, simulabat super his se plurimùm indignari, laudansque viri propositum, qui noluisset eorum consentire sceleribus, quàm primùm avelli potuit ab eo, Symonem Comitem, aliosque confœderationis principes adiit, referens quid per sociorum negligentiam accidisset: hortatusque est eos, ut ea nocte sibi consulerent; nam ad aures E Regis die crastino quicquid egerant perferendum. At illi rem audientes plenam periculi, cùm Matthæum Bonellum non pateretur angustia temporis accersiri, statuerunt per se susceptum implere negotium. Præmonitus ergo Gavarretus, ut, quia statutum tempus expectari non poterat, sequenti die, prout ipsi decreverant, incarceratos educeret, spopondit omnia providè se facturum, totamque rei difficultatem facilè submovendam: eos tantùm oportere circiter horam tertiam præparatos assore, ut cùm è palatio Rex in ampliorem locum exiret, ubi cum Archidiacono Catanensi singulis diebus solebat de statu Regni disse-

differere, sinè tumultu, sinè clamore posset ibidem intercipi. A Hæc igitur tam certæ promissionis fiducia labentes eorum animos in spem erexit, quibus inopinata res formidinis & diffidentiæ non parum attulerat, tum propter absentiam Matthæi Bonelli, cæterorumque, qui cum eo recesserant, tum quoniam id, quod cum summa cautione futurum providerant, quasi turbatim raptimque fieri superingruens compellebat necessitas. Sequenti verò die Gavarretus nihilo segniùs aut imprudentiùs quàm disposuerat, promissionem suam celeri prosecutus effectu, viros nobiles, quos jam armis præmunierat, è carceribus eduxit, sociis eorum priùs in palatium introductis. Illi Symonem Comitem sequentes, qui cùm B in palatio nutritus fuisset, anfractus viarum cognoverat, ad eum locum, ubi Rex Henrico Aristippo colloquebatur, venerunt. Qui cùm primò fratrem suum, fratrisque filium Tancredum ad se venientes aspiceret, indignatus est eis aditum patuisse, mirabaturque quid eorum sibi vellet adventus. At ubi vidit cum armis reliquos insequentes, rem, ut erat, mente concipiens, fugæ se territus præparabat. Sed universis repentè concurrentibus comprehensus est ab eis, cùm in angulos & occulta palatii se recipere conaretur. Blandiùs tamen tyrannidis suæ causas ab eo scitantes, verbisque minùs asperis ejus arguentes insaniam, spem effugiendæ mortis ei reliquerant. C Mox autem cùm videret Gulielmum Comitem Alesinum virum atrocissimum, Robertumque Bovensem notæ nihilominus crudelitatis hominem, strictis ensibus venientes, rogabat eos, à quibus captus fuerat, ne eum ab illis interfici paterentur, cùm ultro se Regno cuperet abdicare. Arbitrabatur enim tam crudeles hostium manus se nullatenus evasurum, eaque non fallax fuisset opinio, nisi Richardus de Mandra quorundam in eum irruentium impetus propulsasset, vetuissetque Regem occidi. Huic igitur omnium communi providentia custodibus assignatis, deinceps ad interiora palatii progressi, foribus proturbatis, cœperunt singula loca disquirere, D rapere, prædari quod cuique potissimum videbatur: alii gemmas, annulosque, quia parvo loco concludi poterant, alii purpuras vestesque regias avidiùs appetebant: quidam aurea, argenteaque vasa Tarenis implentes, porrigebant amicis domum interim deferenda; nonnulli quoque per fenestras palatii in plebem, quæ foris stabat, Tarenos abundantissimè dispergebant; nec deerant qui puellarum pulchritudinem crederent lucris omnibus præferendam. Sic homines ætate, moribus, genereque diversi, variis nihilominus, dissonisque rerum studiis agebantur. Eunuchorum verò quotquot inveniri potuerunt nullus evasit.

E Plures autem eorum in initio rei ad amicorum domos confugerant, quorum plerosque repertos in via milites occiderunt, qui de Castello maris exierant, aliique, qui jam cœperant per civitatem discurrere. Multi quoque Sarracenorum, qui vel in apothecis sui mercibus vendendis præerant, vel in duanis fiscales reditus colligebant, vel extra domos suas improvidi vagabantur, ab eisdem sunt militibus interfecti. Postea verò Sarraceni perturbatione cognita, viribus se quidem ad resistendum impares arbitrati, cùm eos præcedenti anno Admiratus omnia arma sua Curiæ reddere coëgisset, relictis domibus, quas plerique eorum in civitate media possidebant, in eam partem, quæ trans Papyretum est, secesserunt, ubi Christianis in eos impetum facientibus, aliquandiu frustra conflictum est; nam illi ad introitus & angustias viarum nostris tutiùs resistebant.

His ita gestis Comites, eorumque socii Rogerium Ducem majorem Regis filium educentes de palatio, per totam urbem equitare fecerunt, ostendentes eum omnibus, plebique dicentes, nequaquam alium deinceps Regem aut dominum appellarent: hunc eorum esse dominum: hunc avi sui Rogerii Regis auspicio regnaturum: hunc totius populi communi consilio coronandum: nihilque aliud expectari, quàm Matthæi Bonelli præsentiam, quem eo ipso die vel crastino non dubium erat venturum. Galterius quoque Cephaludiensis Archidiaconus Præceptor pueri, convocata virorum multitudine Regis tyrannidem publicè prædicabat, & jusjurandum exigebat ab omnibus, quòd Symonis Principis (sic enim eum vocabat) parerent imperio, multique monitis ejus persuasi jurabant. Alii verò minùs fideliter dicebant eum agere; nam si sacramentum ea tempestate cuipiam esset præstandum, Duci potiùs oportere jurari, quem Regem futurum esse sperabant. Sic illis ad libitum cuncta disponentibus, nemo jam erat, qui vel auderet, vel vellet eis resistere. Nam & ipsi Episcopi vel eorum facta publicè laudabant, vel dissimulantes silentio confirmabant. Plebs autem cùm Matthæi Bonelli consilio gestum audisset, ejus præstolabantur adventum. Cùm verò jam in diem tertium sustinentes, eum neque venisse cognoscerent, neque venturum quibuslibet indiciis persentirent, cœperunt invicem murmurare dicentes: indignum esse satisque miserabile Regem à paucis prædonibus turpiter captum in carcere detineri, neque populum id debere pati diutiùs, cùm thesauros etiam ad Regni defensionem multis laboribus, optimique Regis industria conquisitos asportari videant, & penitus exhauriri.

Quod ubi à paucorum, ut accidit, confabulatione profectum in vulgi multitudinem emanavit, repentè quasi divino commonerentur oraculo, aut ardentissimi Ducis impetum sequerentur, omnes ad arma concurrunt, palatium obsident, Regemque sibi reddi depostulant, interminantes, si diutiùs eum tenuerint, se quidem scalas aliasque ad expugnandum palatium machinas illaturos, ac de ipsis non secus ac de proditoribus sumpturos supplicium. At illi tam subita mutatione rerum attoniti, primò tamen instantes acerrimè per muros distributi depellunt, neque propiùs accedere patiuntur, missis eos desuper molibus proturbantes. Verùm & pauci admodum erant, ambitusque castelli diffusior ad defensionem sui multo majorem virorum copiam exposcebat. Hoc igitur prævidentes, tentabant populi furentis iram & impetum mitigare, rogantes eos, ut interim ab armis discederent, & Matthæum Bonellum, cæterosque Proceres, quorum id consilio gestum fuerat, expectarent. Sed eorum semel excitata rabies facilè sedari non poterat, eoque magìs instabant acriùs comminantes, nisi Regem eis ostenderent. Illi verò, tametsi viderent ad defensionem palatii se nequaquam posse sufficere,

rem

rem tamen ex industria protrahere conabantur, sperantes Matthæum Bonellum interim affuturum.

Hoc autem, ut opinati fuerant, minimè procedente, tandem ad ultimum desperationis adducti, populo spondent eorum se voluntati satisfacturos, Regemque adeunt, & cum eo paciscuntur, ut salvos eos & incolumes abire permittat; dehinc ad Johariæ fenestras eum perducunt. Tunc verò viso Rege totius multitudinis clamor & tumultus ingens exoritur: portas ocyùs postulant aperiri, censentque non oportere proditores evadere. Rex autem manu silentium indicens, jubet eos quiescere, satìs inquiens ad promerendum fidelitatis titulum sufficere, quòd eorum sit opera liberatus: deinceps arma deponant, eosque liberè sinant egredi, quibus ipse quò maluerint, eundi concesserit libertatem: alioqui eos posse gratiam suam, quam integrè promeruerant, iterum demereri. Sic igitur tumultu plebis utcunque sedato, reseratis foribus exeuntes, Cacabum transfugerunt.

Hæc autem licèt subita repentinaque rerum varietas, magnam tamen malorum seriem intra brevissimi temporis angustias contraxit, totique Regno non parum attulit detrimenti. Non solùm enim plurimæ nobilitatis amissione debilitatum est, & exhausta thesaurorum parte non minima fuit attritum, sed & aliam irreparabilem quidem in multa tempora jacturam sustinuit, interfecto Rogerio Duce, cujus supra meminimus, qui tam avi, quàm patrui moribus, ultra quàm id ætatis exigeret, jam evidentissimè cœperat insigniri; & alterius quidem prudentiam, alterius verò benignitatem cum utriusque nomine præferebat. Expediret quidem Siciliæ perpetuo Regem carcere detineri, vel certè capitalem subiisse sententiam, ne tam felicis indolis auspicio privaretur. Verùm hæc insula ne tyrannis quandoque careat, eam sibi circa Regum filios consuetudinem vindicavit, ut morti meliores primùm objiciat, eos sibi Reges constituens, per quos in ea perpetuæ possit tyrannidis privilegium conservari. Sic olim Rogerium Ducem Apuliæ, unicæ benignitatis ac dulcedinis virum, præmatura morte sustulit, ut Guilielmo regnandi non deesset occasio, qui quantum ejus frater prudentiam & mansuetudinem avidè fuerat amplexatus, tantum crudelitati studuit & ineptiæ deservire; sic & nunc Rogerio Duce sublato, Guliel. distulit ut regnaret, quos eorum secuturos vestigia, quorum nomina sortiti fuerant, nemo, qui utrumque noverit, ignorabit. Hic autem puer dum eos, qui palatium obsidebant, per fenestram minùs cautè prospiceret, sagitta percussus est, nec ejus rei satis certum auctorem fama produxit; communis tamen omnium opinio tanti sceleris culpam in Darium hostiarium refundebat. Alii verò, qui secreta palatii fatebantur se pleniùs agnoscere, negabant ejus efficaciæ fuisse vulnus acceptum, ut mortem inferre sufficeret, ipsique Regi putabant ejus atrocitatem criminis imputandam. Cùm enim, ut ajebant, liberato patri puer applaudens occurreret, pater indignatus, quòd illum quasi sibi prælatum hostes sui Regem appellaverant, repulit eum à se, & calce percussum quanto potuit impetu proturbavit. Unde vix ille digressus, ad Reginam, quæ passus fuerat pertulit, nec multum postea supervixit.

Rex itaque tam acceptis incommodis, quàm rei pudore vehementissimè perturbatus, abjecta veste Regia, suæque dignitatis immemor, humi sedebat flens inconsolabiliter, & in stuporem ex dolore conversus, eatenus malis, quæ sibi acciderant, memoriam, hebetemque mœrore mentem infixerat, ut neque sui curam gereret, neque quid sibi capiendum esset consilii, cùm ejus hostes undique secus imminerent, ad animum revocaret. Apertis etiam & inobservatis palatii foribus, omnes ad se venientes benignè ac familiariter admittebat, illis dolorem & luctus causam insinuans, ut à multis etiam, qui priùs eum oderant, lachrymas extorqueret. Tandem verò monitus & rogatus ab Episcopis, aliisque, qui ad consolandum eum venerant, descendit in aulam, quæ palatio conjuncta erat, jussitque populum convocari, eo quòd amplitudo loci capiendæ multitudini vulgi sufficeret. Ac primùm fidem illorum commendans, gratiasque referens, quòd eum de proditorum manibus abstraxissent, dehinc exhortatus est, ut in ea, qua cœperant, fidelitate permanerent; si quid adversùs eum deinceps hostes suos moliri contigeret, non satìs certum inquiens, quò se contulissent, aut quos haberent in Sicilia fautores, quorum freti consilio, tantum facinus perpetrassent. Adjecit etiam id sibi meritis suis exigentibus ob multa mala, quæ fecerat, accidisse: & hoc se quidem cognoscere, hoc fateri, deincepsque sic acturum, ut inflictum sibi divinitus correctionis flagellum, nequaquam obstinato videatur animo percepisse. Si quid à subjectis sibi populis, quod justè dari debeat postuletur, non difficilè concessurum: consuetudines etiam suis introductas temporibus, quæ vel justam populi libertatem minuere, vel eos iniquis prægravare videantur oneribus, placere sibi penitus antiquari; de cætero enim malle se diligi, quàm timeri. Hæc & his similia, quæ Rex non sinè lachrymis demissiùs loquebatur, Electus Syracusanus vir literatissimus & eloquens ad populum referebat. Ut autem illorum sibi pleniùs conciliaret gratiam, portarum eis immunitatem concessit, ut omnes cives Panormitani victualia sua vel empta, vel ex agris & vineis suis collecta liberè possent inferre, nihilque ab ipsis quis exigeret. Quod plebi gratissimum fuit, rem se nunc adeptos esse, quam diu desideratam nunquam potuerant impetrare.

Interea Panormi nunciatum est Symonem, quem Principem appellabant, Tancredum Ducis filium, Gulielmum Alesinum, Alexandrum Conversanensem, Rogerium Sclavum filium Comitis Symonis spurium, aliosque quotquot in captione Regis consenserant, cum Matthæo Bonello Cacabi esse, plurimamque militum multitudinem illis adjunctam. Placuit igitur ad ipsum Matthæum mitti Legatos, ut sciscitentur ab eo, quid erga Regem gerat animi, quid hæc velit militum concursio, quidve se facturum proponat: dicantque non oportuisse illum proditorum consiliis immisceri, vel eos post audita quæ perpetraverant scelera recepisse. Hac autem legatione fungentibus ille respondit, nunquam eorum se, quos proditores appellent, sceleribus consensisse, nec eorum scisse aut approbasse consilium: sed tyrannicum & crudele fuisse tot viros nobiles ad se confugientes non recipere, capitalibus periculis exponendos. Enimverò

Re-

Regem, si sua facta discutiat, magìs debuisse mirari, quòd Regni Proceres velut in servitutem se redigi tandiu sustinuerint, quàm quòd adversùs eum multis injuriis provocati vix tandem impatientia doloris exarserint, ut enim cætera, quæ perpessi fuerant, omittantur, miserrimum esse vel apud servilis conditionis homines, filias suas innuptas domi toto vitæ tempore permanere. Nec enim inter eos absque permissione Curiæ matrimonia posse contrahi, adeòque difficilè permissionem hanc hactenus impetratam, ut alias quidem tunc demum liceret nuptui dari, cùm jam omnem spem sobolis senectus ingruens sustulisset, alias verò perpetua virginitate damnatas sinè spe conjugii decessisse. Nunc autem totius Regni viros nobiles, seque cum illis hoc Regem postulare, hoc requirere, ut his aliisque perniciosis legibus antiquatis, eas restituat consuetudines, quas avus ejus Rogerius Comes à Roberto Guiscardo priùs introductas observaverit, & observari præceperit; alioqui, si contra antecessorum statuta niti voluerit, hoc eos minimè diutiùs perpessuros.

Hæc ad Regem Legatis deferentibus, respondit malle se Regno privari, vel morti, si necesse sit, audacter occurrere, quàm ab eo metu vel minis indignum se pactum eliciant. Quòd si depositis armis, dimissisque proditoribus ad se pacificè venientes aliquid postulaverint, faciliùs eos quod petierint adepturos. Quod ubi Cacabi relatum est, displicuit universis, qui aderant, & Matthæi culpantes ignaviam, persuaserunt ei, ut ad obsidendam urbem accederet. Quorum ille consiliis acquiescens, Panormum profectus est, tribusque ferè millibus procul ab urbe cum militibus suis consedit.

Rex autem interim Messanam mittit Nuncios ad Stratigotum, populumque civitatis, ut quotcumque galêas possent viris armisque diligenter instructas quàm ocyssimè sibi trasmitterent. At verò Panormi militum adventu præcognito, videre erat desolatæ miseræque faciem civitatis, cives trepidos, paventes, attonitos, omnemque famæ strepitum arrectis auribus haurientes, & auditis animum committentes rumoribus, alii Matthæo Bonello quum primùm veniret sese dedere cogitabant, alii, quia socios ejus offenderant, timebant se suaque prædam fore militibus. Nemo civium in armis spem posuerat, nemo de civitatis defensione sollicitus erat. His accedebat, quòd annonæ deficientis inopia futuræ famis intolerantiam minabatur, nec enim jam frumentum eò poterat de locis finitimis comportari, cùm ex omni parte viarum transitus milites custodirent. Igitur in urbe perturbata erant confusaque omnia, & siquidem Matthæus Bonellus inoffenso pergens itinere propiùs accessisset, poterat utique nemine prohibente civitatem ingressus occupasse palatium, ipsumque Regem in vincula conjecisse. Sed alio fretus consilio Cacabum rursus iter instituit. Sed & multi milites ex interioribus Siciliæ partibus ad auxilium Regis confluxerant, quantumque illi roboris accrescebat, tantum adversæ parti diffidentiæ, ac formidinis accedebat. Statuit ergo resumpto spiritu cum fortuna respirante progredi, & humilitate legationis abjecta, regiam in verbis prætendere dignitatem, cùm nihil illi facilius esset, quàm ab humilitate ad superbiam transvolare.

Rursus itaque ad Matthæum Bonellum Legatum misit Robertum de Sancto Joanne Panormitanum Canonicum præclari nominis & examinatæ fidei virum, quem nulla conjuratorum unquam societas, nulla persecutionis procella, cùm totum sæpe Regnum concuteret, ab eo, cui semper inhæserat proposito fidelitatis, avulsit. Nunquam ea blanda fortuna sic extulit, ut innatæ semel modestiæ superbiæ quicquam aut tyrannidis admisceret; nunquam sic adversa dejecit, ut fidem suam vellet potentium virorum gratia, vel cujuslibet dignitatis pretio nundinari. Hinc eum Archiepiscopus latenti odio prosecutus, parum perfecit, cùm multas adversùs eum consiliorum machinas erexisset. Hinc Admiratus ei, cùm apertè non posset, occultè parans insidias obfuit quidem, sed nec omnino quod optabat effecit. Cùm enim Rex à nemine rogatus vel monitus in id incidisset voluntatis, ut prædicto Roberto Cancellariatum dare decerneret, idque Majo cognovisset ipsius Regis indicio, laudavit ejus super hoc voluntatem, dicens hoc æquitati congruere, & Regnantis majestate dignum esse propositum, ut qui fideliter ei, diuque servierint, tandem regiæ liberalitatis beneficio non fraudentur. Verùm quia Legatos Venetiam Curia mittendos esse providerit, & ad hoc ipsius Roberti fidem & industriam constet esse perutilem, expedire ut hanc priùs legationem obeat, quatinus & Regi promotionis ejus causa uberior suppetat, & ille peracta legatione diuturni fructum servitii post laborem gratiùs amplectatur. Quod ubi Regi persuasum est, illico scripsit Petro de Castronovo qui tunc in Apulia Capitaneus erat, uti Roberto de Sancto Joanne Venetiam transituro navem fragilem & vetustate dissolutam, nautasque maris inscios, inertes, & improvidos assignaret: ut & putrida navis ad quoslibet undarum insultus fatiscens non sufficeret sinum Adriaticum transmeare, nec ille nautarum peritia posset incolumis conservari. Qui trajecto Pharo cùm in Apuliam pervenisset, Tranensis Archiepiscopus ei non solùm hoc verbis exposuit, sed & ipsius ostendit literas Admirati. At ille prudenti consilio non veritus salutem suam auro redimere, propriis sumptibus navem nautasque conduxit, & licèt multis fatigatus periculis, insidias tamen Majonis evasit. Hic igitur Cacabum profectus post multas variasque disceptationes & controversias, eo fine conclusit negotium, ut Rex omnibus his, qui ad Matthæum Bonellum confugerant, galêis, quæ sufficerent, assignatis, extra Regni fines eos faceret salvos & indemnes perduci. Ipsum verò Matthæum omni quæstione remissa, tanquam fidelem suum benignè susciperet, suam ei gratiam plenè restituens. Quod postquam est ex parte regia sacramentis præstitis roboratum, Matthæus cum ingenti plebis alacritate Panormum veniens tranquillitatem urbi restituit. Alii ferè omnes ad galêas producti, Regni terminos exierunt. Pepercit autem Rex consanguineo suo, Rogerio Comiti Avellini, quod in aliis crimen atrocissimum judicabat, in eo putans ob ætatis lubricum errorem debere non facinus appellari, simulque prece motus & lachrymis Adeliciæ consobrinæ suæ ejusdem Comitis aviæ, quæ cùm alium hæredem superstitem non haberet, nepotem suum tenerrimè diligebat. Richardum quoque de Man-

Mandra tanquam de se benemeritum Panormi retinens, militibus suis Comestabulum eum præfecit. Erant eo tempore familiares Regis, per quos negotia Curiæ disponebat, Richardus Syracusanus Electus, Sylvester Comes Marsicensis, Henricus Aristippus, quem tamen Rex habens suspectum, latens adhuc odium dissimulabat, credens eum conjurationis in se factæ fuisse participem. Sed & idem capto Rege quasdam palatii puellas in domo sua per aliquot dies tenuerat, quod maximè Regis adversùs eum indignationem commoverat. Cùm autem eis terrarum, feudorumque distinctiones, ritusque, & instituta Curiæ prorsus essent incognita, neque libri consuetudinum, quos Defetarios appellant, potuissent B post captum palatium inveniri, placuit Regi, visumque esse necessarium, ut Matthæum Notarium eductum de carcere in pristinum officium revocaret: qui cùm in Curia diutissimè Notarius extitisset, Majonisque semper adhæsisset lateri, consuetudinum totius Regni plenam sibi vindicabat peritiam, ut ad componendum novos Defetarios eadem prioribus continentes putaretur sufficere.

Dum hæc ita Panormi geruntur, Rogerius Sclavus cum Tancredo Ducis filio, paucisque aliis, qui priùs à Matthæo Bonello discesserant, cùm viderent eum ad iniqui pactionem fœderis inclinari, Buteriam, Placiam, cæteraque C Lombardorum oppida, quæ pater ejus tenuerat, occupavit; & à Lombardis gratanter, avidèque susceptus, cùm se promitterent per quantalibet eum pericula secuturos: multique etiam ad ipsum milites confluxissent, in Sarracenos prima jussit armorum auspicia prælibari. Lombardi verò nihil unquam libentiùs audituri, jussionis ejus non tradi sunt executores effecti, & in loca finitima repentinos impetus facientes, tam eos, qui per diversa oppida Christianis erant admixti, quàm eos, qui separatim habitantes villas proprias possidebant, nullo sexus aut ætatis habito discrimine perimebant. Ejus tunc gentis haud facilè numerabilis cecidit multitudo, paucique, qui D vel fuga furtim elapsi, vel Christianorum assumentes habitum propitiam sensere fortunam, in australem Siciliæ partem ad tutiora Sarracenorum oppida confugerunt, & usque nunc adeò Lombardorum gentem exhorrent, ut non solùm eam partem Siciliæ deinceps habitare noluerint, verùm etiam accessum ejus omnino devitent. Sed & adjacentem Syracusanorum, & Cataniensium regionem, Rogerius Sclavus crebris incursibus perturbabat, tantumque virtus & audacia viri circumjectis populis terrorem attulerat, ut neque Regii Comestabuli possent ejus impetum sustinere, cùm assiduè numero militum inferior eis congressus victoria potiretur. Ea res E denuo Curiam repentino terrore concussit, nec id arbitrabatur Sylvester Comes absque Matthæi Bonelli consilio geri, eo magis timendum illum existimans, quòd Curiæ familiariùs adhæreret; nam apertos hostes posse facilè devitari, familiares autem inimicitias difficiliùs quidem, nec sinè periculo præcaveri. Suspicabatur autem illum, ut erat natura timidus, sibi primùm insidias paraturum, eo quòd ad auxilium Regis veniens videretur illius impedisse propositum, & nunc quoque nihilominus impedire. Cùm ergo Rex præcepisset stipendia militibus dari, contra Rogerium Sclavum, ejusque socios educturus exercitum, persuasit ei Comes ut Matthæum Bonellum priùs captum carcere coërceret, quem si secum duceret, se quidem hostibus, suumque traditum iri exercitum: nec ad palatium de cætero rediturum incolumem, neque verò servandæ jurisjurandi religioni locum esse, ubi absque perjurio non possit mortis periculum evitari: quod timore mortis admittitur, facilè veniam promereri. Placuit ergo Regi quod ultro se facturum decreverat, hoc ab alio præmoneri, Comitisque laudavit consilium, idem sibi dudum placuisse testatus. Sciebat autem ipsum Matthæum extra palatium capi non posse, neque tantæ quempiam temeritatis futurum, ut hoc plebi saltem persuadere niteretur. Nam illum & in ipso palatio non sinè periculo captum iri, totiusque civitatis perturbationem factum hoc necessariò secuturam. Verùm ejusmodi popularis impetus hanc esse consuetudinem, ut ubi res peracta fuerit, in seipsum rursus deficiat, nec difficilè compescatur, ideoque motum hunc populi contemnendum, neque rem propositam inde segniùs peragendam.

Itaque constituto quidem ab eis die Matthæus Bonellus ad Curiam vocatus est, nec defuit ejus lateri qui rem ei totam ediceret, Comitisque dolos & consilium aperiret. Sed confidebat ab hac immanitate Regem metu perjurii deterrendum, nec æstimabat eum, etsi jusjurandum contemneret, hoc ausurum, cùm eo facto Regnum ampliùs perturbatum iri cognosceret. Ita neglectis amicorum consiliis ad palatium securus ascendit. Sed antequam ad Regem accederet, à Castellanis exceptus est, & teterrimo carcere circunclusus. Moxque non solùm palatii, sed & omnibus Galculæ portis diligentiùs obseratis, armati quoque viri per murorum ambitus sunt dispositi, ut, si necessitas ingrueret, primos plebis impetus propulsarent. Quod ubi malorum audax prænuncia per populum fama dispersit, illico plurima plebis multitudo cum ipsius Matthæi militibus concurrentes, ad palatium recto tendebant itinere, ut eum inde vi eximerent, Comitemque Sylvestrum tanquam proditorem meritis pœnis afficerent. Qui cùm portas clausas undique reperissent, omnemque viderent aditum prohiberi, cogitabant ignem portis immittere, magnam ibidem lignorum congeriem extruentes. Cùmque nihil ita possent proficere, & huc illucque aliquandiu sinè certo proposito discurrerent, tandem ex desperatione cœpit animorum fervor tepescere, timore Regis præcipitem audaciam coërcente, subitòque cum fortuna multum avertente conversi, quod cognatum est Siculis, maluerunt tempori servire, quàm fidei, quantâque priùs diligentiâ Matthæi Bonelli gratiam appetebant, tanto elaborabant studio, ne viderentur illius amicitias coluisse. Neque tamen defuit, tot amicis fortunæ disparentibus, qui virtutis nomen auderet amplecti, & qua se libertate periculi contemptor animus ad promerendam gloriæ diuturnitatem evehat, experiri. Nam Ivo quidam ex militibus ejus cùm videret Adenolfum Camerarium à Curia redeuntem, memor inimicitiarum, quas in Matthæum exercuerat, simulque dolore stimulatus, audacter in eum irruit, & equi velocitate fretus altiùs ensem sublatum cerebro fugientis immersit, ac deinde, nemine pro-

prohibente, per medium civitatis elapsus, cùm jam ab urbe longiùs abscessisset, à militibus Regis comprehensus est, & Panormum reductus, jussitque Curia manum ei dexteram amputari.

Matthæus autem Bonellus effossis oculis, nervisque super talum incisis, sublatus omnino Solis aspectui, in horrendum detrusus est carcerem, tam suis, quàm loci perpetuò tenebris obvolutus. Matthæus quoque de Sancta Lucia ejusdem consobrinus, Joannesque Romanus ejus Seneschalcus privati oculis, diversis sunt carceribus inclusi.

His ita peractis velut universis jam difficultatibus superatis, Rex educens exercitum adversùs Rogerium Sclavum, rapto contendit itinere, primùmque Placiam nobilissimum Lombardorum oppidum in plano situm evertit penitus ac destruxit: ubi cùm inter Sarracenos & Christianos in exercitu orta fuisset seditio, plurima Sarracenorum multitudo cecidit, acriter in eos irruentibus Christianis, neque metu vel interminatione Regis cessantibus, cùm & ipse missis ad auxilium Sarracenorum Comestabulis, prohiberet eos occîdi. Inde Buteriam, quò se post auditum ejus adventum hostes contulerant, obsidione vallavit. At Rogerius Sclavus ubi se vidit obsessum, primùm breviter socios cohortatus, dehinc oppidanos admonuit, ut unius essent animi, neque diversa sentirent, aut Regis formidarent exercitum; nam si paucis diebus æquanimiter sustinerent, maximam partem Siciliæ, totamque Calabriam eorum secuturam exemplum, patris etiam in eos quamplurima beneficia recensebat, simulque Regis exponebat atrocitatem, & tyrannidem in subjectos. At illi constanter, & audacissimè sponderunt se nunquam ejus defuturos imperio, neque difficultatem aliquam aut periculum quominus ei pareant causaturos. In exercitu verò tœdio jam cœperant affici plerique militum: quia videbant Regem in obsidione diutiùs moraturum: neque spes erat oppidum captum iri, nisi fames ingruens, quod vix in multum tempus accidere poterat, ad deditionem cogeret oppidanos; nam & loci naturâ munitissimum erat, nec ad sui defensionem virtute vel audacia sub Rogerio Sclavo, aut sub Tancredo prudentia consiliove poterat indigere. Ita crebri conatus obsidentium hostibus nihil oberant, illique licèt audacter magnaque, ut sæpe (7) descenderent, nihil aut parum lædebant exercitum. Rex enim cùm sciret Tancredum fratris sui filium astrologicis rationibus dies tam obsessis, quàm obsidentibus utiles prævidere, ipse quoque cum Astrologis suis eosdem dies diligentiùs attendebat, indicans familiaribus suis diem, quo descensuros eos prævideraт, ut adversùs repentinas eorum eruptiones exercitum præmunirent. Sic aliquandiu re protracta, difficultatem hanc solvit inter Proceres & plebem in oppido nata discordia. Nam Rogerii Tancredique voluntas & consilium erat, totius oppidi frumentum adunatum tam militibus, quàm oppidanis per æquas portiones distribui. Plebs verò negabat victualia sua publicatum iri, volebantque singulis oppidanis singulos milites assignari, ut eis in domibus suis necessaria providerent. Quod militibus suspectum quidem & fidei vacillantis indicium videbatur. Cœpit ergo plebs à militibus plurimùm diffidere, adeò quidem, ut se Regi dedere, militesque regios in oppidum latenter introducere molirentur. Sed ubi Rogerius Sclavus, & qui cum eo erant hoc illorum percepere consilium, rebus omnibus jam diffidentes, statuerunt ipsi quoque pacisci cum Rege, ut oppido recepto salvos atque incolumes eos abire permitteret. Quod eis facilè Rex concessit, cùm neque se tam maturè speraret oppido potiturum, & necessitate cogente proponeret in Italiam sinè dilatione transire. Robertus enim Comes Lorotelli, dum Siciliam fortuna crebris tumultibus fatigaret, maximam Regni partem invadens, Orgeolum usque pervenerat, quod in Apuliæ, Calabriæque confinio situm est, omnesque Comites, qui primùm ob Admirati scelera rebelles extiterant, postmodum de Regis gratia desperantes, illi se conjunxerant, præter Gilbertum Gravinæ Comitem, qui Regis gratiam consanguineæ suæ Reginæ precibus impetrarat, & relicta societate Comitum exercitui præerat in Apulia, Roberti Comitis impetum quantum poterat moraturus.

In Calabria quoque Comitissa Catacensis ad eum defecerat, Tabernamque castrum fortissimum tam militibus, quàm aliis rebus necessariis præmunierat, ut si Regem Pharum transire contingeret, eò se cum matre sua posset securè recipere. Rex itaque juxta quod pactum fuerat, dimissis hostibus, receptâque ac destructâ Buteriâ, deinceps eam habitari prohibuit. Ac non multò post aucto exercitu in Apuliam transiturus Tabernam obsidere constituit. Priùs tamen, ne quid in Calabriæ partibus improvisi reperiret obstaculi, Rogerium Marturanensem, qui non parvæ tunc auctoritatis apud Calabros habebatur, in Siciliam evocatum, cùm proditionis eum argueret, in carcerem retrudi jussit, oculisque privari, neque convictum, neque sollenniter in jure confessum, prout ordo judiciarius exposcebat. Cùm ergo Tabernam exercitum traduxisset, iniquam loci positionem & conscensum arduum conspicatus, cùm omnes ferè de captione oppidi desperantes censerent in Apuliam ad majora negotia properandum, interimque Tabernam omitti debere usque ad reditum, nec ibi multum tempus inefficaciter consumendum, constanter asseruit, non priùs inde se quàm cùm oppidum captum fuerit abscessurum, ipsaque die tam milites, quàm pedites armari præcepit, & ad oppidum oppugnandum impetu facto conscendere. Oppidani verò desuper missis molaribus, etiam dolia, quæ præacutis armata claviculis ad murum suspenderant, per præcipitium dimittentes, obrepentium multitudinem proterentes, facilè proturbabant, quorum plurimis interfectis, reliqui frustra multùmque fatigati, plerique etiam affecti doloribus & vulneribus, ad exercitum redierunt. Paucis autem interjectis diebus, jubente Rege denuo viros armari tentarique fortunam, omnes ad buccinarum sonitum unanimiter irruentes, primò tumulum quendam magnis occupavere conatibus, arduum quidem, sed modica superiùs distentum planitie, qui ex uno latere muris oppidi contiguus adhærebat: dehinc illatis scalis,

(7) Ex edito Dupuys *magnaque vi sæpe &c.*

fcalis, primo muros impetu non fine rei periculo tranfcenderunt. Neque fatis video qui tam facilis in oppidum irruptio fieri potuit, nisi quòd oppidani loci fortitudini temerè confidentes, muros negligentiùs obfervabant; nec enim ibi proditione, vel oppidanorum difcordia quicquam accidit, & militum ejus virtus ac copia fuppetebat, Ducefque bellicarum rerum expertiffimi, quibus & ad audendum animus, & ad providendum confilium non deeffet. Hoc utique conftat, quòd miferè turpiterque captum oppidum milites deprædati, Comitiffam & matrem ejus, ipfiufque rei principes Alferium & Thomam ejufdem Comitiffæ junioris avunculos ad Regem cum aliis plerifque militibus perduxerunt. Quorum Alferius ibidem juffu Regis eft fupplicio deftinatus, Thomas verò Meffanæ fufpenfus. Reliqui milites partim abfciffione manuum, partim oculorum amiffione mulctati. Porrò Comitiffa cum matre fua Meffanam, inde Panormum traducta eft carceri mancipanda.

Quod ubi nunciatum eft Comiti Lorotelli, Tabernam præter fpem & opinionem omnium fubitò captam atque deletam, licèt equitum peditumque numero longè Regis anteiret exercitum, metuens Longobardorum fidem ancipitem, quam non finè magno periculo damnoque fæpè probaverat, maluit cedere, quàm belli fortunam cum infidis militibus experiri, Tarentumque reverfus aliquot ibi milites ad urbis præfidium dereliquit. Inde quædam oppida veluti cohortandi roborandique caufa pervadens, cœpit paulatim in Aprutiorum terram iter deflectere.

Eifdem diebus Joharius Eunuchus Magifter Camerarius palatii, cùm in exercitu multas à Rege præter meritum, ut ajebat, injurias pertuliffet ac verbera, cum figillis regiis ad Comitem Lorotelli transfugiens, in itinere captus eft, & ad Regem perductus. Quem Rex impofitum lintri, deduci juffit in pelagus, ibique fubmergi. Inde Tarentum perveniens, cùm urbem facilè recepiffet, quofdam milites Roberti Comitis, quos ei cives reddiderant, extra civitatem fufpendit, totamque dehinc Apuliam, ac Terram-Laboris pertranfiens, univerfa recepit quæ priùs hoftes invaferant. Quantum enim inconfultè dudum ab eo defciverant, tanta nunc ad eum levitate pariter confluebant. Univerfas etiam civitates & oppida quæcumque Comitem Lorotelli receperant, vel aliquatenus ei confentiendo vifa fuerant recepiffe, certam pecuniæ quantitatem redemptionis nomine fibi pendere conftituit, volens eâ pecuniâ quod de thefauris fuis imminutum fuerat refarcire: fimulque juftum exiftimans, ut qui domos & poffeffiones fuas, hoftibus fe dedendo, debuerant rigore juris amittere, levi faltem eas pretio redimere cogerentur.

Præterea Jonathas Comes Confanus, Richardus Comes Fundanus, Rogerius Comes Acerranus, Mariufque Burrellus. & alii, qui focietatem eorum fequuti fuerant, Regis adventu perterriti, partim in Apruciùm, partim in Campaniam transfugerunt. Rogerius quoque Comes Avellini Regis iram cenfuit declinandam, eo quòd nuper injuffu Curiæ filiam Phœniciæ de Sancto Severino duxiffet uxorem, cujus etiam filius Gulielmus de Sancto Severino cum Comite fugiens furorem regium declinavit. Comitiffa verò cùm obfeffum caftellum defendere niteretur, capta eft, & cum matre fua Phœnicia Panormum tranfvecta.

Dum hæc in Italia gererentur, interim fortuna Panormi novo inclementiæ genere fæviebat, Regifque difceffum è Sicilia multorum eft periclitatio confecuta; nam Gaytus Martinus Eunuchus, quem Rex ad cuftodiam civitatis ac palatii Panormi reliquerat, cùm in captione palatii fratrem fuum à Chriftianis fciret occifum, nec ejus facti certos reperiffet auctores, in omnes Chriftianos atrociter occultèque defæviens fratris mortem omnibus imputabat. Cùm ergo plerique civium accufarentur, quòd palatium cum proditoribus ingreffi multam inde pecuniam abftraxifsent, idque juxta Curiæ confuetudinem accufatores monomachia fe probaturos affererent, eorum probationes tam promptè, quàm libenter admifit, & victores quidem tanquam de Rege benemeritos collaudans, pœnas victis atrociffimas irrogavit, nactufque tempus ad ulcifcendum fratrem idoneum, quod à paucorum temeritate fuerat inchoatum, ad multorum traxit perniciem. Hortabatur enim juvenes & propofitis præmiis incitabat eos, maximè quibus nullum aut tenue patrimonium erat, quofque virtute corporis partam gloriam affectare cognoverat, ut ejufmodi civium accufationibus audacter infifterent, dicens ob idipfum eos efficaciffimè Regis poffe gratiam promereri, & fi quidem eos vinci contingeret, nihil mali pafsuros, cùm Regis ipfius caufam agere viderentur. Tantaque jam urbem rabies & furor incefserat, ut quifquis adversùs quempiam vetus odium exercebat, vel cum alio fortè litigans in verborum proruperat contumeliam, ftatim ad Gayti Martini Prætorium convolaret, qui femper ad hujufmodi fufcipiendas actiones paratiffimus, omnibus fui copiam faciebat, his de rebus maximè cogniturus. Eorum autem, quos vinci contigerat, alios videntibus Sarracenis & illudentibus fufpendebat, alios diuturnis cæfos verberibus, diverfis afficiebat tormentis, & in his accufationibus admittendis fummam diligentiam adhibebat: fed cùm in campum pugnaturi defcenderant, fua parùm intereffe cenfebat, uter eorum victoria potiretur, dum fratris mortem poffet in altero vindicare. At ubi jam continuis malis & pœnarum atrocitate perterritis civibus, rarus procedebat accufator, qui monomachiæ vellet fubire difcrimen, placuit mulierum quoque non folùm honeftarum, & quæ integræ erant opinionis, verùm impudicarum etiam & infamium delationes admittere, ftatuit fervos nihilominus & ancillas fuper ejufmodi licitè poftulare. Quorum fæpe fuggeftionibus vice probationum admiffis, multorum quidem & opinionem læfit, & fortunas exhaufit, & corpora pœnis affecit.

Interea Rex totius Apuliæ rebus fedatis tumultuque compofito Salernum acceffit. Cujus adventu præcognito, maxima pars eorum, qui diffenfionis principes fuerant, quos Salernitani *Capiturinos* appellant, fugerunt, eo quòd Comitibus, Marioque Burrello juraverant. Cùm autem Salernitanorum majores Regi vellent occurrere, rogaturi, ut urbem ingrederetur, fimulque, ut conjurationis principes univerfos fugiffe nunciantes, eos, qui remanferant, excufarent, ille nec urbem ingredi voluit, & eos à confpectu fuo fubmoveri

præ-

præcepit. Nam adversùs Salernitanos plurimum indignationis conceperat, & exemplo Bari totam decreverat destruere civitatem. Sed Matthæus Notarius familiaris Curiæ cùm & ipse Salernitanus esset, alios Regis familiares, Richardum Syracusanum Electum, & Sylvestrum Comitem multis precibus exoravit, ut modis omnibus eniterentur, ne tanta tamque nobilis civitas deperiret. Henricus enim Aristippus antequam in Apuliam pervenisset, jubente Rege captus fuerat, & Panormum reductus: qui etiam in carcere post non multum temporis, miseriæ simul & vivendi modum sortitus est. Electus ergo Syracusanus & Sylvester Comes diu, multùmque Regi supplicantes, multis ei rationibus persuadere conabantur, urbem famosissimam, totique Regno non parum decoris afferentem, ob paucorum scelera non oportere destrui, cùm omnes ex urbe proditores aufugerint, ac, si fortè quospiam illorum remansisse contigerit, eorum incumbendum suppliciis, neque populum immeritum ob aliena crimina puniendum. Rex autem cùm difficilè primùm hujusmodi persuasiones admitteret, demum tamen multis assertionibus emollitus ab urbis excidio se temperaturum spopondit, præcipiens Stratigoto, & Judicibus, ut quotquot de numero conjuratorum in urbe remanserant, ad se vinctos perducerent. At illi paucos ei viros quasi dissensionis principes tradiderunt: quos ipsa die jussit suspendi. Inter eos autem vir quidam eidem est supplicio projectus, judicio totius ferè civitatis innoxius, qui, ut communis civium erat assertio, non modò contra Regem nemini præstiterat jusjurandum, sed nec unquam in urbe visus fuerat seditiosè quicquam egisse. Verùm Matthæus Notarius jurgiorum injurias ab illo propinquis suis illatas atrociter ulcisci desiderans, falsò suggesserat Regi, totius eum mali, quod Salerni gestum fuerat, caput & principium extitisse: cujus statim innocentia manifestis est indiciis declarata: & evidenter apparuit aliquid fuisse contra justitiam perpetratum, quod justi rerum omnium judicis oculos offendisset. Cùm enim adeò serenus esset aër, ut nullum prorsus in eo nubis vestigium appareret, tanta repentè tempestas exorta est, tonitrua, coruscationes, & imbrium inundatio subsecuta, ut per totum exercitum instar rapidissimi torrentis, aqua decurreret, & tam ipsius Regis, quàm cæterorum omnium tentoria paxillis avulsis, ruptisque funibus procella subverteret, tantusque Regem & universum exercitum terror invasit, ut rerum omnium jacturâ posthabitâ cogerentur de salute propria desperare. Illud etiam ad ejus rei vindictam plerique referunt, quod postmodum Matthæi Notarii propinquis accidit, non sinè totius dispendio civitatis; nam cujus (8) idem Matthæus adolescentem quendam neptis suæ nuptias recusantem, auctoritate metuque Curiæ coëgisset, & ad contrahenda sponsalia corrogati de majoribus civitatis cum uxoribus plurimi convenissent, repentè corruens domus viros nobiles ac mulieres circiter LX. cum ipsa puella, quæ nuptui tradebatur, oppressit. Ea res Salernitanorum animos non aliter conturbavit, quàm si Barbaris irruentibus captæ jam urbis viderent excidium imminere.

A Mulieres huc illuc sparsis crinibus discurrentes, vicos & plateas ululatu complebant. Civium autem quidam extrahendis de ruina corporibus operam dabant, alii domestica lugebant incommoda, vel amicorum mœstitiam solabantur: nonnulli quoque miseram desolatæ civitatis fortunam mirabantur attoniti. Nam & apothecis clausis contractus nulli fiebant, & scholæ velut indicto silentio quiescebant, ipsosque Judices miserandum urbis ac triste justitium ab examinandarum litium cognitione suspenderat. Tota civitas luctui vacans Matthæi Notarii detestabatur scelera, qui tanti causam præstitisset incommodi; sed & de Rege nihilominus, ubi jam supra meB tum dolor excreverat, inconsultè plurima loquebantur. Verùm hæc eatenus præoccupasse licuerit, ne majorem evagandi licentiam turbulenta narrationis series consequatur.

Itaque Rex ubi sedata vidit omnia, neque jam hostes uspiam comparere, quorum alii transfretarant in Græciam, alii cum Comite Lorotelli ad Imperatorem Alemannorum confugerant, plerique rerum omnium inopes in Campania morabantur, reversus in Siciliam palatio se conclusit, & otio quietique vacare post laborem instituit, confidens non facilè deinceps in Regno quicquam turbinis emersurum. Nec multò post moriente C Sylvestro Comite, Syracusanus Electus, & Matthæus Notarius soli consilio Regis intererant, & Regni disponebant negotia. Quibus socius datus est Gaytus Petrus Eunuchus, qui post mortem Gayti Joharii fuerat Magister Camerarius palatii constitutus. Matthæus ergo Notarius cùm jam plurimùm posset in Curia, constituerat Admirati ritus & consuetudines imitari, omnibusque se præbens affabilem, eis maximè, quos oderat, arridebat, ipsumque Regem adulationibus jam cœperat demulcere, sciens ob id ipsum Majonem ei maximè placuisse. Largitatem verò Majonis avaritia præpeditus imitari non poterat, nec illi se cùm impeditioris esset linguæ, facunD dia similem exhibere, sed & abjectus generique concors animus in eam, quæ Majonem foverat, regnandi spem, non sufficiebat illum attollere, licèt totis nisibus affectare & perquirere videretur, ut solus regia præditus familiaritate locum Admirati pleniùs obtineret, cùm nomen efficaciter Rege vivente sperare non posset. Neque verò Syracusani Electi collegæ sui fideliùs amicitiam excolebat, aut alio venerabatur affectu, quàm Admiratus Panormitanum olim Archiepiscopum diligebat. Electus autem non multùm ejusmodi versutiis & simulationibus operam dare decreverat, ipsique Regi majori quadam fiducia loquebatur, indignum honestate sua judicans E eatenus illi blandiri, ut vel occultaret veritatem, vel falsa pro veris impudenter ingereret.

Eo tempore post subactos hostes & pacem integrè restitutam, cùm Rex nihil ultra sibi crederet formidandum, repentinus eum casus edocuit, ita fortunam plerunque mortales eludere, ut ubi minùs quis præcaverit, citiùs damnum aut periculum incurrat; pauci namque viri, qui diversis ex causis adhuc in carcere tenebantur, ne palatium quandoque nullum tyrannidis prætenderet argumentum, cùm jam

(8) Corrige ex edito Dupuys: *cùm*.

jam de venia desperantes vivendi tœdio vexarentur, fortunæ se commissum ire decreverant, ut vel ea favente cœptis evaderent, vel adversante, morti potiùs vellent occurrere, quàm ejusmodi miseriis affligi diutiùs, perpetuis horrendorum carcerum pædoribus cruciandi. Itaque custodibus carcerum multis promissionum pactionibus priùs corruptis, nacti tempus congruum, quo post distractam Curiam palatium inobservatum remanserat, cùm pauci quidem essent numero, sed virtute præstantes, impetu facto primùm ad portam palatii descenderunt, eo consilio, ut Ansaldo castellano, quem ibi sedere cognoverant, interfecto, faciliùs reliqua perpetrarent. At ille cùm eos subitò respexisset jam ei sublatis ensibus imminentes, nihil ex timore perturbato consilio, extra portam, quæ semiaperta erat, tam providè quàm promptè desiliens, eamdem toto conamine post se retractam venientibus illis opposuit, inter extrinsecam intrinsecamque portam loco tutissimo constitutus. Illi verò spe frustrati ad inferiorem ingressum palatii se transtulerunt, sive ut ad Regem indeflexo gressu contenderent, sive ut ibidem in scholis Regis filios invenirent, quos eorum præceptor Galterius Cephaludensis Archidiaconus in Campanarium primis rei motibus præcognitis asportarat. Acciderat autem Gayto Martino post primam januam in introitu sedenti viros quosdam assistere, quorum unus irruentibus illis obvium se dedit, & primos ictus excipiens eorum impetum retardavit, spemque sustulit. Interim enim Gaytus Martinus foribus obseratis intra palatium se recepit. Ita cùm nihil eorum, quæ speraverant, effecissent, subita virorum multitudine circumventi, quæ cum Odone Magistro stabuli repentè confluxerat, ad unum omnes interfecti sunt. Cadavera eorum projecta canibus, prohibuit Curia sepeliri. Rex autem ut ejusmodi casus discrimen in posterum amputaret, & quod ei bis acciderat non oporteret eventurum denuo formidari, omnes incarceratos è palatio censuit removendos, quorum alios jussit ad castellum maris transferri, alios per diversa Siciliæ castella distribui.

Robertus autem Calatabojanensis magister castelli maris ultimæ crudelitatis homo, cùm esset Eunuchorum amicissimus, & eorum omnino devotus obsequiis, quoscumque Christianorum captos ad eum perduci contigerat, ingentibus catenis oneratos crebris torquebat verberibus, & eos in nova quædam detrudebat ergastula, quæ, ut antecessorum videretur tyrannidem superasse, plena fœtoris ac formidinis ipse construxerat. Cives etiam multis afficiebat injuriis, quotiesque adversùs eorum aliquem privatum habebat odium, aut ejus domum, vineam, hortum, vel omnino talium quidpiam affectabat, accusatum apud Gaytum Petrum, jussumque capi tandiu fame, siti, pœnisque variis affligebat, donec rem suam, ut evaderet, gratis dare, vel minoris, quàm valeret, distrahere cogeretur. Volens autem pleniùs Eunuchorum gratiam promereri, falsò suggessit Gayto Petro, multos proditorum per Siciliam, maximèque per Lombardorum oppida remansisse, qui & opibus affluerent, & largissima prædia possiderent, impetravitque, ut eosdem liceret ei capere, & quantam posset ab eis pecuniam extorquere. Ea præditus potestate, multos viros innoxios per diversa loca Siciliæ condemnavit, quibus hoc solùm obfuit, quòd unde mitigari posset Eunuchorum cupiditas inexpleta, penes ipsos contigit reperiri. Sed & Bartholomæus Perisinus, aliique Justitiarii, Strategoti, Camerarii, Catapani, Gayti Petri patrociniis innitentes, innumeris plebem rapinis & injuriis atterebant; hoc in omnibus judiciis præcipuum attendentes, ut ab utralibet partium, vel ab utraque, si fieri posset, pecuniam extorquerent. Per totam autem Apuliam & Terram-Laboris in eos plurimùm, qui minùs poterant, redemptionis exactio sæviebat, expediretque Regno Siciliæ hostilibus adhuc incursibus fatigari, ne domesticis populandum prædonibus traderetur.

Cùm ergo Regnum ab externis tumultibus aliquandiu quievisset, Rex autem interim otio quietique vacaret, timens, ne quævis occasio voluptuosum otium impediret, familiares suos præmonuerat, ut nihil ei, quod mœstitiam aut sollicitudinem posset ingerere nunciarent, ac se totum deinceps voluptati devovens, cœpit animo latiùs vagari, cogitans ut quia pater ejus Favariam, Mimnernum, aliaque delectabilia loca fecerat, ipse quoque palatium novum construeret, quod commodiùs ac diligentiùs compositum videretur universis patris operibus præeminere. Cujus parte maxima mira celeritate non sinè magnis sumptibus expedita, antequam supremam operi manum imponeret, dissenteriam incurrens cœpit diuturno morbo dissolvi, ac duorum ferè mensium spatio protracta valetudine, denuo convalescens, cùm jam eum Medici crederent evasurum, repentè recidivo morbo consumptus interiit. Qui cùm adhuc in extremis ageret, Magnatibus Curiæ convocatis, & Archiepiscopis Salernitano, Rheginoque (9) præsentibus ultimam voluntatem suam exponens, Gulielmum majorem filium post se Regni successorem constituit. Henricum verò Principatu Capuæ, quem dudum ei concesserat, voluit esse contentũ. Reginam (*) autem præcepit totius Regni curam & administrationem, quæ vulgò balium appellatur, tandiu gerere, dum puer ejus prudentiæ esset, quæ negotiis providè disponendis sufficere putaretur: Electum quoque Syracusanum, Gaytum Petrum, Matthæum Notarium, quos ipse sibi familiares elegerat, in eadem jussit familiaritate Curiæ permanere, ut eorum Regina consilio quæ gerenda viderentur disponeret. Nec multò post ingruente mortis articulo, communi jam luce defungens, præsentibus illis, atque flentibus, Regno vitaque se pariter abdicavit. At illi metuentes ne subitò dispersus rumor in populo motus quoslibet excitaret, jusserunt eum interim in ipso palatio sepeliri, simulantes eum adhuc vivere, donec ad Curiam Proceribus evocatis, quæ ad coronandum Regem putabantur necessaria, præparent. Quod ubi paucis diebus peractum est, primùm in palatio more lugubri funere conclamato, repentè totius luctus subsequutus est civitatis. Moxque Proceres eum Episcopis & Magnatibus Curiæ de loco, ubi sepultum fuerat, in capellam corpus regium transtulerunt. Universi quoque

(9) Salernitanus erat *Romualdus*. Rheginus verò *Rogerius*.

(*) *Margaretam* nomine.

que cives nigris induti vestibus usque in diem tertium in eodem habitu permanserunt. Per totum autem hoc triduum mulieres, nobilesque matronæ, maximè Sarracenæ, quibus ex morte Regis dolor non fictus obvenerat, saccis opertæ, passis crinibus, & die noctuque turmatim incedentes, ancillarum præeunte multitudine, totam civitatem ululatu complebant, ad pulsata tympana cantu flebili respondentes.

At ubi dies transierunt luctui publico designati, Gulielmus, qui jam ferè XIV. annum ætatis attigerat, sub ingenti plebis gaudio Rex creatus per urbem sollenniter equitavit. Qui cùm pulcherrimus esset, ea tamen die, nescio quo pacto, pulchrior apparens, & augustiorem quandam in vultu præ se ferens venustatem, adeò gratiam & favorem omnium promeruit, ut etiam hi, qui patrem ejus atrociter oderant, neque putabantur fidem unquam ejus hæredibus servaturi, dicerent, humanitatis eum terminos transgressurum, qui adversùs primum hunc aliquid impiè moliretur. Sufficere enim malorum auctorem sublatum esse de medio, nec innocenti debere puero patris tyrannidem imputari. Erat autem ejus puer pulchritudinis, quæ faciliùs quidem parem excludere videretur, quàm superiorem admittere. Itaque Regina ut plebem ac Proceres sibi filioque gratos efficeret, statuit eorum gratiam copiâ meritorum elicere, & fidem, si fieri posset, immensis saltem beneficiis extorquere. Ac primùm universa recludi jussit ergastula, plurimamque multitudinem virorum tam in Sicilia, quàm in adjacentibus Insulis liberavit. Inde redemptionis onus importabile, quæ totam Apuliam, Terramque-Laboris ultima jam desperatione concusserat, omnino censuit amovendum: scripsitque Magistris Camerariis, ut à nemine deinceps quicquam nomine redemptionis exigerent. Familiares autem Curiæ non in eo gradu, quo fuerant, aut dignitatis æqualitate voluit permanere. Nam Gayto Petro summa rerum omnium potestate concessa, super omnes eum eminentiori loco constituens, Electum Syracusanum, Matthæumque Notarium præcepit, ut ejus coadjutores, interesse quidem consiliis & familiares appellari, sed ejus in omnibus imperio subservire (*deberent*). Idem autem Petrus licèt parum consulti pectoris, & inconstantis esset animi, mansuetus tamen, benignus, & affabilis erat, & nullum in actibus suis mali animi præferens argumentum. Largitatem quoque præ cunctis amplectens virtutibus, dare, quàm accipere beatius æstimabat: unde & milites eum plurimùm diligebant, & ejus per omnia voluntatem, & imperia sequebantur, & nisi gentile vitium innatam viri mansuetudinem præpediret, nec eum pateretur Christiani nominis odium penitus abjecisse, Regnum Siciliæ multa sub eo tranquillitate gauderet.

Erant eo tempore Panormi circa Curiam commorantes Archiepiscopi quidam Romualdus Salernitanus, & Rogerius Rheginus, Episcopi verò, Gentilis Agrigentinus, & Tustanus Mazariensis. Quorum Gentilis Agrigentinus Episcopus ob timorem Regis diu simulatæ religionis umbram amplexus, sub ejus obtentu, popularis laudis gloriam venabatur, & diuturnis jejuniis satagebat favorem Regium promereri. Post obitum verò Regis

A sublato jam metu cœpit velut excusso fræno liberiùs evagari, & omissis jejuniis dissolutiorem vitam agere, convocatisque militibus crebra convivia splendidissimè celebrare. Interim inter epulas loqui plurimùm, &, quod ei familiare semper fuit, de rebus notissimis audacter mentiri, ut, qui consuetudinem ejus jam habebant expertam, ipsius impudentiam deriderent: qui verò minùs eum noverant, mirarentur apertissimam falsitatem Episcopum tam impudenter astruere. Tum genus suum, operaque sua magnificè loquebatur, tum se spondebat, si familiaris esset Curiæ, malas omnes consuetudines abrasurum, neque sub

B se Notariorum, & Hostiariorum, cæterorumque officialium Curiæ rapinis & exactionibus locum fore, sed ad certum mensuræ compendium omnia restringenda; Electoque Syracusano maximè detrahens, multorum ei conflabat odium, & apud plebem Proceresque ejus opinionem lædere conabatur. Ad obtinendam enim Panormitanæ sedem Ecclesiæ totis ambo nisibus anhelabant. Hic igitur Archiepiscopo Rhegino viro inexpletæ cupiditatis & avaritiæ, qui ut propriis sumptibus parceret, alienæ mensæ nidore facilè trahebatur, crebris ac splendidis inescato conviviis, adversùs Electum Syracusanum animum irritavit, eumque sibi socium adhibens, Archiepi-

C scopum Salernitanum ejusdem veneno conspirationis infecit, dicens: Electi Syracusani superbiam jam ulteriùs sustineri non posse, satis eum superque de rapinis pauperum ingentem coacervasse pecuniam, & inferendo multis injurias, nec ipsis quidem Episcopis pepercisse; nunc elaborandum, ut à Curia separatus tandem intelligat alicujus eos esse momenti, quos in familiaritate Regia constitutus, erecto collo, rigentique cervice grandia verba trutinans, tanquam sibi subjectos despexerit, nulloque dignos honore putaverit. Matthæo quoque Notario non difficilè persuasum est, ut eidem se societati conjungeret, quem adversùs Ele-

D ctum invidiæ stimulus incitarat. Occultè tamen id se facturum promisit, ne crudelitas nimia videretur in eum repentè sinè manifesta causa patenter irruere, cujus diu socius extitisset. Timebat enim ne fortè res aliorsùm ac opinabantur vergeret; ideoque se non audebat hostem apertum ostendere. Enimvero præter eas, quæ dictæ sunt, privatas singulorum inimicitias, alia quoque causa suberat, quæ in odium Electi satis eos efficaciter inducebat. Ajebant enim Transalpinæ gentis superbiam, quæ hactenus potestate prædita Curiæ, fretaque Regum amicitia, Longobardos impunè multis exacerbasset injuriis, deinceps à Curia penitus excludendam, si priùs Electum amoveri contigerit. Eo namque

E semel expulso, nec ejus gentis quempiam in Curia remansurum, ipsumque Regem, cùm ad ætatem discretam pervenerit, eos habiturum familiares, inter quos nutritus fuerit, & quos eum usus longævus, consuetudoque docuerit, neque peregrinis & advenis, quorum mores ut ignotos abhorreat, dignitates Curiæ collaturum. Cœperunt itaque cum Gayto Petro equitare singulis diebus, frequenter ei assistere, & honorem ac reverentiam, ultra quàm Episcopalis pateretur dignitas, exhibere. Inde familiariùs eum admonent, ut notos & amicos circa se semper habeat; nec ignotum quempiam ad se patiatur

tur accedere; nam Electum Syracusanum, cùm in Curia superiorem pati non possit, cum quibusdam aliis iniisse consilium, ut ipsum interfici faciat, ideoque dandam operam, ut illius possint insidiæ præcaveri. Ille, ut erat pronus quicquid sibi suggestum foret credere, collaudans eos, rem ad amicorum transfert notitiam, quorum consilio statuit, non solùm à Curia Syracusanum Electum expellere, verumetiam eligere viros, qui eum in ipsius ingressu palatii gladiis exceptum confoderent. Interimque Regis militibus, eorumque Comestabulis denunciari præcepit, ut nullus eorum cum Electo deinceps equitare, vel ad Curiam euntem sequi præsumeret.

Electus, licèt multorum relatu quæ facta fuerant agnovisset, neque se tamen adversùs eorum consilium aliquatenus præmunivit, neque segniùs ob hoc ad Curiam singulis diebus ascendit, ut quicunque periculum rei cognoverant, securitatem illius, & fiduciam mirarentur. Cùmque sæpe palatium ingressus propositas insidias offendisset, eo viso Gaytus Petrus, ut erat natura mitissimus, ad ejus salutationem statim mutabat consilium, & à perpetrando scelere milites avertebat, illoque recedente, crebris Episcoporum stimulationibus denuo incitatus spondebat se proculdubio quod suaderent facturum. Ubi ad rem ventum erat, rursus à proposito decidebat. Videntes autem Episcopi, Matthæusque Notarius rem inutiliter diu protrahi, persuaserunt ei, ut si vellet pius in impium esse, bonumque pro malo reddere decrevisset, saltem illum à Curiæ familiaritate semotum ad Episcopatum suum transmitteret, ejusque loco Salernitanum Archiepiscopum subrogaret. Quod ille se facturum promisit, parumque diligenter rem exequens, eorum animos expectatione longa, speque dubia suspendebat, cæterique jam dilationis tædio fatigati, ab eo, quod incœperant facilè destitissent, nisi Archiepiscopus Rheginus continuis eos persuasionum stimulis incitasset. Summo namque mane domos illorum incipiens circuire, ad perficiendum susceptum negotium singulos incitabat, & ne deficiendo tepescerent hortabatur; increpansque desidiam illorum, & inertes eos appellans, ejusmodi exhortationibus totum diei spatium consumebat, & diffidentes animos in spem iterum erigebat. Adhuc enim ob sanctitatis opinionem omnes eum venerabantur, & ejus libenter admittebant consilium, nondum ipsius hypocrisi denudata. Erat autem ætate jam vergens in senium, statura procerus, ultima consumptus & extenuatus macie, vocem adeò debilem habens, ut quasi sibilus audiretur, faciem verò, totumque corpus nigredini mixtus pallor infecerat, ut sepultis, quàm viventibus videretur affinior, habitumque mentis color extrinsecus indicaret. Laborem nullum difficilem æstimabat, unde lucri quidpiam speraretur, famis ac sitis ultra morem humanum patiens, ut sumptibus parceret, domi nunquam inter epulas lætus, in alieno nunquam tristis convivio. Totos sæpissimè dies jejunus pertransiens, expectabat ut eum aliquis invitaret; frequenter enim consueverat eum vocare Episcopus Agrigentinus, aliique, qui consuetudinem ejus cognoverant. Hujus indesinenter monitis Salernitanus Archiepiscopus, ejusque socii, velut quibusdam stimulis incitati, multas adversùs Electum Syracusanum machinationum adinventiones & versutias consumebant. Regina verò nihilominus eisdem consentiebat consiliis, nec illius ipsi persecutio displicebat, eo quòd adhuc vivente marito suo, cùm pro quibusdam negotiis suis aliquoties Electo preces porrigeret, ille ut in prosperis semper elatus, contemptorem induebat animum, superbè Nunciis mordaciterque respondens, nunquam ejus petitiones efficaciter admittebat. Sed & Joannes Neapolitanus Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui fortè tunc aderat, videns eo schismate Curiam laborare, partes suas interponere studuit, & Gayto Petro consentiens, Electum à Curia nitebatur expellere. Quod eo consilio facere putabatur, quia Gayto Petro, deincepsque per eum Reginæ persuaderi posse credebat, ut Panormitanam Ecclesiam ei regendam committerent, ipsosque sperabat dissensionis auctores ob invidiam Electi facilè consensuros.

Dum ita Syracusanus Electus gravi persecutionis turbine quateretur, nunciatum est Panormi Gilbertum Comitem Gravinensem, Reginæ consanguineum, post auditam Regis mortem ad Curiam venientem Pharum transisse. Quo permoti rumore persecutores Electi, paulisper ab incœptis machinis quieverunt, ad aliam necessariò deliberationem traducti. Constabat enim ob hoc venire Comitem, ut totius Regni Magister Capitaneus esset constitutus, negotia Curiæ post Reginam, principe loco disponeret. Sed neque Reginæ sic ferebat animus, ut Gaytum Petrum, quem plurimùm diligebat, secundo post aliquem loco poneret, nec ea Comes venerat præmunitus manu militum, ut ipsa nolente cæteros posset à Curia familiares excludere. Electus ergo missis ad eum occultè Nunciis, persecutionem suam, & quas passus esset injurias illi aperuit, monuitque, ut circumspectè se habens Siculorum præcaveret fallacias, sciturus à Gayto Petro, cæterisque sociis ejus proculdubio sibi paratum iri insidias. Ad hæc Electo Comes rescripsit, ut securus de cætero permaneret, nam se diligenter super his omnibus ejus ipsius consilio provisurum.

Cùm autem Panormum venisset, cœperunt ad eum Gayti Petri fautores crebriùs convenire, studium ejus & prudentiam laudare, quòd audita Regis morte sinè dilatione Reginam consolatùm venerit: dein assentantes illi blandiri, & se suaque voluntatis ejus exponere. Interim ei latenter apud Reginam tum per seipsos, tum etiam interposita Cardinalis auctoritate detrahere; nam & ipsa postmodum prodente cognitum est Joannem Neapolitanum ei suggessisse, & paratum fuisse jurare, quòd Comes illi Balium & omnem imperandi facultatem auferre, sibique transumere conaretur. Comes ubi certiùs expectationem suam animadvertit eludi, neque bonum erga se Reginam animum gerere, statuit asperioribus cum ea verbis agere, eamque præsente Gayto Petro secretiùs alloquens, cùm de rebus illam plurimis convenisset, subjecit rem omnibus dignam videri miraculo, quòd non aliter Curiam ordinaret, cùm in eo statu non posset diutiùs permanere. Jam enim universos Proceres indignari, quòd omissis Comitibus, aliisque viris prudentibus, quorum oportebat consilio Curiam regi, toti Regno servum effœminatum præfecerit. Nec enim Regem sanum habuisse consilium, aut ejus debere

bere super hoc jussionem impleri, qui viros contemtibiles, immo deviratos homines ad regimen Regni putaverit posse sufficere. Sed & hoc insanius esse, quòd adversùs Electum Syracusanum virum prudentem, Regnoque necessarium, ob quem solùm inconsulta Regis decreta videbantur aliquatenus excusari, nescio qui conspiratores eam moverint, & ipsum à Curia censeant amovendum. At illa respondit, Regis ultimam voluntatem, quam maximè deceat observari, sua nunquam infirmatum iri opera. Quòd si Gaytus Petrus ad administrationem Regni parum sufficiens putabatur, ipse cum eo familiaris in Curia remaneret, ut auctoritate & prudentia sua quod deerat Curiæ suppleretur. Tunc indignatus Comes, *Bene*, inquit, *honorem mihi debitum ut consanguineo detulisti, præclaræ mihi locum reservaveras dignitatis, quæ servo tuo parem me facere disponebas. At ego mores, ingeniumque tuum cognovi, neque me latet consilium tuum, scio te quidem facturam, ut ab administratione Regni turpiter expellaris. Jam enim per totam Apuliam opera tua fama dispersit, jam hic etiam quod plenius ibi dicta corroboret intellexi.* His aliisque non mitioribus eam verbis aggressus, deincepsque paulatim in apertam verborum contumeliam prorumpens, tandem ad lachrymas coactam, nihilo tamen segniùs ejus proposito reluctantem deseruit, iratusque domum reversus est. At Gaytus Petrus cùm apertè Comitis animum ex ipsius dictis, ut præsens aderat, cognovisset, arbitratus ei viribus resistendum, cœpit animos militum beneficiis sibi largisque donis allicere. Erant tunc consiliorum ejus participes duo viri nobiles, in quibus maximè confidebat, Hugo filius Atonis, vir tam prudens, quàm armis strenuus, quem militibus suis ipse præfecerat, & Richardus de Mandra Magister Comestabulus, qui cum Roberto Comite Lorotelli rebus diu bellicis insudaverat, audaciæ plurimum habens, prudentiæ parum. Proceres ergo, cæterique viri nobiles, quicumque prædia vel feudorum quidpiam possidebant, Comitem malebant præesse Curiæ, Capitaneumque constitui. Milites verò stipendiarii cum Comestabulo suo, præter paucos Transmontanos, Gayti Petri munera sequebantur. Qui cùm Richardi Comestabuli fidem multis sibi non ambigeret beneficiis obligatam, eò tendebat, ut eumdem factum Comitem quasi propugnaculum quoddam adversùs Comitem Gravinensem erigeret, ut velut ex æquo deinceps Comes Comiti plena posset auctoritate resistere, quod non difficile porrectis super hoc Reginæ precibus impetravit.

Hic itaque non sinè multorum indignatione Comes creatus, tubis, tympanis, cimbalisque de more sollenniter præeuntibus, Bovianum, Venafrum, integrèque universa oppida, quæ ad Comitatum Molisii pertinebant, obtinuit. Cœpit interea Gaytus Petrus frequenter cum ingenti multitudine militum, hostiariisque, sagittariisque præcedentibus equitare, universis ad se confluentibus multa largiri, & sibi quos poterat sacramentis astringere. Comes autem Gravinensis hæc omnia velut negligere dissimulando, paucorum comitatu contentus esse, eoque ipso Gayto Petro suspectior fieri. Conjectabat enim notæ virum industriæ callidum dissimulare propositum, & occultè cum Electo Syracusano magnum aliquid machinari. Ex ea demum suspicione timorem concipiens, Comitis consilium per amicos diligentiùs inquirebat. Cùmque multi nihil esse timendum assererent, & addita spe niterentur labantem ejus animum roborare: plures ad eum secretiùs accedentes, parari sibi latenter insidias astruebant. Ita variis, dissonisque concussum rumoribus eò desperationis impulerant, ut non aliter se, quàm nocturnâ fugâ speraret manus Comitis evasurum. Itaque sagitteam quanta potuit celeritate faciens præparari, nautis, armis, cæterisque rebus necessariis eam præmunivit. Cùmque thesauros suos fecisset illuc sub noctis silentio comportari, sequenti die post occasum solis fingens se novum adire velle palatium, quod in ea parte civitatis, quæ vocatur Kemonia nuper construxerat, cum paucis Eunuchis, quos secum decreverat abducendos, ad mare perrexit, ibique dimissis equis navem conscendens ad Masmudorum Regem in Africam transfretavit.

Quod cùm summo mane fama per populum dispersisset, eorum, qui partes ejus sequuti fuerant, animos inopinatæ rei perturbavit eventus. Gilbertum verò Comitem, ejusque fautores in amplioris spei fiduciam extulit, arbitrantes propositum suum nullo posse deinceps obstaculo præpediri. Dicebant autem plerique, & hæc erat plebis opinio, quòd Gaytus Petrus præter immensi ponderis aurum, de quo dubium non erat, plurima quoque secum abstulerat Regiæ dignitatis insignia. Quod tamen Regina constanter denegans, asserebat nihil eum penitus de thesauris Regiis attigisse. Cùm ergo post hæc ad palatium Episcopi Comites, & familiares Curiæ convenissent, diuque super eo, quod acciderat invicem disceptantes, causam, modumque rei disquirerent, subintulit Comes Gravinensis hæc & deteriora se priùs, quàm acciderent timuisse; nam insanum fuisse consilium, servum Sarracenum, qui Stolium quoque dudum prodiderat, in tantam attollere potestatem. Illud quidem majori dignum miraculo, quòd non latenter introductis Masmudis in palatium Regem ipsum cum omnibus thesauris fecerit asportari. Quod profectò decreverat se facturum, si quidem ipsi liceret ea, quam usurpaverat, uti diutius potestate. Hæc & his similia Comitis dicta molestè ferens Richardus Comes Molisii, respondit Gaytum Petrum servum quidem, ut ajebat, fuisse, sed in testamento Regis solenniter manumissum, eamque libertatis dationem novi quoque Regis & Reginæ privilegio roboratam. Quòd si vel ipse, vel alius quilibet in eam prorumpere velit audaciam, ut eundem Gaytum Petrum proditionis arguat, paratum se defensionem ejus suscipere, & singularis pugnæ judicio fidem absentis astruere. Qui cùm instans periculum, & paratas insidias aliter evitare non posset, nihil mirandum si timore mortis aufugiens, quocunque pacto vitæ consuluit: in eum culpam refundi debere, qui minis eum & terroribus adactum fugere compulisset. His itaque velut quibusdam litigandi jactis seminibus, alterna responsione Comitum eò usque res processit, ut Richardus Molisii Comes eo, quo loquebatur, impetu Comitem Gravinensem timidum appellaret, indignumque, cui Regis committeretur exercitus: & nisi qui aderant sese medios injecissent, inter

eos

eos orta discordia non sinè partis alterius gravi dispendio sopiretur. Tunc jussu Reginæ precibusque Magnatum Curiæ remissis hinc inde verborum injuriis, ad concordiam sunt reducti, quæ tamen inter eos deinceps perfectè nunquam potuit solidari.

Interea Regina persuasionibus Richardi Comitis & aliorum, qui Gayto Petro faverant, adquiescens, occasionem sibi desiderabat congruam exhiberi, ut Gilbertum Comitem à Curia removeret, ita tamen ne quid ejus odio facere videretur. At Matthæus Notarius, qui cæteris omnibus astutia præeminebat, ad Majonis artes confugiens, famam excitat aliquanto jam tempore quiescentem, rumores dispergit in populo, literas falsas conscribit, Imperatoris Alemannorum adventum certissimè continentes, easque velut à remotis Regni partibus Regi transmissas coram omnibus evolvit, ac recitat; hoc enim ad ejus officium pertinebat.

Hinc opportunè Regina quæsitam occasionem eliciens, Comiti Gravinensi præcipit, multùmque blandiens exhortatur, ut quia non negligenda necessitatis ingruat difficultas, cui potissimùm ipse videatur sufficere, maturet in Apuliam proficisci, adversùs Imperatorem exercitum præparet, civitates, ne dubia fide vacillent, admoneat, castellaque faciat præmuniri. Atque ille tametsi non ambigeret hos adversùm se machinationum rivulos de Majonicis fontibus emanasse, videns tamen se contra Reginæ voluntatem nihil in Curia profecturum, operæ pretium ratus est eorum non adversari consiliis, ne si quod occultè se facturos speraverant, viderent secus accidere, posthabitis simulandi, fallendique consiliis, apertè jam eum licèt reluctantem, utpote fortiores, expellerent. Igitur Apuliæ Terræque Laboris Capitaneus constitutus cum filio suo Bertranno, cui nuper Andriæ Comitatus datus fuerat, Pharum transiit, & in Apuliam reversus est. Ejus autem loco Regina Richardum Mandrensem Molisii Comitem, eo quòd Gaytum Petrum fidelissimè dilexisset, Curiæ familiarem constituit, & majorem ei, quàm cæteris familiaribus contulit potestatem. Qui cùm ob familiaritatem Curiæ, tum ob præcipitem ejus audaciam, tum etiam, quia militibus adhuc velut Comestabulus præerat, ab omnibus maximè timebatur.

Interea litem adversùs Electum Syracusanum, quæ timore Comitis aliquanto tempore sopita fuerat, Episcopi rursus instaurant, Reginæ suggerentes illius operâ factum, ut Gaytus Petrus aufugeret; nam Gilbertum Comitem ejusdem literis ad Curiam evocatum, & in via clandestinis Nunciis quid agere deberet edoctum. Satis eum impunè Reginam, totamque Curiam offendisse, perturbasse, magnisque objectasse periculis: neque mirum, cùm ipsa facinorum imputans audendi quicquid libitum fuerit præstet illi fiduciam. Quòd si solùm ipsa consenserit, facilè se facturos ut literis Pontificis Romani citatum oporteat eum Romam proficisci, nec in ea super hoc possit culpæ quidpiam retorqueri, cùm nec ejus factum videatur consilio. Post consecrationem verò suam velut jam Curiæ familiaritate privatum, ad Episcopatum suum recto tramite reversurum. Assentiente Regina, idque sibi gratum fore modis omnibus attestante, die constituto Joannes Neapolitanus harum machinationum princeps, vocatur ad Curiam, paucisque de negotiis Ecclesiæ Romanæ pro quibus venerat verbis ante habitis, Papæ literas demum ostendit, præcipientis, ut omnes Electi Siciliæ, quorum ad Romanum Pontificem spectat consecratio, Romam pergerent consecrandi. His in præsentia Regis ac Reginæ totiusque Curiæ perlectis, adjecit sibi Papam præcepisse, ut quod literis deerat ipse suppleret, & præfatis Electis ex parte sua, certum, quo consecrari deberent, terminum præfiniret. Ad hæc Electus respondit paratum se mandatum Papæ libenter quamprimum potuerit adimplere, sed neque terminum, quem Cardinalis ipse præfixerit, recepturum, nec omnino, si quid præter literarum tenorem superaddere velit, facturum. His aliquanta disputatione protractis, cùm Electus prudenter ad singula respondendo spem Cardinalis aliquatenus elusisset, magna diei parte consumpta simul è palatio descenderunt. His diebus Gulielmum Regem, quem viventem velut atrocissimum tyrannum oderant, plurimi mortuum deflevere, videntes privatis inimicitiis Regni postponi negotia, thesauros multis artibus inaniri, & contra dignitatem Curiæ, Regnique privilegia plurima perpetrari. Electus quoque cùm aliquando multis præsentibus vellet ejusdem Regis mortem damnosam innuere: Catonis dicta præsenti tempori coartabat, qui Pompeji morte cognita

Civis obit, inquit, multùm majoribus impar
Nosse modum juris; sed in hoc tamen utilis ævo.

Nec illud reticendum arbitror, quod cùm ad Cardinalem Magnates Curiæ die quadam, cæterique Proceres & Episcopi convenissent, aderat inter eos notæ loquacitatis & urbanæ quidam insaniæ, qui ob stultitiam suam liberè quidem & nimis quandoque mordaciter in ipsos etiam familiares invehi consueverat, & assiduè Curiam sequebatur. Hic cùm universos solitis verborum contumeliis afficiens ad risum singulos permovisset, tandem omissis cæteris Joannem Neapolitanum intuitus: *Quot*, inquit, *ò Cardinalis, videtur tibi milliariis Panormum ab urbe Romana distare?* Cùmque responsum esset XV. dierum itinere. *At ego*, inquit, *te videns toties, tamque securè tanti difficultatem itineris, quasi negligendo discurrere, non ampliori spatio nos ab Romanis abesse, quàm XX. milliariis arbitrabar. Nunc autem intelligo, quia spe lucri ductus pericula tanta contemnis, sentiens in manus stultorum thesauros palatii devenisse. Quòd si Gulielmus senior viveret, neque Romam redires ita suffarcinatus auro Siciliæ, neque Panormum toties recurreres, ut contentiones & rixas in Curia suscitares.* Hoc illius dictum cùm astantibus placuisset, subitò dispersum in populo, multam adversùs Cardinalem plebis invidiam excitavit, versumque est in proverbium, *Joannem Neapolitanum ab urbe Romana usque Panormum XX. milliaria computare.* Ille tamen nihilo segniùs Electum Syracusanum contemptus arguens, propinquum ei terminum assignabat, ut maturiùs iter arripere cogeretur.

Electus autem videns illum in proposito pertinacem, timensque ne si contra Cardinalem, adversante Regina, quæ jura Regni tueri debuerat, apertè liberèque velit contendere, Romani Pontificis offensam incurrat, ad aliud se transfert consilium, & Richardi Co-

Comitis, qui plurimùm apud Reginam poterat, multa persuasionum instantia largisque muneribus gratiam sibi conciliat, & cum eo firmat amicitiam, cæterorum deinceps odia parvipendens. Cùm ergo rursus omnes ad Curiam convenissent, cœperunt fictis rogare precibus Cardinalem, ut majores Electo daret inducias. Qui cùm id se facturum negaret, responderunt ejus oportere fieri voluntatem, nec Electum debere vel posse Romanæ Curiæ jussionibus obviam ire. Tunc Richardus Comes ex abrupto, ut erat, impetuosus in verba prorumpens: *Miror*, inquit, *vos utilitate Regni posthabita, in eo fixos consilio, ut Electum Syracusanum, virum prudentem & Curiæ necessarium velitis expellere, cui Rex & dum viveret præ cæteris familiaribus honorem exhibuit, & in extremis agens filios suos præ cunctis unicè & attentissimè commendavit. Ego certè neque salva fidelitate Regis id fieri posse perspicio. Sed neque Regina pati debet, ut idem vel consecrationis causa, vel occasione qualibet à Curia separetur.* Ad hæc verba Comitis mirantibus aliis atque tacentibus, cùm eum Cardinalis post consecrationem suam statim diceret reversurum, Regina mutato consilio respondit: Electi præsentiam Curiæ necessariam esse, nec eum in præsens posse quòpiam proficisci, aliàs iturum cùm temporis opportunitas pateretur. Sic hostium machinis dissolutis, & consiliis redactis in nihilum, Electus in Curiæ familiaritate permansit.

Per idem tempus Richardus de Sagio Panormum veniens, uxorem suam sororem Bartholomæi Perisini secum adduxerat, ut eâ dimissâ, neptem Archiepiscopi Capuani nobilissimam meretricem, cujus amore dudum captus fuerat, matrimonio sibi conjungeret. Hic cùm Apuliæ diu Capitaneus & Magister Comestabulus extitisset, toties aliis rebellantibus fidem inconcussam retinens, nunquam ab Rege defecit. Quem Regina benignè suscipiens, dedit ei Comitatum Richardi de Aquila Fundani Comitis, qui sinè spe reditus in Romanorum finibus exulabat. De solvendo quoque matrimonio præcepit Curiæ familiaribus, ut convocatis Episcopis, aliisque personis Ecclesiasticis, & auditis utriusque partis allegationibus, quod inde dictaret æquitas expedirent. At illi rogaverunt Cardinales, ut ejusdem interessent examinationi negotii, eo quòd ipsi promptiorem harum rerum haberent notitiam, cùm Romana Curia frequenter super hujusmodi causis cognosceret. Joannes ergo Neapolitanus eorum facilè petitioni consensit. Episcopus autem Hostiensis vir honestatis non dubiæ, cùm socium suum vidisset muneribus & gratia esse corruptum, eoque ipso rectè judicandi libertatem sublatam, nullis precibus adduci potuit, ut eorum vellet judiciis interesse. Causa verò, propter quam prædictus Richardus putabat oportere dissolvi conjugium, hæc erat, quòd se dudum ante contractum matrimonium cum quadam uxoris suæ consobrina rem habuisse dicebat. Cujus rei testes processerant duo milites, hoc se vidisse certissimè protestantes. Quod cùm adversa pars denegaret, essentque quòd falsum eos perhibere testimonium probaturi assererent, causam ejusmodi crederent, & si constaret ad solvendum matrimonium posse sufficere, sed ut objecti consanguineæ suæ criminis injuriam propulsarent, Cardinalis rem breviter satagens definire, prædictos testes jurare præcepit. Inde soluto matrimonio, & ab utraque parte de non coëundo deinceps præstito sacramento, Richardo potestatem dedit ad secundas nuptias licitè transeundi: illam autem jussit sinè spe conjugii permanere. In quo licèt eum Ecclesiastici viri, qui aderant, Richardi de Sagio & amicorum ejus gratiam sequutum fuisse non ambigerent, illud tamen propensiùs mirabantur, quòd viro, qui deliquerat, absoluto, mulieri, quæ nihil admiserat, perpetuam continentiam induxisset. Cùmque latenter ejus impudentiam arguentes, tentandi gratia quærerent ab eodem: utrum in causis paribus idem jus consequenter admitterent, respondit, sibi licere quod eis non liceret, neque nunc id se fecisse ut id consequendum aliis traderetur.

Tunc etiam Panormi morabatur quidam Reginæ frater, qui morte Regis audita, nuper in Siciliam ex Hispania transfretarat, multosque milites Hispanos spe lucri secum adduxerat. Quem, ut eorum plerique, qui cum ipso venerant, asserebant, Rex Navarrorum nunquam filium suum vel esse credidit, vel dici voluit, indignum existimans eum, quem mater multorum patens libidini vulgò concepisset, Regis filium appellari. Hunc ergo Regina cùm antea Rodericus diceretur, idque Siculi nomen abhorrentes velut ignotum & barbarum irriderent, Henricum appellari præcepit, & ei Montis-Caveosi Comitatum integrè dedit, oppidaque Siciliæ, quæ cum eodem Comitatu Gaufridus Comes olim tenuerat. Idem autem Henricus statura parvus, barbam habens rarissimam, sub pallida nigredine cutem fœdatus, indiscretus, elinguis, præter alearum ac tesseræ ludum nullius peritiam vindicabat, nihilque aliud affectabat, nisi ut haberet qui secum luderet, & pecuniam, quam prodigus indiscretè ac temerè posset effundere. Hic aliquandiu Panormi commoratus, cùm immoderatis sumptibus immensam pecuniam à Regina sibi traditam facilè consumpsisset, in Apuliam transire proposuit, veniensque Messanam, multos ibi viros quales affectabat invênit. Hæc enim civitas ex convenis, piratis, prædonibus adunata, omne ferè genus hominum intra mœnia sua conclusit, nullius expers sceleris, nullum abhorrens flagitium, nihil eorum, quæ possit, putans illicitum. Itaque latrones, piratæ, scurræ, assentatores, cæterisque flagitiis irretiti, confluebant ad eum, & diem conviviis extrahentes, totis noctibus tesserarum jactibus insistebant. Quod ubi Reginæ cognitum est, diutiùs ejus temeritatem redarguens, scripsit ei ut Pharum sinè dilatione transiret. Qui suadentibus sociis vix inde tandem avulsus, in Apuliam iter instituit.

Emenso itaque post mortem Regis annuo ferè spatio, cùm paulatim decidens procella Curiæ resedisset, Proceres Regni multis evicti Reginæ beneficiis interim quiescebant. Ut enim incarceratorum multitudinem liberatam, servos libertate donatos, civibus immunitates concessas, consuetudines, quæ perniciosæ videbantur, explosas, ut villas, oppidaque multis nobilibus viris donata prætercam, octo Comites eodem anno creaverat: Richardum Mandrensem, Bertrannum Comitis Gravinensis filium, Richardum de Sagio, Rogerium Richar-

A chardi filium, Jocelinum, Symonem Sangrensem, Guilielmum Sylvestri Comitis filium, Hugonem de Rupe-forti consanguineum suum, hominem omnis virtutis expertem, qui de Francia nuper advenerat; Rogerium quoque Comitem Acerranum, & Rogerium Avellini Comitem, ab exilio revocatos, pristinæ restituerat dignitati. His ergo multisque præterea beneficiis Reginæ liberalitatem experti tentabant ab innata rebellandi consuetudine feroces animos cohibere. Curiæ verò status hic erat: Richardus Molisii Comes cæteris familiaribus potestatis eminentia prælatus, apud Reginam postulata faciliùs impetrabat: Electus verò Syracusanus, & Matthæus No-
B tarius Cancellarii gerebant officium. Gaytus quoque Richardus Magister Camerarius palatii, & Gaytus Martinus, qui Duanæ præerat, consiliis nihilominus intererant, & cum prædictis familiaribus negotia Regni tractabant. Porrò Matthæus Notarius cùm sciret Admiratum se non posse fieri, ob multam ejus nominis invidiam, Cancellariatum totis nisibus appetebat. Electus autem in proximo se confidebat Ecclesiæ Panormitanæ regimen adepturum. Sed Regina longè diversum fovebat propositum, & eamdem dignitatem alii reservabat. Scripserat enim avunculo suo Rothomagensi Archiepiscopo, ut aliquem de consanguineis suis vel Robertum de Novo-Burgo,
C si fieri posset, vel Stephanum Comitis Perticensis filium sibi transmitteret. Quorum quia alterum sinè dilatione venturum sperabat, interim tam Electi Syracusani, quàm Agrigentini Episcopi spem & desiderium eludebat. Nec eam diu sua fefellit opinio; Paucis enim interjectis diebus fama præcurrente compertum est Stephanum Comitis Perticensis filium in Siciliam venientem ad Comitem Gravinensem fratris sui filium divertisse. Quem ipse Comes multis honoratum muneribus, & de statu Curiæ diligenter institutum, ad saluberrima Siciliæ loca transmisit, timens eum, cùm jam æstas ingrueret, ob intemperiem aëris in Apulia diutiùs detinere, simul-
D que sciens Reginam illius adventum summo desiderio præstolari. Cùm igitur transito Pharo Panormum accessisset, Curiæ familiares, Episcopique ac milites cum Comestabulis illi obviam exeuntes, ad palatium eum, ut jussi fuerant, perduxerunt. Quem Regina multo cum honore suscepit, & astantibus cunctis: *Ecce*, inquit, *completum video quod plenis semper votis expetii. Nec enim aliter quàm fratres proprios diligere quidem & honorare debeo filios Comitis Perticensis, per quem, ut verum fatear, pater meus Regnum obtinuit. Nam idem Comes patri meo terram amplissimam cùm nepte sua matre mea dotem dedit,*
E *quam in Hispania multis periculis ac diuturnis laboribus expugnatam Sarracenis abstulerat. Nec ergo mirari debetis, si filium ejus matris meæ consobrinum, loco mihi fratris habendum censeam, & de remotissimis partibus ad me venientem gratanter excipiam: quem quidem volo jubeoque, ut qui me, filiumque meum diligere se fatentur, propensiùs diligant & honorent, ut eorum erga nos ex hoc ipso fidei dilectionisque quantitatem emetiar.* Tunc omnes id se facturos libenter promptissimè responderunt, licèt inter eos essent nonnulli quibus illius adventus maximè displiceret.

Interea Regina voluntatem ejus diligenter inquirens, cùm intellexisset eum nolle diutiùs in Sicilia commorari, summa ope niti cœpit, ut hoc ejus propositum immutaret, & gloriam ei, divitiasque, quas habiturus erat, si remaneret, ostentans, simulque Transmontanorum inopiam ei frequenter objiciens, socios quoque ipsius propositis ingentibus præmiis hortabatur, ut cum eo se promitterent remansuros, intelligens non posse mentem illius aliter ad id quod postulabat inflecti. Quod ubi plurima precum instantia multisque promissionibus vix tandem obtinuit, constituto die cunctis, qui tunc aderant Episcopis, Proceribusque convocatis ad Curiam, Cancellarium eum instituit, jussitque, ut universa Curiæ negotia deinceps ad eum principaliter referrentur. Nec multò post cùm eum Archiepiscopus Salernitanus Subdiaconum ordinasset, missi sunt qui Canonicis Panormitanis dicerent, Regem ac Reginam precibus eorum, quas sæpe porrexerant, exauditis, liberam eis concedere potestatem, ut Ecclesiæ suæ Pastorem eligerent, & ad palatium venientes, quem sibi putarent idoneum juxta consuetudinem in Curia nominarent. At illi nullâ super hoc inter eos (quod rarò contingit) obortâ controversiâ, concordes atque unanimes Cancellarium elegerunt, gaudente populo, & quod actum fuerat adprobante Gulielmo Papiensi Romanæ Ecclesiæ Cardinali, qui Panormum nuper venerat, in Gallias transiturus.

Itaque duas Regni maximas dignitates adeptus, totius Curiæ, post Reginam, onus & honorem suscepit. Domui verò suæ præfecit Odonem Quarrellum Carnotensem Canonicum, qui remanendi consilium ei dederat, & cum eo duobus annis se spoponderat remansurum, donec amicos in Sicilia probatæ fidei reperisset, aut aliquos de propinquis & amicis suis, quibus æquè consilia sua crederet, ad eum de Francia venire contingeret. Nam eundem Odonem plurimùm diligens, consilium illius ultra quàm expediret ei, in maximis quoque negotiis admittebat. Quem cùm neque literarum exornaret scientia, neque prudentiæ sæcularis utilitas commendaret, tantæ nihilominus cupiditatis erat, ut nec in extorquenda pecunia modum attenderet, & in conciliandis amicitiis virtutis fideique ratione nulla habita, solam quantitatem munerum sequeretur. Cùm autem villarum, reddituum, atque prædiorum ad Cancellariatus jura pertinentium multa Syracusanus diu tenuisset Electus, à Rege sibi dudum ad tempus concessa, eo quòd circa Curiam moraretur, Cancellarius volens beneficiis ejus animum mitigare, quem alia quoque de causa satis commotum esse cognoverat, duas ei villas optimas, quæ Siculi Casalia vocant, eorum vice, quæ tenuerat, dari fecit, eo tenore, ut illarum altera quandiu moraretur in Curia non careret, alteram verò ejus successores in perpetuum possiderent. Sed quanta celeritate curaverat Electi spem ac petitionem collato beneficio prævenire, tam maturè compensationis improbæ vicem Electus ei studuit reponere. Quidam enim viri de remotis Apuliæ partibus ad Curiam venientes his, quæ postulaverant, impetratis, cùm pro literis suis Petro Notario consanguineo Matthæi Notarii quod eis justum videbatur offerrent, ille verò multo majora petens, oblata sibi respueret, rem ad Cancellarii notitiam pertulerunt, qui præ-

præcepit uni ex astantibus Notariis, ut alias literas super eodem negotio scriberet, ipsaque die prædictos viros absolveret. Petrus autem Notarius videns eos, qui priùs importunè instare consueverant, ad se jam non reverti, persensit illos literas suas ab alio Notario recepisse, assumptisque quot visum est sociis, viam, qua transituri erant, observans, cùm in ejus insidias incidisent, literas regias illis ablatas rupto sigillo frustratim discerpsit, ipsosque contumeliis & verberibus affecit. Quod ubi Cancellario cognitum est, præcepit eosdem sibi viros in Curia præsentari, vocatoque Petro Notario, cùm factum negare non posset, jussit eum in carcerem detrudi. Tunc Electus Syracusanus nimis mordaciter respondit, contra jus & rationem eum sententiam ejusmodi protulisse, & in Francia forsitan ita solere decerni, sed in Sicilia nequaquam hoc judicium obtinere; non levis auctoritatis esse Notarios Curiæ, nec eos oportere tam facilè condemnari. Ea res non parum Cancellarii permovit animum, cùm eum, cui præter opinionem omnium duo Casalia nudius tertius gratis dari fecerat, tanta nunc in se videret asperitate verborum insurgere, neque sibi saltem in Curia deferre, ut eum super hoc secretiùs aut moderatiùs conveniret. Nihil tamen ei respondit, sed injuriam suam patienter dissimulans, Ansaldum palatii Castellanum accersiit, jussitque Notarium Petrum in carcerem sinè dilatione retrudi, donec examinaretur attentiùs cujusmodi pœnæ subjacere deberet, quem & contra Regni pacem egisse, & Regiæ majestati specialiter injuriam constaret ac dedecus intulisse.

Post paucos verò dies rogatus à familiaribus Curiæ liberum eum abire dimisit, prohibens tamen ne deinceps Notarii fungeretur officio. Hac igitur occasione primò Notariorum enormem studuit rapacitatem ad mensuram redigere, certumque modum quid à singulis deberent accipere, pro negotiorum diversitate constituit. Sed & Stratigotorum nihilominus, eorumque, qui provinciis, vel singulis oppidis præerant, perniciosam licentiam refrenavit, quia plebem impunè multis damnis & injuriis atterebant; justitiæ verò rigorem eatenus voluit observari, ut nec amicis quidem, aut ipsis Magnatibus Curiæ parcendum crederet, nec à potentibus viris subjectos opprimi pateretur, nec omnino quamlibet injuriam pauperis dissimulando transiret. Cujus rei fama totum Regnum brevî pervadens, plebisq; gratiam & favorem ei concilians, tanta nomen ejus celebritate diffudit, ut omnes assererent velut consolatorem Angelum à Deo missum qui Curiæ statu in melius immutato aurea sæcula revexisset. Unde contigit ad Curiam ex omnibus Regni finibus tantam virorum ac mulierum turbam confluere, ut & Judices examinandis litibus & Notariorum numerus, licèt nuper adauctus esset, vix literis scribendis sufficeret.

Interea qui ob confirmandam electionem missi fuerant redeuntes, literas Romani Pontificis affectuosissimas attulerunt, asserentis promotionem se Cancellarii grato animo audisse, & ejus electionem modis omnibus adprobatam, velle ratam & stabilem permanere. Requisiti ergo Suffraganei Episcopi, Canonicique ut ipsi Cancellario securitatis sacramentum præstarent, assensum facilè præbuerunt. Cùmque Mazariensis Episcopus & Maltensis juxta propositum sibi modum jurassent, Episcopus Agrigentinus ut affectuosiùs ex animo videretur jurare, novis quibusdam & expressioribus verbis ipse sibi jurandi modum instituit. Qui quanto cæteris juravit expressiùs, tanto postmodum quod juraverat deteriùs observavit. Verùm hæc aliàs, nunc ad rei seriem revertamur.

Videntes ergo Panormitani Cancellarium neque precibus, neque præmiis, aut gratia cujusquam ab æquitate posse deflecti, multos apud eum accusaverunt apostatas, de Christianis Sarracenos effectos, qui sub Eunuchorum protectione diu latuerant. Quorum ille neminem, quem tanti criminis reum esse constaret, impunitum dimisit. His animati magna pars civium ad accusandum Robertum Calatabojanensem audacter prosiliunt: concursus fit ad Cancellarium; omnes ingenti clamore deposcunt hominem sceleratissimum meritis objectari flagitiis. Alii domos, alii vineas injustè sibi conqueruntur ablatas: plerique fratres, aut consanguineos in carcere diuturnis cruciatibus interfectos, quædam etiam mulier filiam suam virginem ab eo dicebat illatâ violentiâ constupratam. Nec deerant qui assererent eum in Castello maris antiquissimum Sarracenorum templum propriis sumptibus renovasse, quod minimè testibus indigebat, cùm hoc ipsa res patenter ostenderet. Præter hæc autem objectum est illi, plerosque vini venditores quandam ab eo domum enormi pretio conduxisse, ut ibidem sub ejus patrocinio Sarraceni Christianas fœminas licitè constuprarent, & pueris abuterentur impunè, cæteraque flagitia perpetrarent, ex quibus inhonesta lucra cauponibus accedebant cum ipso domus domino dividenda. Tantorum ille criminum objectione pulsatus, cœpit primò rem parvipendens negligere, interminari accusatoribus suis, deteriùs eis postmodum se facturum, sibique facilem hujus accusationis exitum polliceri. Dehinc ubi pecuniam oblatam respui, datisque vadibus rem districtiùs agi videt, ad Eunuchorum patrocinia se convertit. At illi Regis, Reginæque pedibus provoluti cum lachrymis eos exorant, ne patiantur virum Regno pernecessarium, qui Curiæ semper fidelissime servire studuerit, condemnari: nihil mirandum asserentes, adversùs eum tumultus ejusmodi suscitari, cùm certum sit neminem populo placiturum, qui fideliter Curiæ jussis obtemperare voluerit. Harum Regina precum assiduitate permota, Cancellarium primò rogat, deinde renitenti præcipit, ut neminis adversùs Robertum Calatabojanensem accusationes admittat. Rapinas enim & homicidia, quæ fecisse dicatur, non ei, sed Gayto Petro, cujus ea jussu fecerit, imputanda. Qui cùm præesset Curiæ, manifestum quoniam idem Robertus ejus non potuerit jussionibus obluctari. Inter has Cancellarius angustias deprehensus, ignorabat quorsum animum inclinaret, aut quid sibi potissimum faciendum eligeret. Hinc enim populus acclamabat, non oportere sceleratissimum hominem impunitum dimitti negligenter à Cancellario, tepidèque rem geri, videri muneribus eum aut gratia corruptum, à bono proposito decidisse; verùm hac in re certissimè cognitum iri, utrumne juris amorem, cujus hactenus formam prætenderit, perpetuò velut innatum debeat conservare,

vare, an ad tempus ex industria simulatum, ut novæ potestatis auspicium oculis plebis objecerit. Hinc illum urgebat Regina, præcipiens, ut plebis loquacitate posthabita porrectas accusationes dissimulando negligeret. Sed & Curiæ familiares Roberti Calatabojanensis partes, quantum poterant, tuebantur, tam ut Eunuchis, ipsique Reginæ præstare viderentur obsequium, quàm ut adversùs Cancellarium plebis odium excitarent. At ille mediam quandam eligens viam, ut & Reginæ satisfacere videretur, nec omnino populi spem & expectationem deluderet, Reginæ pollicitus est omissurum se quæstiones ad Curiam pertinentes, quæ pœnam capitis irrogabant; super his autem, quæ ad Ecclesiæ jura pertinere constaret, exactissimè cogniturum, ipsumque Robertum, si convictus foret, quatenus Ecclesiasticæ severitatis censura permitteret puniendum. Quod si niteretur ipsa postmodum impedire, faciliùs quidem se utraque privatum iri dignitate, quàm ab hac posse sententia detorqueri. Convocatis ergo Curiæ familiaribus, & Episcopis, aliisque personis Ecclesiasticis, Robertus sub multa frequentia plebis introducitur, omissisque furtis, rapinis, injuriis, civium homicidiis, & illata constupratæ virgini violentia: perjurii, incæstus, adulterii quæstio ventilatur. Cùmque multis testibus objectorum veritas patuisset, de jure dictum est Robertum Calatabojanensem publicè loris cæsum in carcerem denuo detrudendum, bonis ejus fisco addictis. Sed quoniam per urbem sub voce præconis solenniter circumduci non poterat, eo quòd populus omnes viarum angustias observabat, ut lapidibus transeuntem obrueret, decretum est, ut circum ambitum ductus Ecclesiæ populum falleret expectantem. Licèt autem illum ensibus accincti milites sequerentur & præirent, & ex utroque vallarent latere, vix tamen potuerunt accurrentis furorem populi declinare. Post paucos ergo dies cùm pecuniam, quam Curiæ spoponderat se daturum, reddere nollet, aut, ut aliis videbatur, non posset, ad Castellum maris ductus est, & carceri datus, in quem multos olim ipse conjecerat, ubi diversis consumptus pœnis interiit.

Hoc factum omnibus Siciliæ populis, maximèque Lombardis, quos innumeris ille malis attriverat, adeò placuit, ut universi faterentur, si necesse foret, pro Cancellario se mortis periculum subituros. Curiæ verò Magnates, cæterique potentes viri, qui jam non poterant liberè solitam in subjectos tyrannidem exercere, cùm omnia lucra Curiæ viderent ad Cancellarium, ejusque familiares transiisse, sibique de tanta munerum affluentia vix modicos arescentesque rivulos superesse, cœperunt familiariter inter se velut invicem se consolando conqueri, minùs cautè contumeliosa verba jacere, dicentes indignum esse, puerum hunc alienigenam, maximis Curiæ dignitatibus occupatis, in tantam prorupisse præsumptionis audaciam, ut neminem sibi socium adhibere dignetur, solus velit tanti Regni curam gerere, & singularis privilegio potestatis omnibus præeminere; se verò, qui jam in servitio Curiæ consenuerint, qui difficultates plurimas & pericula consilio suo propulsari vel præcaveri docuerint, nunc humiles, abjectosque despici, nulloque dignos honore censeri. Reginam, cùm Hispana sit, Francum hunc consanguineum appellare, nimis ei familiariter colloqui, & velut rapacibus eum oculis intueri, verendum ne sub nomine propinquitatis, amor illicitus occultetur. Gaytus quoque Richardus illi cum cæteris Eunuchis infestissimus erat, eo quòd Robertum Calatabojanensem contra voluntatem ejus damnaverat. Nec minus Bulcassem inter Sarracenos Siciliæ nobilissimus ac præpotens multam illi Sarracenorum conflarat invidiam, cùm eum ab initio plurimùm dilexissent. Indignabatur enim, quòd Gaytum Sedictum ditissimum Sarracenum, cum quo privatas habebat inimicitias, Cancellarius nimis familiariter admitteret, & ejus consilio multa facere videretur: & inde se, cùm ei dona plurima contulisset, putabat contemni, nec ejus posse gratiam promereri.

Cancellarius cùm hæc omnia persensisset, cœpit rem dissimulans blandiùs eosdem ac familiariùs alloqui, & multis eos beneficiis attentare, nec interim tamen quod ad tuitionem sui necessarium videbatur omittere. Nam Berengario Magistro Comestabulo trans Pharum in terram, quam ei Curia dederat, abeunte, Rogerium Turonensem, de quo plurimùm confidebat, illi substituit. Qui cùm multa generis nobilitate polleret, & virtutis esset haud dubiæ, fidem quoque servare studuit eatenus inconcussam, ut non solùm adversùs Regem neque conspiraverit, neque conspirantibus unquam consenserit, sed amicis quoque semper æquè robustam fidem servaverit. Hic igitur & Robertus de Sancto Joanne, cujus supra mentio facta est, cùm plurimos haberent amicos, neque Panormi facilè posset aliquid cura dignum accidere, quod non ad eorum notitiam perveniret, conspirantium machinamenta Cancellarium edocebant, & quibus oporteret ea consiliis perpediri. Quorum si quidem ipse monitus Odonis Quarrelli consilio prætulisset, emergentes ab initio motus facilè compressisset. Verùm tanta cupiditas ejusdem Odonis mentem invaserat, ut ex sola munerum quantitate fidem omnium metiretur. Inde factum est, ut auri gemmarumque splendore seductus, salubre consilium amicorum neglexerit, & velut angues in sinu fovens, nonnullos hostium valde familiares habuerit.

Interea cùm Matthæum Notarium cursores suos cùm literis ad fratrem suum Cataniensem Episcopum sæpissimè præter consuetudinem mittere compertum esset, putabatur ei conspirationis modum in eisdem literis aperire, & quid eum facturum vellet in partibus Cataniensium edocere. Volens autem Cancellarius certis hoc experimentis cognoscere, misit Robertum Bellisinensem cum quibusdam aliis, ut viarum transitus observaret, & prædictos cursores, quos sciebat nuperrimè Cataniam fuisse directos, in reditu caperet, eisque literas, quas deferebant, auferret. Quo vias negligentiùs observante, qui literas ferebat pertransiit. Socium autem ejus tardiùs subsequentem cepit, & cùm se niteretur defendere, vulneravit. Ea re cognita Matthæus Notarius illatam cursoribus suis molestè tulit injuriam, sibi quoque non parum timendum existimans, cùm opinionem suam apud Cancellarium læsam agnosceret. Nec multò post cùm Robertus Bellisinensis cœpisset febrili molestia fatigari, Salernus Medicus Matthæi Notarii plurimùm

ximùm familiaris, cujus etiam operâ Salernitanæ urbis Judex fuerat institutus, ipsum Cancellarium instantiùs admonebat, ut illum diligentiæ suæ sanandum committeret. Porrò Cancellarius ob familiaritatem Matthæi Notarii suspectum eum habens, timensque ne sub hac occasione vellet acceptam nuper injuriam vindicare, noluit ut ad illum accederet, sed alios ei jussit Medicos provideri. Salernus tamen contra voluntatem ejus latenter ægrum adire studuit, velut in invitum beneficia collaturus, summâque diligentiâ domum, in qua jacebat, perquirens, eum aliquoties visitavit.

Quo postea rebus humanis non sinè magno Cancellarii dolore sublato, mirabantur qui aderant videntes, capillos ejus sponte defluere, cutemque lividam ad tactum manus avelli, & à carne facillimè separari. Dicebant ergo venenum ei fuisse sinè dubio propinatum. Quod cùm ad aures Cancellarii pervenisset, statuit rei veritatem modis omnibus explorare. Sed quoniam putabatur idem in quibusdam ægritudinibus posse contingere, misit Archiepiscopum Salernitanum virum in physica probatissimum, & Episcopum Maltensem, aliosque prudentes & discretos viros, qui rei modum & causam cognoscerent. Hi autem visa re constanter asserebant nunquam ejusmodi posse corruptionem ex ea, quam passus fuerat, ægritudine provenire. Cùm ergo quæsitum esset, utrum aliquis ad eum Medicus præter eos, qui ad hoc delegati fuerant, accessisset, dictum est ab his qui ægro assidebant, Salernum Judicem quiddam ei quasi siruppum in vase vitreo porrexisse. Quorum unus manum ostendens latè patenti vulnere sauciatam, dicebat hoc sibi ex ejusdem siruppi malitia contigisse. Ajebat enim, quòd fortè sociis recedentibus, solus in domo remanens voluisset ex eadem potione latenter accipere, sicut imprudentium quorumdam mos est, velle quæcunque viderint attentare, maximè cùm ad expellendam ægritudinem, quam passus nuper fuerat, illam sibi crederet profuturam. Quam tamen sic ferente fortuna concavæ manui priùs infudit, digito manus alterius ipsam aliquandiu confricando. Cùmque paulo post eam in terram effudisset, cutem dicebat multis læsam apparuisse scissuris, eamque paulatim, ut patebat, postmodum decidisse. Sed & Gulielmus Notarius, qui ante adventum Cancellarii Matthæo Notario servierat, dicebat quemdam ex hominibus ejusdem Matthæi sæpiùs ad se venisse, & causa domini sui rogasse importuniùs, ut ei domum, in qua Robertus Bellisinensis jacebat, ostenderet. Hæc omnia cùm audisset Cancellarius, convocatis in domum suam Electo Syracusano, Matthæo Notario, Richardo Molisii Comite, Romualdo Salernitano Archiepiscopo, cæterisque Episcopis, ac plerisque Proceribus, rem eis totam exposuit, jussitque Salernum eorum consiliis accersiri. Qui cùm interrogatus esset, utrum ipsi Roberto medicinam aliquam obtulisset, audacter & promptè respondit, nunquam ei quidpiam se dedisse. At ubi productis testibus falsum dixisse convictus est, adjecit nihil ei se dedisse, quod læsionem posset inferre. Nam siruppum rosatum simplicem fuisse, quem dederat, & eum quidem non à se factum, sed emptum ipsa die à quodam Apothecario (*) Justo nomine fatebatur. Vocatus autem Justus respondit: eo toto mense, qui transierat, nihil ei se penitus vendidisse. Ita Salernus in omnibus, quæ dixerat, fallax inventus, objecti criminis suspicionem magnopere roboravit. Sequenti verò die congregatâ Curiâ, vocatisque Magistris justitiariis, cùm sollenniter accusaretur, conscientiæ flagitio præpeditus, ita mihi serè respondebat objectis, ut plenam Judicibus fidem faceret, hoc eum maleficium perpetrasse. Itaque prolatâ in eum sententiâ, decrevere bonis omnibus spoliatum, capitali supplicio subjacere, solùm ei vivendi spem in misericordia Curiæ relinquentes. Qui detrusus in carcerem multis adactus est minis, & promissionibus attentatus, ut fateretur cujus id prece vel consilio fecisset, sed hoc ei persuaderi non potuit.

Cùm hanc in Siciliæ partibus fortuna conspirationis seriem ordiretur, aliam interim in Apulia multorum roboratam confœderatione texuerat. Cùm enim multi Proceres indignarentur Richardum Molisii Comitem tantæ subitò dignitatis esse culmine sublimatum, Henricum fratrem Reginæ Montis-Caveosi Comitem adversùs illum stimulaverant, dicentes inertem eum à multis & timidum appellari, qui dedecus & injuriam sibi, totique Regno simul illatam vel nimis patienter sustineat, vel consentiendo dissimulet. Nec enim ambigi parùm honestam intercessisse causam, ut Regina quamprimùm Regni Balium adepta est, Richardum de Mandra nullius virum consilii nobilissimo Molisii Comitatu donatum præ ceteris omnibus sibi familiarem asciverit. Quòd si ipse, quem res ad vindictam supra cunctos exposcebat, à prædicto Richardo tantæ vellet præsumptionis pœnas exigere, suum ei nequaquam defuturum auxilium. Ad hoc Comes id hactenus se nescisse respondit, ignorantiæ, non timiditati quòd vindictam distulerit adscribendum: nunc jam ipsi quid actum iri velint confidenter dicant, promtè se facturum quicquid decreverint, neque sororis suæ dedecus ultra passurum. At illi Richardum Molisii Comitem vel interfici, vel à Curia saltem amoveri censebant. Regni verò curam ad eum, qui Reginæ frater, & Regis esset avunculus, pertinere. His ille ductus consiliis, multos milites Hispanos, qui partim cum eo venerant, partim ad eum nuper confluxerant, armis præmuniens, quàm maturè posset in Siciliam transire festinavit, plerosque etiam Procerum, quorum hoc agebat instinctu, secum ducturus. Nam Boamundus Comes Monopoleos vir prudens & facundus, Gulielmus de Gisoaldo, Richardus Balbanensis, aliique plures eum sequi decreverant, sperantes, si quidem propositum suum adimpleri contingeret, facilè se per eum quod à Curia peterent adepturos. Nec dum enim cum hujusmodi consilia pertractarent, Cancellarii potestatem eò pervenisse cognoverant, ut omnibus in Curia præemineret. Quod ubi paulò post fide non dubia perceperunt, primùm ab incepto paulisper absterriti, deinde resumptis animis ad propositum nihilo segniùs peragendum accincti, tandem in Siciliam pervenerunt,

Quorum adventu comperto, causaque simul ad-

(*) Alias *pharmacopola*, vel *myropola*.

adventus præcognita, Richardus Comes Cancellarium adit, Henrici Comitis & Apulorum ei consilium aperit, rogatque obsecrans, ne patiatur hominem insanum, & eos, qui cum ipso venerint, sola stimulatos invidia temeritatis suæ votum explere. Siquidem enim in Curia eis seditiones impunè liceat excitare, & in eos qui Curiæ serviunt, conspirationibus factis licitè debacchari, ipsi culpam oportere specialiter imputari, & in eum injuriam redundare, qui cùm administrationem Regni susceperit, improborum debeat contumaciam coërcere. Cancellarius autem licèt illum suspectum multorum fecisset opinio, ne tamen ipse contemni videretur, aut ea Regnum occasione perturbari contingeret, seditiosos à Curia tumultus arcere constituit, & improbis Apulorum consiliis occurrere. Missis itaque literis regiis Henrico Comiti, qui jam Thermas usque pervenerat, jussum est ad urbem eum accedere, Boamundum verò Comitem, aliosque, qui cum eo erant, Thermis interim mandatum Curiæ præstolari.

Venientem ergo Comitem Cancellarius benigno vultu suscepit, & post multam colloquutionem blandioribus eum verbis aggressus, hortari cœpit ac diligentiùs admonere, ne rebellandi multis occasionem daturus, haud facilè reparabilem Regni quietem quibuslibet seditionum motibus exturbaret, nec Apulorum fabulis traheretur, quorum in eo semper hæsisset consilium, ut Regnum aliquatenus perturbarent, nihil esse quod eum exasperare debeat, cùm & opes ei affluenter suppetant, & inter maximos Regni Proceres loco sit non impari constitutus: id ei maximè cavendum, ne Reginam offendere præsumat, aut contra voluntatem ejus quidpiam agere, per quam hæc adeptus fuerit, & majora putetur, nisi per eum steterit, adepturus. Ita multis assertionibus ex illius animo conceptum in Apulia furorem eliminans, vixque tandem ad innatæ stoliditatis simplicitatem eum retrahens, indignationem ejus compescuit, & Richardum Comitem accersiens, pacem inter eos & concordiam renovavit; Reginæ quoque nihilominus erga eundem Comitem animum mitigavit, quam plurimùm quidem offenderat, multis in Apulia perperam ac temerè contra mandatum Curiæ perpetratis. Promisit autem se deinceps consilium in omnibus habiturum Cancellarii, nec ulteriùs Reginæ voluntatem in aliquo transgressurum.

Tum demum Cancellarius literis suis Boamundum Comitem, ejusque socios, qui Thermis morabantur, accersiit, eisque benignè susceptis, cùm adventus causam inquireret, dixerunt id sibi principale fuisse propositum, ut visitarent eum, optantes ab eo cognosci, & inter fideles ejus milites accersiri, simulque, ut per eum quædam, quæ petituri erant apud Majestatem Regiam obtinerent. At ille sibi gratum esse quòd venerint, opemque suam illis non defuturam respondit: suum tamen esse consilium, ne quid in præsens à Curia peterent, aliàs eorum petitionem efficaciùs admittendam.

Sic ergo Panormi paucis diebus commorati, videntesque rem secus ac providerant accidisse, tandem in Apuliam redierunt. Boamundus tamen Comes, ut erat vir non negligendæ prudentiæ, multa Cancellario familiariùs colloquendo, favorem & amicitiam ejus obtinuit: quam postmodum non ea, qua solent Apuli levitate vel inanibus verbis, sed fide non dubia, certisque rerum argumentis excoluit. Henricus autem Comes Cancellarii penitus voluntatem & consilium sequebatur, eique tanta se familiaritate conjunxerat, ut cum eo balneum frequenter intraret, cum eo singulis diebus ad Curiam ascenderet, indeque revertentes, magnam diei partem secretiùs colloquendo transmitterent. Qui verò conspiraverant adversùs Cancellarium, videntes si concordiam illam inter eos perseverare contingeret, machinationes suas sperato non posse fine concludi, modis omnibus perquirebant, quibus possent artibus eam amicitiam, & familiaritatem dissolvere, primòque mentem Comitis quibusdam insinuationibus pertentantes ajebant: non oportere Reginæ fratrem in Curia quempiam superiorem admittere, nec ejus frequentare domum, & inhærere vestigiis, à quo potiùs ipse debuerat visitari; nam ad eum potestatis prærogativam, & totius Regni curam meritò pertinere. Quibus ille: Francorum se linguam ignorare, quæ maximè necessaria esset in Curia, nec ejus esse respondebat industriæ, ut oneri tanto sufficeret, Cancellario curam hanc rectissimè debere committi, qui discretus esset & prudens, summèque nobilis, Regi quoque nihilominus ac Reginæ non dubia propinquitate conjunctus. Hac illi repulsa non contenti, milites Hispanos, quos ei maximè familiares esse cognoverant, cœperunt secretiùs convenire, dicentes multæ mansuetudinis & patientiæ Comitem esse, qui Cancellarium, quem velut hostem deberet persequi, potiùs diligat & honoret, propensiorem ei reverentiam exhibendo, & hoc eum fortè videri prudenter agere, quòd sororem nolens offendere, docuerit animum patienter omnia sustinere, nisi patientiam hanc gravis infamia sequeretur; nunc reliquum quidem esse, ut haud inhonestis Reginæ votis deservire credatur, ipsiusque Cancellarii libidini, seu potiùs incestui consentire, aut illicitam eorum familiaritatem se nescire fateatur; patêre autem omnibus hanc esse, ut dici solet, nimis crassam ac supinam ignorantiam, ut quod omnes prædicant, solus ignoret.

Hæc igitur à multis frequenter audita milites ad aures Comitis pertulerunt, qui cùm primùm mente dubia vacillaret, dehinc ab ipsis rei principibus, qui confixerant ea, cumulatiùs eadem audiens, plenam his, quæ sibi dicta fuerant, fidem adhibuit, relictoque Cancellario, consiliis eorum adhæsit, quod inde suaderent se facturum pollicitus. At illi rem, quam multùm desideraverant, adsequuti non distulerunt eum præstitis hinc inde sacramentis, quibus visum est pactionibus obligare. Hæc ergo conspiratio jam eò usque processerat, ut amicis Cancellarii primùm terroris incuteret; nam Gaytus Richardus Magister palatii, quem eisdem constabat esse sacramentis astrictum, magnas conspiratoribus vires addiderat. Nec enim contentus militibus suis, quibus ipse stipendia dabat, maximam partem militum Regis, & universos Curiæ sagittarios ita sibi donis ac beneficiis multis illexerat, ut ejus in omnibus voluntatem & imperia sequerentur. At Cancellarius adversùs eorum insidias sese præmuniens, statuit non jam omnes, ut consueverat, indifferen-

A

renter admittere, sed certas horas constituit, quibus ad eum omnibus pateret accessus, militesque suos eisdem horis paratos adesse præcepit. Sed & quinquaginta viros eligens, qui post primam januam in vestibulo domus cum armis parati semper assisterent, numerum quoque militum studuit adaugere. Plerosque etiam milites Transmontanos, qui de Francia nuper venerant Hierosolymam transituri, secum detinuit, inter quos erat Joannes de Lavardino, cujus acta Cancellario non parum attulerunt incommodi, quemadmodum sequentia declarabunt.

Post aliquantum verò temporis Cancellarius cupiens patefactis hostium consiliis ad vindictam accingi, reique statum priùs diligenter

B

considerans, animadvertit nondum tantas sibi vires suppetere, ut auderet solemni judicio conjurationis principes accusare, ne latentes & occultas insidias in apertam seditionem converteret. Sed nec oportere rem dissimulando diutiùs occultari, ne, cùm ampliùs virum collegisset, difficilè posset eorum machinationibus obviam iri. Ad aliud ergo traductus consilium, Regi, Reginæque persuasit, ut Messanam proficiscentes instantem hyemem ibidem transigerent, deinceps, si visum foret, ad primam Veris temperiem in Apuliam transituri. Hujus autem diem & causam itineris Gilberto Comiti Gravinensi

C

missis literis indicavit, scribens eidem, ut negotiis omnibus ad præsens posthabitis, quamcelerrimè posset Messanam veniens Pharum transiret; caveret autem ne, sicut tempore Gayti Petri fecerat, ad Curiam inermis accederet; sed ita militibus, armisque præmunitus, ne tamen exercitum ducere videretur. His diebus tanta contingerat inundatio pluviarum, quanta per multum temporis in Sicilia visa non fuerat. Unde Curiæ familiares occasionem nacti persuadere nitebantur Cancellario, ut in proximè venturam æstatem iter propositum differret. Quod cùm obtinere non possent, sperabant tamen Regem, ac Reginam, ipsumque Cancellarium ob imbres con-

D

tinuos & itinerum difficultatem ab eo, quod proposuerant, absterrendos. At ille nihilo segniùs misso cum literis regiis hostiario per universa, quæ in transitu erant, oppida, jussit dilatari viarum angustias, & abrupta præscindi, omniaque transituro Regi necessaria juxta consuetudinem præparari. At verò circa præfixum terminum repentè contra spem omnium cœli facies immutata quanta priùs imbrium horruerat densitate, tantæ serenitatis indicio gratam cœpit deinceps spondere temperiem.

Itaque Rex XV. die Novembris, ut constitutum fuerat, Messanam proficiscitur, relictis Panormi militibus ad ipsius custodiam civitatis. Erat tunc Messanæ Robertus Comes Casertinus cum filio suo Rogerio Tricarici

E

Comite, & Regis ibidem præstolabat adventum. Audierat enim Guilielmum de Sancto Severino consobrinum suum, qui nuper ab exilio revocatus fuerat, à Regina multis amicorum precibus impetrasse, ut ei terra sua, quam extra Regnum fugiens admiserat, redderetur; eaque de causa cum Advocatis suis ad Curiam venerat præparatus, ut Montorium, & Castrum Sancti Severini, cæteraque oppida, quæ prædictus Guilelmus tenuerat, ad se jure pertinere contenderet, ipsiusque Guilielmum patrem injustè ac violenter eadem possedisse. At Cancellarius cùm neque Guilielmum, quem sibi fidelem agnoverat, jacturæ vellet quidpiam sustinere, Comitemque timeret offendere, ne suspectæ viro fidei malignandi præberetur occasio, & huic patrimonium suum integrè fecit restituit, & illi terram aliam in Apuliæ partibus eo tenore concedi, ut ea, quam adversùs Gulielmum intendebat, actione sopita, nunquam super hoc de cætero controversiam suscitaret. Paucis autem diebus post adventum Regis majores civium cum magnis muneribus Cancellarium adeuntes rogabant eum instantissimè, ut privilegium eis reddi faceret, quod olim Rogerius Rex super quibusdam civitatis immunitatibus factum, postea pœnitentia ductus eis abstulerat. At ille ratus sua plurimùm interesse, ut eorum sibi conciliaret animos, noluit oblata dona suscipere, sed eorum gratis petitionem implevit.

Videntes interea Messanenses de totius Regni partibus ad Curiam multam virorum ac mulierum turbam confluere, neque suo quempiam jure frandari, sed in omnibus judiciis distinctè rigorem observari justitiæ, ad accusandum Richardum Messanæ Stratigotum audacter prosiliunt: libellos accusationis conscribunt, eosque Cancellario porrigentes, ingenti clamore postulant judicio rem committi. Alii rapinas, homicidia, furta, incendia conscensu illius asserunt à maleficis acceptâ pecuniâ perpetrari, alii vineas aut domos sibi conqueruntur ablatas, multi stupra virginum, adulteria, plerique etiam judiciorum ei subversionem objiciunt. Cancellarius autem cùm viri pudentiam, & ingenium agnovisset, arbitratus eum parti suæ plurimum roboris allaturum, si mentem illius beneficiis sibi posset allicere, tentabat rem aliquandiu protrahendo furentis plebis iram compescere. Illi verò nihil ex dilatione mutato consilio, videntes Cancellarium negligentiùs ac tepidiùs respondere, rursus accusationes in scripta redigunt, eaque à summitatibus harundinum suspendentes, ante palatium ingentem clamorem attollunt: miserum esse, dicentes, cæteris omnibus jus suum consequentibus, solos Messanenses, qui Regni fidelissimi semper extiterint, haberi ludibrio, & eorum voces in Curia non audiri. Tunc Regina clamorem vulgi non ferens, Cancellario præcipit, ut eorum scripta recipiens, negotium hoc sinè dilatione definiat. Cancellarius autem magistris Justitiariis causam delegat; præcipiens itidem, ut Richardo Stratigoto diem dicant, & nusquam ab arctioris juris tramite recedentes, controversiam ipsam legitimo fine concludant. Qui die constituto diligenter allegationibus utriusque partis auditis, cùm post ipsius negotii examinationem Stratigotus multorum reus criminum patuisset, latâ sententiâ decreverunt eum post bonorum amissionem carcere vinciendum. Messanenses igitur ob redditum sibi privilegium, & Stratigoti damnationem, Cancellarii nomen multis laudibus extollentes, ejus se beneficio libertati redditos fatebantur, paratos se dicentes ipsius gratiâ quantælibet difficultatis onus suscipere. Verùm exitus rei fidem eorum ostendit tam Graja perfidia, quàm levitate piratica vacillare. Paulò post enim magna pars civium Henrico Comiti, suadente Bartholomæo Perisino, qui plurimum apud Messanenses poterat, occultè jura-

juravit. Multi quoque Calabrorum, qui Messanam audito Regis adventu confluxerant, eisdem erant sacramentorum nexibus irretiti; nec incertum erat Gentilem Agrigentinum Episcopum à Cancellario defecisse, neglecto quod ei præstiterat sacramento. Interea Gilbertus Comes Gravinensis ex insperato superveniens, conjuratorum repressit audaciam, & incipientem jam apertis indiciis apparere, compulit inter suas iterum latebras occultari. Centum enim milites non dubiæ virtutis secum adduxerat, armis, ut præmonitus fuerat, diligenter instructos, quos de nominatissimis Apuliæ ac Terræ-Laboris militibus multis cognitos bellis elegerat. Tota verò civitas variis jam cœperat rumoribus fluctuare, & plebem multosque milites adversùs Cancellarium, præter eam, quæ jam plurimùm invaluerat, conspirationem, è vicino quoque causa suppetens instigabat. Nuper enim ad eum de Francia, Normanniaque clientuli multi confluxerant, qui, ut eorum mos est, in contumeliosa verba præcipites, & Curiæ patrocinio licentiùs abutentes, Græcos, & Lombardos proditores appellabant, multis eos injuriis lacessentes. Henricus ergo Comes crebris eorum, qui conspiraverant, exhortationibus & consiliis animatus, terminum certum constituit, ut in Cancellarium à Curia redeuntem irrueret improvisus, & incautum occideret. Cùmque dies instaret, quo id sibi faciendum decreverat, à multis occultè jusjurandum interim exigebat, inter quos Rogerium unum de Judicibus civitatis nocte quadam accersiens, petiit itidem ab eo, ut juraret voluntatem Comitis se facturum. Qui cùm respondisset, nequaquam adeò se temerè juraturum, nisi rem ei manifestiùs indicaret, Comes ei de morte Cancellarii propositum suum aperuit, dicens multos Proceres & Episcopos, magnamque partem Messanensium in idem sacramento sibi præstito consentire, diemque nihilominus ad hoc communi consilio præstitutam eidem exposuit. At ille gratum hoc sibi fore simulans, asserensque nemini sapienti displicere rem tantorum Procerum consiliis adprobatam; sed inconsulti ac præcipitis esse animi sinè deliberatione rem tantam inconsultè promittere, vix tandem in crastinum inducias impetravit, interposita fide, quòd creditum sibi consilium nemini revelaret.

Summo verò mane Cancellarium adiens omnia illi verba Comitis enarravit, multos inquiens adversùs eum Siciliæ Proceres conjurasse, maturè deliberandum, qua via improbis eorum consiliis obvietur, unius ad hoc diei spatii indulgeri; diem enim crastinum ad peragendum eorum propositum certissimè constitutum. Tunc Cancellarius vocatis ad se Gilberto Comite Guinensi (*), Boamundo Comite Monopoleos, Rogerioque Avellini Comite, quibus maximè confidebat, rem eos ex ordine totam edocuit. At illi periculum imminens attendentes, Rogerio Judici præceperunt, ut ad Comitem rediens, ejus satisfaceret voluntati, ne, si jurare nolens adversùs eum confidentiùs loqueretur, ex hoc ipso quidpiam illi suspicionis ingereret. Neque verò perjurium incurrere vereretur, per quod ipsius Regis injuriam, totiusque Regni dede-

A cus & opprobrium propulsaret. Id cùm ille non secus ac jussus fuerat peregisset: visum est Cancellario Regem, ac Reginam super his convenire, eosque consilium & acta Comitis edocere. Quod ubi Regina cognovit, anxia cœpit distrahi sollicitudine, multæque fluctuationis æstibus agitari. Durius enim in fratrem decernere quidpiam, tantamque præsumptionem animadversione digna punire, crudele quidem tyrannidique proximum videbatur. Sed & si fratri parceret, intelligebat Cancellario non dubium capitis periculum imminere, neque posse proditores ab eo, quod cœperant, absterreri, simulque considerabat indignum eum esse, cui

B fraternus exhiberetur affectus, qui sororis despectâ reverentiâ, qui tot ejus beneficiorum immemor, id solum agere decrevisset, quod ad ejus dedecus & infamiam non ambigeret retorquendum, multisque rebellandi præbens materiam, Regni pacem, & quietem niteretur modis omnibus impedire. Huic ergo deliberationi justa succedens indignatio, fraternam ab ejus animo clementiam exturbavit, placuitque congregatâ Curiâ Comitem solenni judicio conveniri, convictumque vel confessum interim in aliqua munitionum servari, donec ejus indicio cæteri possent proditores

C agnosci. Missis igitur hostiariis, Curiæ familiares, Episcopi, Comites, cæterique Proceres cum Magistris Justitiariis ad Curiam convocantur. Quibus admissis, cæteri omnes ab ingressu palatii prohibentur, præter paucos milites Cancellarii, quos ipse jusserat introduci, timens ne tumultus in Curia, vel seditio quælibet oriretur. Cùm enim sciret plerosque Procerum, qui aderant, Henrici Comitis favere partibus, timebat, ne si cum eo districtiùs agi cœpisset, rem in seditionem converterent, ideoque sub tunica loricam indutus, prædictos milites paratos ibidem adesse jusserat, & à quibusdam Clericis suis aliquot

D enses latenter inferri. Cùmque jam omnes in Curia consedissent, Henricus Comes, ut à cohortatoribus suis edoctus fuerat, indigentiam suam cœpit exponere, dicens multis se debitis coartari, Comitatum Montis-Caveosi sumptibus vel angustiis non posse sufficere, petiitque Principatum Tarenti, vel Comitatum, quem in Sicilia Symon Comes olim tenuerat, sibi concedi, quasi justam habiturus adversùs Cancellarium occasionem, si quidem hæc ei petitio negaretur. At Gilbertus Comes Gravinensis ex illius verbis oblatâ sibi copiâ respondendi; hoc ait, *quæ velut ense stricto preces porrigens timidè nunc, improbèque postulas, facilè dudum impetrare potueras, si in animum induxisses erga Regem, ac Reginam te*

E *qualem oportuerat exhibere. Nunc autem hanc eorum animis de te non jam opinionem, sed firmam stabilemque sententiam injecisti, ut non solùm indignum te credant, qui ad altiora debeas promoveri, verùm etiam id tibi dando, quod possides, magnopere se fuisse deceptos existiment, neque dignum censeant in Regno suo quicquam à te deinceps possideri. Ut enim immensam pecuniæ quantitatem in usus turpissimos temerè prodigèque consumptam, ut oppida, quæ tibi data fuerant, domesticis rapinis & injuriis multis attrita præteream: ausus es in ipsum Regem, ejusque matrem nequitiæ tuæ vene-*

(*) Corrige *Gravinensi*.

venenum aspergere, ut Reginæ consuleres castella sua munire, eòque thesauros suos dum liceret transferre, dicens incertum esse, quem erga ipsam animum Rex esset postmodum habiturus. Regi verò persuadere tentabas, ut Regem (*) *tibi curam & administrationem concederet. Asserebas enim Reginam privatas utilitates sectantem Regni statum in deterius commutare, civitates, oppidaque largè distribuere, regios paulatim exhaurire thesauros, multa demum agere, quæ & Regnum evidenter pessundarent, & honori filii derogarent, & maternum prorsus affectum excludere viderentur. Rex verò temeritatem tuam agnoscens respondit, ubi matrem suspectam haberet, multo se tibi difficiliùs crediturum. Sic inter matrem & filium discordiam seminans, tranquillitati Regni, quam deflebas pessundari, providè consulebas. Hei mihi falsitatem impudenter conaris objicere: hæc eorum me scias indicio cognovisse: ecce præsentes sunt ambo, quod utrique dixisti coram utroque nega, si potes. Nunc autem ad aliud devolutus consilium, & proditionis furiis agitatus, eò te sceleris immersisti, ut Cancellarii sanguinem tibi proponens hauriendum, eligensque tantis non solus involvi flagitiis, cùm id te facturum jurasses, multos idem jurare fecisti. Velim ergo te palàm nunc in præsentia Regis edicere, quòd Cancellario crimen intendas, cujus eum sceleris arguas, quid demum causæ sit, quod tam atroces in eum inimicitias excitavit. An tibi debitam hæreditatem subripuit, aut patrimonii tui fines invasit? Numquid eum tibi damni vel injuriæ quidpiam intulisse conquereris? An, quod verius est, invidia stimulatus in ejus odium exarsisti? Indignaris nimirum ejus arbitrio Curiam regi: molestè fers eum vice Regis omnibus Regni populis imperare. Si parem gloriam affectas, virtute, prudentiaque illi te parem exhibeas, & ambitam tibi dignitatem ultro concedimus. Quòd si temeritatis innatæ præjudicio condemnatus, eò aspirare non potes, neque nos certè patiemur sub rectore temerario Regni periclitari fortunam. Sed ad hæc mihi fortè respondes, te semper in Curia viros prudentes, ac strenuos habiturum, & quod industria tua non possis, hoc eorum facturum consiliis; & id quibusdam forsitan verè dicere putareris, nisi terræ tuæ, quam opulentissimam recepisti, præsens calamitas argumento nobis esset, quid in te sit spei ac fiduciæ reponendum. Quod ergo jure tibi negandum palàm non ausus es postulare, id facta conjuratione per te ipsum ausu temerario subripere conabaris. In quo & Regni quidem inventus es perturbator, & contra majestatem regiam contumax ac rebellis, eoque ipso meruisti non solùm terram, quam possidebas, amittere, sed & capitalem subire sententiam, nisi veniam tibi velit regia benignitas indulgere.*

Henricus itaque Comes audiens ex insperato palàm esse cuncta, quæ gesserat, tanti se criminis objectione pulsari, neque dari sibi copiam, ut quamlibet dilationis interim causam opponeret, inter metum ac stuporem anxiè deprehensus, tardè timidèque respondit, nunquam se contra Cancellarium conspirasse. At Rogerius Judex productus in medium, quod ille negabat se probaturum asseruit, dicens se ipsum minis adactum nuper ei jusjurandum de morte Cancellarii præstitisse. Quibus verbis adeò Comitis mentem & ingenium perturbavit, ut nec illius dicta refelleret, nec objecta purgaret, sed in contumeliæ verba prorumpens Rogerium Judicem proditorem appellabat, ac perjurum, qui jurejurando neglecto, consilia sibi credita prodidisset. Ita sua ipsius confessione damnatus intra palatium jussus est custodiri, subitòque nunciatum est in Curia milites Henrici Comitis armatos in domum illius se recepisse, totam urbem esse in motu, multos civium ad arma concurrere. Tunc Cancellarius milites Comitis Gravinensis suosque jussit armari, & ante palatium convenire, missique sunt per urbem hostiarii, qui cives ab armis juberent discedere, populique metum sedarent. Inde voce præconis denunciatur Hispanis, ut omnes eadem die Pharum transeant, alioqui in crastino quotquot eorum inventi fuerint, in carcere retrudendos. At illi relictis armis, ut eis imperatum fuerat, prout quisque celeriùs poterat, in Calabriam transierunt. Græci verò, quod Messanæ gestum fuerat audientes, spe lucri fugientibus occurrebant, & multis eos verberibus affligentes, tandem saucios, nudos, omniumque rerum inopes dimittebant. Quorum magna pars in Solaviæ silvæ nivibus perierunt, hyemis asperitate consumpti. Urbis ergo tumultu sedato, Bartholomæus Lusciensis Cancellarium adiens, ultro confessus est ejusdem se conspirationis fuisse participem, veniamque postulans, & congruam satisfactionem offerens, Ægidii Venusini Abbatis precibus impetravit, ut extra Regni terminos aliquanti temporis sustineret exilium, donec universis proditoribus expulsis, integræque paci Curiâ restitutâ, Regis eum indulgentia revocaret, terrâ ipsius interim ab eodem Ægidio possidendâ. Hujus sequutus exemplum Rogerius Sorellus se quoque manifestavit jurasse cum aliis, multis persuasionum fraudibus circumventum. Sed idem veniâ non impetratâ carceri datus est, eo quòd id tardè confessus fuerat, cùm jam omnes conjurationis auctores, Henrici Comitis indicio proderentur; hostibus itaque cognitis, ingens Cancellarium sollicitudinum turba concusserat, ambigentem, cui se consilio potissimùm inclinaret. Amicorum enim ejus plerique conjuratorum numerum & potentiam attendentes, periculosum æstimabant in singulos vindictam extendere, nec eo modo posse malum hoc radicitus amputari, cùm certè pluribus eorum, vel omnibus, qui conspiraverant captis, semper tamen superesse contingeret, qui propinquorum vellent injurias vindicare. Ideoque Cancellario suadebant, ut eos deinceps mitigare potiùs, quàm persequi conaretur: eisque simul ad Curiam convocatis in præsentia Regis ignoscens, impunitatem concederet, & innocentiam suam paucis exponens, adderet se quidem ad vindictam viribus uti posse, sed malle vincere beneficiis, quàm in viros nobiles, quos honorare proposuerat, tyrannicè desævire. Porrò Gilbertus Comes Gravinensis, cujus sententia prævaluit, his omnino contraria sentiebat, neque censebat oportere quempiam illorum impunitum evadere, quos tanti sceleris participes, aut conscios esse constaret, maximè cum adversùs Richardum Molisii Comitem, qui eum à Cu-

(*) Corrige ex edito Dupuys *Regni*.

Curia dudum expulerat, videret ultionis sibi tempus congruum occurrisse. Alii terræ ipsius consuetudinem & tyrannidem pleniùs agnoscentes, cùm futura diligentiùs prævidèrent, ajebant illos oportere vel omnino non capi, vel captos in pelagus demergi, aut aliàs latenter interfici, vel membris saltem principalibus mutilari: hoc enim modo Rogerium Regem prudentissimum Regno suo pacem olim integram peperisse. Utilis quidem & securitatis plena sententia, sed tantam crudelitatem in misericordiam pronior Cancellarius abhorrebat.

Post paucos igitur dies cùm ad Curiam vocati Comites, aliique Proceres ex ordine consedissent, Boamundus Tarsensis, frater Carbonelli, adolescens egregiæ virtutis, & nobilitatis præclaræ, surgens in medio Procerum, dixit Richardum Molisii Comitem inter familiares Curiæ Regis, ac Reginæ beneficio constitutum, erga eos parùm fideliter se gessisse, cùm his, qui adversùs Cancellarium juraverant, consensisset. Ipsum enim non solùm ex ore Henrici Comitis eorum agnovisse propositum, sed & consilium adprobasse, nec ut debuerat adversùs eorum insidias Curiam præmunisse. Quòd si quidem ipse negare contenderet, se probaturum nihilo segniùs asserebat. Comes autem audacter ei falsitatem objiciens, & oblatam probationem promptâ defensionis instantiâ subsequutus, jurabat nunquam se contra Cancellarium mali quidpiam cogitasse, &, ut erat impotens iræ, velut ex indignatione prorumpens in lachrymas, clamabat susceptam cum Boamundo monomachiam sibi esse pro minimo; nam se quidem adversùs illum, aliosque duos ei similes confidentissimè pugnaturum, sed hinc ejus animo justam doloris causam ingeri, quòd id de se Cancellario persuaderi potuerit, cui devotè semper obsequi studuisset. Et nisi Comitis ei Gravinensis obsuisset odium, facilè potuerat à Cancellario veniam impetrare, cùm nec eum jurasse constaret, neque jurantibus quicquam virium ministrasse.

Dum hæc adversùs Comitem agerentur, Robertus Comes Casertinus adjecit eundem auctoritate sua dudum in Apulia Mandram, & quædam oppida Regis in Trojanorum finibus invasisse, furtimque adhuc eadem ignorante Curia possidere. Ad hæc ille respondit, quòd Gaytus Petrus, qui tunc præerat Curiæ Mandram ei tenendam ad tempus ea lege dederat, ut inde singulis annis Curiæ certam redderet pecuniæ quantitatem; oppida verò, quæ in partibus Trojanorum invasisse dicebatur, itidem sibi à Turgisio terræ illius Camerario fuisse concessa. Interrogatus idem Turgisius, qui tunc fortè præsens aderat, negavit eum hæc oppida suâ licentiâ tenuisse. Jussi itaque sunt Proceres omnes præter Curiæ familiares in partem secedere, super his, quæ adversùs Comitem dicta fuerant, judicialem sententiam prolaturi. Erant autem ii, qui ad judicium faciendum surrexerant, Boamundus Monopolis Comes, Robertus de Lauro Comes Casertinus, Rogerius ejus filius Tricarici Comes, Rogerius Comes Avellini, Symon Comes Sangrensis, Rogerius Comes Giracii, Rogerius Tironensis Magister Comestabulus, Florius Camerotensis, Judex quoque Tarentinus, & Abdenago Hannibalis filius, qui magistri erant Justitiarii. Quibus invicem super his disceptantibus visum est Richardum Molisii Comitem, antequam Gaytus Petrus fugeret, Mandram, quam ab eo acceperat, licentiâ Curiæ tenuisse. Post illius autem discessum, cùm eam teneret occultè, neque rem, ut oportebat, ad Regis notitiam referret, non jam precario possidentem, sed invasorem rectiùs æstimandum, ut qui sua tantùm auctoritate, non consentiente, sed ignorante Curia, possideret, eumque de tota terra, quam tenuerat, in misericordia Regis esse, tum propter id, tum propter prædicta oppida, quæ constabat eum sua itidem auctoritate contra fidem Regi debitam occupasse. Hanc ergo sententiam vice consensuque omnium Boamundus Comes, ut erat vir eloquens, in præsentia Regis exposuit. Tunc Richardus Comes exclamavit: injustè se gravari, odium æquitati manifestè præferri: paratum se probare quòd iniquam falsamque protulisset sententiam. Quibus verbis Boamundus Comitem prohibuit Curiæ respondere, dicens: injuriam hanc non in eos, qui judicaverant, sed in caput regium principaliter redundare. Dehinc injunctum est Archiepiscopis & Episcopis, qui aderant, ut in auctorem tantæ contumeliæ quod æquum esset de juris severitate decernerent. At illi, juxta constitutiones Regum Siciliæ, decreverunt Richardum Comitem non solùm de terra sua, verùm etiam de membris & corpore Regis misericordiæ subjacere, eo quòd judicium Curiæ falsum dicere præsumpsisset. Captus igitur, & militum custodiæ traditus, Taurominium jussus est perduci, & ibidem in castello, quod in ardua rupe positum oppido supereminet, summa diligentia custodiri. His itaque duobus viris potentissimis ita captis, nemo jam conjuratorum supererat, quem sibi crederet Cancellarius formidandum. Episcopus autem Agrigentinus, dum hæc in Curia gererentur præsentiam suam interim Curiæ subtrahebat, gravi se fingens ægritudine detineri. Nec multò post Joannes de Sinopoli, & Bartholomæus Perisinus ejusdem criminis condemnati sunt, & in Principatu Salerni per loca munitissima distributi. Galterius autem Modicensis super eadem conjuratione solenniter accusatus, pactâ cum accusatore suo monomachiâ, datisque fidejussoribus, diem constitutam jussus est expectare.

Interea mortuo Simone Sangrensi, Richardus frater ejus illi substitutus Cancellarii partem totis viribus tuebatur. Hannibal quoque puer Rainaldi Comitis filius, Comes creatus, integrè terram patris obtinuit. Gilbertus verò Comes Gravinensis considerans Cancellarium operâ suâ tot hostium insidias evasisse, omnia sibi prosperè cedere, nullumque, ut æstimabat, jam superesse periculum, in tantam est præcipitatus audaciam, ut Lorotelli Comitatum à Curia postulans impetraret, eligeretque stabilem, in quo erat, gradum non dubio præcipitio commutare. Hoc facto multorum in se procerum, & civitatum Apuliæ contraxit invidiam, & inexorabiles inimicitias suscitavit. Nam accepto Comitatu Lorotelli, Roberto Comiti, cujus omnes reditum summis desideriis exoptabant, obstruxisse videbatur aditum revertendi, & spem, quæ diu foverat eos, penitus sustulisse. At Cancellarius licèt nonnullos familiares Curiæ, aliosque multos contra se factæ conjurationi consensisse non am-

ambigeret, tamen erga illos blandiùs agens, eorum facta dissimulare proposuit, ne rem atrociùs persequi videretur, simulque sperans eos aliorum pœnis admonitos à scelesto proposito posse facilè revocari. De Henrico verò Comite Montis-Caveosi Reginæ consilium fuit, ut datis ei mille auri unciis, in Hispaniam eum ad fratrem remitteret. Jussit ergo VII. galêas armari, quæ Odonem Quarrellum in Franciam transiturum, & sub ejus custodia Comitem usque in Arelatensium fines transveherent. Interim autem in castello Rhegii servabatur, quæ civitas ex opposito Messanæ super Pharum in extremis Italiæ finibus sita est, ut inde promptiùs eum & faciliùs galêæ suscipierent, quamprimùm Rex Panormum rediturus ab urbe Messanensi discederet.

His itaque dispositis, XII. die Martii Rex iter arripiens, XX. die ejusdem Panormum pervênit. Gilbertus autem Comes Pharum transiens cum militibus suis in Apuliam reversus est. Odo verò Quarrellus Messanæ remansit, multùm à Cancellario instructus & diligenter admonitus, ut omni dilationis occasione sublata, statim post discessum Regis galêas intraret. Interea Gaytus Richardus Magister palatii Camerarius, Matthæus Notarius, & Gentilis Agrigentinus Episcopus, aliique, quibus Cancellarius rem dissimulando scelerum impunitatem indulserat, semel conceptam rabiem nitebantur ad effectum urgere, nec illius erant beneficiis emolliti, sed ex absentia Comitis Gravinensis considerantes Cancellario multum subtractum esse virium, facilè suis eum patêre jam æstimabant insidiis, tanquam improvidum, & incautum, & velut omni difficultate superata, nihil ultra periculi formidantem. Itaque novas ex integro pactiones instituunt, mutuisque se rursus obligant sacramentis. Dehinc adimplendo proposito dies certa præfigitur, & jurejurando præstito milites eliguntur, qui Dominica in Ramis palmarum ubi Rex è palatio juxta consuetudinem exierit, Cancellarium gladiis in ipsa turba confodiant. Sed & multos civium tam Panormi, quàm in quibusdam aliis oppidis adversùs Cancellarium instigaverant, multa dando, multaque pollicendo, quibus non difficilè persuaserant, Cancellarium, si diu perseveraverit in eo culmine potestatis, universis populis Siciliæ libertatem, quam hactenus habuerant, sublaturum. Cujus rei magnum illis visum est argumentum, quòd Joannes de Lavardino, cui rogatu Cancellarii terra Matthæi Bonelli nuper data fuerat, oppidanos suos tantis affligebat injuriis, ut omnium rerum mobilium, quas habebant, mediam partem exigeret; hanc enim esse suæ terræ consuetudinem asserebat. At illi libertatem civium, & oppidanorum Siciliæ prætendentes, nullos se reditus ajebant, nullas exactiones debere, sed aliquoties dominis suis, urgente qualibet necessitate, quantùm vellent sponte & libera voluntate servire. Sarracenos autem & Græcos eos solùm, qui villani dicantur, solvendis reditibus, annuisque pensionibus obnoxios. Cùmque nihil hæc allegando proficerent, rem ad Cancellarii notitiam pertulerunt. Qui Roberti de Sancto Joanne, Rogeriique Tironensis Magistri Comestabuli neglecto consilio, maluit quorundam, quos de Francia secum adduxerat, temeritate seduci, qui super hoc nullam illis justitiam oportere fieri decernentes, dicebant intolerabilem hanc esse rusticorum audaciam, & si quidem eos id, quod postulent, obtinere contigerit, multis inde perniciosum exemplum datum iri, ut adversùs dominos suos contumaces, ac rebelles existerent. Itaque nihil eorum, quæ speraverant, impetrantes, coacti sunt injuriam suam patienter interim sustinere. Ea res hostibus Cancellarii plurimam opportunitatem attulit, ut adversùs illum multorum civium, & oppidanorum odia suscitarent, dicentes id eum proponere, ut universi populi Siciliæ reditus annuos & exactiones solvere cogerentur juxta Galliæ consuetudinem, quæ cives liberos non haberet.

Cancellarius autem agnitis eorum consiliis, ubi nulla vidit eos mansuetudine, nullis beneficiis à proposito revocari, primò Matthæum Notarium, qui cæteris astutia præeminebat, congregatâ Curiâ, judicio sollenni postulatum, neque defensionem congruam afferentem recipi jussit in carcerem. Inde capti sunt plerique milites, quos de morte ipsius jusjurandum præstitisse constabat. Cùmque Regina nullatenus consentiret, ut Gaytus Richardus caperetur, qui conjurationis caput erat & principium, vix tandem Cancellarius id solum obtinuit, ne liceret ei extra palatium egredi, neque copiam haberet militibus colloquendi. Episcopus Agrigentinus captis sociis nihil spei reliquum videns, ut ad peragendum propositum facinus tot partibus mutilata conspiratio convalescat, statuit adversùs Cancellarium urbis Agrigentinæ, & adjacentium oppidorum populos commovere, & apertas in eum inimicitias profiteri, confidens Rogerium Comitem Giracii ejusdem conjurationis socium, & ejus hortatu multos alios consilium suum facilè sequuturos, simulque sperans Gilbertum Lelucienfem in Calabria, juxta quod inter eos convenerat, inde facturum. Itaque sinè licentia Curiæ cum paucis militibus clam discedens, occulta quadam via pervênit Agrigentum, convocansque populum, Matthæi Notarii, & aliorum eis captionem exponit, dicens hoc esse propositum Cancellarii, ut omnes Siciliæ Proceres quotquot ei non consenserint primò capiat, inde veneno Regem extinguens, Regnum ipse sibi transumat, cum Regina, quam propinquam suam nunc appellat, matrimonium contracturus, eò ventum esse necessitatis, ut oporteat Siculos omnes qui fidem Regi servare voluerint, unanimiter adversùs proditorem insurgere, & antequam tam detestabile perpetretur flagitium, consiliorum ejus machinas prævenire. Hæc & Agrigenti publicè concionatus est, & Messanensi populo scripta dimisit. Verùm Agrigentinis horum nihil persuaderi potuit, neque satis justa visa est occasio rebellandi.

Rex autem ac Regina fugam Episcopi cognoscentes, Burgundium Justitiarium cum literis Regiis Agrigentum miserunt, præcipientes Agrigentinis, ut Episcopum tanquam proditorem sub ejusdem Burgundii custodia Panormum transmitterent. Qui cùm ad Curiam veniens, ea, quæ palàm gesserat, quibusdam niteretur ambagibus excusare, multorum convictus testimonio ductus est in castellum Sancti Marci, quod in valle Demeniæ situm est, ibidem interim servandus, donec operum series ad Romanum Pontificem perferretur. Ita jam metu, reique difficultate sublata, viribus

omni-

omnino destituta conspiratio, deinceps respirare non poterat, nisi novus denuo casus emergens novum induxisset periculum, & multorum prudentium virorum industriâ sopitum extinctumque penè malorum fomitem unius viri temeritas suscitasset. Nam cùm Odonem Quarrellum Messanæ diutiùs morari post constitutum abeundi terminum Cancellarius comperisset, quod futurum erat præsaga mente concipiens, minis & contumeliis plenam ei direxit epistolam, præcipiens, ut infra triduum post susceptas literas omni lucri spe neglecta, omnique damni posthabita ratione discederet. At ille fatali jam imminente præcipitio, cupiditatis tenebris excæcatus, nullis minis aut precibus, nullo poterat genere persuasionis avelli, ob id solùm tanto se periculo negligenter objiciens, ut à navibus in Syriam transituris extorqueret pecuniam, non aliter eis indultâ copiâ transeundi. Hanc exactionem cives molestissimè ferentes cœperunt inter se primùm occultè conqueri; deinde licentiùs ac manifestiùs indignari, suamque ipsorum temeritatem & ignaviam accusare, quæ prædones alienigenas paterentur Regni thesauros, & de civium injuriis conquisitam pecuniam in Franciam asportare. Sed & Odonis Quarrelli clientes, qui per urbem ebrii vagari consueverant, fortè Græcos in domo quadam ludentes invenerunt, eorumque ludos improbè perturbantes, cœpere multis eorum verborum injuriis irritare. Qui ob timorem Cancellarii patienter aliquandiu sustinentes, rogabant eos, ut abscederent, vel ab injuria temperarent. At ubi jam ira jugibus accensa contumeliis, propulsato metu, patientiam eos dedocuit, raptis fustibus illos aggressi, improbam eorum loquacitatem multis verberibus represserunt. Odo Quarrellus ea re cognita Stratigotum accersiit, ipsosque sibi captos Græcos exhiberi præcepit. Stratigotus autem respondit variis urbem concussam rumoribus, & ad seditionem pronos civium animos, non oportere nunc ampliùs asperari, sed hanc interim quasi negligendo dissimulandam injuriam, & ultionem in tempus congruum differendam. Tum ille, ut semel ad iram motus nullum admittebat consilium, subintulit: quidquid acturi essent reliqui, istos impræsentiarum ob illatum sibi dedecus puniendos: inefficaciter ejusmodi causas prætendi, ut factum hoc sequeretur impunitas, nihil sibi de rusticorum confœderatione timoris innasci, expedire nunc, ut horum exemplo cæteri terrerentur. Cùm ergo Stratigotus ejus voluntati satisfacturus, ad locum, ubi res acciderat, pervenisset, plurimam ibi Græcorum multitudinem conglobatam invênit. Quos cùm cœpisset asperiùs convenire, responderunt non esse tempus hoc, quo Stratigoti civibus debeant minari, sed blandiri neque dicto segniùs in eum pariter irruentes, cùm equi rapiditate fretus in fugam se verteret, multos post eum lapides projecerunt. Videntes Latini, qui ob navium redemptionem in odium Francorum inducti fuerant, Græcos quoque adversùs eosdem novis injuriis lacessitos, cœperunt ad seditionem eos hortari, asserentes Francis id esse animi, ut omnibus Græcis expulsis, ipsi domos eorum, vineas, cæteraque oppida possiderent: Reginam verò nupsisse Cancellario, neque satis adhuc constare, quid Regi contigerit, sed eum, si quidem vivat, magno discrimini subjacere. Itaque tota jam civitas falsis rumoribus perstrepebat, & evidens rebellandi prætendens indicium eo rerum turbine laborabat, ut neque Stratigotus, neque Judices contra voluntatem plebis auderent juris quidpiam exercere. Quod ubi Regi Reginæque cognitum est falsa civitatem opinione delusam, immensis tumultuum fluctibus agitari, Messanensibus in hunc modum scriptam epistolam direxerunt.

(*) *Dei gratiâ Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, unà cum Domina Margareta gloriosa Regina matre sua; Andreæ Stratigoto, & Judicibus, & universo populo Messanensi, fidelibus suis, salutem, & dilectionem.*

„ Certum est eos majestatis crimen admittere, non solùm si quos tanta vis furoris exagitat, ut ausu nefario vitæ, salutique nostræ insidientur, verùm & quos in familiarium nostrorum necem aliquid clam, palàmve moliri contigerit, quique adversùs eos, qui negotiis nostris invigilant, quorum ope & consilio Regnum nostrum feliciter gubernatur, impietatis suæ machinas putaverint erigendas. Quod genus hominum cùm ad totius Regni perniciem natum appareat, meritis quidem expedit obtrudi suppliciis, & quod in alios nitebantur atrociter exercere, in caput eorum justissimè retorqueri. Inde est, quòd Gentilem Agrigentinum Episcopum, Gaytum Richardum, Matthæum Notarium, quos contra Stephanum Dilectum consanguineum nostrum & Cancellarium conspirasse manifestis rerum argumentis agnovimus, in præsentia nostra convictos, damnatosque carcerali jussimus custodia revinciri. Statuit autem Majestatis nostræ serenitas ejusdem Stephani precibus erga eos misericorditer agere, citraque juris severitatem punitis vivendi copiam indulgere. Hæc idcirco fidelitatem vestram latêre noluimus, ne fortè vos fallaci cujuspiam suggestione deceptos, aut aliis quibuslibet rumoribus perturbatos, contra voluntatem nostram agere, fidemque, quam erga nos hactenus inconcussam servastis, aliquatenus violare contingeret. Itaque nos sanos & incolumes in palatio nostro summa tranquillitate gaudere (*scitote*), omnesq; de civitate nostra seditionum motus, & occasiones excludite, ut nostram possitis gratiam uberiùs promereri „. Has literas recipiens Stratigotus jussit ad Ecclesiam novam populum convenire, ut eas faceret coram universis civibus recitari. Cùmque moram eo faciente populus diutiùs expectaret cœperunt incitari, invicem colloquendo varias opiniones confingere. Alii Stephanum Cancellarium asserebant proculdubio Regem factum, & hanc ejus epistolam, quam audituri venerant, Regias literas appellari. Nam Gilbertum Regem interfectum esse, Henricum fratrem ejus cum paucis militibus in castello maris clausum obsidione vallari. Aliquibus ratione magis utentibus tam aperta fal-

(*) Hoc tantillum vacui Regis nomen ignotum reliquit, nisi is est, quem superiùs *Gulielmum* nominavit.

falsitas hujus rei fidem subtraxerat, vel, ut moderatiùs astruebant, non ipsum Cancellarium, sed Gaufridum quendam ejus fratrem regnaturum, & ob hoc Odonem Quarrellum cum ingenti pecunia transiturum in Gallias, ut ejus opera ductuque prædictus Gaufridus in Siciliam transfretaret, & Constantiam Rogerii Regis filiam uxorem duceret, inde sibi dandam occasionem existimans, ut videretur Regnum justiùs occupare.

Cùm ergo jam murmur invalesceret, & plebis indignatio multiplicatis rumoribus augeretur, exclamavit quidam ad ejus vocem facto silentio: solum hoc in tanto turbine superesse consilium, ut Odonem Quarrellum primò interficerent, dehinc Henricum Comitem, qui Messanenses plurimùm semper dilexerat, liberarent. Tunc universi, qui aderant, non aliter, quàm si consiliis illius se paritum ire jurassent, ad expugnandam Odonis Quarrelli domum neglecto Stratigoti mandato concurrunt. Sed cùm primo impetu nihil agere potuissent, ad portum repentè se transferunt, & septem galêas ibi repertas viris & armis complentes, Rhegium trajecto Pharo perveniunt. Rhegini verò consilio Joannis Calomeni, qui tunc Calabriæ Camerarius erat, portas Messanensibus aperientes, eorum societati se, jurejurando præstito, conjunxerunt. Inde ad castellum, ubi Comes sub paucorum militum custodia servabatur, confidentiùs accesserunt, dicentes militibus, qui ad defensionem parati muros ascenderant, ut Comitem sibi redderent, alioqui ipsos, si vi capti forent, tanquam proditores illico suspendendos. Sed nec eos posse quidem evadere, nam si fortè, quod vix accidere possit, ea tota die sustinuerint, in crastino Messanæ LX. galêas armatũ iri, seq; machinas ad expugnandã turrim necessarias allaturos. At illi primò neglectis eorũ minis instantes acerrimè repellebant, & importunitatem piraticam multiplicatis lapidum jactibus proturbabant. Inde verò se paucos admodum esse considerantes, nec in toto castello tantum esse victualium, quod per triduum eis posset sufficere, Messanensibus instantissimè Comitem sibi reddi poscentibus responderunt: homines ignotos, qui sinè duce, sinè rectore venerint, non oportere super his, quæ postulabant, audiri; si verò Stratigotum, vel Judices, vel omnino quospiam de majoribus civitatis adducerent, eorum se verbis facilè credituros. Quod illi statim se facturos polliciti Messanam reversi sunt, & Jacob Hostiarium, qui ad armandum stolium à Curia missus fuerat, nolentem reluctantemque Rhegium perduxerunt. Milites igitur omni spe fiduciaque resistendi sublata, tandem illis Comitem reddiderunt. Quo post Phari transitum à Messanensibus non sinè totius civitatis concursu multaque plebis alacritate suscepto, juraverunt omnes Henrici Comitis de cætero se per omnia secuturos imperium, nec ei vita superstite defuturos.

Interim autem Odo Quarrellus in palatium Regis, quod domui suæ proximum erat, cum omnibus rebus suis se contulerat, ibique virorum multitudine circa muros excubantium circumseptus, nec ipse poterat exire, neque per literas Cancellario quod ei contigerat indicare. Nam & palatii custos, cùm aliter irruentis populi furorem arcere non posset, eum se capitis sui periculo spoponderat servaturum. Comes igitur missis cum Notario suo plerisque civium, universam illius pecuniam, aurum, argentum, gemmas, vestesque sericas scripto consignari fecit, & in interiore parte palatii summa diligentia custodiri. Ipsum autem Odonem lintri sub silentio noctis impositum, ad Castellum vetus, quod in portu secus Ecclesiam novam situm est, jussit transferri. Interea Messanenses veriti ne Comes illum ea spe custodiri faceret, ut eo Curiæ reddito veniam impetraret, eorumque societati se fraudolenter subtraheret, optimum arbitrati sunt, ipsum Odonem interficere. Hoc enim perpetrato non posse Comitem erga Curiam deinceps excusari. Itaque magna virorum multitudine convocata Comitem adeunt, postulantes, ut Odonem Quarrellum eis traderet puniendum; non enim eo captum fuisse consilio, ut incolumis servaretur, sed ut eo diris excruciato suppliciis tam Regis, quàm suas injurias vindicarent. Comes autem ne videretur eorum ingratus beneficiis, simulque videns & si reluctari vellet, plebis tamen oportere desiderium adimpleri, noluit eorum petitioni moras opponere, licèt ei plurimùm displiceret; timebat enim ne speratum finem non posset res inconsultè cœpta sortiri. At illi repentè castellum adeunt, & Odonem Quarrellum à Castellano sibi traditum exuentes, asino, quem ad hoc præparaverant, eum imponunt, pedibus ejus in anteriorem asini partem porrectis, capite verò in partem contrariam acclinato. Dehinc universo populo ad hoc spectaculum confluente, per medium urbis eum cum ingenti clamore deducunt, contumeliis interim ac verberibus insistentes. Ubi ad portam civitatis ventum est, quidam eorum cultrum Pisanum quantis potuit viribus illius immergens cerebro, cruorem, qui ferro adhæserat, sub omnium aspectu lingebat ad inexorabilis odii magnitudinem exprimendam. Cujus exemplum sequuti cæteri membratim Odonem innumeris confossum vulneribus discerpserunt. Caput autem ejus affixum lanceæ per urbem diutiùs ostentantes, ad ultimum illud in cloacas publicas projecerunt, quod inde furtim sublatum est, & traditum sepulturæ. Inter hæc autem Græci Transalpinos quotquot invenire poterant occidebant, donec Henricus Comes id fieri cum interminatione pœnæ prohibuit. Messanenses igitur, ut venturo Regis exercitui, quatenus poterant aditus viarum obstruerent, primò Rimetulam castellum fortissimum occuparunt, castellani fide promissis facilè corrupta. Inde Tauromininium tam dolo, quàm viribus aggressi sunt, ut Richardum Comitem Molisii liberarent, & oppido quidem non difficilè potiti sunt, castellum autem nullis poterat viribus expugnari. Sed & Matthæi Castellani fides licèt multa præmiorum pollicitatione, multisque minis attentata, nusquam tamen à propositi soliditate roboris excidebat. Demum verò uxoris ejus frater à Messanensibus missus exorabat eum cum lachrymis, ut tantæ consilio crudelitatis abjecto, misereretur uxoris, ac liberorum, quos in carcerem missos præceperant Messanenses interfici, nisi Richardum Comitem maturè reddi contingeret. At ille respondit non solùm necem illorum sibi tolerabilem fore, verùm & seipsum morti paratum audacter occurrere, antequam hujusmodi proditione vitam fœdaret, quam hacte-

ctenus nullius infamiæ nota resperserat. Tum is, qui missus fuerat, cùm intelligeret illius animum ab eo, quod dixerat, non posse deflecti, Gavarreto ipsius castelli, quem dudum noverat, interposita fide multa pollicitus, persuasit, ut quamprimùm temporis opportunitas pateretur, Richardum Comitem solveret, & hostium ei carceris aperiret.

Quadam ergo die dormiente Matthæo Castellano, Gavarretus, ut spoponderat, Richardum Comitem à vinculis expeditum eduxit. Cùmque mox ad Castellanum itinere recto contenderet, ille ad strepitum pedum excusso somno cùm vidisset Comitem, repentè præterritus ensem arripuit, & sibi paratas insidias in caput illius facilè retorsisset, nisi proditor, cujus id opera patratum fuerat, amplexus improvidum ferientis conatum eluderet, & illi cultro quem tenebat superiorem dorsi partem inter humeros transfixisset, manu tamen Comitis, quam ensi sublato prætenderat, vulnerata. Ita Matthæo multis confosso vulneribus, Messanenses Taurominii castellum, ipsumque Comitem alacres receperunt.

Hæc ubi Cancellario nunciata sunt, tanto repentè turbatus infortunio, consilium amicorum, quod diu neglexerat, tum demum expetiit, visumque est persuadere Regi, ut exercitu congregato Messanam obsessum pergeret, quod ille facilè pronaque voluntate concessit, ad educendum exercitum certo ab Astrologis termino constituto. Interim autem Cataniensibus scripsit, ut nihil omnino victualium Messanam deferrent, neque naves Messanensium ibidem onerari permitterent, omnesque insuper Cataniensium naves ad terram subduci præcepit singulis earum carinis singulas tabulas subtrahendo. Ea re annonæ comportandæ subtracta copia Messanensibus famis necessitatem indixerat, cùm nullum aliunde super hoc solatium expectarent. Calabria enim ejus anni sterilitate damnata, vix sibi sufficere poterat. Interea Randacini, Vacarienses, Capiciani, Nicosiani, Maniacenses, cæterique Lombardi, qui Cancellarii partes ob multa ejus beneficia tuebantur, haud dubiam proditorum invidiam, ac scelera detestati, Legatos Panormum miserunt rogantes Cancellarium, & ei modis omnibus persuadere nitentes, ut adversùs Messanenses exercitum confidenter educeret. Nam eum quidem de solis Lombardorum oppidis XXM. propugnatorum, ubicumque præciperet, habiturum. Quorum laudata fide Cancellarius terminum eis constitutum ad hoc exposuit, jussitque, ut interim se rebus necessariis præmunirent. Rogerius autem Giracii Comes ubi vidit denuo conspirationem multum ex improviso virium collegisse, rebellandi desiderium, quod hactenus dissimulans occultaverat, apertis cœpit indiciis profiteri, castellaque sua muniens, Cephaludium adiit, & cum ejusdem civitatis Episcopo colloquium habens, persuasit ei, ut juraret nunquam opem suam adversùs Cancellarium Messanensibus defuturam, adjecitque, ut ab universis civibus suis idem jusjurandum acciperent.

Cancellarius tamen ejusdem urbis arcem munitissimam præoccupaverat, cùm jam ab initio fidem Episcopi dubiam agnovisset, & ad ipsius arcis custodiam Andream Hostiarium constituerat. Matthæus autem Notarius

A cùm in palatio clausus teneretur, audiens quod Messanæ gestum fuerat, simulque videns Ansaldum Castellanum amicum Cancellarii in superiore parte palatii valetudine detineri; ex illius absentia datam sibi perpetrandi quod optabat opportunitatem agnovit, & Constantinum ejus socium, penes quem solum custodiendi palatii cura tunc erat, multis persuasionibus eò impulit, ut universos palatii servos, qui ferè quadringenti erant, jurare faceret, quòd die tertia, quam eis præfixerat, Cancellarium ad Curiam venientem, & cum eo Joannem de Lavardino, & Rogerium Avellini Comitem inter primam ac secundam portam interficerent.

B Jam tunc ergo conspiratoribus in spem & audaciam rursus erectis, in partes scissa civitas variis assensibus laborabat. Sed & plerique viri rapinis assueti, qui circa Viam-Coopertam, & in superiori parte Viæ-Marmoreæ commanebant, videntes rixas & seditiones inter Curiæ familiares exortas, societatis inter se fœdus inierant, non quia favore partis utriuslibet traherentur, sed lucri spem sequentes juraverant in illum quidem impetum se facturos, in quem primum acclamari contingeret. Optabant autem eum fore Cancellarium, eo quòd in domo illius multam arbitrantes congestam esse pecuniam, credebant se quod optaverant ibidem uberiùs & faciliùs

C effecturos. Inter has rerum ambiguitates & pericula, Cancellarius deprehensus ab Ansaldo Castellano statuit sciscitari quid ei potissimum in tanto turbine faciendum decerneret. Cujus consilium fuit: ut neglecto termino, quem Astrologi præfixerant, cum militibus suis, in aliquam munitionum Siciliæ se reciperet, & tam Lombardos, quàm cæteros, quos sibi fideles noverat, accersiens, quantum posset exercitum congregaret, ibique Regis præstolaretur adventum. Nam eum si Panormi diutiùs moraretur, vix tantas hostium insidias evasurum. Prævaluit tamen Roberti Comitis Mellenti, cæterorumque Francorum sententia, qui proditorum astutiam, & Curiæ

D consuetudinem nescientes, Panormi morari tutius asserebant, nec oportere Cancellarium sinè Rege quòpiam proficisci, ignorantes nusquam aptiùs insidias, quàm in ipso palatio præparari, ubi nemini liceat armis se vel militibus præmunire. At ubi jam constituta dies aderat, servi ipsius palatii sperantes Cancellarium manè juxta consuetudinem ad Curiam ascensurum, parati ante januam consistebant, ut eum venientem cum paucis admittentes, milites ejus excluderent. Odo verò Magister stabuli cùm eorum intellexisset consilium, repentè descendens è palatio, Cancellarium, quod ei periculum imminebat, edocuit. Qui

E paucos amicorum secum retinens, milites & hostiarios, qui ante domum ejus convenerant, ut euntem ad Curiam sequerentur, jussit abscedere. Constantinus itaque Castellanus ubi spem & opinionem suam elusam animadvertit, mittens plerosque palatii servos, quos civibus notissimos esse cognoverat, per singulas urbis regiones eos distribuit, jussitque clamare ut universi cives ad arma concurrerent, & domum Cancellarii, qui paratis jam navibus cum thesauris regiis fugere decreverat, obsiderent.

His urbe commota rumoribus, Herveus Floridus, quem non tam familiaritas Cancellarii,

larii, quàm ipse de se plurimùm loquens Palatinis suspectum fecerat, cum Rogerio Comite Avellini secus palatium equitabat. Quem cùm vidissent clientes Gayti Richardi, ac plerique alii viri, qui jam illuc armati confluxerant, irruerunt in eum, & equo dejectum gladiis transfoderunt. Inde Comitem persequentes, cùm extra portam urbis in planum, quod palatio adjacet, pervenissent, fugiendi spe sublata, jam in eum lanceas intendebant, cùm Rex, ut ad fenestras palatii quid tumultus esset prospectum venerat, exclamans multum illis interminatus est, nisi sibi vivum illum & incolumem assignarent. Sic eorum impetu vix compresso, cùm aliter Comitem liberare non posset, jussit eum in castello maris summa diligentia custodiri. Tunc verò sagittarii Curiæ, qui nunquam in seditionibus, ubi lucri spes appareat, ultimi consueverunt occurrere, cum his, quos superiùs conjurasse diximus, magnaque præterea confluentium virorum multitudine, domum Cancellarii circumvallant. Symon autem Pictavensis, cujus diligentiæ domus ejusdem cura commissa fuerat, milites, peditesque, prout locorum opportunitas exigebat, per murorum disponens ambitum, singula loca congrua defensione præmunivit. Militum verò maximam partem repentinus plebis concursus excluserat. Cancellarius ubi rem videt in id discriminis devenisse, cum plerisque viris nobilibus, quos à se non passus erat discedere, per Ecclesiam, quæ domui suæ erat contigua, in Campanarii fortissimam, ut in plano, munitionem se recipit. Erant autem qui semper ei familiariùs adhærebant, Carbonellus & Boamundus Tarsenses, Gulielmus de Sancto Severino, Alduinus Catuensis, Hugo Lupinus, Robertus quoque Mellenti Comes, cum quibusdam Francis militibus.

Interea Rogerius Tironensis Magister Comestabulus cum militibus suis superveniens, viros, quos ibi repererat, acerrimè proturbabat. At ubi jam multitudo populi confluentis in inmensum excrevit, resumptis animis in eum pariter irruentes, tam ipsum, quàm ejus milites fugere compulerunt, domumque Cancellarii, quæ multo distendebatur ambitu, cœperunt ex omni parte totis viribus oppugnare. Obsessi verò non solùm de locis sibi designatis nihilo segniùs instantibus resistebant, verùm etiam apertis aliquoties foribus erumpentes, totam multitudinem audacissimè repellebant, longiùsque cogebant absistere, Matthæus quoque Notarius, & Gaytus Richardus de locis, in quibus clausi fuerant, exeuntes, pristinæ se dignitati, nemine prohibente, reddiderant. Qui servis buccinariis accersitis, præceperunt ut ante domum Cancellarii tubis ac tympanis personarent. Tunc universa civitas tam Sarraceni, quàm Christiani signum belli notissimum audientes, jussu Regis id fieri crediderunt, moxque cum ingenti clamore ac strepitu concurrentes cœperunt instare vehementiùs, videntesque diutiùs insistendo nihil proficere, tandem ad portam Ecclesiæ magna lignorum strue opposita decreverunt ignem supponere. Cùmque jam redactis in Carbones foribus liber patuisset introitus, plerique milites Cancellarii, quibus immensa virtus periculi metum sustulerat, opposuerunt se conantibus introire. Ibi diu multùmque summa virtute pugnatum est, his quidem urgentissima necessitate vires & audaciam ministrante, illis autem indignantibus, quòd paucissimi viri tantæ multitudinis impetum sustinerent. Prævalente vix tandem multitudine, fatigati se milites in Campaniarum contulerunt. At illi per Ecclesiam in domum Cancellarii liberè transeuntes, milites peditesque qui muris defendendis operam dabant, repentè captos, vinctosque Castellanis palatii transmiserunt; quos autem repererant de locis adhuc munitioribus resistentes, ut se dederent bonis conditionibus effecerunt. Inde ad expugnandum Campanarium redeuntes, cùm jam multis eorum vulneratis acriùs instando nihil agerent, variis huc illuc consiliis agebantur. Alii multa lignorum coacervata congerie, supponendum ignem censebant; nam ex ejusmodi saxis constructum esse Campanarium, quæ perseverante diutiùs igne facilè dissolvantur. Alii machinas ocyùs inferendas, alii cratibus invectis suffodiendum ab imo Campanarium decernebant. Interea cùm Rex ad matris petitionem è palatio vellet exire, ut ab obsidione populum amoveret, Matthæus Notarius, cæterique conspiratores, qui aderant, prohibuerunt eum egredi, dicentes non esse tutum illuc accedere; nam sagittarum ac lapidum circumquaque turbinem agitari.

Cùmque viderent nullatenus ea die posse Campanarium expugnari, timuerunt ne si res produceretur in crastinum plebis tepescerent animi, vel pœnitentia ducti desisterent ab incœpto, cùm id Regi displicere cognoscerent. Statuerunt ergo cum Cancellario pacisci, ut abjurato Regno Siciliæ liceret ei in quam eligeret terram liberè transmeare. Missis itaque Nunciis, qui hanc ei conditionem proponerent, ita demum inter eos transactum est, ut armatâ galêâ Cancellarius cum paucis, quos eligeret, traduceretur in Syriam. Comiti verò Mellenti cæterisque Francis ad transfretandum navigia pararentur. Nobiles autem viri de Regno Siciliæ, qui cum eo in Campanario erant, terras suas securè ac liberè possiderent, militibus stipendiariis indultâ licentiâ vel in Curia commorandi, vel ad alium locum quemlibet transeundi; hoc ita sine dolo factum iri juraverunt, Richardus Syracusanus Electus, Matthæus Notarius, Gaytus Richardus, Romualdus Salernitanus Archiepiscopus, Joannes Episcopus Maltensis: ipsaque nocte galêam præparari fecerunt. Manè verò Cancellarium è Campanario cum paucis sociis extrahentes, ad portum eum Gallicum perduxerunt. Cùmque galêam ascenderet, Canonici Panormitani qui aderant rogabant eum, ut à sacramento fidelitatis eos absolveret; at ille rem dissimulans, nihil respondit. Tum Curiæ familiares cœperunt primò blandiùs hortari, dehinc acriùs & importuniùs comminantes instare, ut electioni renuncians eligendi Pastoris Canonicis potestatem daret. Ille verò videns armatam circumfremere multitudinem, tumultuari milites, Magnates indignari, quòd nec dum revertendi videretur animum abjecisse, metu compulsus renunciavit electioni. Moxque galêam ingressus, jussit eam à terra propelli, suspectum habens populum magno illuc impetu confluentem. Itaque Curiæ familiares ad Campanarium regressi, Comitem Mellenti, cæterosque Francos eduxerunt, plebisque seditiosos impetus, & adventum Messanensium formidantes, in duo-

duobus castellis Parthenico, Carinulaque fecerunt illos interim commorari, donec eis ad transfretandum navigia providerent. At Cancellarius à portu quamprimùm potuit avulsus, per Mazariensium fines australem Siciliæ partem circuiens Lecatulam pervênit, quod castellum in finibus Agrigentinorum situm est. Ibi necessariò coactus ad terram egredi, præmisit Episcopum Maltensem, qui Dux ei datus fuerat, ut oppidanis ex parte Regis præciperet, ne illum aliquatenus impedirent. Jam enim galêa procelloso maris turbine fatigata dissolutis compagibus naufragium minabatur. Cùmque brevi temporis intervallo congruè resarciri non posset, neque sinè certo capitis periculo liceret Cancellario triduum ibi transigere, navem onerariam in eodem inventam litore, à Januensibus emit, eisdemque nautis conductis, in Syriam prosperè transfretavit.

Interea Gentilis Agrigentinus Episcopus, qui in Vallem Demeniæ missus fuerat, revocatur, & Curiæ familiaris efficitur. Henricus Comes Montis-Caveosi, & Richardus Molisii Comes, cum plerisque Messanensium XXIV. galêis armatis Panormum perveniunt, virisque freti statum Curiæ innovant, & X. familiares instituunt, Richardum Syracusanum Electum, Gentilem Agrigentinum Episcopum, Romualdum Salernitanum Archiepiscopum, Joannem Maltensem Episcopum, Rogerium Comitem Giracii, Richardum Molisii Comitem, Henrici Montis-Caveosi Comitem, Matthæum Notarium, Gaytum Richardum, Galterium Decanum Agrigentinum Regis præceptorem. In eo statu Curiâ constitutâ decernitur inprimis, uti Gilbertus Comes Gravinensis, cum filio suo Bertranno Comite, pellatur è Regno, salvus tamen & incolumis, si quidem his Curiæ mandatis ultro parêre voluerit. Quòd si viribus uti & militibus adunatis reniti præsumpserit, cum eo deinceps hostiliter agi, & tanquam proditorem totis Regni viribus oppugnari. Hoc autem negotium Rogerio Comiti Albensi, Richardoque de Sagio Fundano Comiti delegatur. Qui de totius Apuliæ civitatibus immensum congregantes exercitum, Gilbertum Comitem in castello quodam, quò se cum uxore receperat, obsederunt. Nam audito Curiæ mandato universi milites ab eo discesserant. At ille multam in se Procerum attendens invidiam, civitatum atrox odium, nihilque spei sibi relictum intelligens, elegit se Richardo Comiti Fundano cum thesauris suis eo pacto dedere, ut liceret ei cum uxore ac liberis in partes Syriæ transmeare. Eo sic expulso, cogitabant etiam Curiæ Magnates Hugonem Comitem Catacensem, quia Cancellarii consanguineus erat, expellere. Sed quia nullius consilii, nullius audaciæ homo erat, ut vel occultè paraturus insidias, vel ex præcipiti magnum ausurus aliquid timeretur, maluerunt ei parcere, sperantes eo ipso posse Reginæ indignationem aliquatenus mitigari.

Post paucos dies Galterius Agrigentinus conducta plebis multitudine, metuque compulsis Canonicis, consentiente Curia, non tam electus, quàm violenter intrusus, Panormitanæ regimen suscepit Ecclesiæ. Ea res his, qui Cancellario faverant, ipsique Reginæ plurimum spei subtraxit; sperabant tamen Romanum Pontificem id, quod actum fuerat, ratum non habiturum, cùm non sponte Cancellarium, sed capitalibus minis adactum electioni renunciasse constaret. Quod autem vi metuve gestum fuerit, ratum non habere Prætorem, ejusmodi verò metum, intercessisse, qui & in costantissimum virum cadere posset, nulli dubium erat. neque tam manifesta res ullis testibus indigebat. His accedebat, quòd Petrus Cajetanus Romanæ Curiæ Subdiaconus certissimè promiserat, electionem hanc nihil roboris habituram, septingentasque auri uncias opera studioque Reginæ acceperat Romano Pontifici deferenda. Pars autem contraria, cujus opinio prævaluit, asserebat in eo statu Romanam esse Curiam, ut voluntati Procerum Siciliæ non audeat obviare, neque censeat immensam pecuniam ob firmandam electionem sibi oblatam in eo necessitatis articulo contemnendam. Hoc itaque negotio paucis diebus protracto, ne videretur præcipitari sententia, demum Romanus Pontifex electionem ratam habuit, ipsumque jussit Electum à suffraganeis Episcopis consecrari. Qui tantæ dignitatis culmine sublimatus, repentè statum immutavit Curiæ, summamque sibi potestatem retinens, Matthæum Notarium, & Gentilem Agrigentinum Episcopum sub se familiares instituit.

Eodem anno quarta die Februarii circa primam horam ejusdem diei vehemens terræmotus tanta Siciliam concussit violentia, ut in Calabria quoque circa Rhegium, oppidaque proxima sentiretur. Cataniensium opulentissima civitas usque adeò subversa est, ut ne una quidem domus in urbe superstes remanserit. Viri ac mulieres circiter XV. M. cum Episcopo ejusdem civitatis, maximaque parte Monachorum sub ruina sunt ædificiorum oppressi. Leontinum nobile Syracusanorum oppidum eadem terræ concussione subversum, oppidanorum plerosque ruentium ædificiorum mole consumpsit. Multa præterea in finibus Cataniensium ac Syracusanorum castella diruta sunt; multis in locis terra dehiscens, & novos protulit fontes & veterum nonnullos obstruxit, eaque pars Æthnei cacuminis, quæ Taurominium respicit, visa est aliquantulum subsedisse. Syracusis Arethusa fons nominatissimus, quem ab Ælide Græciæ civitate fama est in Siciliā occultis meatibus derivari, de limpido turbulentus effectus, saporem salsum nulla maris admixtione contraxit. Tajus, fons quidem aquis uberrimus, qui de pede montis juxta Casale Sarracenorum egreditur, quasi duarum horarum spatio manens obstructus, aquas continuit, magnoque dehinc erumpens impetu, sanguinei coloris laticem per unius spatium horæ mirantium oculis indigenarum exhibuit. Messanæ verò mare cùm tranquillissimum esset, in se ipsum primò se contrahens, paulisper cessit à littore, deinde pedetentim rediens præfixas litoris metas transiliit, murosque civitatis alluens, ipsis & se portis infudit.

His, aliisque prodigiis Curiæ familiares, eorumque fautores perterriti, arbitrabantur novitatem hanc rerum magnam Siculis calamitatem portendere. Timebant ergo, ne Cancellarius ope & consilio Constantinopolitani Imperatoris, qui Legatos ejus, ut ferebatur, benignè susceperat, Regnum Siciliæ collectis viribus occuparet. Nec verò dubium erat plerosque Regni Comites, ac Proceres illius

illius adventum avidiſſimè præſtolari. Credebant autem etiam Robertum Comitem Lorotelli Reginæ voluntatem & imperium, cujus operâ nuper ab exilio revocatus fuerat, proculdubio ſecuturum. Dum igitur adversùs ea, quæ accidere poterant, multis ſe conſiliis, & artibus præmunirent, repentè de morte Cancellarii certiſſimus ad Curiam rumor perlatus, & Reginæ prorſus animum dejecit, & partem

A

contrariam in id roboris ac ſecuritatis evexit, ut nihil ſibi deinceps æſtimarent difficultatis aut periculi formidandum. Itaque ſumma Regni poteſtas, & negotiorum cognitio penes Galterium Archiepiſcopum Panormitanum erat, qui ſibi Regem eatenus ſuſpecta ſatis familiaritate devinxerat, ut non tam Curiam quàm Regem ipſum regere videretur.

F I N I S.



GODEFRIDI VITERBIENSIS,

NOTARII CONRADI III. REGIS, FRIDERICI I. IMPERATORIS, ET HENRICI VI. EJUS FILII,

PANTHEON,

SEU MEMORIA SECULORUM,

Ubi prætermissis iis, quæ ad Veteris Testamenti Historiam, & prima post Christi Nativitatem secula spectant, ad tempora usque Urbani III. Papæ referuntur.

IN GODEFRIDI VITERBIENSIS CHRONICON, sive PANTHEON,

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Godefridus, seu *Gotfridus*, cujus Chronico eximius locus in Collectione nostra debetur, Viterbii in urbe Italiae natus est, ac propterea *Viterbiensis* titulo a reliquis ejus nominis distinguitur. Hanc ei Patriam concordi calculo tribuunt Eruditi, Baronio excepto, qui ad Annum Christi 1186. eum appellat *Gotifridum Viterbiensem (ut vulgo fertur) sive Vitembergensem*. Cur hanc dubitationem de Gotfridi Patria moverit doctissimus Cardinalis, ignotum mihi est. Certe in Epistola dedicatoria ad Urbanum III. Papam, ut in editis Libris habetur, ille se *Gotfridum Viterbiensem Sacerdotem indignum* inscribit, & ubi MSti Codices contra non militent, Italiae, ac Viterbio non est auferendus hic Scriptor. Animadvertendum tamen, Gotfridum scriptum reliquisse, se *puerum* in Bambergensi Ecclesia educatum, ibique primarum literarum studiis vacasse. In Chronici Parte XVII. ubi agit de Secundo Henrico, & *de Civitate, & Ecclesia Babenbergensi*, haec habet: *Ego, qui ibi prima documenta Grammaticae Artis didici, tamquam eorum alumnus cetera versibus declaravi*. Tum in Carmine addit:

„ *Prisca fuit puero mihi Babenberga magistra*.

Accedit, quod Godefridus Scriba, sive Notarius fuit trium Imperatorum, nempe Conradi III., Friderici I., & ejus filii Henrici VI. In ejusmodi munere verisimile videtur, Germanum potius, quam Italum hominem, a Germanis Imperatoribus fuisse adhibitum. Verum ne ista quidem satis sunt, ut Godefridum Italiae nostrae eripiant. Regnantibus enim in Italia Theutonicis Augustis, praeter communes, complures aliae intercedebant causae, cur Italici homines in Germania saepe versarentur, atque illuc propterea deferri puer potuit Godefridus noster in Italia natus. Hic autem Linguae non minus Germanicae, quam Latinae gnarus, Imperatori Germanico rite inservire potuit. Iterum ergo dicam: nisi aliud decernat MStorum fides, Historicum hunc Viterbio, atque Italiae relinquemus: & praecipue quum in Chronico MS. Estensis Bibliothecae, quod circiter Annum 1320. conscriptum puto, & cui in Collectione nostra suus erit locus, is evidentissime *Gothefridus Viterbiensis* appelletur.

Ut supra innui, Conradi III., Friderici I., & Henrici VI. Notarius fuit Godefridus. In nonnullis Friderici I. Diplomatis apud Ughellum, & Margarinum, & alios, subscribit *Godefredus Imperialis Aulae Cancellarius, vice Philippi Coloniensis Archiepiscopi, Italiae Archicancellarii*. An Godefridus iste aliquid rei habeat cum Historico nostro, divinare non ausim. Haec solum de se ipso habet Viterbiensis Chron. Parte XVII., antequam de Henrico IV. agat. *Nota, me Gotfridum hujus Libri Auctorem, Capellanum, & Notarium fuisse Regis Conradi Tertii, & Friderici Imperatoris, & filii ejus Henrici Sexti, quorum temporibus haec omnia cis, citraque mare per annos quadraginta sum perscrutatus ex omnibus armariis & Latinis, & Barbaris, & Graecis, & Judaicis, & Chaldaeis*. Haec autem verba Basilio Johanni Heroldo, qui primus Historiam hanc publicis typis imprimendam curavit, occasionem dederunt scribendi in Praefatione ad ipsam, Godefridum nostrum *Latinae, Graecae, Hebraeae, Chaldaeae, multarum quoque aliarum Barbararum Linguarum gnarum fuisse, & peregrinatione, omni terra, totoque mari per totos XL. annos exercitatum, omnium, quas undique adiit, gentium Bibliothecas excussisse*. Parcat mihi Heroldus: ille mihi hoc in loco buccas nimium inflare videtur. Ex Godefridi verbis minime elucet miranda adeo tot Linguarum in eo peritia, idque aevo illo in eruditione infanti miraculum quodvis superasset. Neque vero Viterbiensis *omnem terram, totumque mare per totos XL. annos* lustrasse credendus: Equidem longe minori labore cum animi, tum corporis, illum fuisse usum puto, ut se erudiret, suamque nobis Historiam re-

lin-

 linqueret. Tanti certe ponderis non sunt ea, quae narrat, neque tam peregrina, ut se tot Linguis, atque etiam Barbaris, fuisse instructum, ac omnium gentium Bibliothecas excussisse, persuadere nobis parum credulis possit. Homini illorum temporum ad Eruditionis Historicae gloriam comparandam sat erat Chronicon Eusebii in alicujus Bibliothecae angulo reperisse. Sed veniamus ad ipsum Chronicon Godefridi.

Pantheon inscriptum ab ipso fuit, quippe ibi de omnibus Mundi Principibus agitur. Ampullosum sane vocabulum, & quod fortassis Auctori ipsi tribuendum non est. Nam Vossio teste de Historic. Latin. Lib. 2. Cap. 54. *a nonnullis citatur hoc titulo* Memoriae Sanctorum, *ut a Pignorio accepi*. Sed falli heic aut Pignorium monentem, aut Vossium perperam legentem, opinor. In Praefatione ad *Manipulum Florum*, quem in ista Collectione evulgabo, Gualvaneus de la Flamma, Scriptor XIV. Seculi, inter Libros, quibus est usus ad suam texendam Historiam, *Gothifredi* Chronicon citat, nuncupatum *Memoria Seculorum*. His verbis indicari Godefridum nostrum, quae subinde ex eo Libro adferebantur, dubitare me non sinebant; ac propterea facile intelligas, eum revera titulum Libri fuisse, non autem *Memoriae Sanctorum*. Addo Peregrinum Priscianum Ferrariensem, Scriptorem multae eruditionis, qui circiter Annum Christi 1490. Annales Estensium adhuc MStos literis mandabat. Hic citat *Gothifredum Viterbiensem in Libro, quem Memoriam Seculorum appellavit*. Ex quo patet jam tamdem, apud veteres, vel antequam typis excuderetur, Chronicon Gotfridi *Memoriam* potius *Seculorum*, quam *Pantheon*, fuisse inscriptum, ipsumque Auctorem *Viterbiensi* Civitati attributum. Exorsus autem est Godefridus pro more temporum rudium Historiam suam ab initio Mundi, eamque perduxit usque ad Pontificatum Urbani III. cui etiam Opus ipsum dicavit. Desinit ergo in Annum Christi 1186 ut Baronius antea animadverterat. Ceterum partim soluta oratione, partim metro, res gestas cum sacras, tum profanas, Scriptor iste persequutus est; ac potissimum lusit ille versibus Leoninis, rythmis in medio, aut fine sibi respondentibus, insulso interdum lusu.

Heic autem Lectores monitos velim, in Estensi Bibliotheca adservari antiquum Chronicon in Codice membranaceo MSto, Auctore Anonymo, praeferens hunc titulum: *Incipit Liber de Temporibus, & Ætatibus ad perpetuam rei memoriam. Breve compendium collectum ex variis Chronicis, & per ordinem digestum de Temporibus, in quibus sederunt certi Pontifices Romani, & Imperatores*, &c. Hinc excerpsi ego quae ad Regiensis Civitatis Historiam pertinent, in hac Collectione item legenda. Multos versus delibavit Scriptor ille ex Godefridi nostri Historia, quam is laudat sub nudo solum nomine *Chronicae*. Mihi vero cum ipsa edita Historia Codicem istum conferenti apparuit, non paucos ex his versibus dissidere ab editis; imo occurrerunt multi in eodem MSto, qui a vulgatis editionibus absunt, quum tamen omnes eumdem Godefridum parentem habuisse videantur. Specimen dabo. Ita ibi legitur de Diocletiano.

Dioclitianus pariter cum Maximiano
Imperium tenuere simul nullo mediano.
Unus eis fuerat victus, & una caro.
Hi contra Christum reparant speciale duellum,
Undique Christicolis pariunt per climata bellum,
Quos cum morte premant, omnia scripta cremant.
Hi duo sunt primi, qui gemmas veste tulerunt,
Nec prius in pedibus, nec vestibus ista fuerunt.
Purpureos Dominos ante fuisse ferunt.

In editis Godefridi Libris confusa est series Imperatorum, ut videre est potissimum in Maximiano, & Diocletiano, locatis ante Gordianum, Philippum, Decium, &c. Si quis cum supra allatis versibus editos conferre velit, dissimilitudinem continuo deprehendet. Alterum exemplum suppeditabit nobis Carmen de *Constantino Imperatore*, quod ita in Estensi Codice se habet.

Nunc Constantinus, si vera referre velimus,
Verus Christicola fuerat pro tempore primus.
Credidit hoc Oriens, Occiduusque sinus.
Ipse tenens aratrum respexit ab ordine retro:
Eusebius post mersit eum baptismate tetro.
Fine malo claudit quae bene coepta peto.
Credidit in Christum, Populusque recepit id ipsum;

Inde

Inde dedit licitum patulo praedicere Christum.
Condidit Ecclesias laude favore suas.
Arrianista manens miscet certamine tandem,
Nam scelus Eusebii vitam pervertit eamdem.
Lege: Tripartita gesta leguntur ita.
Hunc alienigenam sibi Roma creavit alumnum,
Cui dedit Imperii solium per secula summum,
Qui quasi morte ream post viduavit eam.
Fraude, dolo Proceres subtraxit ab Urbe Latinos,
Et quasi captivos mox esse coëgit Achivos,
Constituens Romam rebus, & arte novam.
Transtulit Imperium, Danais dedit ipse favorem,
Dans Alienigenis quem Roma tenebat honorem.
Romula destituens, Graecula Regna colens.
Spurius hic fuerat, quem praetulit aurea Roma.
Interimens Dominum, fertur rapuisse coronam.
Cum foret ante bona, nunc mala fama volat.
Roma suis studiis &c.

Et haec quidem specimina de variantibus in Carminibus Godefridi lectionibus. Nunc eorum, quae in editis desiderantur, exemplum dabo. Cap. 86. Codicis Estensis *ostenditur, unde Theotonici venerunt ante adventum Christi.*

Jam satis est Romae Regum recitasse decores;
Me vocat ad Priami juvenis mea Musa labores,
Cujus progenies grandia gesta movet, &c.
Ad Priamum redeo, de quo generosa propago
Karolus est genitus, cujus & acta dabo.
In duo dividimus Trojano semine prolem;
Una per Italiam sumsit diademata Romae;
Altera Theotonica Regna beata fovet.
Karolus in Bertae Pipini semine ventre
Hæc duo continuat, conceptus utroque parente,
Romuleus matre, Theotonicusque patre &c.

Tum agitur de *Priamo Juniore, & de Antenore, qualiter a Troja destructa in Germaniam venerunt, & de eis Principes, & Reges Theotonici sunt oriundi.*

A Priamo Priamus juvenis, patiente sorore,
Sorte nepos oritur, patrio recolendus honore,
De cujus prole promere Musa volet &c.

Hinc refertur, *quo tempore Sicambri, idest Trojani, invaserunt Germaniam, & tunc vocati sunt Germani.* Nonnulli ex his versibus editi sunt Chronici Parte X. sed haec omnia fabulosa. Sequitur in MSto; *Qualiter Germani, & Romani facti sunt amici.*

Dum fortuna Duces tanta virtute decorat &c.

In sequenti Capitulo habetur: *Qualiter Germani deleverunt Alanos, propter quod etiam vocati sunt Franci.*

Interea gens terribilis, cui nomen Alani,
Tendit ad interitum, quae mea Musa canit &c.

Capitulum centesimum primum est *de terminis verae Franciae*. In subsequentibus Capitulis agitur *de gestis post mortem Caesaris. De Cildiberto Rege Francorum in Civitate Maguntia. De Mirobeo Rege Francorum. De Lothario. Celperico. Glothario. Dagumberto. Ildrico. De antiqua consuetudine Francorum*, ubi leguntur hi versus.

Fertur apud Francos tunc consuetudo fuisse,
Ut unus portare vices Regis potuisset.
Major & ille Domus munere ferret onus.
Nomen id officii nescit per metra moveri,
Fiat ut ad placitum quaerit mea Musa mereri.
Sic mihi possibile promere carmen erit.
Sic Major Domus placita ratione vocetur,
Qui Regis portare vices, regimenque meretur,
Et tenet, & repetit Regis ubique decus.
Pipinus Dux &c.

Sequitur *de Pipino Grosso Duce Francorum, patre Carli Martelli.*

Dux ex Alfeida genuit non conjuge natum,
Karlum Martellum vulgi ratione vocatum &c.

Post haec habetur *de Pipino Nano Duce Francorum, filio Martelli, qualiter adeptus est Regnum in Civitate Maguntia.*

Dum regimen patriae Nanus Pipinus haberet,
Rex tamen Ildricus vacuus, vilisque sederet,
Nanus Apostolico scripta subacta feret.

Reliqua leguntur in editis, sed in multis dissimilia a lectione Codicis nostri. Cur autem tanta diversitas occurrat inter Godefridi versus, non aliam divinare causam possum, nisi quod aut ipse Historiam suam jam editam, tempore procedente, ad limam revocarit, & politiores versus effecerit, quales certe sunt editi; aut quisquam alius, e vivis sublato Godefrido, hunc laborem pro illo susceperit.

Primus ergo, ut supra innui, qui *Pantheon*, sive Historiam Godefridi, publica luce donarit, fuit Basilius Johannes Heroldus, Basileae An. Chr. 1559. Tum idem Opus Francofurti An. 1584., ac deinde Hanoviae An. 1613. in Collectionem Germanicorum Scriptorum illatum est a Johanne Pistorio. Verum ne sibi quaeso persuadeat bonus noster Godefridus, me Collectioni huic integrum velle nunc inserere Chronicon suum. Quae ille habet ante Christi Nativitatem, equidem non sperno; sed tum quod fabulis non carent, tum etiam quod Eruditis nulli ferme usui esse possunt, ego rursus edere minime sustinui. Habeant illa, qui velint e praecedentibus editionibus. Quod solum ex ea parte retinere volui, illa sunt, quae Chronici parte XVI. habentur, utpote ad Italiam pertinentia, & propius ad seculum V. juxta institutum nostrum pertingunt. Superest & alterum Godefridi nostri Opus, a Chronico supra laudato diversum, quod nondum lucem vidit, MStum in Caesarea Vindobonensi Bibliotheca, teste Lambecio, Comment. de Biblioth. Vindob. Lib. 2. Cap. 8. Ejus titulus est: *Speculum Regum, sive de Genealogia omnium Regum, & Imperatorum a Diluvii tempore ad Henricum VI. Imperatorem.* Demtis iis, quae a Godefridi aetate nimium absunt, ac aliunde petere praestat, literariae rei interesset & hunc Libellum e tenebris ereptum publici juris facere. Nam praeterquam quod nullus tam ineptus est Historiarum Scriptor, qui Seculo, quo scripsit, ac duobus, aut tribus etiam praecedentibus aliquid lucis non afferat, Godefridus certe ex ingenio & eruditione commendandus est, & in Aula Imperatorum exercitatus multa nos docere posset, quae aliunde frustra expectaremus. Atque haec sufficiant de Godefrido Viterbiensi.

AD

AD DOMINUM PAPAM URBANUM TERTIUM

GODEFRIDI VITERBIENSIS EPISTOLA, ac PROŒMIUM.

Summo & universali Papæ Urbano Tertio, Domino, & Patri suo Reverendissimo, Gotfridus Viterbiensis Sacerdos indignus, seipsum in omni obsequio & obedientia subjectissimum.

Dum Sacrosanctæ Matris nostræ Romanæ Ecclesiæ culmen inspicio, & ejus eminentiæ considero majestatem: illud ante omnia necessarium esse intueor, ut sicut ipsa omnibus noscitur præesse Principibus: ita omnes Reges, & Principes, & universæ Orbis Ecclesiæ, doctrina ejus & regimine adornentur: & ab ea, tanquam à fonte justitiæ, totius sapientiæ regulis instruantur: quia nullum scripturarum elogium noscitur esse authenticum, nisi ab ejus sapientiæ fluminibus, sitientibus propinetur. Quare, si quod historiarum opus, nova per aliquem institutione conficitur, ratio suggerit, ut antequam in publicum deveniat, Apostolico examini præsentetur: quatenus, si acceptione dignum esse perpenditur, ejus mandato & judicio approbetur: & ab eo vires, auctoritatemque recipiat, cui terrena & cœlestia divinitus sunt commissa.

Eapropter, Reverendissime Pater, hoc opusculum longo tempore simplicitatis meæ studiis aggregatum, & de veteri & novo Testamento, atque de omnibus ferè historiis, in unum volumen sub compendio redactum, ad honorem Dei, & emendationem, seu approbationem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ante vestrum examen perferre disposui, vestræque gratiæ præsentare curavi: ut si, auctore Deo, per vos fuerit approbatum, ad alias Ecclesias ulteriùs derivetur; & non solùm Clerici, sed etiam Reges & Principes habeant hoc opus à vestræ Sanctitatis auctoritate. Impossibile enim est, perfecti regiminis, & Regiæ potestatis excellentiam convenienter attingere his, qui Mundi cursum & originem, aut Scripturarum dogmata ignorant. Imperator verò aut Rex, qui cæteris Principibus potestate præponitur, si fuerit philosophiæ nescius, errare sæpiùs, quàm regnare videtur; quia dum in causis Reipublicæ sapientia indiget, cogitur eam ab aliis frequenter emendicare, & ex hoc, aliena sæpiùs quàm sua cernitur virtute regnare. Omnes namque Reges debent rerum statum, & justitiæ disciplinam cognoscere: quam sola bruta animantia ignorant. Oportet etiam eos Creatori de his omnibus reddere rationem, quia ipsi, quum legibus sint absoluti, non in legem, sed in Deum potiùs, videntur peccare: unde dicitur, Tibi soli peccavi. *Quum ergo Reges, non in leges, sed in Deum peccent, & Dei solius, vestroque examini reserventur: antiquorum Regum vitam & gesta, atque historias oportet eos cognoscere; ut causæ præcedentium, fiant eis inposterum cautio futurorum. Ipsi quoque Principes, inter alia beneficia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, gaudeant se hunc historiarum libellum de fonte Sanctitatis Vestræ suscipere: cujus instructi adminiculo, poterunt subjectos sibi populos rationabiliùs gubernare.*

Hoc autem opus, non tantùm in prosis, sed versibus annotavi: ut lectores ejus, si aliquando prosas legendo fuerint fatigati, quum versus sequentes inspexerint, consonantia & delectatione metrorum ad legendum ulteriùs provocentur: illi autem qui versus fortè non intelligunt, prosarum saltem lectionibus delectentur.

Intentionis autem nostræ est in hoc opere, ab ipsa prima rerum creatione incipere; immo ante omnem creationem, scilicet à Divina Essentia, quæ est ante tempora, de qua frequenter quæritur; Ubi erat tunc Deus? & in quo Mundo? & quid operabatur? & quomodo est trinus, & unus Deus? & cujus erat Dominus, dum nulla erat creatura? & quomodo Spiritus Domini ferebatur super aquas? & hujusmodi alia. Item de Angelis, de Cœlis, de Planetis, & Elementis, atque de creatioue hominis: & deinceps universum vetus & novum Testamentum, omnesque historias gentium, Regum & Regnorum, sub compendio perlustramus, quæ omnia per Capitula in ordine disponemus.

Nomen autem Auctoris Libri est, Gotfridus*: quod interpretatur, Pax Dei. In lingua namque Theutonica*, Got *dicitur Deus: &* Frid *dicitur Pax. Ideoque hoc nomen huic operi satìs convenire videtur: quum in hoc Libro vetus Testamentum cum novo, Latinæ historiæ cum Barbaris, & prosæ cum versibus, sub uno volumine, tanquam invicem pacificans, concedet.*

Æstimo autem in causis hujuscemodi (sicut mos est fieri) nonnullos æmulos invidiæ livore torqueri: qui, priusquam Librum conspiciant, priusquam magnam rerum copiam cognoscant, fient mihi non æquitatis judices, sed operis detractores. Adversùs quorum insidias, talem ad defensionem mei voluminis constitui armaturam; ut per singula penè Libri Capitula, singula sint Auctorum nomina, in testimonium præsignata: quæ & lectoribus auctoritatem exhibeant, & meipsum à detrahentium immanitate defendant.

Itaque super vetus Testamentum hos habeo Auctores:

Mosem, Esaiam, Josephum, Danielem, & alios Prophetas: Jesum Sirach, David, Salomonem, Ester, Judith, Esdra, & Machabæos.

In novo autem Testamento, Auctores hos inducimus:

Omnes Apostolos, Clementem Papam, Dionysium Areopagitam, Origenem, Johannem Chrysostomum, Athanasium, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium: aliosque nonnullos Ecclesiæ Doctores.

Super historias verò Gentilium, habemus etiam

Josephum, Dionem, Strabonem, Orosium, Hegesippum, Svetonium, Solinum, Julium Aphricanum, qui prima Chronica conscripsit sub Marco Crasso.

De Chaldæis quoque habemus

Berosum, qui omnia Chaldæorum scripta defloravit.

De Ægyptiis, inducimus

Manethon Historiographum & Chronographum Ægyptiorum. Habemus etiam ab Ægyptiis, Mochum, Estium, & Hieronymum Ægyptium, Historiographos famosissimos.

Materia igitur totius Libri est, universum vetus & novum Testamentum, & universi Imperatores, Reges & Regna, quæ fuerunt vel sunt ab initio Mundi usque ad tempora nostra, quorum omnium notamus originem & finem, nomina, ætates, & gesta.

Sola

Sola itaque nomina Regnorum, ad majorem evidentiam, in præsenti prooemio duximus subroganda:

* *Babyloniorum Regnum,*	*Theutonum,*	*Senonum Gallorum,*
Assyriorum,	*Lombardorum,*	*Saxonum,*
Indorum,	*Hunnorum,*	*Suevorum,*
Ægyptiorum,	*Gothorum,*	*Siculorum,*
Argivorum,	*Visigothorum,*	*Cretensium,*
Lacedæmoniorum,	*Ostrogothorum,*	*Scytharum,*
Thessalorum,	*Anglorum,*	*Avarorum, hoc est Ungarorum priorum.*
Sicyoniorum,	*Britonum,*	
Lydiorum,	*Pannoniorum,*	*Vinulorum, qui sunt in confiniis Asiæ & Europæ, super Mæotidas paludes.*
Amazonum,	*Atheniensium,*	
Macedonum,	*Medorum,*	
Hebræorum,	*Trojanorum,*	*Vandalorum: &*
Græcorum.	*Romanorum, Regum & Consulum,*	*Sardorum Regnum.*
Italorum omnium,		*Item,*
Francorum,	*Sicamborum,*	*De Sibyllis vatidicis.*

Similiter post omnes Reges posuimus etiam historias Imperatorum; item omnium Pontificum Romanorum gesta, & annos, & menses, & dies, nominaque eorum: à Beato Petro, usque ad Venerabilem Urbanum Tertium Papam: & usque ad Dominum Imperatorem Fridericum Primum, & ad filium ejus Dominum Regem Henricum Sextum, feliciter. Amen.

* Ordo hic confusus.



EX GODEFRIDI VITERBIENSIS CHRONICO PARS DECIMASEXTA.

IMPERIUM TRANSFERTUR AD GRÆCOS.

De Maxentio Imperatore, filio Maximiani.



Ilites prætorii, Maxentium, de quo supra diximus, Maximiani Imperatoris filium, Romæ Imperatorem Augustum creaverunt. Cujus pater Maximianus, qui jam Imperii dignitatem reliquerat, quum audisset Constantinum Gallis imperare, transit in Gallias intendens Constantinum dolo circumvenire, qui à filia sua, uxore Constantini proditus, & à Constantino fugatus, in Massilia est occisus.

Galerius autem Imperator, dum in Christianos per decem annos persequutionem crudeliter exerceret, tandem à Domino castigatus, dissolutis introrsus visceribus, vermes superius eructabat. Desperatus itaque à Medicis, pœnas illiusmodi, judicio Dei, in ultionem sibi datas esse cognovit. Unde & à persecutione Christianorum jussit cessari. Ipse autem paulò post, cum eodem dolore vitam finivit.

Interea Maxentius Imperator Romæ nimiam severitatem in civibus exercebat. Atque inter alia facinora, uxores Senatorum, aliorumque nobilium Romanorum, violenter ad suam libidinem rapiebat, eisque publicè abutebatur. Ipsos Senatores, objecto eis falso crimine, proscribebat. Magicis artibus utebatur

A in tantùm, ut prægnantes fœminas eviscerari præciperet, & locum infantis in ventre prospiceret. Ibique factis præcantationibus magicis, futura sibi faciebat prædici. Igitur adversùs eundem sceleratissimum tyrannum Constantinus jam amicus factus Christianorum, cùm à Romano populo clam vocaretur, & ipse ad hoc præparasset exercitum, erat anxius atque sollicitus, quo modo sinè gravi hominum strage Maxentium vinceret. Nocte autem soporatus, signum Crucis igneo fulgore nitentis, ad Orientem per visionem in cœlo conspexit; atque admiratus quid hoc esset, dum causam perquireret, Angelos ad se audit loquentes: *O Constantine, in hoc vinces*.

B Mane autem facto, vocat ad se milites Christianos, & cognito, illud signaculum Christianæ Fidei fuisse, gavisus est valde super visione: frontem suam signo Crucis Christi munivit, seque futurum Christianum promisit, si victoriam obtineret. Orabat autem, ut sinè strage Romanorum civium, à Deo victoria præstaretur. In quo etiam Deus eum mirabiliter exaudivit.

Cùm enim Maxentius naves juxta pontem Milvium in modum muscipulæ, ad decipiendum ignarum militem callidè collocasset; Constantino autem jam in prœlio apparente, Maxentius de victoria omnino desperasset; citò, quasi spiritu dæmoniaco incitatus, urC gentibus hostibus ad pontem Milvium fugit, & in ipsa machinamenta navium, quæ hostibus præparaverat, repentè prosiliit; ibique in Tiberim submersus, vitam finivit. Nullus præter eum ex utroque exercitu legitur in eodem prœlio periisse. Quumque Constantino Romæ, cum ingenti gaudio pararetur triumphus, jussit non sibi, sed Domino Jesu Christo vi-

victoriam recognosci. Crucem autem in curru triumphali præcepit constitui & adorari. Postea Constantinus à Sylvestro est baptizatus. Quod autem de lepra ejus legitur, videtur apocryphum, quia in nullis libris authenticis, neque in Chronicis reperitur.

Nota, quòd anni à tempore Petri Apostoli, Principis Apostolorum, usque ad Sylvestrum Papam, sunt ducenti nonagintanovem, & duodecim dies. Melchiade autem Papa mortuo, successit Sylvester, à quo in Basilica Lateranensi baptizatus est Constantinus. Rursus etiam, sicut in multis ac diversis Chronicis legimus, sicut etiam Historia tripartita innuere videtur, ab Eusebio Nicomediensi Episcopo in villa, quæ dicitur Aquilona, rebaptizatus fuisse narratur. Tres quoque filios ejus postea eodem errore legimus deviasse.

Cætera de Maxentio versibus proponuntur. Alia plura de Constantino scribimus, quæ præsenti pagina supponuntur.

Constantinus factus Christianus, pacem omnibus Ecclesiis reddidit. In quo facto Licinius Augustus, collega ejus, consensit. Ambo itaque Imperatores communiter legem faciunt, ut Christus qui Urbem à tyrannide Maxentii liberavit, ab omnibus colatur. Item ipsi ambo, Galerio Maximino Imperatori, qui tunc Orientem tenebat, super eadem causa scripserunt. Galerius autem in tabulis æneis prius edictum perpetuum dederat, ut Christiani ubique punirentur. Recepto verò amborum edicto Imperatorum, consensit; & ne ampliùs pro Fide Christiana aliquis puniretur, per omnia loca scripto Imperiali præcepit. Reddidit etiam causam, quia Christiani quantò magis puniuntur, tantò plus crescunt. Mandat etiam, ut ad cultum Deorum nullus, nisi propria voluntate, cogatur. Post pauca, Galerius Maximinus Licinio Augusto, rupto fœdere, bellum indicit. Ex qua causa, multis tam Urbibus, quàm Provinciis profligatis, tandem venitur ad prœlium; ubi cùm Galerius exercitum suum fundi conspiceret, turpiter aufugit. Inde reversus ad propria, omnes Sacerdotes suos tanquam deceptores, interfecit. Postea cum gravissimis morbis à Domino se affligi perciperet, & mortem cerneret imminere, sera pœnitentia motus, Deum Christianorum confitetur, & pro eo scribit hoc modo:

„ Imperator Cæsar Galerius Maximus, Germanicus, Sarmaticus, pius, felix, invictus, augustus. Indesinenter curam Provincialium nostrorum gerentes, utilitatibus eorum consulentes, quæ ad commune & publicum bonum spectant, nunquam desinimus providere. Unde cognitum esse omnibus non dubito, quòd ex decreto Augustorum Imperatorum Diocletiani & Maximiani parentum nostrorum, ab officialibus Imperii prædæ & direptiones multæ sunt factæ. Igitur, ut in posterum omnis metus Christianis, & ambiguitas auferatur, hujus nostri edicti lege sancimus, ut omnibus hominibus innotescat, licere omnibus his, qui Christianam Sectam religione venerantur, per nostræ Indulgentiæ largitatem, ut unusquisque quemadmodum vult, & prout animo libet, religioni Christianæ solennitatique deserviat. Sed & domos orationum, idest Dominicas ædes, pro voluntate eorum permittimus. Illud etiam hac lege sancimus, ut si quæ domus, vel agri, vel qualibet prædia, ex bonis Christianorum antè Imperatorum jussionibus ad jus Fisci fuerint sociata: si qua comparata etiam ab aliquo sunt, vel distracta, vel dono donata, hæc omnia in antiquum jus Christianorum præcipimus revocari, & propriis Dominis universa restitui.

Respice lector, hæc fuit mutatio dexteræ Excelsi. Post hæc Galerius, propter diversos morbos ac diuturnos, luce oculorum privatus, finem vitæ recepit. Licinius autem Imperator, collega Constantini, qui priùs Christianis sese benignum exhibuit, omnes Christianos à palatio exclusit, & persequutionem omnibus intentavit. Contra quem Constantinus exsurgens, vicit eum prœliis diversis, primò in Pannonia, deinde sæpiùs terra marique devictum ad deditionem coëgit, tandemque occîdit.

Hic transfertur Imperium à Roma in Byzantium.

IGitur Constantino absque socio Monarchiam obtinente, Ecclesia diutissimè tribulata respirat, plena in omnibus pace recepta. Tunc Constantinus generalissimum fecit Edictum, ut per totum Mundum Christiana religio teneatur.

Tunc Imperator Sylvestro Romano Pontifici regalia insignia concessit; & ipse, ut majorem Ecclesiis daret quietem, Curiæ tumultum amovit, seque cum omni pompa sua Byzantium in regionem Græcorum transvexit. Ex qua donatione videtur Romanæ Ecclesiæ Roma cum Italia & Gallia fuisse à Constantino collata.

Imperii verò fautores asserunt, Constantinum non ita Regnum dedisse, sed Romanos Pontifices tanquam Summi Dei Sacerdotes, ob Divinam reverentiam in patres elegisse, ut ab eis debeant benedici, eorumque apud Deum orationibus adjuvari. Adjiciunt etiam approbationem; quia Constantinus cùm inter filios suos Orbem divisisset, uni dederit Orientem, alteri Occidentem, & tertio Prolemaidem cum Babylonia. Quam rem honestus Princeps non fecisset, si regna Occidentalia, cum quibus & Italia comprehenditur, Ecclesiæ contulisset. Theodosio etiam, aliisque multis religiosis Imperatoribus, Romam cum Regnis Occidentalibus in sortem venisse, ac tenuisse affirmant. Ad hæc, Imperiales disputatores Evangelia inducunt, ut illud; *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Item; *Dominus ipse tributum pro se, & pro Petro persolvit.* Paulus etiam dicit: *Cui honorem, honorem: quia omnis potestas à Deo est.* Hoc dicens ipse Paulus tunc non Petrum intellexit in verbo, sed impiissimum Neronem, qui totius Orbis tenebat Imperium. Introducunt etiam Augustinum dicentem: Quo jure possides villam? Divino aut humano? Divino * quia Domini est terra & plenitudo ejus. Si humano? Ergo à Regibus. Si dicis; Quid mihi & Regi? Respondet, Quid tibi & possessioni?

Ecclesiæ autem defensores, ita respondent: Christus Ecclesiam suam mundanis possessionibus, quæ regalia dicuntur, voluit honorari. Non est credendum, quòd Deus Ecclesiam suam, quam Sanguine suo redemit, cui misit Spi-

Spiritum Sanctum Paracletum de Cœlis, aliquo spiritu erroris decipi permisisset, ut ea quæ non debuit, possideret. Multi enim viri probatæ vitæ, regalia hactenus tenuerunt, qui cum his Regnum Dei acquisisse creduntur.

Aliis etiam modis quamplurimis posset probari, quòd & Constantinus Ecclesiæ regalia justè contulit, & Ecclesia licitè suscepit. Si enim quæritur; unde Reges hæc habeant? respondent; Dei ordinatione & electione populi. Quòd si Deus hæc tribuendo Regibus, injustè non fecit: quanto magìs justè fecit Deus ordinando, ut à Regibus, quibus ipse dedit, ad personam Ecclesiasticam transferrentur? Sicut Deus voluntatem populi ad ordinandum Regem sub uno consensu disponit; ita etiam Principis voluntatem ad largiendum Ecclesiæ regalia provocavit. Cor Regis in manu Dei. Omnisque potestas à Deo est. Ergo & Ecclesiæ potestas in terris à Deo est. Igitur & Deus Regem habere regalia, justè disposuit: & Princeps justè dedit Ecclesiæ, & Ecclesia licitè dignèque suscepit.

Ego autem, ut de sensu meo loquar; Utrum Deo magìs placeat gloria & exaltatio Ecclesiæ, quæ hoc tempore est; aut humiliatio quæ primitus fuerat? confiteor me ignorare. Videtur multis quidem primus ille status sanctior; iste felicior. Assentio autem Matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, quæ fundata est supra petram, idest Christum: Credo quod credit; sentio quod sentit; æstimo possidenda quæ possidet. Quòd enim Ecclesia nullo errore decipi possit, inde credendum est, quia portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Quòd autem fides ejus manet in æternum, inde credendum est, quia dixit Christus: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua*. Cætera super his quæstionibus, majoribus nostris solvenda relinquimus. Pauca tamen versificè adhuc de Constantino dicemus.

Item de eodem Constantino Imperatore, trigesimoquarto ab Augusto.

Rex Constantinus, si scribere vera velimus,
Verus Christicola fuerat sub tempore primo,
Novit & hoc Oriens, occiduusque sinus.
Annis bis denis, Rex cum diademate sedit,
Eusebius binis annis tunc Papa resedit,
Insuper & mensem, ter quoque quinque dies.
Sub Constantino Sylvester Papa notatur,
Fertq; quater senis, minus anno, Pontificatum,
Atque decem menses fert, totidemque dies.
Baptizavit eum Sylvester, idemque fatemur:
Arius hunc post hæc corrupit, & inde dolemus,
Schismate namque suo commaculavit eum.
Hoc fuit in villa, quam ritè vocant Aquilonam,
Quando rebaptizans fœdaverat ipse coronam,
Scripta Tripartita testificantur ita.
Præsulis Eusebii manibus Nicomediensis,
Turpe tulit lavacrumRex, turpia dogmata sensit,
Tres quoque filioli sic sapuere sui.
Rex Constantinus proceres in fraude Latinos,
Duxit ab Italia, fierique coëgit Achivos,
Constituens Romam rebus & arce novam.
Transtulit Imperium Græcis, tribuitq; favorem,
Dans alienigenis, quem Roma tenebat honorem,
Itala destituens, Græcula regna colens.
Cardinis Imperii tunc partibus enumeratis,
Terna tribus tribuit regalia climata natis,
Tresque tribus jubet his participare datis.
Occiduos primo, Græcos dedit ille secundo,
Ternus habetBabylon, Ptolemaidaq; jure rotundo,
Taliter instituit quicquid in orbe fuit.
Ipsis temporibus Crux sancta reperta levatur,
Helena sancta fuit, cujus studiis veneratur,
*Ut sit nomen latus * Crux benedicta caput.*
Cum Constantino Marcus quoque Papa resedit,
Cui binis annis populus Romanus obedit,
Octo sibi menses adde, decemque dies.
Inter Sylvestrum Petrumque dies numerando,
Colligo tercentos, minus uno circiter annos,
Si numerando decem jungo, duosque dies.

De tribus filiis Constantini, scilicet Constantio, Constantino, & Constante, trigesimiquinti ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini CCCXLI., Constantinus, filius Constantini suscipit Imperium, cum duobus fratribus suis, Constantio & Constante; XXXV. ab Augusto. Iste à quodam presbytero, Arii discipulo deceptus, in Arianam hæresim incidit. Arius eodem tempore ab Alexandro Episcopo, ab urbe Alexandria, propter suum errorem, erat ejectus. Eusebius autem Episcopus Nicomediæ, qui Ariano veneno erat infectus, Imperatori Constantino juniori suadet, ut Concilium celebretur, & Ario ibi audientia concedatur. Itaque tam Arius, quàm Alexander ad Concilium in palatium Constantinopolitanum vocantur. Ubi Alexander tota nocte in oratione persistens, causam Ecclesiæ Domino commendabat. Mane facto, Eusebius Arium ad Ecclesiam vocat. Qui dum eundo illuc, humanæ necessitatis causa, ad secessum declinat: justo Dei judicio, viscera quibus fœtidum errorem portabat, in locum fœtidissimum evisceratus, per inferiorem corporis meatum emisit, & mortuus est.

Fautores Arii cum pudore, & confusione fugerunt. Attamen rem gestam Imperatori celantes, per Eunuchos Cæsaris contra Catholicæ Fidei Doctores insurgunt.

Post paucos dies Alexander moritur. Cui Athanasius est substitutus: qui ferventis ingenii & in negotiis Ecclesiasticis vigilantissimus, non solùm contra Hæreticos subtilis, sed etiam contra Imperatorem stetit pro Ecclesia fortissimus agonista. Cujus virtutes & labores, & fructus, qui scire desiderat, legat Historiam tripartitam.

Constantinus dum contra Constantem fratrem suum bellum informat, juxta Alsam fluvium, non longè ab Aquilegia, à Ducibus ejus occiditur. Constantius, occiso Constantino, solus Orientem tenuit. Constans autem tenuit Occidentem. Itaque Hæretici Ariani, metuentes, ne fortè si Athanasius adeundi Principem acquireret facultatem, ipsum Imperatorem Catholica Fide ac Religione imbueret; ipsi ad Imperatorem priùs accedentes, circumveniunt eum, mentientes Athanasium esse virum sceleratum & flagitiosum, ostendentes ei manum cum brachio cujusdam Arsennii, quam dicebant Athanasium ad exercendam artem necromanticam, instinctu Dæmonum, à corpore ipsius Arsennii abscidisse. Ad hæc jussu Cæsaris, Synodus apud Tyrum congregatur: ubi Athanasio ducto in causa, astitit prædictus Arsennius, habens utranque manum: quo comperto, Hæreticorum mendacia cognoscuntur, & ipsi mirabiliter

liter erubescunt. Nec tamen Constantius Imperator, & ipsi Hæretici à persequutione Athanasii quiescunt; imò eum ad fratris sui Constantis Imperium transire compellunt. Ipse autem ab Imperatore Constante satis humanè susceptus, & honorificè habitus, & in cathedram suam postea potenter remissus est. Mansit autem tunc ibi in Ecclesia Treverorum, cum Maximo ejusdem Ecclesiæ Episcopo. In quo loco, Fidem Catholicam, scilicet *Quicunque vult*, scripsisse asseritur.

A

Eo tempore Liberius ab Imperatore Constantio, in exilium truditur, & Felix suus Diaconus, ei ab Hæreticis subrogatur. Inter hunc Liberium & Sylvestrum medius sedit Papa Julius. Iisdem temporibus Victorinus Rhetor, & Donatus Grammaticus, Romæ clari habentur. Floruerunt tunc in Ecclesia Dei gloriosi Pontifices, Paulinus Treverensis, qui Maximo successit, Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis, & Hilarius Pictaviensis: qui omnes propter testimonium Fdei Catholicæ in exilium tunc missi fuerunt. Ex quibus Hilarius scripturarum suarum variis monumentis Gallicanam Ecclesiam adornavit.

B

Constans Imperator adversùs Saporem Regem Persarum, vario eventu novem prœlia gessit. Novissimè autem indiscretè congressus, fugit; & postea in oppido Elenau, juxta Hispaniam, dolo Principis, nomine Magnentii, occisus est. Idem Magnentius apud Augustodunum invasit Imperium. In Illyrico verò milites quendam Veteranionem senem creant Imperatorem. Constantius interea fratrem intendit ulcisci; unde Veteranionem senem primò purpuram deponere compulit. Postmodum etiam cum eo acriter dimicavit. Magnentius autem victus apud Lugdunum, seipsum occîdit: & frater ejus Decennius, quem ipse in Gallia Cæsarem creaverat, laqueo seipsum suspendit. Cætera de tribus filiis Constantini Magni, & de Ario, pauca versificè ponimus.

C

Item de filiis Constantini, versificè narratur.

D

Cum Constantino Constans tenet omnia frater,
Catholicos qui persequitur tota feritate,
Regibus Eusebius Arianista placet.
Contra Catholicos dum disputat Arius arte,
Naturæ secreta petens, divertit ab arce,
Qua malè dum crepitat, viscera pressa crepant.
Præsul Athanasius, & Hilarius, absque ruina,
Ordine Catholico reparant modo dogmata prima,
Ordo quibus Cleri Catholicandus erit.
Constans cum fratre sedet annis bis duodenis,
Magna salus Cleri tunc Marcus Papa resedit,
Cujus & Ecclesiis regula dogma dedit.
Hic octo menses & binos perficit annos.
Bisque decem vixisse dies præsul venerandus
Fertur, & in populo mira dedisse suo.
Papa sedet Julius Constante sedente beatus,
Undenis Romæ tenet annis Pontificatum,
Ter ternos menses Papa decemque dies.
Constans cum fratre semper fuit Arianista.
Exilio Julium Papam transmisit ob ista,
Constans morte perit, Papa solutus erit.
Nunc quoque Grammaticæ summus Donatus in arte,
Hieronymo cum discipulo docet edere Partes,
Nos quoque discipulos condecet esse suos.

E

De Juliano apostata, Imperatore trigesimo sexto, ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini trecentesimo sexagesimo quarto, Julianus post Constantium suscepit Imperium ab Augusto trigesimus sextus. Constantius eum, dum adhuc viveret, creaverat Cæsarem; qui prius ab Imperatoribus fuerat clericus & lector ordinatus: sed postea à militibus seductus, cingulum militare suscepit.

Julianus à Constantio Cæsar creatus, cùm de Germanis & Alemanis magnificè triumphasset, elatusque de prosperis successibus in quoddam templum intrasset, corona, quæ ibi pendebat, cecidit fortè super caput ipsius: quo viso, milites per hoc signum prædicant sibi Imperium à diis auguriatum. Hoc itaque augurio, & priori prosperitate levatus Julianus, Imperii nomen usurpat, ac Fidem Christi omnino contemnit.

Constantius interea contra Persas parat exercitum, sed fraude Juliani comperta, Romam ad civile bellum revertitur: sed non pervênit, quoniam in ipsa via diem suum clausit, anno sui Imperii vigesimo quarto. Julianus igitur Augustus creatus, prima fronte quasi facta prædecessorum suorum arguens, præcepit ab exiliis Episcopos revocari; deinde arte potiùs quàm violentia Ecclesias debilitare intentat. Nam quasi religionis intuitu, dicebat Clericos à ludis, & à militia, postremò ab omni terrena possessione arcendos, tanquam eos, quibus lex Evangelica dicit: *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: Templa Paganorum præcipit aperiri; fastigia Imperialia * ut coqui, eunuchi, tonsores & cursus publicos equorum & mularum, tanquam philosophus imperat amputari. Lectionibus nocte vigilando atque scribendo, in die verò in Senatu scripta sua recitando operam dabat: unde & Philosophos prorsus amplexus, solus post Julium Imperator Philosophus dicebatur. Scriptis autem suis Imperatores suos prædecessores, & etiam Christianos, admodum lacerabat.

His diebus erant in Ecclesia Dei Episcopi religiosi & clarissimi, Miletus Antiochenus, Maris Chalcedonensis, Basilius Cæsariensis, Gregorius Nazianzenus. Ex quibus præfatus Maris Episcopus Chalcedonensis, dum Julianus Fortunæ sacrificaret, restitit ei in faciem: qui Philosophica moderantia usus suaviter arguit Episcopum, his verbis: *Neque Galilæus tuus te potuit à cœcitate curare*. Cui sic respondit Maris Episcopus: *Ego pro cœcitate mea gratias ago Deo meo, quia hoc in me propterea factum est, ut te impium apostatam non viderem.*

Item de Juliano.

JUlianus secundùm Pythagoram dicebat, in se spiritum Alexandri Magni requievisse. Ipse quoque, ad instar Alexandri, totum Orbem sibi subjugare pararat. Qua intentione dum cum exercitu ad expugnandam Persidem pergeret, & in eundo, Basilio Cæsariensi Episcopo, suæque Ecclesiæ minaretur post peractum bellum Persarum in reversione sua mortem inferre: ipse dum in prœlio vertitur, telo de cœlo misso penetratur: qui dum telum ab

ab alto contra se venire videret, non corde pœnituit, sed obstinatus Christo improperavit, dicens: *Vicisti Galilæe, vicisti*. Solebat enim Christum semper Galilæum, vel Nazaræum vocare.

Legitur autem in vita Sancti Basilii, quòd Deus Sanctum Mercurium, cujus arma tunc in Ecclesia Cæsariensi pro memoria ejus pendebant, in prœlium ad occidendum Julianum misisset. Nam & ipsa arma, in illa die in Ecclesia requisita, ibi non erant: die verò sequenti, in Ecclesia more solito sunt inventa, sanguine humano conspersa, & tanquam de prœlio nuper reversa. Quæ omnia inferiùs versificè posuimus, ut in eis lector magìs delectaretur. Verumtamen quia Porphyrius, & Calixtus, aliique ipsius Juliani fautores, sapientiam, pietatem, atque philosophiam ejus prædicant & commendant, & iniquitates ejus silentio prætereunt; nos, qui veritatem sinè adulatione, vel odio prosequimur, de Juliani flagitiis, subscripta ejus opera nefanda narramus.

Post mortem Juliani, simulachra, magica arte instituta & inventa, Socrates in Tripartita historia narrat, hæc dicens: *Quumque mortuus fuisset Julianus, & impio pius Imperator successisset, ingredientes Principes in templum, viderunt mulierem per capillos suspensam, extensas manus habentem*. Cujus uterum aperuerat Julianus, ut in hepate ipsius mulieris inspiceret, si de Persis posset victoriam adipisci. Hoc nefas inventum est in loco qui dicitur Carris. In Antiochia verò, plurimas arcas ajunt in palatio fuisse repertas, humanis capitibus plenas, & in puteis multorum submersa corpora virorum, unde & in Antiochia tam Christianos quàm Paganos in theatris & plateis de morte Juliani sceleratissimi, mirabili tripudio præfatus scriptor asserit exultasse. Jovianus tamen corpus Juliani in Tharso Ciliciæ honorificè sepelivit. Quod corpus, sicut in vita Sancti Fabiani legitur, Rex Persarum, Sapor nomine, jusserat excoriari, & de ipso corio, colore coccineo colorato, cathedram sibi ad opprobrium Romanorum parari. Cætera de Juliano versus insinuabunt.

Item de eodem Juliano Imperatore versificè demonstratur.

Clericus Imperium suscepit apostata Romæ,
Cui Julianus erat baptismatis ordine nomen,
Ille scelus patriæ, pravus ubique fovet.
Ipse Hierosolymis jam templa jubet reparari,
Jussit Hebræorum populos hinc inde vocari.
Lege facit Mosis sanguine thura dari.
Sic odio Christi, templum jubet ordine sisti,
Cùmq; parant templum prisca statione magistri,
Illico Judæis obviat ira Dei.
Templa tremunt, pavimenta ruunt, & tigna sub (illis
Ignibus è Cœlis pereunt exusta favillis,
Exiliunt lapides, area sola manet.
Igneus extemplo globus est emissus in illos,
Incendens homines, vestes, caput, atque capillos,
Astantesque viri jure cremantur ibi.
Hæc ne fortuitu mala provenisse putentur,
Signa Crucis confixa sibi gestare videntur,
Gestant Judæi corpore signa Dei.

A
Julianus Apostata divino telo necatur.

Rex abit ad Persas, ubi dum pugnare paratur,
Sancti Mercurii mucrone cadens penetratur,
Sicut & his titulis gesta reporto tibi.

Is morte ita præventus, non potuit efficere ea, quæ jam contra patriam Divi Basilii, & etiam contra ipsum Basilium decreverat.

Noverat ipse sibi bellum campestre parari,
Ad quod dum properat fertur plerumque minari,
B *Exitium patriæ Basilioque dari.*
Ibo reversurus, dixit, satagamque redire,
Basilium tunc Pontificem mandabo perire,
Et populum pariter me remeante die.
Territus antistes populum vocat, atque precatur,
Sancta Dei Genitrix patriam sibi quo tueatur,
Audit & in Cœlis verba sonare Dei.
Dixit enim Christus, Julianum perdite Regem,
Prorsus enim sanctam satagens disperdere legem,
Imperat ut populi dogmata sancta negent.
Mittite Mercurium, secum pugnare duello,
Quippe minatus erat si posset vincere bello,
Perdere tunc populum, Basiliumque meum.
Ensis in Ecclesia clypeusque manere solebat,
Quo bene Mercurius vivens sua bella gerebat.
Nunc ibi nec clypeus nec suus ensis erat.
C *Hæc quia sic desunt, potuit cognoscere præsul,*
Vindice Mercurio, Regem fore corpore læsum,
Sicut & audierat voce tonante Jesu.
Interea quidam vir de certamine venit:
Hic ait; advénit miles de culmine Cœli,
Mercurius, Regi vulnera letha dedit.
Arma per Ecclesiam populus dum bellica quærit,
Sanguine Regali poterant conspersa videri,
Quæ medio Cleri nemo videbat heri.
Sic per Mercurium Deus interimit Julianum,
In Sanctos Domini furientem more ferarum,
Sicut & in scriptis gesta priora canunt.

Julianus Imperator cruorem suum spargit
D contra Cœlum, Christo palmam præbens victoriæ.

Fluxit & à latere validus de vulnere torrens,
Quem manibus Cæsar spargebat in aëra longè,
Attonitusque magis, dum moreretur, ait:
O Nazarene, vicisti magne minorem.
Ecce triumphanti, proprium tibi reddo cruorem.
Sic miser interiit, tartara Regna fovens.

Item de Juliano, quomodo Rex Persarum fecit eum excoriari, sicut legitur in vita Sancti Fabiani.

Regis Romani cæsum corpus Juliani,
E *Persarum Rex more boum jubet excoriari,*
Cùmque sibi corpus protraheretur, ait:
Hoc corium nunc semper erit nobis ad honorem,
Fiat ut æterno sic Roma subacta pudore,
Legeque mancipii serviat ipsa mihi.
Sit species corii, rubeo vicina colori,
Indeque sit cathedra conformis, & apta decori,
Unde dolens poterit Roma dolore mori.
Post annos binos Juliani vita recedit,
Damasus Hispanus tunc Romæ Papa resedit,
Annos bis septem qui sibi fine dedit.
Hisque duos menses superadde, diesque decenos,
In quibus hæreticos detestatur Manichæos,
Post quoque Siricius Papa repressit eos.

A *Annis quindenis idem quoque Papa resedit,*
Mensibus undenis Manichæa volumina cædit,
Quos & ab Ecclesiis depulit ipse suis.

De Joviano Imperatore, trigesimo septimo ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini trecentesimo sexagesimo sexto, Juliano mortuo, & milite posito in summo discrimine, Jovianus natione Pannonius, vir Christianissimus, votis omnium petitur ad Imperium. Qui dum se Christianum esse, & ob hoc gentibus diceret se imperare non posse; ipsi se pro ejus amore Christianos esse firmabant.

B Jovianus itaque trigesimus septimus ab Augusto Imperator creatur. Iste propter pericula Romani exercitus fœdus cum Sapore Rege Persarum, Romanis quidem inglorium, sed tempori instanti perutile composuit. Ubi tradito quodam oppido, cum superiori parte Mesopotamiæ, milites cautè redeunt: deinde Princeps Catholicus, Episcopos à Constantio in exilium missos, revocavit, Templa Idolorum claudi præcepit, eorumque Sacerdotes fugavit.

Post hæc Athanasium Episcopum, ut eum Catholica Fide imbueret, scripto rogavit. Qui sub sigillo & consensu omnium Episcoporum Ægypti, scripsit, & misit ei Fidem C Nicæni Concilii: idest, *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem*, &c. Has literas Imperator gratanter suscepit, & Fidem Catholicam Edictis Imperialibus roboravit: & ut omnes, qui sacras virgines raperent, aut violarent, aut qui eas impudicè aspicerent, capite punirentur, mandavit. Postea eum in Antiochia Athanasius vidit, & de Fide Catholica pleniùs informavit.

Imperator autem in domo nuper calce delinita, quum essent prunæ appositæ, nocte suffocatus est, ætatis suæ anno trigesimo tertio, Imperii sui mense octavo.

Cætera versificè gesta referre placet.

D De eodem Joviano Imperatore, versificè subinfertur.

Gloria Romulei solii fit nunc Joviani,
Mente Deum coluit, nec culmine regnat inani,
Sicut & his titulis fistula nostra canit.
Dum rogat hunc populus Romanum sumere sceptrum,
Cultor, ait, Christi sum, vobis prorsus ineptus,
Christum credo Deum, vos reprobatis eum.
Cœtus ait: Cupimus propter te credere Christo,
Quem dudum reprobasse pudet pro Rege sinistro;
Idola despicimus; te duce præsto sumus.
Te decet Imperium, ubi nos diadema paramus,
Nos etiam jam Christicolæ te Rege notamur.
E *Suscipe dum petimus te, tibi nosque damus.*
Vita fit ipsius duodenis utilis annis,
Congrua Christicolis, multumq; nociva tyrannis,
Tunc quoque Siricii præsulis hora fuit.
Annis Siricius ter quinque sedere notatur,
Mensibus undenis plus temporis annumeratur,
Insuper & vitæ ter dedit octo dies.

De Phoca Cæsare, trigesimo octavo ab Augusto.

Phocas ter denis feliciter imperat annis,
Cum quo tres Papæ Romæ fuerant venerandi,
Primus Anastasius præfuit ille pius.
Annis hic binis sub Phoca Cæsare vivit;
Ad Cathedram Petri post Innocentius ivit,
Annis ter quinque præsul & iste fuit,
Atque duos menses, vigintiquinque diebus:
Tertius est Sosimus sub Phoca Cæsare præsul,
Viginti menses fert, totidemque dies.

De Valentiniano Imperatore, trigesimonono ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini trecentesimo sexagesimo septimo, Valentinianus cum fratre Valente, natione Pannonius, stirpe mediocri oriundus, animi verò & corporis magnitudine commendabilis, & moribus urbanus, ab Augusto trigesimus nonus, consensu militum in Nicæa sumpsit Imperium. Iste, dum Julianus Augustus templum ingrediens Fortunæ sacrificaret, ministrum sacrificii pugno percussit; propterea Julianus, cui talia displicebant, eum à militiæ dignitate removit. Deus autem justus Judex, qui dixit: *Centuplum accipies*: pro militia ei reddidit Imperium.

Valentinianus Valentem fratrem suum elegit ad Imperium. Anno Imperii sui quarto, Gratianum filium suum fecit Imperatorem.

Eodem tempore apud Atrebatas, vera lana cum pluviis mixta visa est è nubibus descendisse. Valentinianus Auxentio Mediolanensi Episcopo defuncto, convocata Episcoporum Synodo, suadet alium ordinari: ubi Ambrosius præsens, adhuc catechumenus, ab omnibus postulatur. Unde Imperator, eum baptismi gratiam primitus consequutum, præcipit Presbyterum ordinari. Interea Imperator Valens, cùm primitus Catholicus esset, suasu Eudoxii Episcopi Constantinopolitani, & ab uxore propria seductus, incidit in hæresim Arianam, & ad hoc jurejurando se alligavit, atque à præfato Episcopo Ariano est iterum baptizatus.

Eo tempore Valentinianus fortissimam gentem Saxonum, Francorum terminos invadentem, bello repressit. Ipse autem Imperii sui anno undecimo, apud Brictionem oppidum, diem obiit. Cætera de Valentiniano, versus habent.

Item de Valentiniano, versibus enarratur.

Imperat ecce Valens cum fratre Valentiniano,
Gothorum socii fiunt sub dogmate vano,
Arianista suis Cæsar uterque fuit.
Hos mala Gothorum lex, legibus auxit eorum,
Istria rura colunt, maculant diadema decorum,
Expoliant patriam, diripiuntque forum.
Annis undenis vixisse Valentinianum
Scribimus, & fratris annos quasi quinq; notamus:
Hæreticos ambos dicimus atque malos.
Nunc Cœlestinus ter ternis præsidet annis,
Adjicitur mensis, bis quinque dies numerandi,
De quibus in serie demitur una dies.
His quoq; temporibus stat Xistus Papa secundus,
Annis ter denis viget ejus dogmate mundus,
Plusque decem resides Præsul & octo dies.

De Valente Imperatore, quadragesimo ab Augusto.

ANno ab Incarnat. Domini CCCLXXIII. Valens, quadragesimus ab Augusto, Orien-

Orientis rexit Imperium. Gratianus autem, & frater ejus junior Valentinianus, in Occidente regnabant. Valens itaque (ut diximus) Arianus, legem dedit, ut Monachi ad militiam cogerentur. Unde multi Monachi per Ægyptum, terreni Regis contemnentes imperium; martyrio coronantur.

Valens per artem necromanticam perscrutatur, quis post eum sit regnaturus, arte dæmoniaca sunt ei literæ istæ quatuor demonstratæ, th. e. d. a. Ipse autem ab illo die, omnes quos istas literas in capite nominis potuit reperire, præcepit occidi. Unde factum est, ut Theodosius Comes, pater Theodosii, qui postea Imperium tenuit, ab eo præciperetur occidi. Qui priùs baptismi gratiam apud Carthaginem consequutus, percussori sponte jugulum præbuit. Interea Gratianus Imperator catholicus apud Argentarium Galliæ oppidum, cum pauco Romanorum detrimento, triginta millia Alemanorum bello prostravit.

Eo tempore controversia oritur in Regno Gothorum, inter Phridigernum & Athalaricum. Phridigernus cùm esset debilior, ab Imperatore Valente auxilio impetrato, Athalaricum in fugam convertit. Unde Phridigernus, amore Valentis Imperatoris cum gente sua fidem Arianam suscepit.

Gothicæ literæ hoc tempore fuerunt inventæ.

EO tempore Gulfias Gothorum Episcopus, literas Gothicas adinvênit, & per eas in suum idioma Literas Divinas convertit. Non multo post, tempore Gothorum elapso, gens terribilis Hunnorum advênit, quæ gens (secundùm scripta Jordanis, ipsorum interpretis & actoris) ex incubis & meretricibus est procreata, infra Mæotidas paludes, quæ sunt in confiniis Asiæ & Europæ. Hæc gens conductu unius cervæ transmeantis, transivit inaccessibiles priùs illas paludes. Ubi usque adeò gentem Gothorum perterruit, ut Rex Gothorum Hermanaricus, qui multas jam gentes devicerat, timore Hunnorum seipsum interfecisset, anno ætatis suæ CX. Gothi post mortem Regis sui Hermanarici, animo fracti, à Valente Imperatore petunt habitationes: quas Imperator eis largitur in Thracia, ubi Gothi à quodam duce ad convivium dolo invitati, cùm ipsi priusquam venirent dolum præsensissent, eos omnes qui eos invitaverant, morte consternunt, & tota ipsa regione, igne, ferroque destructa diffunduntur ubique. Contra quos Valens procinctum parans, ab Antiochia movens, pœnitentia ductus, Episcopos Catholicos præcipit ab exilio revocari. Pugna in Thracia inter Gothos & Romanos conseritur. Ubi dum Romanus fugit exercitus, Imperator Valens, sagitta sauciatus, in cujusdam parvissimæ villulæ casam fugit, ut latens vitam reservet. Quem insequentes Gothi, simul cum casa, igne consumunt, anno Imperii sui decimoquinto; post mortem verò fratris sui anno quarto. Mortuo Valente, Gratianus qui cum eo regnabat, cum fratre suo Valentiniano juniore tenet Imperium.

De Gratiano Imperatore, quadragesimo primo ab Augusto.

Cæsar Romanus diadema tenet Gratianus,
Tunc erat Ambrosius sub Christi dogmate clarus,
Martini Turonis extitit ampla salus.

Qui cupit Ambrosii per dogmata sanctificari,
Qui sibi Martini miracula vult numerari.
Non ego sufficio, viderit ille magis.
Annis bis ternis vixit Cæsar Gratianus,
Tunc Pontianum Papam vixisse notamus,
Hunc annis quinque menseq; stare patet.

De Theodosio Imperatore, quadragesimo secundo ab Augusto.

ANno ab Incarnat. Domini CCCLXXXIII. Gratianus (est autem Gratianus ab Augusto quadragesimus secundus) volens reipublicæ suo tempore subvenire, Theodosium, natione Hispanum, virum fortem & religiosum, purpura induit, & Imperatorem Orientis creavit. Theodosius tam virtute, quàm prudentia, gentem Gothorum devicit: & Athalaricum Regem Gothorum Constantinopolim ad se vocavit. Ibi tunc Athalaricus obiit. Gens autem Gothorum visa mansuetudine Principis, voluntariè se ipsam Imperio Romano supposuit. Theodosius Arcadium filium suum, socium Imperii elegit.

Gratianus à Maximo in Britannia Imperium usurpante, occiditur; & frater ejus Valentinianus ab Italia fugatur, qui ad Theodosium veniens, benignè receptus est.

Anno ab Incarnatione Domini trecentesimo octuagesimo octavo, Gratiano interfecto, Theodosius quadragesimus primus ab Augusto Imperium Romanum solus obtinuit.

Erant tunc in Ecclesia Dei viri sanctissimi, Martinus Turonensis Episcopus, Ambrosius Mediolanensis, Severinus Coloniensis Episcopus, Hieronymus Presbyter, Augustinus catechumenus, à Beato Ambrosio tunc baptizatus.

Theodosius contra prædictum Maximum tyrannum movens exercitum, in partibus Aquilegiensium occidit eum. Deinde cum filio suo Honorio parvulo, Romam vênit, ibique rempublicam ordinavit. Valentiniano Regnum Occidentis reliquit. Ipse autem Constantinopolim remeavit.

Porrò Valentinianus dum in Galliam revertitur, fraude cujusdam Arbogasti, & Eugenii (ut quidam asserunt) laqueo est suspensus. Eugenius ab Arbogasto Imperator ibi creatur. Quidam dicunt, Valentinianum præ nimio dolore, hoc genus mortis sibimet intulisse. Morte Valentiniani comperta, Theodosius in Eugenium tyrannum parat exercitum. Tunc etiam scripsit in Ægyptum ad Joannem Monachum, Eutropium Eunuchum, & eventum rei à viro ipso sanctissimo requisivit. Cui vir beatissimus, plenam victoriam promisit. Theodosius confisus in Deo, pergit, & Gothos contra tyrannos ante se præmittit. Quorum decem millia ab Arbogasto interimuntur: procedit Imperator, & quum in Alpibus hostibus occurrisset, ibique Arbogastus in eminentiori loco positus, ut meliorem pugnandi opportunitatem videretur habere, Theodosius tota nocte prostratus in precibus, manè in Domino confisus, congreditur, & gloriosè triumphat. Ibi Eugenius captus, occiditur. Arbogastus interfecit seipsum. Theodosius autem rebus omnibus bene dispositis, anno undecimo post mortem Valentiniani, apud Mediolanum vitam finiens, in Domino requievit. Cetera de Theodosio versibus explicamus.

Item de eodem Theodosio Imperatore, versificè narratur.

Fulget Theodosius diademate post Gratianum,
Concilium reficit Constantinopolitanum,
Arius insanus spernitur ore, manu.
Phanaq; templa ruunt nunc prorsus, & idola cessant,
Aria scriptura perit, igne manuque repressa,
Dogmata catholica Cæsaris aula parat.
Vixit Theodosius annis quasi bis duodenis,
Atque duos ultra Lucius tunc Papa resedit,
Tres annos vivit, mensibus octo sibi;
** Insuper adde decem pro ratione dies.*
Constantinopoli fertur caput esse Joannis,
Scriptaq; Hieronymi, quæ multis contulit annis,
Bethlehemita domus misit in omne solum.

Item de Theodosio & Arcadio Imperatoribus.

Arcadius cum Theodosio diademate fulget,
Ecclesiæ nunc Catholicæ censura resurget,
Ordo bonus Cleri nunc caput orbis erit.
Scribitur Arcadius annis quater octo sedere,
Cornelius Papa tres annos fertur habere,
Insuper adde decem de ratione dies.
Fama Joannis tunc claruit Anachoretæ,
Ut foret audita defunctis reddere vitam,
Constantinopoli sunt sua membra sita.

De Arcadio, & Honorio fratribus, Imperatoribus, simul regnantibus, quasi quadragesimus tertius ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini CCCXC. Honorius Occidentis, & frater ejus Arcadius Orientis, post mortem patris sui Theodosii sortiuntur Imperium, ab Augusto quadragesimo tertio loco; adhuc Damaso Papa Romæ, Theophilo in Alexandria, Joanne Hierosolymis, Flaviano Antiochiæ, & Nectario Constantinopoli præsidentibus.

His diebus quidam Monachus, nomine Dirimachus, ab Oriente Romam veniens, dum ludum gladiatorum tanquam insaniam sedare voluisset, à circumstantibus est lapidibus obrutus & necatus. Quo comperto, Honorius Imperator eum inter beatos Martyres censuit computari; & pro eadem causa, ludum gladiorum, ne ampliùs sic fieret, interdixit.

De Joanne Chrysostomo.

EO tempore Joannes Chrysostomus, qui interpretatur os aureum, apud Constantinopolim Episcopus est ordinatus. Temporibus Honorii & Arcadii, viri sanctissimi Martinus & Ambrosius de hoc seculo migraverunt.

Gothi, cùm ab Imperatoribus munera quæ tempore Theodosii accipere consueverant, habere non possent, consilio Ruffini patritii, discedunt à Curia, & Regem sibi creant, Ruffinus postmodum detectus, propter commissum dolum, ante portas urbis Constantinopolis decollatur: caput ejus cum manu & brachio ejus dextro, ad improperium & ludibrium per omnes vicos urbis circumfertur. Arcadius vir mitis & quietus, anno decimoquarto post obitum patris sui Theodosii, vitam finivit, & Imperium Orientis filio suo octenni Theodosio reliquit: Anthemio Præfecto tunc ipsum puerum regente. Ipse etiam Anthemius muro fortissimo regalem cinxerat urbem. Cetera de Honorio & Arcadio versus habent.

Item de Arcadio, & Honorio Imperatoribus versificè narratur.

Cæsar Honorius imperat omnibus Arcadiusque,
Magnus in Epiro legitur tunc signa dedisse
Præsul Donatus, forma beata patrum.
Namque sputo datur ille suo superasse draconem,
Expuit in faciem serpentis, ea statione,
Ut sibi nec virus, nec modò vita foret.
Ponderis in carne serpens datur hic habuisse,
Quod satis octo boum juga ducere non potuissent.
Tunc Augustini dogmatis hora fuit.
Nunc veniunt Hunni, Gothi, veniunt & Alani,
Væ fuit Hispanis, Gallia pressa cadit.
Tempore quindenis tunc vixit Honorius annis,
Simplicius Papa totidem tunc vixerat annis,
Addeque plus septem de ratione dies.

Honorius defuncto Arcadio imperat solus, quadragesimus quartus ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini CCCCXII. defuncto Arcadio, Honorius ab Augusto quadragesimus quartus tenet Imperium Occidentis. Gothi cum Rege suo Alarico, dum Honorius esset Ravennæ, per Dalmatiam & Venetiam digressi, in confinio Æmiliæ castremetantur; terram ad inhabitandum superbè ab Imperatore poscentes. Addunt etiam, quia si gratis habere non possent, ipsi ultro tollerent. Imperator accepto consilio, terram circa fines Hispaniæ, quæ tunc Imperio erat rebellis, tradidit eis. Ad quam possidendam dum Gothi proficiscuntur, Stilicus patricius, socius Honorii, eos fraudulenter insequitur, prœlioque cum eis commisso, militem perdit; ipseque ausugit.

Hac de causa Gothi ad iram permoti, ad Æmiliam unde venerant, subitò revertuntur; totâque ipsâ Provinciâ igne ferroque vastatâ, ad urbem Romam procedunt; quam etiam trepidantem irrumpunt, datisque præceptis, ne Ecclesiæ violentur, aliquantis Urbis partibus concrematis, prædam mirabilem tollunt. Interea Papa Innocentius, ne pœnas ipsius Urbis aspiceret, tanquam Loth justus remotus à Sodomis, Ravennæ morabatur.

His diebus Pagani improperabant Christianis, dicentes; Romam temporibus Paganorum crevisse, Christianorum autem tempore decrevisse, eique propter Christianitatem insolita pericula imminere. Ob quam causam, Beatus Augustinus tunc composuit Librum de Civitate Dei. Orosius tunc historias suas texuit. Hieronymus Ecclesiasticam historiam ab Eusebio Episcopo Cæsariensi compositam transtulit.

Hæc autem tam terribilis irruptio Urbis facta est per Alaricum Regem Gothorum, anno ab Urbe condita, millesimo centesimo sexagesimo quarto; Anno autem ab Incarnatione Domini quadringentesimo decimo quinto. In eadem præda Wandalorum, soror Honorii, Placidia, capta est, quam Ataulphus postea est in matrimonium sortitus.

Interea quidam Princeps Constantinus, Imperium Galliarum invadens, Constantem filium suum,

suum, Monachum, Cæsarem fecit. Sed paulò post, pater apud Arelatum, filius verò apud Viennam, Regno vitaque privantur.

Gothi autem Romanorum victoria glorificati, per Campaniam, Apuliam & Siciliam, in Aphricam ire proponunt. Quumque in confinio Bricториum incautè sese mari committunt, multos ex sociis perdiderunt. Rex Alaricus eorum, tunc ultimum diem clausit; quem Gothi in tantum luxerunt, ut amnem nomine Barentum, juxta civitatem Cosentiam, de alveo derivarent; ipsoque Rege Alarico cum multis militum copiis ibi sepulto, omnes captivos, qui hujus facti conscii erant, occiderent: & postea amnem ad suum alveum revocarent. Gothi propter mortem Athalarici redire proponunt, atque Ataulphum Regem sibi creantes, Romam redeunt, ibique ea quæ reliquerant, depopulantur. Ataulphus verò Rex Gothorum, amore uxoris suæ Placidiæ, quæ erat soror Honorii Imperatoris, à finibus Romanorum discedit, & in Gallia prope civitatem Narbonensem, ubi hodie Villa Sancti Ægidii dicitur, in loco qui usque hodie palatium Gothorum vocatur, consedit; supra Rhodanum fluvium; à quo loco per Constantium Comitem postea pulsus, in finibus Hispaniæ cum Gothis resedit.

His diebus sub Innocentio Papa, Corpora Sanctorum Stephani Protomartyris, & aliorum Sanctorum revelata sunt Luciano presbytero, sub Joanne Episcopo Hierosolymitano. Non multò post tempore, sub Bonifacio, qui Sozimo successori Innocentii fuerat substitutus, Hieronymus presbyter obiit, anno ætatis suæ XCI. in Bethlehem. Defuncto Papa Bonifacio, Cœlestinus sedit in Urbe. Hucusque Orosius Chronica sua perduxit.

Honorius Imperator trigesimo primo Imperii sui anno (quorum annorum, duos cum patre, tredecim cum fratre, reliquos cum filio fratris sui regnaverat) Romæ obiit.

De Honorio & Theodosio Imperatoribus, versificè.

Rursus Honorius & Theodosius imperat aula,
Gothica pessima gens rapit omnia flumine Sauna,
Wandalus Hispanos opprimit ense malo.
Occupat, & captam violat gens Gothica Romam,
Destruit Ecclesias, torpescit in Urbe corona,
Omnia diripiunt quæ valuere bona.
Rex triginta tribus Theodosius imperat annis,
Tunc non pervixit præsul Sisinnius annum,
Præstat parva decem vita duosque dies.

Item de Theodosio juniore Imperatore, quadragesimo quinto ab Augusto.

ANno ab Incarnat. Domini CCCCXXVI. Theodosius junior, quadragesimus quintus ab Augusto, patruo mortuo solus habet Imperium. Hujus virtutes in Tripartita historia, omnibus suis prædecessoribus præferuntur. Inter quas & hæc commemoratur; quòd, ad instar Alexandri Magni, dum in exercitu fervore solis, & pulveris, atque itineris nimietate fatigatus, nimia siti laboraret, poculum aquæ jucundissimum sibi oblatum, ne ipse præ aliis solus haberet potandi refectionem, bibere recusavit.

Tempore istius floruerunt Joannes Cassianus Eremita, qui Collationes, idest vitas patrum conscripsit. Et Sanctus Germanus Altisiodorensis Episcopus.

Hucusque Theodoricus Episcopus, & Socrates, & Sosomenus viri disertissimi, historias produxerunt; quæ postmodum in unum volumen redactæ, & à Cassiodoro Senatore, per Epiphanium Scholasticum, à Græco in Latinum translatæ, à tribus memoratis auctoribus Tripartitæ historiæ sunt nominatæ.

Tempore istius Imperatoris Theodosii junioris, Wisogothi, idest Australes Gothi, habitabant in Galliis. Ostrogothi verò, idest Occidentales Gothi, ex quibus Avares, idest Ungari, Pannonii & Longobardi descenderunt, transeunt Danubium. Ostrogothi priùs in Pannonia fuerunt commorati, postea in Thracia per XLVIII. annos habitaverunt; deinde ad Occidentem venerunt.

Wandali autem sociatis sibi Germanis, cum Duce Modigisilo, Hispanias occupaverunt.

Eo tempore Bonifacius Comitatum Aphricæ ab Imperatore accepit; qui in Hispaniam transiens, Wandalis totam Aphricam subjecit: qui universam terram vastantes, urbem Hipponensem, cui tunc præerat Beatus Augustinus, obsidione præcingunt. Beatus autem Augustinus, ne urbis suæ videret excidium, migravit ad Dominum, ætatis suæ anno septuagesimo sexto. Romani autem tradentes Wandalis tertiam partem Aphricæ, pacem cum eis fecerunt. Rex autem Wandalorum Gensericus Arianus, Christianos affligens, Episcopos in exilium misit; & invadens Carthaginem, multis divitiis & ornamentis Ecclesiasticis spoliavit.

Anno Imperii Theodosii junioris trigesimo, terræmotus horribilis Constantinopoli fuit; propter quem ibi Divinæ cōmutationis cantatū est primitus: Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἰσχυρὸς ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς: hoc est Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis. Hoc canticum dum à toto Populo, cum Proculo suo Episcopo caneretur, illico terræmotus cessavit: unde ab Imperatore, & sorore ejus Pulcheria, tunc præceptum est promulgatum, ut hoc canticum per totum Orbem de cætero caneretur.

De Atila, & ejus origine.

HIs diebus Atila Hunnorum Rex, occiso fratre suo Bleda, Thraciam & Illyricum cœpit vastare. Cui Theodosius, datis septem millibus libris, promissis etiam singulis annis mille libris, à suis finibus exire persuasit: Ipse verò Theodosius, paulò post apud Constantinopolim diem suum finivit, XLI. Imperii sui anno; anno autem post mortem patrui sui vigesimo sexto. Cætera de Theodosio isto versus narrabit, & alia sibi contemporanea.

De eodem Theodosio Imperatore, versificè narratur.

Theodosio solo regnum retinente minore,
Transit ab Hispanis gens Vandala plena furore,
Aphrica conteritur, totaque capta dolet.
Catholicus fuerat populus qui dicitur Apher,
Aphrorumque fidem subvertit Vandalus acer,
Unde Fides Christi pauca remansit ibi.

Quo-

A

Quomodo Diabolus apparuit Judæis in specie Mosi.

Sub specie Mosi loquitur nunc dæmon Hebræis,
Devotè qui suscipitur satis à Pharisæis,
Qui dare dona Dei pristina spondet eis.
Insula Creta fuit, cui prædicat ille futura,
Omnia quæ narrat, promittit eis valitura,
Spondet eis patriam conciliare suam.
Per mare transite, sicco pede (dixit) abite.
Atque Hierosolymam, me præveniente, redite,
Omnia quæ scribi vultis, habetis ibi.
Quumque per æquoreos fluctus conducit Hebræos,
Turba simul sequitur, spes magna fovet Pharisæos,
B
Impetus æquoreus quamcitò claudit eos.
Parsque reservata, quam non maris obruit unda,
Fit citò Catholica Christi baptismate munda,
Cætera quæ periit piscibus esca fuit.

De Martiano & Valentiniano Imperatoribus, quadragesimis sextis ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini CDLIII. Martianus consilio Pulcheriæ sororis Theodosii jam defuncti, XLVI. ab Augusto, Imperium Orientis suscepit: adhuc regnante Valentiniano in Occidente, qui erat XLV. ab Augusto. Martiano igitur & Valentiniano Imperatoribus, Atila Rex Hunnorum, subjugatis sibi fortissimis gentibus Ostrogothorum, & Gepidarum, aliisque diversis populis, totam Macedoniam, Mysiam, Achajam, & Thraciam pervagatur. Odiebat autem Atila Romanos, propter antiquam eorum dignitatem. Odiebat etiam Wisogothos, propter eorum fortitudinem: utrosque etiam opprimere intendebat. Sed ambas gentes simul invadere, Romanos scilicet, & Wisogothos, non volebat: timebat enim, ne adversùs eum utrique sociarentur, unde & eos per suam versutiam ab invicem sejungere, & in alterutrum concitare conabatur. Proinde Valentiniano Romanorum Imperatori in dolo scribebat, se contra Romanos agere nolle, sed contra Wisogothos. Scribebat etiam Wisogothis, nihil contra eos agere, sed contra Romanos.

C

D

Eutius autem tunc patricius Romanorum, fraudem Atilæ præcognoscens, Theoderico Regi Gothorum ex persona Valentiniani Imperatoris scribit; monens diligenter, ut contra Atilam immanissimum tyrannum, totiùs Orbis invasorem, ipse cum Romanis conveniret. Igitur Atila indicit Wisogothis bellum. Wisogothi autem per Legatos rogantes Romanos, Eutium patricium accipiunt in auxilium. Hic Eutius autem, ascitis sibi Francis, & Sarmatis, & Burgundionibus, Saxonibus, Ripariolis, Brionibus, multisque Celticis ac Germanicis nationibus, Wisogothis succurrit.

E

Atila verò cum Aldarico Rege Gepidarum, & Vialamire Rege Ostrogothorum, innumerisque Regum nationibus movet procinctum. Itaque in campis Catalauniæ uterque exercitus sedet. Atila in interioribus visceribus pecorum per Pythones eventum rei perquirit; seque vincendum intelligit. Sed ex altera parte Principem omnium potentiorem esse casurum, in fœdissimis præsagiis auguriisque præsensit. Atila pugnam aggreditur, Romani tunc eminentiorem locum habebant. Itaque ab hora nona usque in noctem, acerrimum bellum protenditur. Theodericus autem Rex Wisogothorum, sicut Atila in auguriis præviderat, in bello occubuit. Atila verò in fugam versus, victum se prodidit, sed noctis beneficio potuit occultari. Mane facto, Wisogothi Regem suum requirunt; sed mortuo invento, iterum in hostes irruere cum Thurismundo filio Regis occisi disponunt.

Eutius autem patricius, timens, ne fortè, si Hunni penitus delerentur, Gothi extunc in nimiam gloriam elevati, Romam opprimerent, dicit ad Thurismundi filium Theoderici: Si fratres tui mortem Regis cognoverint, regnum invadent. Tu ergo velociter domum revertere, ne in solio regni debeas à fratribus præveniri. Taliter à patricio seductus juvenis, relictis hostibus, domum festinanter abivit. Deprehensum est postea, quòd Atila viribus suorum destitutus, de subselliis suorum ignem sibi magnum præparaverit. In quem, si in eum hostes irruerent, volebat immergi. Refert eorum scriptor Jordanis, quòd in eodem famosissimo prœlio ceciderint 165000., ex utraque parte; exceptis 15. millibus, qui in congressu Francorum & Gepidarum priori nocte corruerunt.

Thurismundus occiso Theoderici Regis filio, à suis Rex creatus, consilio Eutii patricii Tholosam civitatem suam ingreditur.

Atila recedentibus Wisogothis, securus jam factus, versùs Romam iter convertit, & in via obsidione cingit urbem Aquilegiam, Metropolim Venetiarum. Quam longo tempore obsessam, cùm vincere eam se posse non crederet, atque de recessione jam cogitaret, quadam die circa muros urbis deambulans, videt ciconias pullos suos parvulos ex nidis extra civitatem portantes. Ubi advocans milites ait: Istæ aves futuram civitatis cladem perpendunt, propter quod etiam filiolos exportaverunt. Hæc ajens, milites ad eversionem loci fortiùs animavit. Unde instructis machinis, variisque tormentis, urbem repentè devicit, & usque adeò desolavit, ut prioris formæ ædificii vestigia non valeant inveniri. Asserunt multi, quòd urbem vacuam invenerit: quia cives per mare, quod est eis contiguum, reliquias Sanctorum in Venetias, cum omni suppellectile, navigio detulerunt. Ibique deinceps perpetuò habitantes, Veneti, quasi advenæ sunt nominati. Unde inter Gradenses, qui priores ipsius loci habitatores, & Aquilejenses, de Patriarchatu usque hodie controversia versatur.

Exercitus Atilæ ibi tantus fuit, quòd suis clypeis aggerem ad similitudinem rotundi montis, ob futuram memoriam Atilæ, comportavit. Alii verò dicunt, eum per Cæsarem Julium fuisse congestum. Ego Gotfridus montem illum vidi meis temporibus bene munitum & inhabitatum.

Atila postmodum talibus elatus eventibus, omnes Venetias circumeundo vastavit. Atque in Liguriam procedens, Mediolanum & Papiam crudeli animadversione depopulatus est. Atila de Liguria tendit Romam, cui Leo Papa longè occurrit: &, ne Urbi noceat, precibus impetravit. Illud etiam Atilam ab Urbis accessu maximè refrenavit, quòd Alaricus, prior Rex Gothorum, postquam Romam expoliavit, subitanea morte decessit. His itaque de causis Atila frenum retro convertit, & ad propria remeavit.

In-

Interea Valentinianus, virtutem Eutii præfecti æmulatus, eum cum Boëtio Senatore, præcepit occidi. Eapropter & ipse paulò post ab inimicis est interfectus, anno Imperii sui trigesimo. Quo mortuo, Maximus uxorem ejus Eudoxiam sibi copulavit, & Imperium usurpavit. Deinde Gisericum Regem Vandalorum ad Urbem vocat. Romani, Vandalorum adventu perterriti, ulciscuntur in Maximum, eumque necantes in minutissima frusta decìdunt. Ipsi autem metu Vandalorum fugientes, Urbem relinquunt.

Gisericus Rex, Urbem quasi vacuam ingreditur. Papa Leo ingredienti occurrit in porta, eumque ab incendio Urbis, & occisione civium abstinere precatur. Rex barbarus Urbem ingressus, omnem prædam rapuit, Eudoxiam cum duabus filiabus abduxit: atque per dies XV. in Urbe moratus, ab incendio & occisione civium abstinuit, sicut Papa rogavit. Facta est hæc secunda ab Alarico Romanæ urbis captivitas, per violentiam Vandalorum, anno ab Urbe condita MCCIV. Postea Gisericus filio suo Transmundo filiam Valentiniani Principis in matrimonium copulavit.

Atila verò ab Italia in patriam reversus, nuptias celebrat, & eadem nocte per fluxum sanguinis de naribus inebriatus expirat. Iste est Atila, metus Orbis, flagellum Dei, superbus incessu, oculos furiosos circumferens, amator belli, manu propria temperatus, consilio validus, supplicantibus exorabilis, propitius cunctis in fide receptis: forma brevis, pectore lato, minutis oculis, capite grandiore, rara barba, canitie consperſus, simus naso, colore tetro.

Undecim millium Virginum tempus, & martyrium.

AUthor Jordanis scribit, in exercitu ejus fuisse quinquies centum millia. Atila undecim millia Virginum apud Coloniam simul martyrio coronavit. Nicasium Episcopum Rhemis occìdit. Martianus Imperator paulò post à suis fraude necatur, anno Imperii sui septimo.

Item de eodem Martiano Imperatore, versificè narratur.

Nunc Cæsar Martianus stetit ordine primus.
Nunc Rex Gothorum dat prælia Theodericus,
Quem timet Italicus pro feritate situs.
Obtinet Hispanos, belloque premit Catalanos,
Siciliæque Pharo posuit tentoria pravo,
Omnia diripuit vulnere, Marte, manu.

De Papa Leone.

Sex annis Martianus vixit numerandis,
Primus Papa Leo viginti præfuit annis.
His menses denos jungite, bisque duos.

De Simplicio Papa, & Felice.

Simplicius Romæ post primum Papa Leonem
Suscipit Ecclesiæ dignè recolendus honorem,
Annos quindenos vita beata fovet.
Adde dies septem, quibus hic non vixit ineptè.
Felicis Papæ post annos exprime septem,
Undenos menses, octo decemque dies.

A *Tempore Felicis fuerat Rex Theodericus,*
Impius, impatiens, Gothorum ductor iniquus,
Nomine Christicola, re scelerosus erat.

De Gelasio Papa.

Gelasius Papa stat tempore Theoderici,
Et sub Zenone Gothorum dogmata vicit,
Annis bis binis, mensibus octo fuit.
Ter ternosque dies detulit ad requiem.

De Leone Bissa Græcorum Imperatore, quadragesimo septimo ab Augusto.

B ANno ab Incarnatione Domini CCCCXL. Leo Bissa apud Constantinopolim Orientis suscepit Imperium, XLVII. ab Augusto. Qui filium suum Leonem, socium Imperii elegit: Occidentis verò Imperium Mauronianus apud Ravennam accepit, qui juxta Tastonam civitatem, quarto Regni sui anno occisus est. Post hunc Severus sinè jussu Augusti apud Ravennam tunc Regnum invasit. Qui etiam quarto anno Romæ diem obiit. Leo Imperator Zenonem, generum suum, Orienti præfecit. Leo Imperator cum Ostrogothis pacem componens, Theodericum filium Theodemari (scilicet Veronensis) de quo Theutonici sæpissimè miram narrant audaciam, obsidem recepit cùm octo esset annorum. Leo Leonem filium Zenonis generi sui, qui Orientem tenebat, Imperatorem fecit. Ipse autem obiit undecimo Imperii sui anno. Zeno Imperator Orientis Romam veniens, à populo, & à Senatu gratanter receptus est.

C

De Zenone Imperatore, quadragesimo octavo, ab Octaviano Augusto.

ANno igitur ab Incarnatione Domini CCCCLXXVI. Zenon, natione Isaurus, quadragesimus octavus ab Augusto, Imperium sortitur. Porrò Occidentale Imperium, id est Romanum, nepos ejus tenuit. Quo à Regno pulso Orestes patricius filium suum, Augustum dicendum, Imperatorem Occidentis creavit.

D

Interea Odoacer, natione Rutenus, ex ultimis finibus Pannoniæ, cum Turcilinguis, & Cyris, & Herulis gentibus, ad invasionem Romanorum movit exercitum. Cui dum Orestes patricius in terminis Liguriæ occurrit, visa manu ejus, perterritus fùgit, & in Ticinum se contulit. Quem Odoacer insecutus, capta urbe, occìdit, atque inde per totam Italiam milite fuso Regium nomen usurpat. Iste Odoacer, à terra sua egressus, dum per inferiores Noricas partes, vel Pannoniæ superiores, transiret, virum Dei Severinum, Ravennatem Episcopum, qui verbum Dei prædicans, ad radicem montis cellam construxerat, adiit; eumque de eventu rerum consuluit. Qui spiritu prophetiæ, omnia quæ post evenerunt, ei prædixit.

E

Augustus (proprium nomen est) prædictus, filius Orestis patricii, patre suo, eodem scilicet patricio, jam occiso, & patriâ captâ ac devastatâ, Imperialem Purpuram sponte deposuit, undecimo mense Regni sui. Odoacer, jam nullo sibi resistente, urbem Romam ingreditur ut hostis, sibique subjectam tanquam Rex ubique disponit. Postremò, tota Italia servitio suo per quatuordecim annos man-

A

mancipata fuit, & tanquam dominus eam gravi servitute depressit. Cætera de Zenone versus habent.

Item de Zenone Imperatore, versificè narratur.

Zeno pater patriæ dum Regna paterna teneret,
Inclytus ejus erat Leo filius, unicus hæres,
Militia validus, prælia sæpe gerens.
Ille necem quæsisse patris, falsò reputatur,
Zeno pater cui dicta patent, jubet ut moriatur,
Mater ab oppositis obviat arte satis.
Carcere detento mater tristissima nato.
Curat ei similem juvenem supponere fato,
*Filius evadit clam, sed * ille cadit.*

B

Æstimat ergo pater morti succumbere natum,
Servat eum mater, ficta specie monachatum,
Annis ter quinis clausus habetur ibi.
Filius ipse Leo vulgi ratione vocatur.
Præcipitur: quicunque Leo dictus moriatur,
Permanet edictum cum feritate ratum.
Annis quindenis dum sic Leo clausus habetur,
Astrologus cum Grammaticis satis arte docetur,
Philosophus juvenis totus in arte fuit.
Nutrit avem mater, humano more loquentem,
Plangere quæ didicit juvenem, cum matre dolente.
Heu Leo, mi nate, gloria nostra jacet.
Victima Paschalis Zenone sedente paratur,
Psittacus in medio plangit, luctus renovatur,

C

Heu Leo, dixit avis, cur Leo nate peris?
Claro sermone dum nominat ipse Leonem,
Corda ducum pietate movet, renovatq; dolorem,
Et Regina sedens, plorat ut ante solet.
Zeno miratur, cur turba ducum lachrymatur
Quærit, & iratus, quæ causa, quis ille reatus,
Qui modò primatum turbat utrumque latus?
Mater ait; cognosce magis, te Zeno timeri,
Cur plorat, cur turba dolet, timet ipsa fateri,
Noscere si mavis, jam tibi narrat avis.
Zeno refert, tu (quæso) mihi monstra rationem,
Quem juvenem deplorat avis tua, quemve Leonem.
Viscera namque mea psittacus iste movet.

D

Edictum quod protuleras (ait illa) recedit,
Te solum, si fortè velis, sententia lædit,
Esse mihi licitum dicere, Zeno dedit.
Nosce tuum natum falsò damnasse relatu,
Vivere monstratur qui creditur esse necatus,
Tu pater, hic natus, me genitrice datus.
Pulchrior est Venere, sapiens, validissimus armis,
Summis Principibus charus, spes unica parvis.
Quem decet Imperium jam retinere tuum.
Si cupis ergo duces Paschalia festa tenere,
Me mihi, vel tibi te lætum si quæris habere,
Ablue peccatum, rem pietate gere.
Esto pater, feritate carens, serva rationem,
Mitte pater, natum dignare vocare Leonem,
Ipse Deus jubet hoc, Curia tota monet.

E

Cessat ut illa loqui, primatum Curia surgens,
Dat pedibus prostrata preces, Regemque perurgent,
Tum prece, tum lachrymis, gaudia ferre suis.
Motus ad ista pater, dum Curia tota rogaret,
Esse mihi natum, dixit, non ipse putarem,
Sileo nunc, vivit, opto petita dare.
Annis bis denis, Zenonis gloria sedit,
Alter Anastasius tunc Romæ Papa resedit,
Annus ei spatium solus in orbe dedit,
Undenos menses, vicesiesque diem.
Symmachus est Papa cum Principe Theoderico,
Sedit & Hormisda sub eodem præsul iniquo,
Nunc & Anastasii Cæsaris hora venit.

De Anastasio Imperatore, quadragesimo nono ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini CCCCXCI post primum Regem Francorum Pharamundum, regnabat super Francos Clodovæus, cujus tempore Zeno Imperator moritur, anno Imperii sui XVII. cui succedit Anastasius XLIX. ab Augusto. Conjugem autem accepit Ariadnem.

Regnante igitur Anastasio in Oriente, Theoderico verò Ariano Romam premente, Symmachus & Laurentius pro Papatu in Urbe contendunt; cui controversiæ cum effusione sanguinis multorum tam Clericorum, quàm Laicorum, tribus annis protelatæ, Theodericus, Synodo vocata, finem imposuit. Nam Symmachum, saniori consilio electum, in Papatu firmavit; Laurentium depositum, in civitate Lucerna fecit Episcopum. His temporibus Rex Vandalorum Transmundus, Giserici filius, propter Fidem Catholicam CCXX. Episcopos in Insulã Sardiniam exilio tradidit.

Ipsis diebus in Africa quidam Olympius Arianus, sedens in balneo, dum superbè blasphemaret in Christum, igneo gladio est de Cœlo percussus. Alius quidam cùm ab Ariano quodam Episcopo baptizaretur, dicente ipso Episcopo, Baptizo te in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto: illico aqua tota de fonte disparuit. Hoc viso, is qui baptizandus erat, ad Catholicam Ecclesiam confugit, & Baptismum suscepit.

Interea Imperator Anastasius Clodovæo Regi Francorum per epistolas obtulit Consulatus ordinis dignitatem. Ipse verò Imperator ab hæresi Eutychiana propter admonitionem Papæ Hormisdæ non recedens, Imperii sui anno vigesimo octavo fulmine ictus, interiit. Clodovæus autem Rex Francorum, anno trigesimo Regni sui, vita decessit, & Lotharium filium suum, cum tribus aliis filiis reliquit, qui Regnum inter se diviserunt.

Item de Anastasio Imperatore, versificè narratur.

Cæsar Anastasius per Gothos bella perurget,
Hæreticus Theodericus nunc opprimit Urbem,
Nec potuit Gothos tollere Marte suo.
Nunc duo Pontifices ipsis patuere tyrannis,
Laurentius Symmachusq; sedent plenis tribus annis,
In quibus errorem Gothica turba fovet.
Catholicas nunc Ecclesias gens Vandala claudit,
Cujus & errori Regio devicta subaudit,
Fana per Ecclesias Arianista parat.
Transmundus Rex ipsorum feritatis amicus,
Pontifices dedit exilio transgressor iniquus,
Centum Pontifices carcere Sardus habet.

Miraculum in blasphemum Arianum.

Blasphemare Deum dum cernitur Arianista,
Fulgure de Cœlis mox lingua peruritur ipsa,
Hæc ubi lingua luit, cætera turba fugit.

Miraculum in baptismo Ariani cujusdam.

Dum baptizare quendam cupit Arianista,
Unda parata sibi subitò disparuit ipsa,
Obstupuit juvenis, consuluitque sibi.

De Justino Imperatore, quinquagesimo ab Octaviano Augusto.

ANno ab Incarnat. Domini CCCCCXIX. in Francia regnante Lothario, filio Clodovæi, cum tribus fratribus suis, Justinus senex, natione Isauricus, vel Illyricus, quinquagesimus ab Augusto, suscepit Imperium, consentiente Senatu.

His diebus Rex Hildericus, filius Transmundi, quem mater ejus Eudoxia docuit esse Catholicum, universos Episcopos in exilium à patre suo relegatos benignè revocavit.

Justinus Imperator etiam zelo Catholicæ Fidei Hæreticos persequebatur: ad quem Theodericus Arianus Joannem Papam transmisit, denuntians, quia nisi Justinus à persequutione Arianorum cessaret, ipse Christianos vellet affligere. Justinus, precibus Papæ Joannis inclinatus, assensit, ipsumque Papam cum honore dimisit; quem Theodericus & Boëtium priùs necari præceperat; propter quæ scelera, Theodericus ab hac luce subitò raptus, Imperii sui XXX. disparuit: & juxta dialogum Beati Gregorii, à quodam Sanctissimo Eremita visus est, à Joanne Papa & Symmacho, quos ipse occiderat, in Ætna monte corporaliter in ignem præcipitari. Quod autem quidam dicunt, ipsum Theodericum fuisse Hermenrico Veronensi, & Atilæ contemporaneum, non est verum. Constat enim, Atilam longè post Hermenricum fuisse, Theodericum etiam longè post mortem Atilæ, quum esset puer octennis, Leoni Imperatori in obsidem datum fuisse. Theodericus dum ei mors immineret, filium filiæ suæ Amalsiundæ, nomine Athalaricum, puerum decem annorum, Gothis Principibus commendavit, cui & Imperium tunc Romæ reliquit; exorans Gothos, ut Senatum & Populum Romanum diligerent, & Principem sororis suæ Justiniano relinquens Imperium, octavo Imperii sui anno migravit à seculo.

Item de eodem Justino Imperatore, versificè narratur.

Justinus senior meruit nunc sede levari,
Jussit Pontifices & ab exilio revocari,
Ecclesias aperit, flumine, rure, mari.
Justinus septem feliciter imperat annis, (nis,
Tempora nunc venient Papæ numeranda Joan-
Hic annos binos vixit in orbe suo.
Addere ter ternos menses curemus ad annos
Octo, decemque dies, etiam ratione notandos.
Nunc quoq; Gothorum fervet in orbe dolus.

De Felice Papa.

Tertius est Felix Justini tempore Papa,
Quatuor annorum cui tempora sunt reputata,
Insuper & menses tres ratione vacant.

De Papa Bonifacio.

Et Bonifacius est Justini tempore præsul,
Annorum cui binorum vix tempus habetur,
Vigintique dies dant sibi digna quies.

Tom. VII.

De Justiniano Imperatore, quinquagesimo primo ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini DXXVII. Justinianus, ab Augusto quinquagesimus primus, sumpsit Imperium, regnantibus in Francia adhuc filiis Clodovæi. Iste christianissimus, Imperium quasi jam mortuum prudentissimè suscitavit, rempub. reparavit, de Persis per Belisarium patritium magnificè triumphavit; Leges ante editas, nimietate diffusas, in compendium conformavit: atque, inter alia infinita Ecclesiarum beneficia, Ecclesiam Sanctæ Sophiæ, idest Sapientiæ Divinæ, quæ est Christus Filius Dei, in Constantinopoli, miro opere & ornamento construxit: Regem Herulorum, nomine Craten, convertit & baptizavit.

Tunc etiam Rex Hunnorum Garda, & cum eo mulier quædam vidua ex Principibus Hunnorum, & alii gentis illius, centum millia baptismi gratiam receperunt. Rex itaque Athalaricus cum matre sua Eudoxia, in tuitionem Justiniani Imperatoris suscipitur: at Athalarico post pauca à suis occiso, mater ejus Theodatum suscepit in Regnum: qui postea ingratus & perfidus, eam in balneo strangulavit. Justinianus Vandalis ab Africa prorsus eliminatis, Africam in Romanam provinciam reformavit. Theodatus traditor & strangulator uxoris, pœnas Justiniani metuens, Agapetum Papam ad Imperatorem pro petenda indulgentia & pace transmittit; qua impetrata, fecit se ab ipso Pontifice ad Fidem Catholicam revocari: ubi & ipse Pontifex diem suum functus, dum per portam regiæ urbis, ejus feretrum portaretur, cœcus quidam, tacto feretro, fuit illuminatus.

Post hæc Belisarius patritius Theodatum, ob commissum in uxore scelus, & Witegesium post Theodatum Regnum invadentem, captum ad Imperatorem transmisit: atque totum Regnum Gothorum, quod Jordanis auctor eorum per duo millia annorum & ampliùs stetisse commemorat, tunc finivit. Sic per eum sub Justiniano, tam Vandalis ab Africa, quàm Gothis ab Italia extirpatis, utrasque provincias in pristinam Romanorum subjectionem reduxit.

Hucusque Jordanis Episcopus (natione Gothus, ut ipse testatur in sua Chronica) Gothorum historias protelavit.

Belisarius patritius cum Theodeberto filio Clodovæi, fratre Lotharii, qui cum ducentis millibus Italiam invaserat, bellum commisit: & rogantibus Francis, pacem concessit, atque sinè damno Romani militis Italia exire persuasit.

Interea Parthi totam Syriam, & urbem Antiochiam invadunt, & depopulantur: quibus occurrens Belisarius patritius, Vandalorum & Gothorum triumphator, vicit, & à terminis Romanorum repressit. His diebus Gothi cum Rege suo Totila tumultuantes, in Italiam iter deflectunt.

De Lombardis, & Prisciano grammatico, item de Regula Sancti Benedicti.

HIs temporibus gens Lombardorum, quæ ab Insula Scantia, quam alii vocant Scantinaviam, à qua etiam Gothi egressi fuerunt,

runt, cum Alboino Rege suo, in Pannonia habitando, * qui non multò post Italiam occupaverunt (sicut postea dicemus) Belisarius patritius in Italia manens, præcepto Theodoræ Augustæ, Sylverium Papam invitus in exilium misit. Vigilio quoque successori suo similiter fecit. Priscianus tunc libros grammaticæ artis ad Julianum Consulem & patritium à Cæsarea scripsit. His etiam diebus Beatus Benedictus Abbas Regulam monasticam scripsit.

Justinianus Princeps egregius, Republicâ suo tempore satis sublimatâ, anno XXXIX. Imperii sui diem obiit.

Hucusquè Victor Episcopus Turonorum chronica sua perduxit. Cætera de Justiniano & de Pontificibus sui temporis, versificè proferamus.

Item de eodem Justiniano Imperatore versificè narratur.

Suscipit Imperium pro tempore Justinianus,
Cujus & officio legalia jura petamus,
Jure suo regimur, nam sua jura damus.
Ejus ab Imperio gens Vandala victa fugatur,
Omne decus Domini virtute sua reparatur,
Gaudet & Ecclesia pace manente sua.
Per triginta duos vitam deduxerat annos,
Hic quoque cum Gothis conflixit sæpe tyrannis,
Gothorum Princeps Athalaricus adest.

De Papa Joanne & Agapeto.

His modò temporibus fuit alter Papa Joannes,
Vixit & Agapetus residens tunc præsul aman-
Hi duo dum fuerant Athalaricus erat. (dus:
Præsul uterque fuit, annis quasi bis duodenis,
Gothorum Regis Theobaldi copia venit,
Ille per Italiam pessima gesta dedit.

De Sylverio Papa, & Theobaldo Rege Gothorum, secta Arianorum.

Vivit adhuc magnus, quem scripsi, Justinianus;
Sylverium Papam sub eo nunc commemoramus,
Octo sibi menses vivere ritè damus.
Sylverius sinè decreto fit Justiniani,
Theobaldus simul & Gothi nunc hæresiani
Ipsum constituunt: Cæsaris ira salit.
Dum Theobaldus obit, commotus Justinianus
Imperat ut Gothi quos noverat hæresianos,
Cedat ab Italia perniciosa manus.

De Vigilio Papa, & altero Gothorum Rege.

Vigilius Papa vixit cum Justiniano,
Vivere sex annis quem tempore commemoramus,
Vigintiq; dies, plus quoque quinque damus.
Nunc Rex Gothorum capitur dictus Vigilogus,
Justinianus eum missum sibi morte malorum
Judicat, & gladio pertulit ille forum.

De Pelagio Papa.

Pelagius Papa fuerat cum Justiniano,
Annis bis binis quem vivere commemoramus,
Plusque decem menses de ratione damus.
Pelagius Papa cùm vellet in Urbe sacrari,
Pontifices ad sacra duos peragenda vocavit:
Hi duo sufficiunt ad sacra, canon ait.
Sicque Ferentinus, sic præsul adest Perusinus,
Presbyter Andreas: hi tres tenuere triclinum;
Non fuerant plures, nec tibi narro minus.

De Joanne Pontifice, & portento quodam.

Tertius est cum Justiniano Papa Joannes,
Hic modò bissenos cum Cæsare vixerat annos,
Undenos menses, vicesiesque diem.
Nunc acies quasi pugnantes super æthera visa
Sunt, velut ignitæ, multæque videntur ubique,
Quid sit & unde venit, nec recitare licet.

De Justino juniore, Imperatore Græcorum, quinquagesimosecundo ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini DLXVII. regnante in Francia Hilperico, filio Clotharii Regis cum tribus fratribus; Justinus junior, Justiniani nepos, natione Thrax, quinquagesimus secundus ab Augusto, Imperium, ab Eutychio Patriarcha coronatus, suscepit. Iste Ecclesias ab antecessore suo institutas multa largitione ditavit. Hujus diebus pax inter Romanos & Persas rumpitur. Imperator autem ad Aretam Regem Indorum Julianum transmisit: qui eum (sicut hìc describimus) ornatum invenit.

Stabat itaque Rex penè nudus, habens circa lumbos tantùm cincturam, & linea vestimenta auro contexta, & circa ventrem indumenta scissa, margaritis pretiosis conserta: in brachiis habebat quinos circulos, & aureas armillas: in capite, pannum gemmis ornatum: in collo, torquem aureum. Super quatuor elephantes, rotis quatuor, curru excelso innitebatur stans. Scutum parvissimum deauratum, cum duabus lanceolis, in manu tenebat. Quem cùm Julianus contra Persarum Regem nomine Eunucho armasset, reversus est.

Item Justinus, misso Narse, cum auxilio Longobardorum, Totilam Regem Gothorum interfecit, & Gothos de Italia radicitus extirpavit: & Bucelinum Principem Regis Francorum, ad devastandam Italiam missum, occidit: atque Sindoaldum Regem Brendonum, qui de Comitibus Odoacri adhuc in Italia superat, suspendio peremit. Itaque cùm Narses, deletis omnibus Barbaris, Italiam in statum pristinum reduxisset, Romani (ut assolet) ejus prosperis successibus invidentes, apud Augustum, atque apud uxorem ejus accusabant; quamobrem Imperator misit Longinum ad occupandum locum ejus, in Italiam.

Sophia quoque Augusta, furore muliebri succensa, Narsen sicut Eunuchum inter mulierculas suas ponendum, & more mulierum sibi serviturum, minabatur. Quæ omnia Narses gravissimè ferens, Neapolim se contulit, missaque legatione Longobardos in Italiam vocavit: quorum adventum igneæ acies in cœlo (teste Gregorio) præcesserunt, & visæ sunt à multis, quæ & futuram effusionem sanguinis indicabant. Ex tunc Roma non solùm provincias Transalpinas, sed & ipsam Italiam, quæ ab illo tempore à Barbaris, quos Longobardos vocamus, inhabitatur, amisit. Porrò Justinus Imperator Tiberium Comitem in filium adoptavit, & Cæsarem legit, cùm verò se moriturum cognosceret, vocato ad se Eutychio Pontifice & Senatu, Tiberium ex Cæsare fecit Augustum. Ipse autem undecimo Imperii sui anno, diem obiit.

De

De eodem Justino versificè, & de Papa sui temporis.

Justinus minor, Imperii dum Sede sederet,
Ungaricos proceres secum decrevit habere,
Adversùs Ligures prœlia multa gerens.
Vigilogus Rex Gothorum tunc prœlia gessit,
Hispanos feritate sua gladioque repressit,
Qua multas urbes dissipat atque tenet.

De Papa Pelagio.

Surgit Pelagius nunc Romæ Papa Secundus,
Germine Romanus, discretus & ore facundus,
Sed sinè Justini lege resedit ibi.

Lombardi Romam & Italiam premunt; inundatio magna; & Fabianus Papa est.

Nam Lombardorum violenta manus populorum,
Igne, fame, gladio, partes premit Italicorum:
Urbs erat obsessa, Romuleumque solum.
Tantaque nunc Orbi pluviarum copia cedit,
Quòd populus jam diluvium consurgere credit;
Destruxit pontes, plurima damna dedit.
Nunc minor undenis Justinus præsidet annis,
Tunc primus Benedictus erat præsul venerandus,
Uno plus mense sexque decemque dies.
Mira fames Ligures, & belli copia pressit,
Primaque Lombardis super illos gloria cessit.
A longis barbis nomina fama trahit.

De Tiberio Constantino Imperatore Græcorum, quinquagesimotertio ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini DLXXVI. Tiberius Constantinus, natione Thrax, ab Eutychio Patriarcha coronatur: qui ab Augusto quinquagesimus tertius imperavit. Iste dum in palatio suo deambularet, & Crucem in pavimento sculptam videret, dixit: Elevetur signum Crucis hoc à pavimento: Crucem enim Domini debemus adorare, non pedibus conculcare. Qua sublata, iterum aliam Crucem ibidem sculptam invênit: qua rursus inde sublata, tertiam iterum Crucem ibi sculptam aspexit. Quapropter ibidem profundam foveam fieri jussit, ubi fodiendo, multum aurum invênit.

Similiter postea mortuo Narse patritio, in puteo quodam aurum plurimum est inventum: quæ omnia Imperator more suo pauperibus erogavit. Idem Imperator Italiâ tunc à Lombardis vastatâ, sub Papa Benedicto, multas naves ab Ægypto frumento onustas, Romanis fame laborantibus misit, Persas per Ducem Mauricium gloriosè devicit, quem postea sibi generum & Cæsarem fecit. Item Hilperico Regi Francorum mirifica dona transmisit.

His diebus Gregorius Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, à Papa Pelagio Constantinopolim missus, Moralia Job, Leandro descripsit; atque Eutychium ipsius urbis Episcopum, de fide resurrectionis errantem, coram Imperatore correxit. Tiberius autem substituto sibi in Imperio genero suo Mauricio, anno Imperii sui sexto, in pace quievit. Cætera de Tiberio versus habent.

A De eodem Tiberio Imperatore, & de Papa sui temporis, versificè narratur.

Tiberius cum Pelagio nunc præsule sedit.
Gothica gens tandem proprio se vulnere cædit,
Sic sibi tunc finem turba maligna dedit.
Cæsar sex annis, undenis Papa quiescit,
Undenos menses Papæ subjunge diesque,
Insuper ad requiem jungere quæro diem.

De Mauricio Imperatore, quinquagesimoquarto ab Augusto, & de Papa sui temporis.

B ANno ab Incarnat. Domini DLXXXIII., Mauricius ex Cappadocia oriundus, primus de genere Græcorum, ab Augusto quinquagesimus quartus imperat.

Hujus diebus Beatus Gregorius, Imperatoris consensu, suscepit Pontificatum Romanum. Tunc Sanctus Columbanus Scotus, Luxoviensis Abbas, persequutione compulsus, in civitatem Italiæ Bobium vênit, ibique obiit. Tunc Romericus in Monte suo Romerico, nobile Cœnobium Sanctimonialium fecit, scilicet in Regno Lotharingiæ.

Tunc etiam in Suevia sub Diœcesi Constantiensi, Ecclesia Sancti Galli, valde honorabilis constructa est, eo vivente, quum esset C Abbas (ut dicitur) quadringentorum Monachorum; qui omnes Sancti esse creduntur, uno solo excepto Hebruino; qui dimisso tunc ordine Monastico factus est Major-domus, idest primus post Regem in Regno Francorum, per Brunihildam Reginam, sed nequissimam fœminam; cujus instinctu ille Hebruinus Ecclesiam Dei est persequutus, & quosdam Martyres fecit. Brunihilda tamen pro his peccatis dignam pœnam portavit: ipsa namque à Rege Clothario ad caudas equorum indomitorum ligata & tracta, finem miserabilem, sed dignum accepit.

Mauricius Imperator, dum Beatum Papam persequi non cessaret, anno decimonono Im- D perii sui videt in visione Monachum ante se stantem cum gladio vibrato, dicentem sibi: Ecce, tu morieris. Quo viso perterritus, culpamque suam cognoscens, Papæ Gregorio, & Episcopis, atque Abbatibus religiosis, humiliter scripsit, ut apud Deum suis precibus impetrarent, quo Deus eum pro suis culpis, non in futura, sed in præsenti vita puniret. Ipse quoque idipsum apud Deum multis lachrymis exorabat. Quum ergo Deus ad Ecclesiæ petitionem Imperatorem vellet audire, videt Imperator in somnis se coram Crucifixo apud æneam portam palatii stare, vocemque terribilem audire: Date Mauricium, date Mauricium. Et iterum; Ubi vis, ô tu Maurici, E reddam tibi mala quæ fecisti? hîc, an in futuro? Cùmque ille respondisset, dicens: Non in futuro. Jussit eum cum uxore & liberis, & cum omnia sua cognatione ad Phocam duci & tradi. Mane facto, Philippo genero suo ad se vocato, somnioque narrato, ait: Nunquid Phocam illum cognoscis? Ille respondens; Juvenis est, inquit, & temerarius. Nuncii interea quos ad viros Dei Mauricius miserat, tunc reversi, similia responsa ab eis in somnis visa renuntiabant. Itaque exercitus à Mauricio missus, dum per ejus avaritiam fame laborarent, in seditionem versi Phocam sibi creant Imperatorem. Quod audiens Mauri-

 ri-

ricius, præfatæ visionis præsagium esse percepit. Phocas insecutus Mauricium juxta Chalcedoniam, eum culpam suam recognoscentem, cum uxore & filiis, secundùm visionem prædictam, decollavit. Cætera de Mauricio versus habent.

Item de eodem Mauricio, & de Papa sui temporis.

Tempore Mauricii Romæ diademate functi
Catholicæ sunt Ecclesiæ baptismate juncti,
Gothorum populi, munere dante Dei.
Mauricii tempus viginti perficit annos,
Insuper annus erit, recto numero numerandus,
Sub quo Gregorii vita beata venit;
Tresque decemq; simul regit annis Pontificatum,
Urbis & Orbis honor per eum dignè relevatur,
Annis sex menses jungo, decemque dies.

De Mauricio Imperatore, & Papa Gregorio, qui scripsit in Job, & Ezechielem.

Gregorius cum Mauricio dum sede levatur,
Contemnit Sedem, devitat Pontificatum,
Jussu Mauricii, cogitur atque venit.
Iste Job exposuit, lustravit & Ezechielem,
Dogmate pastorum præfulget, & in Daniele,
Hujus & Ecclesiæ gloria magna sedet.

De Phoca Imperatore, quinquagesimoquinto ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini DCIII. Phocas quinquagesimusquintus ab Augusto, Imperium sortitur, habens uxorem Leentiam nomine. Iste primò patricii cujusdam strator fuit, postea miles, ad ultimum Imperator. Anno Imperii ejus secundo Beatissimus Papa Gregorius migravit ad Dominum. Tunc tertius Bonifacius Papa impetravit à Phoca, ut ipsius authoritate, Romana Ecclesia caput omnium diceretur Ecclesiarum. Nam Constantinopolitana Ecclesia se primam (puto propter Regni sedem illuc translatam) inscribebat. Post hunc alius Bonifacius quartus à Beato Gregorio, precibus ab eodem Phoca Augusto obtinuit, ut Templum à Domiciano Imperatore constructum, quod Pantheon vocabatur, Ecclesiæ Dei datum, in honorem omnium Sanctorum dedicaretur.

His diebus Cosdroas Persarum Rex, Orientem pervagatus multas Romanis Provincias abstulit, ac vivificæ Crucis vexillum ab Hierosolymis asportans, in solio suo, ubi se ut Deum adorari fecerat, posuit. Phocas autem cùm multa scelera & homicidia perpetraret, ab Heraclio, Heraclii patricii Prætoris Aphricæ filio, vocatu Prisci patricii generi sui, octavo Imperii sui anno interficitur. Cætera versibus explicentur.

Item de eodem Phoca, versificè ponitur.

Phoca sedet Cæsar, restaurat & undique læsa,
Agmina Lombarda sub eo sunt plurima cæsa,
Et dedit Ecclesiis pace sedere suis.
Imperio Phocæ Lombardus ab Urbe fugatur,
Tuscia Spoletum virtute sua revocatur,
Pax erat Italicis, sed recidiva satis.
Octo sedens annis Phocas tenet imperiatum:
Nunc Fabianus præclarus Papa vocatur,
Anni solius cui modò vita fuit.

A

B

C

D

E

De Papa Bonifacio, qui à Phoca Imperatore primatum omnium Ecclesiarum obtinuit.

Tertius est Papa Bonifacius ille benignus,
Qui petit à Phoca munus per sæcula dignum,
Ut Sedes Petri prima sit, ille dedit.
Prima priùs fuerat Constantinopolitana,
Est modò Romana, meliori dogmate clara;
Petrus enim Princeps dogmata prima parat.
Octo capit menses vitæ Bonifacius iste,
Bisque decem numerando dies pro tempore siste,
Sic tempus Papæ sub brevitate cape.
Quartus cum Phoca Bonifacius ille notatur,
Annos tres, octo menses, cui vita paratur,
Vigintiquinque post superadde dies.

De Templo Pantheon, Bonifacio dato.

Phoca Bonifacio dat Pantheon ante sacrari,
Qua cuncti statuere Dei sua fana parari,
Idola constitui, pinguia thura dari.
Hæc domus immunda sacra benedicitur unda,
Dæmonis existens fit Sancta Maria Rotunda,
Primaque Dæmonii, nunc manet aula Dei.

De Papa Deusdedit.

Papa Deusdedit cum Phoca Cæsare sedit,
Cui ternis annis populus Romanus obedit,
Vigintique dies plus sibi vita dedit.

De inclinatione Romæ sub Phoca Imperatore.

Iste fuit Phocas cum seditione levatus,
Milite fautore regnat, nolente Senatu;
Tunc pars nobilium perdidit ense caput.
Nunc gens Persarum Romanis subdita pridem,
Jam transgressa fidem, populus non permanet idem,
Prœlia permiscet, Roma caduca silet,
Cùm fuerit domina, perdit gens Romula Persas,
Sic & Hebræorum sunt prœlia prisca reversa,
Romanus populus perdit utrunque solum.

De Heraclio juniore, Imperatore Græcorum, quinquagesimo sexto ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini DCXII. Heraclius, occiso Phoca, à Sergio Patriarcha coronatus, quinquagesimus sextus ab Augusto, sortitur Imperium, regnante in Francia Lothario, filio Hilperici. Iste anno Imperii sui secundo, genuit filium Heraclium Constantinum, ex Eudoxia. Mortua verò Eudoxia, filiam sororis suæ Martinam, incestuosè sibi copulavit, & ex ea filiam Heraclonam suscepit.

Hucusque Isidorus Episcopus historiam suam perduxit. Anno Imperii sui octavo dum Heraclius à Rege Persarum Cosdroe pacem peteret, nec impetraret: ipse quarto postea anno, qui erat Imperii sui duodecimus, exercitum movet in Persidem. Eundo autem in ponte Danubii cum filio Cosdroe habuit singularem conflictum. Quo ibidem occiso & parte exercitus ipsius, tunc ad Christianitatem conversus processit, atque omnem Persidem devastavit. Cosdroem in solio aureo tunc unà cum Cruce Domini sedentem occìdit, & Lignum Sanctum inde accepit. Inde reversus Constantinopolim cum triumpho, postea Crucem

cem Hierosolymam reportavit. Ubi in introitu ipsius portæ miraculum magnum apparuit: quod miraculum ego versificè in fine Capituli hujus annotavi. Ab illo tempore, Exaltatio Sanctæ Crucis cœpit ab Ecclesia celebrari.

His diebus Anastasius quidam in Perside, magus prius, postea Christianus & Monachus, cum aliis septuaginta, martyrium sub judice Marzabona, pro Fide Christi suscepit à Persis. Cujus tunica postea quidam dæmoniacus indutus, curatus est. Hujus corpus Heraclius de Perside asportavit.

Eo tempore Machomet, quem Saraceni hodie colunt, natus de stirpe Ismahëlis, patre Gentilis, matre Judæus, legem suam prædicabat.

Eisdem diebus, mortuo Lothario Rege Francorum, Dagobertus filius ejus satis puer erat; quem Arnolphus (qui tunc Majordomus erat) educavit. Idem Arnolphus postea Metensis Episcopus fuit. Iste Dagobertus in Francia solus regnabat, sed fratri suo Heriberto circa Ligerim fluvium paucas urbes & pagos dimiserat. A Clodovæo enim usque ad istum Dagobertum Regnum Francorum inter diversos fratres variè divisum, & inter filios filiorum, confusè & inæquabiliter regnatum erat. Terminus autem Regni Francorum erat jam ab Hispania usque Pannoniam, habens in uno fine Aquitaniam, ex alio autem capite ducatum Bavariæ, qui protenditur usque Ungariam. Aquitaniam quidem in Occidente, Bavariam in Oriente habebat Rex Francorum. Dagobertus itaque unicus Rex Francorum, leges Bavaris dedit. Qui dum patre suo Lothario adhuc vivente, cum Saxonibus bellum iniisset, ab eis graviter est vulneratus. Unde postulato & accepto à patre auxilio, iterum cum Saxonibus pugna congreditur. Quibus gloriosè victis atque fugatis, universam Saxoniam suæ ditioni subjecit: omnesque illius gentis masculos, qui gladio Dagoberti statura fuerant longiores, ejus imperio legimus tunc fuisse peremptos. Eo tempore Beatus Cunibertus Coloniensis erat Episcopus.

Heraclius interea à Sergio Patriarcha seductus, hæresi Eutychiana inficitur: insuper fit Mathematicus & Astrologus: tunc per constellationes cognovit, quòd homines circumcisi essent ejus Imperium vastaturi. Existimans autem homines illiusmodi esse Judæos, missis ad Dagobertum legatis, omnes Judæos postulat jussu Regio baptizari. Quod etiam impetravit. Ipse quoque Heraclius de Judæis sui Imperii similiter fecit. Non multò post Agareni, qui omnes sunt circumcisi, Imperium ejus invadunt. Quos dum Heraclius, misso exercitu cogitabat cohibere, quinquaginta millia de suo exercitu perdidit. Nam Heraclius apertis portis Caspios educit, homines sævissimos, quos Alexander Magnus, propter eorum immanitatem, super mare Caspium olim conclusit, & cum istis adversùs Agarenos Imperator bellum instaurare proponit. Angelus autem Domini, eadem nocte, dum manè fuerant pugnaturi, de Imperatoris exercitu quinquaginta millia interfecit. Unde fractus animo Imperator, ex dolore fit tumidus; & in hydropisin versus, anno Imperii quadragesimo septimo emisit spiritum.

O judicia Dei justissima! quia Heraclius per virtutem & signaculum victoriosissimæ

A Crucis gloriosissimè triumphaverat; postea Dei & ipsius Crucis oblitus, magis in auguriis, quàm in divino auxilio confidebat; ab Agarenis, qui nec inter viros fuerant computandi; meruit infeliciter superari. Cætera de Heraclio, & de Cruce, atque de Cosdroe, versibus exponamus.

Item de Heraclio & de Exaltatione Sanctæ Crucis, & de Papa sui temporis.

Heraclius stat magnificus, diademate Summus,
Gothorum Rex mirificus regnat Sigismundus.
Multos Judæos subdidit ille Deo.
Expedit Heraclii jam Cæsaris acta fateri,
B *Qui Crucis, & Cleri studuit loca, jura tueri;*
Pro Cruce quanta gerit, sermo canendus erit.
Urbs bona Davidica, modica sub pace quieta,
Fertur ab antiqua Persarum gente petita,
Marte requisita, Crux latitabat ita.

De Cosdroë.

Cosdroës iratus, disponit ut urbs capiatur,
Urbs ubi pugnatur, capitur, populusq; ligatur,
Quumque Crucem rapuit Persica gens abiit.

De aula Cosdroë, & filio ejus.

C *Cosdrois aula fuit, valida testudine plexa,*
Intus habens latera gemmis auroque retexta,
Qua velut ætherea sydera fixa micant.
Sub specie Cœli potuit domus illa videri,
Desuper instituit currus quandoque moveri,
Unde ferens strepitum fulmina ficta dedit.
Cœlibe mentita sedet impius arce petita,
Cum Cruce quæsita, putat illic vivere vita,
Nec metuit mortem, dum resideret ita.
Filius ex ipsa patris feritate patrissat,
Acriter amissa fert prœlia, sanguine mixta,
Militibusque suis in loca sancta ruit.

Heraclius Persarum victor.

D *Obviat Heraclius, reprimens virtute superbum,*
Ponteque Danubii celebrat cum Rege duellum,
Et virtute Crucis diripit arma ducis.
Impius occisus cadit hic, sed credere visus,
Devictus populus rediit, baptismate nisus,
Miles & ipsius credidit in Dominum.

Cosdroës decollatur.

Signa jubet Cæsar per climata Persa moveri,
Cosdroës absconsus memoratis tegmine Cœli,
Deditus interiit, cœlica pompa perit.
Amputat Heraclius Regis caput ense malignum.
Obsequium dignum recipit venerabile signum,
Ad loca Davidica cum Cruce signa micant.
Montis Oliveti, victorum munere freti,
E *Dum portas penetrare putant cum Cæsare læti,*
Porta fit ut paries, turba repulsa redit.
Adfuit Angelicus pro Cæsare sermo venustus:
Nolo quòd Augustus gemmis procedat onustus,
Intrantis Christi sit memor ipse sibi.
Auferat ornatus, humilis pede progrediatur,
Heraclii manibus jam Crux benedicta feratur,
Porta reformatur, spes via larga datur.
Sufficit Heraclii breviter narrasse decores,
Me vocat ad reliquos Regum mea Musa labores,
Carolus & reliqui, grandia gesta movent.
Imperat Heraclius annis quasi ter duodenis,
Quo Crucis & Cleri celeberrima gloria vénit,
Illa recordatio perpetualis erit.

De

A

De Severino Papa.

Temporis Heraclii ſuccedit Papa Severinus.
A tribus edoctus pater eſt ad dogmata primus,
Fertque duos annos ipſe, duoſque dies.

De Honorio Papa, & Joanne.

Præſul Honorius eſt ipſo cum Cæſare magnus,
Ipſe duodenos in vita perficit annos,
Menſibus undenis, lux quoque dena venit.
Temporis Heracli Theodorus ordine ſedit,
Qui poſt ſex annos, & menſes quinque recedit,
Octo decemque dies plus ſibi vita dedit. B

De Pyrrho Patriarcha Conſtantinopolitano.

Conſtantinopoli tunc Pyrrhus erat patriarcha,
Quem probitate ſua Theodorus ille coarctat,
Romanæ ſedi quòd famulator erat.
Geſta ſuæ partis anathemate Pyrrhus ademit,
Romano ſe Pontifici ſupponere venit.
Annis perpetuis ſponſio talis erit.
Temporis Heraclii Mauricius ordine ſedit,
Conſtantinopoli, cui Paulus præſul obedit;
Tunc ſibi Romana dogmata Papa dedit.
Sex annis vivit Mauricius ordine rerum,
Et menſes, ſpatio vigintiquinque dierum,
Tempora Pontificum ſic numeranda fuerunt. C

De Pontifice Eugenio.

Eugenius Papa ſub eodem tempore ſedit,
Vita duos annos peragens à ſede recedit,
Adde duos menſes, ter dabis octo dies.

De Heraclio Conſtantino Imperatore, filio Magni Heraclii, & Chronica ſui temporis.

ANno ab Incarnatione Domini DCXXXIX. regnante in Aphrica Dagoberto, Conſtantinus Heraclius, Heraclii filius, quinquageſimusſeptimus ab Auguſto, regnum adeptus, quarto Imperii ſui menſe, fraude D novercæ ſuæ Martinæ, Pyrrhique Patriarchæ veneno necatur; ipſaque cum filio ſuo Heraclona regnum uſurpans per duos annos tenuit. Mutilatis ergo naribus filii ſui, matriſque ipſius lingua abſciſſa; Conſtans Conſtantiniani, Heraclii filii, filius, à Senatu Imperator creatur. Pyrrhus quoque Patriarcha ſceleris illius author in exilium truditur, & in locum ejus Paulus ſubrogatur. Hic eſt Pyrrhus, qui cum Cyro Alexandrino Epiſcopo, hæreſim quæ duas in Chriſto voluntates negabat, condidit. Cætera verſus habent.

Item de eodem Conſtantino tertio, & Papa ſui temporis, verſificè narratur. E

Tertius accedit Cæſar Conſtantinianus,
Papaque Romanus reſidet nunc Vitalianus.
Grandis in Eccleſiis fit per utrumque ſalus.
Octo tulit Cæſar pro vita temporis annos,
Papa quater ſenos annos, ratione notandos,
Et menſes ſeptem vixit, & octo dies.

De Papa Deodato.

Papa Deodatus ſub eodem tempore venit,
Annis bis binis, & bino menſe recedit,
Quinque dies ultra, tunc ſua vita dedit.

De Pontifice Dionyſio

Papa Dionyſius ſub eodem Rege notatur,
Annis quinque ſedens, & menſes quinq; notatur,
Octo diebus ei, plus quoque vita datur.

De Agapeto Papa.

Agapetus Papa ſub eodem tempore ſedit,
Poſt annos binos, & menſes octo recedit,
Biſque dies ſeptem, plus ſibi vita dedit.

De Conſtante Imperatore, filio Conſtantini, quinquageſimooctavo ab Auguſto; & Chronica ſui temporis.

ANno ab Incarnatione Domini DCXLII. pulſo cum matre Heraclona, Conſtans Conſtantiniani filius, quinquageſimusoctavus ab Auguſto regnavit. Hic cùm in eandem, quam avus ſuus Heraclius, hæreſim fuiſſet lapſus, Martinum Papam, eo quòd Paulum Patriarcham, Pyrrhum, & Cyrum, habita Synodo excommunicaſſet, apud Cherſonam in exilium miſit; ubi multis miraculorum ſignis refulgens, migravit ad Dominum.

Porrò Conſtans congregata ſub Vitelliano Papa Synodo, hæreſim abdicavit, ac Beato Petro miræ magnitudinis Evangelia, auro cooperta, gemmis ornata, miſit. Ipſe verò non multis poſt diebus Italiam à Longobardorum poteſtate eripere volens, per æquora navigando, Tarentum applicuit. Poſt Beneventum veniens, omnes penè civitates quas Longobardi inhabitabant, cepit. At civitatem Luceriam ad ſolum uſque proſtravit: deinde accepta obſide ſorore Rumaldi, ſcilicet Grimaldi Regis filia, Neapolim iter flectit. Inde ad Urbem iter tendens, Vitellianum Papam in ſeptimo milliario obvium cum Clero & populo habuit. Ac ita honorificè Romam ingreſſus, Beato Petro pallium auro textum obtulit.

Cogitabat autem Imperium ad Urbem retransferre, eo quòd Conſtantinopolitanos, qui ei de ſacrilegio in Martinum Papam commiſſo, conſilium dederant, tanquam Hæreticorum fautores, exoſos haberet.

Hujus diebus Beata Gertrudis virgo, Pipini Groſſi filia, beato fine quievit. Dagoberto quoque mortuo, Clodovæus filius ejus ſucceſſit. Nam alius filius, Sigibertus ſcilicet, dum adhuc viveret, Auſtraſiam reliquerat, eumque Cuniberto Colonienſium præſuli, & Pipino Groſſo commendaverat.

Conſtans Imperator Heraclius ab Urbe digreſſus, Siciliam ingreditur: ubi per ſex annos moratus, fraude ſuorum in balneo occiditur, anno Imperii ſui octavo. Quo mortuo, milites quendam Mitium nomine, Imperatorem creaverunt. Hoc comperto, Conſtantius Conſtantiniani filius, intravit Siciliam, & Mitium cum interfectoribus patris ſui occîdit; rebuſque in Heſperia compoſitis, Conſtantinopolim redit. Cætera de Heraclio Conſtante, verſus habent.

Item de eodem Conſtante, Imperatore Heraclio, & de Papa ſui temporis.

Heraclio regnante datur Leo Papa ſedere,
Annos vita decem menſemque refertur habere,
Pollet in eloquio ſcripta beata ferens.

De

A De Benedicto Pontifice.

Temporibus Heraclii nunc Papa venit Benedictus,
Ter ternos menses vivit, tumuloque relictus,
Octo dies tenuit, quos sibi vita dedit.

De Theodosio Imperatore, filio Constantis Heraclii, & Chronica sui temporis.

ANno ab Incarnatione Domini DCLXX. Theodosius Constantinus, filius Constantis Heraclii, cum duobus suis filiis, Heraclio & Tiberio, quinquagesimusnonus ab Augusto, sortitur Imperium. His diebus Ansgisius, filius Beati Arnulphi, Metensis B Episcopi, qui Major-domus priùs fuerat in Regno Francorum, dignitatem Majoris-domus adipiscitur. Constantinus Theodosius, anno Imperii sui decimoseptimo, vitam finivit.

De Justiniano Imperatore, filio Theodosii, sexagesimo ab Augusto, & Chronica sui temporis.

ANno ab Incarnat. Domini DCLXXXVI. Justinianus Theodosii Constantini filius, sexagesimus ab Augusto Imperatore. Iste composuit pacem cum Saracenis: & Aphricam ab eis liberatam Imperio Romano C supposuit.

Progenies omnium Carolorum, ab Ansgisio filio Arnoldi Episcopi Metensis, qui priùs fuerat Dux Francorum & Major-domus.

EO tempore Pipinus, filius Ansgisii, factus Major-domus, totum regnum adminutrabat Francorum. Cujus Pipini Grossi, ab hoc loco in antea, anni & gesta ponuntur in Catalogo Regum Francorum. Reges enim Francorum à temporibus istius Pipini Grossi, qui erat Major-domus, omnibus regni negotiis & honoribus denudati, nomine solo re- D gnabant; econtra Majores-domus, curam & fortitudinem regni tenebant.

Justinianus à Leontio patricio, quem ipse per tres annos in vinculis tenuerat, naso & labro mutilatur: qui Leontius per tres annos occupat Imperium, ipso Imperatore mutilato interim in exilio detento. Post illos tres autem annos, Tiberius, qui cognominatur Absimarus, eidem Leontio similiter nasum abscidit, eumdemque in monasterium trusit, atque ipse regnum usurpatum septem annis detinuit.

His diebus sub Sergio Papa Synodus Aquilegiæ congregatur. Justinianus quem Leontius patricius priùs mutilaverat, per adjutorium E Regis Bulgariæ, urbem Constantinopolim captam recepit, & postmodum per sex annos tenuit. Iste tunc cepit Tiberium & Leontium. Quos etiam in catenis positos, per plateas trahi præcepit, universo populo post eos clamante sic: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*. Ipse etiam colla eorum calcans, ad ultimum decollavit eos. Alios quoque qui perpetratæ factionis erga eum rei extiterant, diversis pœnis fecit cruciari. Item quotiescunque de naribus mutilatis guttam rheumatis stillantis tergebat, toties aliquem illorum necari præcipiebat. Ipse etiam Gallicinum Patriarcham, erutis oculis, Romam in exilium misit, & Cyrum Abbatem, qui ei necessaria ministraverat, fecit Patriarcham, atque Tiberium filium Cyri, consortem Regni sibi constituit. Deinde Philippum, quem ipse in Ponto relegaverat, comprehendere voluit. Philippicus verò ab exercitu Imperator creatus, sexto milliario ab urbe Constantinopoli pugnâ commissâ, Justinianum occîdit, filium quoque Justiniani fideles Philippici necaverunt.

De Philippico Constantinopolitano Imperatore, & Chronica Regum Francorum per idem tempus.

ANno ab Incarnatione Domini DCCXIII. Philippicus, LXI. ab Augusto, Imperium accepit. Tunc in Francia solo nomine junior Dagobertus regnabat. Pipinus verò Grossus, Major-domus, omnem Regni honorem & potestatem habebat. Eo tempore populus Romanus statuit, ne chartæ ipsius Philippici in Ecclesia, vel etiam jussa ejus Romæ reciperentur, cùm esset Hæreticus; neque nomen ejus inter Missarum solennia recitaretur. Iste cùm in die Sancto Pentecostes, egressus à balneo, post meridiem lecto cubaret, à Ruffino & Theodoro per Auream-portam ingressis, comprehensus excœcatur; post annum & undecim menses, ex quo cœperat regnare.

De Anastasio Imperatore, sexagesimosecundo ab Augusto, & Chronica sui temporis.

ANno ab Incarnatione Domini DCCXIV. Artemius, qui mutato nomine dictus est Anastasius, LXII. ab Augusto, accepit Imperium, & tribus annis regnavit.

Tunc mortuo Rege Francorum Dagoberto juniore, & Pipino Grosso, Carolus Martellus filius Pipini Grossi ex Alpheida, qui fuit Avus Caroli Magni, factus est Major-domus, qui Regnum Francorum per XXVII. annos administravit, Regibus adhuc, sed sinè honore & utilitate, ibi manentibus. Iste Carolus Martellus, Regunifridum quemdam Regnum invadere volentem, multis bellis pressit, Buguariam & Sueviam subjugavit; Guasconiam, Saxoniam, & Phrysiam devicit, Saracenorum 385 millia occîdit. Igitur dum Regnum Francorum multis modis sub bellicosissimo Principe Carolo Martello augmentaretur, Imperium verò Græcorum minueretur, milites adversùs Anastasium Imperatorem creant Theodosium, licèt invitum: qui conserto prœlio Anastasium vicit, & presbyterum fecit eum ordinari.

De Theodosio Secundo Imperatore, sexagesimo tertio ab Augusto.

THeodosius iste sortitus Imperium LXIII. ab Augusto, uno anno imperavit. Cui succedit Leo LXIV. ab Augusto, manente adhuc in Francia Carolo Martello.

De Leone Imperatore Græcorum, sexagesimoquarto ab Augusto.

ISte LXIV. ab Augusto Imperator, vocatus Leo, Imagines Domini jussit incendi, & Sanctos suæ iniquitati resistentes decollari. Inter quos passa est Sancta Theodoxia, cujus Cor-

Corpus adhuc integrum, Constantinopoli cum ingenti veneratione servatur.

Gregorius Papa cùm vidisset Imperatorem Leonem iniquum & incorrigibilem, totam Italiam à suo Imperio discedere persuasit. Eo tempore Reliquiæ Sancti Augustini de Sardinia in Papiam à Luprando Rege Lumbardorum deportantur. Tunc etiam Beda venerabilis presbyter, in pace quievit. His diebus Saraceni Constantinopolim per triennium obsidione cinxerunt; tandemque sinè victoria recesserunt. Romæ quoque 300000., per pestilentiam tunc perierunt. Leo Imperator, Imperii sui anno quarto, moritur; cui succedit filius ejus Constantius.

De ultimo Constantio, Imperatore Græcorum sexagesimoquinto ab Augusto.

Constantius igitur imperat anno ab Incarnatione Domini DCCXLII. sexagesimus quintus ab Augusto. Iste maleficus sacrificabat Dæmonibus, patre suo deterior factus: luxuriæ & omni immunditiæ deditus, Ecclesiam Dei affligebat; unde etiam suis iniquitatibus ipse, & pater ejus meruisse videntur, ut eorum Regnum divideretur. Anno Imperii illius Leonis primo, Carolus Martellus filius Pipini Grossi moritur, relictis tribus filiis Carlomanno, Pipino Nano, & Griphone: quorum Gripho minor, inquietus, à fratribus apud Alverniam captus, & detentus in prœlio, cum uxore sua Svanichilda, in quodam castello permansit. *Cætera versificè pagina nostra refert.*

Item de Theodosio Imperatore, versificè, & de Papa sui temporis.

Theodosii vita fuit annis bis duodenis,
Cujus & Ecclesiis ornatus tempore vênit,
Hic & imaginibus ordine stare dedit.
Gregorius cum Theodosio stat Papa Secundus,
Annis ipse decem fuit Urbis & Orbis alumnus,
Ter ternos menses, ter tulit octo dies.
Tempore Gregorii præsul Bonifacius extat,
Sede Moguntina miracula plurima præstat,
Gratia baptismi Teutona regna tulit.

PARTIS DECIMÆSEXTÆ FINIS.

GODE-

GODEFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORUM
PARS DECIMASEPTIMA.
IMPERIUM TRANSFERTUR AD FRANCOS.

Proœmium Authoris.

Superiùs promisisse me memini narraturum, qualiter Franci, quorum facimus hîc mentionem, in Galliam venerunt, & qualiter à Romanorum Principatu sejuncti, in propria sua authoritate & potestate manere cœperunt.

Tempore igitur quo Æneas post Trojæ destructionem in Italiam vênit, Priamus junior, nepos magni Priami ex sorore, & cum eo Antenor, Trojanorum Princeps, cum 13000. per mare Illyricum in Venetias venerunt. Ibique Paduam civitatem ædificantes, in qua hodie ipse Antenor honorificè sepultus, more regio invenitur, per Mæotidas paludes in Scythiam regionem sedes suas posuerunt, civitatem Sicambriam ædificantes, unde etiam Sicambri sunt nominati.

Cùm autem toto Orbe in provinciam Romanorum subacto, ipsi etiam inter alios subacti fuissent, elapso tempore Germaniam occupaverunt, ubi etiam Germani de cætero sunt vocati.

Deinde cùm Imperator Valentinianus impugnatos Alanos, & inter Mæotidas paludes receptos, delere non potuisset, edictum protulit, ut gens quæcumque Alanos vinceret ac deleret, per decem annos proximos libera esset ab omni tributo. Quare Germani, ipsius gloriæ cupidi, adversùs Alanos movent exercitum, eosque vincunt, & omnino extinguunt, unde per decem annos liberi à tributo fuerunt; & propter eandem victoriam à Valentiniano Imperatore Franci, idest feroces, sunt perpetuò appellati.

Expletis autem decem annis dum Romani à Francis solita tributa repeterent, Franci ob ipsam libertatem effrenes jam facti, ipsum tributum solvere renuerunt. Habuerunt autem inter se Principes antiquos (ut dixi) Priamum, & Antenorem. Quapropter dum à Romanis contra eos pugnatur, occiso in prœlio Priamo Rege eorum, in partes Regni Thuringiæ se contulerunt cum Principibus suis, filiis scilicet Priami, & Antenoris; nomine Marcomede, & Sunone. Porrò defuncto Sunone, communicato consilio, filium Marcomedis, nomine Pharamundum, Regem sibi creaverunt.

Leges quoque per Authores suos Guisogastaldum & Salagastum compositas, extunc habere cœperunt. A Salagasto illo lex Salica nomen accepit; qua lege usque hodie Franci utuntur, qui etiam Salici nuncupantur. Mortuo autem Pharamundo, filius ejus Crinitus successit, à quo Francorum Reges Criniti sunt appellati.

His temporibus, Francia crescere, Roma autem minui cœpit, ut supra dixi. Gentes enim quæ subactæ Romanis fuerant, jam per

A se ipsas regnare didicerunt. Romani econverso, qui semper imperaverant, servire gentibus cogebantur. Gothi enim cùm ipsam Urbem essent depopulati, ultra Ligerim fluvium in Gallia consederunt. Burgundiones quoque juxta Rhodanum habitaverunt; qui & ipsi paulò post Reges habere cœperunt. Sic etiam Franci, Rheno transmisso, Romanos, qui illic habitabant, fugaverunt. Postea captis urbibus Tornaco, & Cameraco, atque inde paulatim progressi Remis, Suessonam, & Aurelianum, & Coloniam, quæ tunc dicebatur Agrippina, Treverim, ac penè totam Galliam, atque Germaniam, ab Aquitania usque in Bavariam sibi vendicant atque subjiciunt. Clo- B dovæo Rege Francorum defuncto, Merovæus filius ejus, à quo Franci Merovæi sunt appellati, successit in Regnum. Quo moriente, Hildericus successit: qui dum luxuriosè viveret à suis expellitur à Regno, & ad Regem Thuringorum, Bisinum nomine, secessit: à quo humaniter receptus, uxorem suam Bisinam, Reginam pulcherrimam, latenter tetigit. Postea idem Hildericus, iterum in Regnum Francorum, per interventum amicorum suorum receptus est. Post cujus vestigia sequuta est Bisina Regina; quæ, interrogante Hilderico Rege ad quid venisset? respondit: Ad te venio, tecum permansura. Tenuit itaque Rex eam pro uxore, genuitque ex ea filium Clodovæum. Sed dum Hildericus expul- C sus à Regno, in Thuringia (ut diximus) moraretur, Ægidius quidam Romanus, loco ejus substitutus est in Regno Francorum. Post octo annos Hildericus revocatus in Regnum, urbem Agrippinam invadit, & ejectis inde omnibus Romanis, qui Ægidio favere videbantur, suos fautores imposuit Francos: unde & eandem urbem, quæ usque in illud tempus dicebatur Agrippina, præcepit propter incolatum Francorum perpetuò Coloniam appellari. Mortuo autem Ægidio, filius ejus Siagrius in civitate Suessona regnavit.

Hildericus Rex, vita decedens, Clodovæo filio suo Regnum dimisit. Iste Clodovæus primus Christianus fuit inter Reges Franco- D rum, à Beato Remigio baptizatus. Siagrius filius Ægidii, dum contra Clodovæum regnare, aut certare non posset, secessit ad Alaricum Regem Wisogothorum, qui Alaricus, nonus erat ab Alarico Magno Rege Gothorum, à quo supra diximus, Romam captam, & depopulatam. Siagrius à Clodovæo reposcitur. Alaricus ei eum remittit. Qui remissus, necatur; omnesque Romani, qui tunc in Galliis habitabant, ita sunt exterminati, ut nec unus posset in omnibus Galliis reperiri.

Videntur mihi Franci in illis temporibus linguam Romanam, qua usque hodie utuntur, ab illis Romanis, qui habitaverant, didicisse. Quæ autem lingua eis priùs fuerit

naturaliter, nos ignoramus. Itaque Clodovæus subjugatis Alemannis, jam Christianus factus, Gothis, & Aquitanis bellum indicit. Quò dum pergeret, votum vovit Beato Martino apud Turonum; qui jam CXII. annos post obitum suum habebat. Cùmque triumphasset in Gothos, & Alaricum eorum Regem occidisset, reversus Turonum, gratias egit Deo & Beato Martino; ditata etiam tunc Ecclesia Sancti Martini, equum suum, quem priùs iturus ad prœlium dederat Sancto Martino, per suam pecuniam redimere volens, centum solidos custodi Ecclesiæ, pro equi ipsius redemptione transmisit. Equus verò stetit immobilis. Hoc audiens Rex, considerat Beatum Martinum illud equi pretium parvipendisse. Quare & alios centum solidos insuper pro equi redemptione porrexit: quibus enim datis, velociter sequutus est equus, & Regi præsentatus. Unde fertur dixisse Clodovæus: *Sanctus Martinus est bonus auxiliator: sed carus negotiator.*

Hæc omnia de origine Francorum ponimus in hoc loco, sub titulo Leonis Imperatoris, cujus temporibus Græci dominium Romæ omnino perdiderunt, & Franci Imperium Romanum in Occidente habere cœperunt. Primò quidem per Carolum Martellum Ducem Francorum, quem Pipinus Grossus Majordomus, genuit ex Alpheida Ducissa, occulto coitu. Deinde per Pipinum Nanum, filium ipsius Caroli Martelli. Postea per Carolum Magnum, filium Pipini Nani, primum Imperatorem Francorum. Deinde per Ludovicum filium Caroli; & deinceps usque in præsentem diem; sicut imposterum per distincta Capitula suis locis & temporibus, auctore Deo, referemus.

De ultimo Leone Imperatore Græcorum, LXVI. ab Augusto; cujus temporibus Imperium Græcorum ad Francos est devolutum; & de Romanis Pontificibus illius temporis, & Chronica diversorum.

Cæsaris Imperium nunc fertur adesse Leonis,
Sedecies ductis annis fert lora decoris,
Ultimus est ipse quem sua Roma colit.
Gregorius sedit cum Cæsare Papa Leone,
Annis ritè decem Romanum gessit honorem,
Menses ter ternos addita vita fovet.
Insuper ad requiem pertulit octo dies.
Carolus Martellus Dux Francorum Regna regebat,
Pipinus Nanus Dux tunc cum patre sedebat,
Plurima Gothorum bella frequenter erant.
Græcorum Reges hucusque licet memorari,
Quos loquor Italiæ tunc Imperio dominari,
Nunc & in Italia Græca corona cadit.
Vertimur ad Francos, quorum virtute tueri
Itala gens poterit, securaque Roma teneri:
Carolus Martellus tutor & auctor erit.
Pipinus Nanus fieri Rex inde meretur,
Qui post Martellum Papalia jura tuetur,
Fit quoque patricius, fert & in Urbe decus.
Carolus Imperium poterit post ista mereri,
Cujus & Ecclesia poterit virtute tueri,
Ejus ab Imperio Græca corona perit.

De Genealogia Caroli Magni, à temporibus Atavi sui Pipini Grossi, & qualiter ipsa progenies obtinuit Regnum Francorum: quæ postea sortita est Romanum Imperium, & totum Orbem.

Anno ab Incarnatione Domini DCCX. mortuo Dagoberto minore, Rege Francorum, filius ejus parvulus in tutela Pipini Grossi, qui erat Majordomus, remansit. Qui etiam post pauca per insidias quorundam periit. Tunc Grimoaldus filius legitimus Pipini Grossi, Regnum usurpans, à consanguineis Dagoberti Regis defuncti captus est, & tandiu in arcta custodia detentus, donec ibi mortuus est.

Eodem tempore pars illa Galliæ, in qua est Sequana fluvius, & Ligeris, vocabatur Gaudina: ubi duo reguli fratres, ex consilio matris, invadunt Regnum Francorum, id est Theutonicorum, super Rhenum fluvium, cùm ibi tunc Rex non esset. Et primo impetu urbem Wormatiam invadunt, ubi à Francis bello repressi, iterum reparatis viribus civitatem Moguntiam obsidione cingunt. Ad hæc Franci Regem non habentes, Carolum Martellum, filium Pipini Grossi, natum ex Alpheida, Regem facere decreverunt: qui coronam quidem recipere renuit, sed vexillum eorum contra Gaudinos suscepit, & cum Regibus præfatis prœlio conserto, utrumque Regem manu sua in prœlio occîdit: atque cum ipsa victoria præcedens Rhemis, & Parisiis, omnem Gaudinam provinciam subjugavit.

Tunc idem Carolus Martellus perpetuo decreto constituit, illam provinciam Gaudinam eo nomine non nominari, sed Francigenam appellari: in lingua verò Theutonica, jussit eandem provinciam vocari nomine suo Carlingam, & eos homines nomine suo vocari Carlingos, sicut à Cæsare Cæsarea dicitur: quod vocabulum omnes Theutonici usque hodie servaverunt. Dicunt enim, Vado in Carlingam, venio de Carlinga, homo ille Carlingus est, & linguam habet Carlingam. In lingua autem Latina, vocant eos Francigenas, quasi genitos à Francis. Theutonicos verò Occidentales, idest cis citraque Regnum, Francos vocant. Terram quoque ipsam Franciam, à Francis dicunt. Franconiam quoque, à quodam Duce eorum Francone, vocare eam consueverunt. Itaque de ipso Carolo Martello, qualis fuerit, & quot filios reliquerit, dicamus.

De Carolo Martello.

Anno igitur ab Incarnat. Domini DCCXIV. Majordomus erat iste præfatus Carolus, cognomine Martellus, qui pater Pipini Nani fuit, & avus Caroli Magni, qui Dux & Majordomus Francorum existens, natus ex Alpheida Ducissa per concubinatum, ex patre Duce Pipino Grosso, sua prudentia omnes Gallias, & Hispanias vicit & subjugavit; & Ecclesiam Romanam, atque Italiam à Gothis liberavit, & ipse primus decimas Ecclesiarum consensu Papæ Zachariæ militibus dedit in feudum, pro Ecclesiæ Dei necessitate. Eo tempore Beda Presbyter obiit, nono

nono Calendas Junii, qui multa scripta Ecclesiis contulit.

Carolus Martellus reliquit duos filios, Pipinum & Carlomannum, qui simul Duces, & Majoresdomus Francorum dicebantur. Sed post annos IV. Carlomannus fecit se Monachum in Monte Cassino. Pipinus verò per Papam Zachariam, ex electione Francorum, factus est Rex Francorum, Hildrico ignavo Rege per Francos tunc Monacho in Monasterium misso. De Pipino verò, natus est Carolus Magnus. Cætera versus habent, de Leone Imperatore, & Carolo Martello.

De primo adventu Gothorum in Italiam, tempore Leonis, Imperatoris Græcorum, quando Carolus Martellus Italiam à Gothis liberavit.

Cæsare Græcorum diadema tenente Leone,
Plaga venit Romæ, pax deperit à regione,
Gothica nam rabies prœlia dira movet.
Ad scelus edoctos peperit Guasconia Gothos,
Copia Gothorum genus est speciesque malorum,
Viribus ipsorum præda fit omne solum.
Marte premunt Ligures pariunt hinc inde dolores,
Thuscia conteritur, sentit quoque Roma furores,
Itala terra dolet, mors erat ante fores.
Roma requirit opem; Leo non dedit; inde Quirites
Amodo per Francos satagunt has tollere lites;
Theutonici veniunt, Francia signa nitent.
Gregorio Papa totoque petente Senatu,
Corolus Martellus committere bella vocatur,
Liberet ut patriam, munus ab Urbe datur.
Militis ad pretium decimas Respublica donat,
Papa vocat proceres, veniant defendere Romam,
His dedit Ecclesia tunc decimata bona.
Copia Gothorum Martelli Marte fugatur,
Roma reformatur, pax Ecclesiæ reparatur,
Gloria Francorum fulget in Urbe caput.

De morte & sepultura Caroli Martelli, & de filio ejus Pipino Nano, cum duobus fratribus suis.

ANno ab Incarnatione Domini DCCXLIII. defuncto Carolo Martello, & sepulto eo in Liguriæ civitate, quæ vocatur Aquis, Pipinus filius ejus dictus Nanus, & frater ejus Carlomannus, cùm tertium fratrem eorum Griphonem, tanquam hostem suum, à Regno fugassent, Regnum inter se dividunt. Carlomannus accepit Austriam, idest *Osterrich*, & Alemanniam, idest Sueviam & Turingiam: Pipinus autem Burgundiam & Neustriam atque provinciam cis Rhodanum sortitur. Deinde multis prœliis ab eis contra hostes commissis, anno ab Incarnat. Domini DCCXLVI. quando Fuldense Monasterium fundabatur, Carlomannus fratri suo Pipino omnem terram relinquit: & ipse Monasticum habitum, in monte Sirati, ubi olim latuit Beatus Sylvester, per Papam Zachariam assumit: & inde propter nimiam hominum frequentiam, ad Montem Cassinensem se transfert, & Clericus factus, ibidem vitæ finem expectavit. Ibi etiam (sicut dicitur) aliquando porcos custodivit: ibique in introitu Ecclesiæ beatam sepulturam accepit.

His temporibus Pipinus Dux Francorum, factus est Patricius Romanorum.

ANno ab Incarnatione Domini DCCLI. cùm in Regno Francorum Regibus solo nomine regnantibus, Major-domus omnem Regni administrationem ac potestatem haberet, & Ecclesia à Gothis, atque à Longobardis afflicta instanter à Francis auxilia postulasset; Pipinus dictus Nanus, cùm esset Major-domus, ad Zachariam Papam Legatos suos, Burchardum scilicet Guerzeburgensem Episcopum, & Pholradum capellanum suum, gratiâ sciscitandi transmisit: & quid de Regno Francorum ei videretur agendum, quæsivit. Papa itaque meliùs esse illum Regem, qui Regni totius curam & potestatem habet, quàm illum, qui solo nomine Rex est, remandavit. Stabat enim in Rege sola nominis umbra: in Pipino verò potestas & dignitas efficaciter apparebat. Erat tunc Hildericus Rex ignavuus & inutilis, ex antiquorum Regum Francorum genealogia: qui Reges à Mirovæo, filio Clodii, omnes Mirovæi fuerant appellati: qui etiam inane Regis nomen habebant. Reversi sunt igitur Pipini ab Urbe Legati, & omnis Gallia consilio Papæ Zachariæ libenter consensit.

Pipinus fit Rex Francorum.

ANno igitur ab Incarnat. Domini DCCLII. authoritate Papæ Zachariæ, Pipinus à Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, aliisque Regni Principibus, in civitate Suessiona, in Regnum eligitur. Sequenti anno, Papa Zacharia defuncto, Stephanus Papa successit: qui cùm ab Agistulpho Rege Lombardorum multa mala pateretur, Pipino à prœlio Saxonum revertenti, ubi etiam de morte fratris sui Griphonis nuncium recepit, occurrit in villa, quæ dicitur Carisius: rogans eum, ut Ecclesiæ Romanæ succurrat. Cætera versus habent.

De Gothis, & de Lombardis, à quibus Pipinus Ecclesiam Romanam, & totam Italiam liberavit.

Marte priùs Gothis procul à regione remotis,
Gens venit Hunnorum, Ligurum contraria votis,
Omnibus Italicis perniciosa locis.
Hæc gens bella gerens dum dimicat hoste minante,
Fœmina pugnando crines sibi porrigit ante,
Barbaque mentita, pendula pendet ita.
Mirantur Ligures longas sub pectore barbas,
Quumque vident barbas, metuunt, quasi bestia larvas,
Gens Ligurum timuit, cessit, & arma dedit.
Sic Longobarda meruit gens illa vocari,
Nisa super Ligures hoc ingenio dominari,
Vicit & Apuliam, littore, rure, mari.
Rex Lombardus erat Luprandus in urbe Papia,
Qui gravat Ecclesiam, Romam premit usque Sutriam,
Nec patitur patriam pacis habere viam.
Papa coarctatur, Leo Cæsar ad ista vocatur;
Spes ibi nulla datur, Rex Francorum rogitatur,
Sed neque Rex vènit, cùm foret umbra caput.
Hildericus tunc ignavus regnasse videtur,
Qui neque Francorum Regnum virtute tuetur,
Nec bene regales novit habere lares.

A *Pipinus Dux Francorum sua regna tueri*
Curat, & ipse Domus-major censetur haberi,
Rex & patricius qui citò magnus erit.
Pipinus Dux Francorum tunc regna regebat,
Regis & officium plenè sub Rege tenebat,
Rex ibi tunc vacuo nomine vilis erat.
Coram Principibus dum Rex in sede sederet,
Nil ibi præciperet, nisi Dux priùs ille juberet,
Jura, potestatem, Dux erat ipse gerens.
Rex erat Hildricus, qui tunc regnasse putatur,
Umbra fuit Regis, non Rex, si jure notatur,
Francia si poterit non erit umbra caput.
Tunc Rex Luprandus regnabat in urbe Papia,
Opprimit & Romam, simul & Papam Zachariam,
B *Et nimis Ecclesiam perdere semper hiat.*
Dum regimen Regni Francorum Nanus haberet,
Rex tamen Hildricus vacuus vilisq; sederet,
Nanus Apostolico scripserat ista ferens:
Si cupis Ecclesias Regni virtute juvari,
Præcipias Regem validum fortemque levari,
Robur ad hæc patriæ nos retinemus, ait.
Nam Rex Hildricus, cui nomen Francia præstat,
Res quasi funesta, cui non datur ulla potestas,
Nudum nomen habet, sed mihi terra favet.
Scribe pater Francis, pete, suggere præcipe semper,
Ut faciant Regem patria gladioque potentem,
Nam nihil auxilii Principis umbra facit.
C *Litera papalis Francis celeberrima vénit,*
Erigitur solium, Pipino gloria cedit.
Quippe sibi Regnum Francia tota dedit.
Hildericus factus Monachus, caput ipse totondit,
Seque Monasterio sub religione recondit,
Sic fortuna fuit, sic rota versa ruit.
Sede Moguntina Regem Bonifacius ungit,
Regis ad obsequium se Francia subdita jungit,
Ad Regem Nanum cedit ubique salus.
Sic probitate sua Regnum Pipinus adegit,
Corpore qui minimus res ad meliora redegit,
Et meliùs reliquis subdita Regna regit.
Ejus sponsa fuit grandis pede nomine Berta,
Vénit ab Ungaria, sed Græca matre reperta,
Cæsaris Heraclii filia namque fuit.
Ex hac mixtura fit summa corona futura,
D *Carolus est Magnus quem Berta fuit paritura,*
Scripsit visa priùs jungitur arte sua.

Chronicum.

TRojanam propaginem in duo genera Regum quondam fuisse divisam, idest in Æneam, & Priamum juniorem. Æneas vênit in Italiam, à quo omnes Romani Reges & Imperatores exierunt. Priamus verò junior ivit in Germaniam, à quo omnes Germani, sive Theutonici Reges nati sunt. Istæ itaque duæ progenies à Troja venientes, in unum Carolum Magnum concurrunt, cùm sit Theu-
E tonicus patre, & Romanus, sive Græcus à matre Berta.

Pipini origo.

In duo divisa Trojana propago parentes,
Jungitur in Bertæ Pipini semine ventre;
Semine Pipini Troja fit una sibi.
Si modò Theutonica, Romanaq; germina quæres,
Gemma parentelæ stat Carolus unicus hæres,
Romuleus matre, Theutonicusque patre.
Pipini Regis digressio scripta quiescat,
Contra Lombardos Pipini gesta patescant,
Qualiter Ecclesiam juverit ecce canam.

Item de Pipino qualiter sit Rex Francorum per Papam Zachariam.

ANno ab Incarnatione Domini DCCLIV. Pipinus per Stephanum Papam à fidelitate Hilderici prædicti Francorum Regis, cum omnibus Franciæ Principibus est absolutus. Tunc etiam, Hilderico tonsurato & monachato, atque in Monasterium detruso, Pipinus Regalem recipit unctionem. Eo tempore finem accepit Regnum Merovæorum; incipit autem Regnum Carolorum, qui Græcorum Imperium Romæ postea obtinuerunt. Ex hoc etiam facto Romani Pontifices mutandi Regnum trahunt auctoritatem. Pipinus igitur extunc Regnum Francorum nomine & re laudabiliter gubernavit.

Chronicum.

ANno autem ab Incarnat. Domini DCCLV. Pipinus rogatus à Papa Stephano, contra Astulphum Regem Longobardorum movet exercitum, & Italiam intrare disponit. Cùm autem Longobardi per angusta montium positis ante se ad tuitionem validis muris, defensionem sibi parassent; Pipinus, occisis ex eis plurimis, murorum claustra confregit, & pertransiens, in plano Lombardiæ resedit. Astulphus Rex in Papiam se colligit, ubi à Pipino obsessus XL. obsides dare, atque insuper jurare compellitur, ne Romanam Ecclesiam ampliùs infestaret; ubi Stephano Papa honorificè cum militia Francorum Romam remisso, ipse in Franciam remeavit. Hoc anno Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus, qui Ecclesiam Fuldensem, aliasque multas fundaverat, à Phrysonibus, quibus prædicaverat, martyrio coronatur.

Cætera, si qua placent, versibus acta patent.

De obitu Luprandi Regis Lombardorum, & de Astulphi Regis exaltatione, & de primo introitu Pipini in Italiam.

Luprandus moritur, Astulphus sede levatur,
Cujus & Ecclesia graviore furore gravatur,
Ejus primatu Roma perire datur.
Aurea Romanus sibi ferre tributa jubetur,
Romanus præsul nusquam sua jura tuetur,
Græci dissimulant, nec sua regna juvant.
Nunc prece Pipinum repetunt ad prœlia primum
Vincere Ticinum, Regemque repellat ad imum,
Liberet Italiam Romuleumque sinum.
Vénit, & obsedit Regem, pariterque coëgit
Reddere Romanis quæ tunc Astulphus abegit,
Gratia fit Regi, qui loca sancta regit.
Visitat almificam Pipinus in agmine Romam,
Nec tamen in Roma voluit gestare coronam,
Fit modò patricius, nomen honorque tonat.
Inde Moguntinas patriæ remeavit ad ædes,
Regia Francorum quæ tunc erat inclyta sedes,
Qua Germanorum gloria summa sedet.
Dum Rex Luprandus regnaret in urbe Papia.
Papa priùs dictus sua fata tulit Zacharias,
Annis vita decem, bis quoque mense sedet.
Ter senos numerando dies superaddis ad annos,
Erigitur Stephanus Romæ præsul venerandus,
Cujus & à studiis pax rediviva fuit.

De

De secunda rebellione Astulphi Regis, & de secunda victoria Pipini super eum.

Rex Lombardorum Astulphus, post Pipini discessionem, ruptis promissionibus adversus Ecclesiam sævior solito apparebat. Unde Pipinus iterum cum fortitudine Italiam ingreditur; rursusque Astulphus in Papia obsessus, omnia corrigere, fortioribus promissionibus, & pluribus obsidibus coarctatur. Insuper Ecclesiæ Ravennam cum quibusdam aliis urbibus coactus est resignare. Ipse autem Pipinus in Galliam est reversus.

Sequenti anno, Græcorum Regno (sicut supra taxavimus) decrescente, Francorum autem Regno plurimùm jam sublimato, Legati Constantini Augusti de Græcia cum magnis muneribus ad Pipinum venerunt, apud Compendium. Thassilo quoque Dux Bavarorum cum suis Principibus, tunc Regi Pipino fidelitatem & subjectionem exhibuit. Post hæc etiam Saxones gravissimo bello Pipinus devicit, & tributarios fecit. Non multò post Guaifarium magnum Aquitaniæ Ducem prœlio pressit, & obsides dare coëgit. Iterum Dux Guaifarius ab Aquitania, Thassilo etiam Dux ab Aguaria, incipiunt rebellare. Pipinus post diversa prœlia, Guaifarium interfecit. Thassilonem quoque sufficienter oppressum subjugavit. Deinde Turonis infirmatur Pipinus, & Parisios deportatus, anno XIV. à die qua in Regem unctus est, anno verò ex quo post Patrem suum acceperat Principatum XXIII. diem obiit, relinquens duos filios, Carolum & Carlomannum.

Cætera versificè pagina nostra refert.

Item de eodem Pipino, versificè narramus.

Dum putat Astulphi scelus evasisse Senatus,
Rex Lombardorum mox ad graviora paratur,
Nullaque jam requies ejus ab arte datur.
Præsul ab Astulpho queritur tormenta moveri,
Vita petit Cleri Pipini more tueri,
Si modò tardus erit Roma repressa perit.
Alpibus evectus celeri Pipinus hiatu,
Milite congreditur, Astulphus Marte fugatur,
Urbe sua clausus quærere pacta datur.
Jurat, & obsidibus sua quæstio tota ligatur,
Amodo si Papa Lombarda peste gravatur,
Auferat obsidibus regia pœna caput.
Pace reformata, Petro datur hostia grata,
Francia Brachata, loca visitat illa beata,
Et redit in patriam, pace manente rata.

De exaltatione Desiderii Regis Lombardorum, & de Rachisio adversario ejus.

Astulphi Regis dum vita die breviatur,
Rachisius frater Monachus regnare paratur,
Cui Desiderii pars inimica fuit.
Divisis populis, & Regibus his tribulatis,
Arma premunt armis, & pluribus inde necatis
Oppositis cuneis pugnat uterque satis.
Nunc Desiderio Stephanus dat Papa favorem,
Jurat & ille sibi, non lædere prorsus honorem,
Quem super Italicos Papa tenere solet.
Rachisius cedit Monachus, pars altera sedit,
Gens Ligurum Desiderio reverenter obedit,
Nam sibi subsidii tempora Papa dedit.
Rara fides Liguris; violat Rex fœdera pacis,
Fœderis ante dati jam nexibus evacuatis,
Concutitur gratis Papa dolore satis.
Hæc ubi Roma sapit, doluit rebus variatis,
Stat quasi fracta ratis, vel præda parata piratis,
Undique quassatis rebus & igne datis.

Carolus Magnus, filius Pipini, erigitur in Regnum Francorum, mortuo Pipino.

Anno ab Incarnat. Domini DCCLXVIII., imperante adhuc in Græcia Constantino Quinto, Carolus Magnus, filius Pipini Nani, Regnum dividit cum fratre suo Carlomanno, & incipit regnare. Iste primo loco Hunaldum, qui occiso Duce Guaiphario, bellum in Aquitania renovabat, ad Lupum Ducem Guasconiæ fugavit, & postmodum, tam ipsum, quàm Lupum in deditionem accepit. Inde sequenti anno in Wormatia generali Curia celebrata, limina Apostolorum, causâ orationis visitare disponit. Anno tertio Regni ejus, Carlomannus frater ejus moritur, & uxor ejus cum filiis ad Desiderium Regem Lombardorum confugit.

Carolus itaque jam solus Regnum adeptus, Saxoniam cum exercitu ingreditur, omnibusque ferro & igne vastatis, acceptis inde obsidibus, revertitur; dehinc rogatu Adriani Papæ Italiam ingreditur, & Desiderium Longobardorum Regem Ticini obsidione inclusit. Ibique dimisso exercitu, Romam orationis gratiâ pergit. Inde reversus, Urbem fatigatam ad deditionem compulit, Regemque captivum abduxit.

Inter hæc Saxones, absentia Regis elati, fide postposita, contigua terræ sua loca populantur. Porrò Rex subactâ Italiâ, reversus in Franciam, tripartito ordine militum Saxoniam ingreditur, incendiisque vastatâ terrâ, prædam immensam diripuit, & non multò post regressus, denuo ab eis obsides accepit.

His diebus Constantinus persequutor, trigesimo quinto Imperii sui anno mortuus est, eique filius suus Leo successit, & Græcorum Monarchiam per sex annos satis debiliter tenuit in Græcia.

De Leone Imperatore Græcorum sexagesimo primo supra memorato, & Chronica ipsius temporis.

Anno igitur ab Incarnatione Domini DCCLXXVI. Leo sexagesimus sextus ab Augusto, Imperium Græcorum accepit. Hic primò visus est mitior: unde & Principes filium ejus Imperatorem postulant.

Per idem tempus Saxones more suo, non semel, sed sæpe pactum mentientes Carolus diversis prœliis pressit, ac plurimis ex eis Fidem Christianam accipere persuasit. Porrò Leo Imperator, sexto Imperii sui anno moritur.

Cætera versificè gesta referre placet.

Item de Pipino, & de generatione ipsius, versificè narramus: & quomodo Carolus vocatus est in auxilium Romanæ Ecclesiæ, in Italiam.

Pipinus moritur consurgit Carolus acer,
Natus in Ingelehein, cui Berta fit Ungara mater,
Pipinusque pater, Chronica vera patent.
Dupla fuit juveni mensura pusilla parentis,
Ma-

Major erat probitas, species, audacia mentis,
Fama fuit celebris, gloria multa nimis.
Nunc moritur Stephanus memoratus Papa Secundus;
Annis quinque suo viguit sub dogmate mundus,
Insuper in finem pertulit octo dies.
Tertius accedit Stephanus Romæ venerandus,
Quem Desiderius perturbat ubique tyrannus,
Temporis exigui vir modò Papa fuit.
Nam tribus hic annis & mensis quinque resedit,
Ter senos superaddo dies, quibus ipse resedit,
Cui Desiderius tempora torva dedit.
Erigitur post hunc Adrianus Papa Beatus,
Cui Desiderius perturbat Pontificatum;
Hic & opem Caroli pressus ubique petit.
Vixit Adrianus vigintiquatuor annis,
Addo decem menses, denosque dies numerandos,
Insuper & septem sic super addo dies.
Carolus egregius papalia scripta relegit,
Scribit ei Papa mala quæ Lombardus adegit,
Et petit ut Christi conferat arma gregi.
Francorum proceres pariter cum Rege rogantur,
Ut simul Ecclesiam virtute sua tueantur,
Actaque Pipini commemorantur ibi.
Fertur ad hæc procerum sententia talis haberi;
Si velit Ecclesia Francorum Marte tueri,
Carolus Imperio præficiendus erit.
Nam labor est vacuus sic Italiam superari,
Ni maneat Princeps, qui possit ei dominari,
Gestet & Imperii jura colore pari;
Qui tenet archiva, quæ sæpe cadunt recidiva,
Tempora passiva sibi sunt, sed pauca dativa,
Nam mala castigat, nec tamen ipsa ligat:
Sit Rex Francorum Romæ dominus dominorum,
Imperium teneat, terram premat Italicorum,
Atque super Danaos auferat omne solum.
Regis opem precibus dum Roma per omnia quærit,
Dum petit ut patriam dignetur ab hoste tueri,
Dicit ut Imperium tollat ut alter heri.
Rex ait; Italicos ego renuo ferre labores,
Ni simul Italicos habeam constanter honores,
Qui mihi si fierent pax valitura foret.
Prœlia Pipini perpendo mei genitoris,
Quanta super Ligures Probus intulit arma doloris,
Nec tamen abstinuit turba renisa dolis.
Non valet Italica sinè Principe terra teneri,
Si requiem Cleri cupitis sinè Rege tueri,
Qui fuit error heri, cras quoque major erit.
Nil valet archatus dum nullus eo dominatur,
Nec valet Imperium nisi Cæsaris ense regatur,
Subjectam patriam Regia norma parat.
Roma potens viguit dum Cæsar in Urbe resedit,
Publica res crevit, gens Itala pace quievit,
Terra suis dominis digna tributa dedit.
Tempora quæ memini, si Roma cupit reparari,
Aut Desiderii Regis scelus evacuari,
Expedit Imperii quæ peto jura dari.
Rex ubi verba dedit, populus petit arma moveri,
Jura sui Cleri petit, optat & ipse tueri,
Nam Desiderii Roma furore perit.
Curia Francorum precibus consentit eorum,
Tollat ut Imperium victoria Theutonicorum,
Stringat & Italicum fiscus ubique solum.
Signa movent proceres, Rex præcipit arma parari,
Transit & ad Ligures, quibus amodo vult dominari,
Sed Desiderium prœlia dira parit.
Campus apud Ligures Mortaria ritè vocatur,
Rex ubi congreditur, Ligurum pars victa fugatur,
Sic Desiderii copia terga dedit.
Pro nece multorum, quæ facta fuit populorum,
Dicitur illorum Mortaria nomen agrorum,
Quæ peregrinorum stat modò grande forum.
Tunc duo consocii meritis vitaque Beati,
Amis & Amilius parili sunt Marte necati,
Carolus his tribuit digna sepulchra satis.
Obsidet egregiam modò Rex cum Rege Papiam,
Et jubet ut gladiis Francorum subdita fiat,
Reddat & Ecclesiæ quæ malè rapta tenet.
Urbs nimis obsessa dolet, igne fameque repressa,
Vulnere defessa Lombarda superbia cessat,
Et licèt invita, clausa remansit ita.
Dux ibi mirandus tenuit vexilla Rolandus,
Sic & Oliverius socia probitate notandus,
Hos pro Rege Duces tunc habuere truces.
Visitat interea Regina potentia Romam,
Nec modò Cæsaream voluit captare coronam,
Orat, & ad Ligures signa reversa volant.
Carolus Italiam, postquam remeavit ab Urbe
Visitat & superat, fiscoque subesse perurget,
Reddit & Ecclesiis prædia digna suis.
Rex Desiderius, quem Marte recluserat intus,
Traditur exilio pariter cum conjuge vinctus,
Cujus Aquisgrani carcere vita cadit.
Dum Desiderium Regem Rex Carolus angit,
Ante ducentenis & quinque fluentibus annis,
Itala Lombardis subdita terra fuit.

Historia Lombardorum, qui priùs Vinuli vocabantur.

DUo Duces Lombardorum ab Insula Scatinavia fuerunt, Hibor scilicet & Hangio: quorum mater fuit Gambara, sapientissima. Isti tunc egressi, in finibus Oceani maris, sub rupe quæ vocatur Altissima, septem viros à longissimis temporibus ibi positos, inveniunt dormientes, Romano more pretiosè vestitos, & tam vestibus quàm corpore incorruptos: de quibus quum unum quidam vestibus expoliare tentasset, tangentis eos manus protinus aruerunt: propter quod alii omnes ampliùs eos attingere non tentaverunt. Locus autem ille, & ipsa Provincia, & Populi illi, Vinuli vocantur, & crudis carnibus vescuntur, & sanguinem bibunt, sicut Historia Lombardorum testatur. Crudis etiam & hispidis coriis bestiarum, quasi cervis consimilibus induuntur; & nunquam sinè arcu tenso, & sinè sagittis incedunt. Omni tempore nives habent, & in quibusdam locis eorum tempore æstivo dies clara in medio noctis nostræ habetur, & quasi tunc sinè noctibus esse videntur. Dum apud nos est solstitium: Sol tamen ibi non videtur. Dies ibi minores sunt quàm alibi: sed noctes longiores, quia scilicet quanto ibi à Sole longiùs discedit ur, tanto Sol ipse terræ vicinior apparet, & umbræ longiores excrescunt.

Lombardi, à Scantinavia exeuntes cum Ducibus supradictis, in regione Scoringa aliquandiu consederunt. Illo tempore Ambrietasius Dux Vandalorum, vicinas quasque provincias bellis premebat. Unde multis elatus victoriis, nuncios ad Vinulos mittunt, ut vel Vandalis tributa persolvant, aut se præparent ad bellorum certamen. Sic Hibor & Angio Duces Vinulorum, simul cum Gambara matre sua, deliberant, meliùs esse armis tueri libertatem, quàm tributorum solutione libertatem fœdare. Mandantque Vandalis per legatos, pugnaturos se potiùs, quàm servituros.

Re-

Refert Toclacus Historiographus antiquitatis fabulam ridiculosam: quòd Vandali accedentes ad Idolum suum Godam, victoriam de Vinulis postulaverint. Illeque responderit, se illis victoriam daturum, quando primum Orientem solem conspexisset. Refert econtra; Gambaram ad Deam nomine Feriam uxorem scilicet Godam, tunc accessisse, & pro Vinulis victoriam ab ea postulasse: eandemque Deam Feriam consilium dedisse, ut mulieres Vinulorum crines suos dissolutos ante faciem suam ponerent, & primo mane cum viris adessent, seseque pariter videndas versùs fenestram, per quam Godam eas aspiceret, collocaret. Quod & factum ita fuisse refertur: quos cùm Godam solē Orientem inspiciens, vidisset, dixit, Qui sunt hi Longibarbi? Cui Dea Feria respondit, dicens; Ut, quibus ipse nomen tribueret, victoriam etiam condonaret. Itaque Vinulis (sicut ajunt) sic victoriam concessit. Hæc quidem fabulosa dicta videntur.

Verum autem nomen Lombardorum est, à longa barba, ferro intacta, Longobardos eosdem Vinulos appellari. In lingua enim Vinulorum *lang*, idest longa: *bart*, idest barba, interpretatur. Votam autem quidam Gotham adjectâ literâ dixerunt. Ipse est qui apud Romanos dicitur Mercurius, & tunc ab universis Germanis ut Deus adorabatur, unde usque hodie, Goth in Theutonico, Latinè dicitur Deus. Vinuli igitur etiam hodie Longobardi dicuntur.

Commisso igitur decies cum Vandalis prœlio, & pro libertate contendentes, Vinuli victores fiunt. Qui magna postmodum fame coacti, in eadem provincia Scoria, animo sunt consternati. De qua egredientes, dum in Moringam provinciam transire disponerent, Assipidi eorum iter impediunt, denegantes eis transitum per terminos suos. Porrò cùm Longobardi magnas hostium copias cernerent, & pro suorum paucitate cum illis congredi non auderent, tandem necessitas consilium adinvênit. Simulaverunt enim Longobardi, se in castris suis habere Cynocæphalos, idest homines canina capita habentes. Quos etiam divulgant apud hostes pertinaciter prœlia gerere, humanum sanguinem bibere: atque si hostem non possint attingere, proprium sanguinem potare. His hostes auditis, crudelique * effecti, bellum quod indixerant, committere formidabant, habebant tamen apud se virum fortissimum, de cujus viribus omnimodis confidebant: quem solum pro omnibus objiciunt pugnaturum; mandantes Longobardis ut unum eorum illi opponerent, qui cum eo pro omnibus singulare iniret certamen: ea scilicet conditione, ut si Longobardorum pugilem vinceret, ipsi transitum liberum obtinerent: sin alter illum vinceret, ipsi sicut venerant, repedarent.

Adhæc homo quidam, de genere servorum Longobardorum, se obtulit pro omnibus pugnaturus: ea quidem conditione, ut si vicerit, libertati donetur. Longobardi gratanter quod postulat pollicentur. Ita cùm servus hostem vicisset, Longobardi in Mauringuam pervenientes, transeunt in Rugulandam: ubi modicum commorati, procedunt in provinciam Anthap, & inde in terram Bathaib: deinde in Burgandam, quam per annos aliquot possederunt. Interea mortuis duobus Ducibus Longobardorum, Hibor scilicet & Angione, ipsi sibi Regem creaverunt.

Regnat igitur Agelmund filius Angionis, de progenie Vinulorum, qui apud eos nobilior habebatur. Iste super Longobardos annis triginta tribus regnavit.

Hujus temporibus quædam meretrix uno partu enixa septem infantes, crudeliter omnes in piscinam projecit necandos. Rex autem Agelmund equo residens, dum in piscinam fortè venisset, hasta quam ferebat, miseros tangebat infantes. Quorum unus extenta manu, hastam apprehendit. Rex misericordia motus, & rem altiùs admiratus, mox illum ab aqua levari præcepit, atque per nutricem summo studio mandat alendum: eumque à piscina, quæ dicitur Lama, Lamis appellavit: qui cùm crevisset, factus est juvenis bellicosus, multaque virtute notatus, ita ut defuncto Rege Agelmundo, ipse Regnum laudabiliter gubernaret.

Interea dum Longobardi ab omni hoste securos se esse putarent, Bulgari eos medio noctis invadunt, Regem Agelmundum, & magnam partem suorum occidunt, Regisque unicam filiam captivam deducunt.

Longobardi postea resumptis viribus, Lamisionem supra memoratum Regem sibi constituunt. Qui mox in Bulgaros arma convertit. Primò igitur bello cùm Longobardi terga vertissent, Rex Lamisio eos confortat, servis bene pugnantibus libertatem, omnibusque præmia larga promittit. Unde omnes armati in hostes Bulgaros manus convertunt, omnes penè prosternunt, spolia & arma infinita diripiunt, & gloriosissimum habent triumphum. Extunc & Longobardi ad exercenda prœlia semper audaciores esse cœperunt.

Rege Lamisione defuncto, qui secundus regnavit; Letha pro eo regnavit, qui tertius eorum Rex, cùm annis quadraginta regnasset, succedit ei filius ejus Gildehoc, quartus à primo Rege eorum. Quo defuncto, quintus Rex Gildehoc Regnum suscepit. Paulò post Longobardi à finibus illius egressi, transeunt in Rugulanda, idest in patriam Rugorum: ubi propter terræ fertilitatem aliquandiu remanserunt. Interea moritur Rex Gildehocus: cui succedit Classo filius ejus. Defuncto quoque Rege Classone, filius ejus Guado succedit, septimus Rex Longobardorum. Tunc egressi de Rugulanda, habitaverunt in campis patentibus, quos lingua eorum Felda vocabant: ibique tribus annis manserunt.

Defuncto Guadone, succedit Gualtarius filius ejus, in Regno octavus. Omnes autem Reges illi fuerunt Adelingi, idest de nobiliori prosapia, quæ apud illos dicitur Adelinga. Gualtaris Rex cùm septem annis regnasset, obiit. Cui succedit Alduinus, nonus, in Regnum; qui Longobardos in Pannoniam perduxit. Iste Alduinus habuit filium Alboinum, militem audacissimum; qui dum Gepidorum Rex contra Lombardos pugnaret, filium Regis Gepidorum uno gladii ictu extinxit, & de eisdem Gepidis gloriosè triumphavit.

Eo tempore Justinianus Imperator legum multiplicitatem abbreviavit, & Imperium in diversis partibus Orbis mirificè dilatavit: sicut in tractatu ejus, dum de aliis Imperatoribus scriberemus, satis est enarratum.

His diebus Beatus Benedictus Abbas erat apud locum qui dicitur Sublacus; & paulò post

post transiit ad montem Cassinum.

Mortuo Alduino Rege Longobardorum, filius ejus prædictus Alboinus, quem genuit Rudulinda Regina, vir bellicosissimus, & per omnia strenuus, succedit patri in Regnum, decimus Regum Longobardorum. Iste accepit in uxorem filiam Clotharii, Regis Francorum, nomine Glotsuindam: de qua genuit unam tantùm filiam, nomine Abbisindam.

Obiit interea Turisindus Rex Gepidorum: cui succedit Cunimundus in Regnum, qui rupto cum Lombardis fœdere, bellum cum eis potiùs, quàm pacem elegit, ut antiquas patris sui injurias, & fratris sui necem vindicaret. Itaque Rex Alboinus cum Avaribus, qui priùs Hunni, sed postea Avares à Regibus sunt appellati, perpetuum fœdus composuit: deinde ad indictum sibi Gepidorum prœlium properavit: dum Gepidi ad bellum procedunt, Avares, sicut cum Albuino condixerant, Gepidorum Regnum inuadunt. Quo audito, Gepidi in angustiis positi, & animo consternati, ex consilio suo eligunt cum Lombardis priùs pugnare: deinde Hunnos, idest Avares, à patria removere. Igitur Gepidi & Lombardi bellum committunt. Hoc prœlio Gepidi usque adeò sunt extincti, ut nec unus ex eis nuncius remaneret. Albuinus in eo prœlio Regem Gepidorum Cunimundum occidit, & de testa capitis ejus scyphum ad bibendum paravit. Hoc genus scyphi, apud illos dicitur scapha, Latinè autem dicitur patera.

Albuinus filiam Cunimundi occisi, nomine Rosimundam, deduxit captivam. Quam quia Glotsuinda filia Regis Clotarii, prior scilicet uxor sua, jam obierat, ipsam captivam in suam perniciem (sicut postea patuit) duxit uxorem. Ex illo tempore Lombardi supra modum ditati & exaltati. Gepidi verò quasi extincti, perpetuò servituti Hunnorum, idest Avarorum, sunt mancipati.

Igitur cùm circunquaque frequens Longobardorum victoriæ personarent, Narses Chartularius Imperialis, qui tunc præerat Italiæ, bellum adversùs Totilam Regem Gothorum præparans, cùm jampridem Longobardos confœderatos haberet, legatos ad Regem Albuinum direxit, quatenus ei pugnaturo cum Gothis auxilium ministraret. Tunc Albuinus ei exercitum direxit, qui Romanos adversùs Gothos juvaret: quibus susceptis, Romani cum Gothis bellum committunt. Quibus usque ad internecionem pariter cum Totila suo Rege deletis, honorati multis muneribus, victores ad propria remearunt.

Ex tunc Romani Longobardorum amici in Pannonia semper fuerunt. Igitur Narses deleta gente Gothorum, & hostibus Romanorum in diversis mundi partibus superatis, invidiam sibi apud Romanos contraxit. Romani eum apud Justinianum Imperatorem & apud Sophiam Imperatricem, falsis delationibus gravissimè accusabant. Justinianus imperat ut Narses ab Italia discedat, & Constantinopolim redeat, Longino præfecto loco ejus in Italia constituto. Sophia quoque Regina contra eum gravissimè commota, minas ei gravissimas inferebat, dicens; eundem Narsem Eunuchum ita se velle deprimere, ut in lanificio & in tela texenda eum cum aliis mulieribus vivere oporteret. Ad quæ verba Narses Eunuchus dicitur respondisse, quòd talem telam ei ordiretur, quam ipsa omnibus vitæ suæ temporibus complere non posset. Itaque odio metuque exagitatus, in Neapolim Campaniæ civitatem secedens, Legatos mox ad Longobardorum gentem dirigit, mandans ut pauperrima Pannoniæ rura desererent, & ad Italiam cunctis refertam divitiis possidendam venirent: simulque misit multimoda pomorum genera, aliarumque species rerum, quarum Italia fertilitate lætatur. His & aliis dictis Longobardorum animos Narses ad intrandam Italiam vehementer allexit.

Longobardi legationem læti suscipiunt; de futuris commodis extolluntur, & ad intrandam Italiam præparantur. Eodem tempore igneæ acies in aëre apparuerunt, Italiæ sanguinem qui postea effusus est coruscantes.

Albuinus Rex Lombardorum, intraturus Italiam ab omnibus amicis suis Saxonibus petit auxilium, ut spatiosam Italiam cum pluribus possessurus intraret. Ad quem de Saxonibus viginti millia virorum cum uxoribus & filiis, cum Longobardis perpetuò mansuri venerunt. Hoc audientes Reges Francorum, Clotharius & Sigibertus, Suevos, & alias gentes in locis unde Saxones exierant, collocaverunt.

Albuinus sedes suas, idest totam Pannoniam amicis suis Hunnis, idest Avaribus, ea conditione reliquit, ut si Longobardos aliquo tempore regredi oporteret, liceat eis ad suas possessiones in Pannoniam remeare.

Habitaverant Longobardi Pannoniam annis quadraginta duobus; à qua egressi sunt mense Aprili, Indictione secunda, cum uxoribus & liberis Italiam possessuri.

Anno ab Incarnatione Domini DLXXXVIII. Albuinus ingressus Italiam apud Forumjulii circa Venetias nepotem suum Gilphulsum primo loco Ducem constituit, eique illas Italiæ partes commisit.

Eodem tempore moritur Clotharius Rex Francorum, & Regnum Galliæ inter filios ejus quadrifariè dividitur. Quorum primus, Aribertus, sedet Parisiis; secundus Guthrannus, sedet Aureliani; tertius Hilpericus, apud Senones tenet sedem Clotharii patris sui; quartus Sigibertus, sedet in urbe Metensi. Romæ tunc erat Papa Benedictus; in Aquilegia verò Paulus erat Patriarcha, qui metu Lombardorum ad Gradum (idest Venetiam) cum omni thesauro Ecclesiæ suæ, & cum supellectili confugit. Eodem tempore Avares qui & Hunni, sive Ungari, audita morte Regis Francorum Clotharii, super filium ejus Sigibertum arma convertunt; quibus ille in Thuringia occurrens, juxta Albim fluvium de eis optimè triumphavit, illisque postulantibus pacem dedit.

Albuinus cùm Tervisium pervenisset, Episcopus ejus Ecclesiæ Felix ei occurrit; cui Rex petenti super omnibus bonis Ecclesiæ privilegii sui firmamenta concessit. Albuinus Veronam omnesque alias Venetiæ civitates, præter Paduam, & Mantuam, & montem Silicis, vicit. Venetia enim non in paucis Insulis, sicut quidam æstimant, constat, sed etiam terminos à finibus Pannoniæ usque ad Aldam fluvium tenet (Laudensium & Mediolanensium) Probatur hoc per libros Annales, in quibus civitas Bergamum inter alias civitates Venetiæ numeratur. Dicitur autem Liguria circa Mediolanum, & circa Papiam, quasi à legendis

dis leguminibus, quibus omni tempore plus quàm aliæ provinciæ abundare videtur. Ligurii usque ad fines Suevorum & Burgundionum terminos suos extendunt.

Albuinus Rex Lombardorum uxorem suam Rosimundam cogit bibere ex testa capitis patris sui Cunimundi, Regis Gepidorum: quam ipse in similitudinem scyphi fecerat præparari.

ALbuinus Rex in quadam sua magna solennitate in convivio solenniter residens, cum scypho illo, quem de capite Cunimundi, Regis Gepidorum, soceri sui, sibi fecerat præparari, imperat, ut in præsentia omnium, Reginæ propinetur: quæ dum facti sceleris ignara, poculum bibitura tulisset, dicit ei Rex Albuinus; Bibe cum patre tuo: quo dicto, Rosimunda Regina, magis quàm credi valeat contristata, ingenium & animum ad hujus sceleris ultionem convertit.

Rogat igitur ad hoc perpetrandum ipsius Regis pincernam, nomine Helmegis, & alium militem, nomine Paradeum. Erat autem Helmegis nutritius & collactaneus Regis, miles fortissimus; qui dum prima fronte non consensisset, Regina subtiliori usa ingenio, imperat ancillæ suæ admodum speciosæ, ut sese pincernæ ad coitum sequenti nocte supponat. Quod cùm puella semel aut bis peregisset, Regina in ipsa nocte, clam remotâ puellâ, se ipsam militi ignoranti subjecit; expletaque cum eo libidine, dixit: Quam fœminam me esse existimas? Ille respondens, nominavit puellam. Ait illa; Reginam me esse cognoscas: unde nisi meis dictis parueris, ipso Albuino te feriente, peribis. Elige igitur magis illum occidere, mecumque regnare feliciter, quàm illo vivente, meque te accusante, perire. Ad hoc Helmegis pincerna in angustiis positus, quasi invitus sequitur mulieris præceptum, tandemque iniquum consilium pessimum sortitur eventum.

Qualiter autem Regina, & Helmegis pincerna Regis cum milite Paradeo hæc scelera inchoaverint & terminaverint; qualiter etiam ipsi postmodum perierint, subjectam paginam versibus heroicis explicabit: quibus perlectis, ad historias Imperatorum iterum convertemur, & de Carolo, suisque successoribus historias proponemus.

Item de Albuino, & de Rosimunda versificè, qualiter illa se vindicat, & ipsa tandem veneno moritur.

Anni sexcenti fuerant post tempora Christi,
Quando per Italiam Lombardus prœlia sistit:
Lombardus Vinuli nomina prisca tulit.
Regibus ante novem jam præteritis Vinulorum,
Venit in Italiam Rex Albuinus eorum;
Sic Lombardorum scripta priora volunt.
Ducta per Ungariam quondam Lombarda corona
Occupat Italiam, sedem tenet urbe Verona;
Taliter historiæ scripta priora sonant.
Primus in Italiam Rex Albuinus eorum
Vicit ab Ungaria bello gentem Gepidorum,
Interimens Regem, diripiensque forum.
Tunc Gepidi caput inde tulit Regis Cunimundi,
Sub specieque scyphi capitis parat ossa rotundi,
Victor & inde bibit pocula chara sibi.
Interea sua sponsa prior moritur Glodosunda,
Filia Regis ei Gepidi fit sponsa secunda,
Hæc Rosimunda fuit, cujus & arte luit.
Ipse caput soceri, quem fecerat ense necari,
Arte scyphum fieri statuens, auroque ligari,
Vina suæ sponsæ præcipit inde dari.
Fœmina nescisset quod testa paterna fuisset,
Vina nec hausisset, nisi diceret impius ipse:
Testa tui patris est, cum patre nata bibe.
Dum bibit immunda data vina gemens Rosimunda,
Pectora pessundat, lachrymæ vehementer inundant,
Occisique patris res fit amara satis.
Crimen inauditum, Regemque perhorret iniquum,
Præparat invisum Regina necare maritum,
Dum caput abscissum comperit esse scyphum.
Instruit ancillam, forma specieque decoram,
Ut sibi pincernam coitus conjungat in hora,
Illa quod implorat perficit absque mora.
Nocte sequente venit Regina, loquens mulieri:
Militis huius ego volo te lecto removeri,
Opto mihi fieri quod tibi fecit heri.
Abiit; se prostituit Regina latenter,
Ignarum tenet ipsa virum perpessa libenter,
Expletisque jocis, incipit ipsa loqui;
Quomodo Reginam tu non tetigisse vereris?
Ecce tui Regis gladio dignè morieris,
Ni mihi credideris hostia mortis eris.
Vir putat ancillam, sed vox sonuit Rosimundæ,
Unde vir expavit, mulier confortat eundem,
Cœpit & ordiri facta futura viri.
Elige quod cupias, duo sunt quæ conspicis in te,
Aut Regem perimes (inquit) vel Rex perimet te,
Elige sorte fori, vivere sive mori.
Te licèt invitum (dixit) mihi quæro maritum,
Rex eris, & Regem gladio jugulabis iniquum,
Si mihi credideris, quamcitò summus eris.
Dum Regina dolet nimium pro morte paterna,
Vindice pincerna citò vindicat acta moderna,
Rege soporato sustulit ille caput.
In pretium mortis tribuit se fœmina sorti,
Thesaurosque suos in eum post pauca retorsit,
Indeque post plura præripuere fugam.
Namque Ravennatum ratibus rapuere meatum,
Dux urbis suscepit eos tribuitque theatrum,
Patria tunc illis magna Ravenna fuit.
Cum Duce Regina clandestina fœdera quærit,
Si pincerna perit, si morte potest removeri,
Sponsus Reginæ Dux ibi solus erit.
Dum pincerna venit potum parat illa veneni,
Potans præbet ei, simul & potare coëgit,
Fœmina mœcha bibit, nota venena sibi.
Illa priùs moritur, defungitur ille sequenter,
Fraus ibi fraude perit, moritur mors morsa decenter,
Sic gravis ira Dei digna rependit ei.

De Constantino Imperatore Græcorum, sexagesimo septimo ab Augusto, regnante in Francia Carolo Magno.

ANno ab Incarnat. Domini DCCLXXXI., regnante in Francia Carolo Magno Constantinus filius Leonis, sexagesimus septimus ab Augusto, in Imperium successit Græcorum: cujus filia Carolo Magno à matre desponsata, alii copulatur: cujus Imperii anno tertio idem Carolus Rex Romam veniens, ab Adriano Papa honorificè suscipitur: ibique Sancto Pascha celebrato, Pipinus filius ejus in Regem Italiæ, & Ludovicus alius ejus filius, in Regem Aquitaniæ unguntur. Ipse autem Carolus, universo Romano populo ac-

clamante, patricius Romanus appellatur.

Circa idem tempus Carolo Pascha Domini in loco qui dicitur Ingelheim, quarto milliario ab urbe Moguntia, celebrante, Tassilo cum majoribus Bavariæ Principibus vênit: ubi dum accusatus à Bavaris, quòd fidem Carolo non servasset, immo Avares ad Regnum devastandum duxisset, de his & de aliis Majestatis reus, & capitali pœna plectendus judicatur. Rex tamen misericordia motus, in Monasterio Lauracensi, quod ipse construxerat, eum Monasticum habitum assumere, & de peccatis ibi pœnitere permisit.

Constantinus interea Imperator, consilio matris suæ Irenes (ut ajunt) non multò post cœcatus, Imperii sui anno primo diem obiit; regnavitque post eum mater sua quinque annis: unde postquam in manum fœminæ devenerat Imperium, dignum erat ut ad Francos, viros potentissimos, transferretur.

Leo Papa Romæ fuisse cœcatus & lingua mutilatus, & iterum à Deo redintegratus.

EOdem tempore Leo Papa, anno ab Incarnatione Domini septingentesimo nonagesimo nono, post mortem Papæ Adriani succedens, à Romanis flagitiosissimè tractatur, ita ut oculis una die bis cœcatus, & lingua bis truncatus fuisset, & in capella quadam reclusus est. Sequenti nocte à quibusdam Fidelibus ad Basilicam Beati Petri perductus, ubi virtute Dei oculos & lumen oculorum, & linguam cum loquela recepit. Deinde ad Regem Carolum transiens, eventum rerum deplorat. Igitur Carolus, subjugatis sibi jam Bavaris, & Danis, & Saxonibus, atque Aquitanis, Normannis, & Britannis, & Pannoniis, multisque aliis Provinciis, ad urbem Romam ulturus Papam, tendebat. Leo Papa priùs per Legatos in Sedem suam restitutus, tunc ei venienti ad decimum lapidem occurrit, & honorificè eum suscepit. Transactis post hæc decem diebus, Rex in populo facta concione causam adventus sui exponit, ubi Leo Papa spontanea voluntate, nullo eum cogente, à crimine sibi objecto tactis Sacrosanctis Evangeliis se purgavit. Cætera versus habent.

Item de eodem Leone Papa Tertio, versificè, quomodo cœcatus est, & lingua truncatus.

Prorsus ab Ecclesia Ligurum jam peste remota,
Plebeque Romulea gaudente per omnia tota,
Volvitur ambigua sorte ferente rota.
Papa Leo capitur, processio dum celebratur,
Corpore conteritur, radicitus exoculatur,
Cæcus & horribili carcere Papa jacet.
Sustulit & linguam penitus gens illa maligna,
Cùm foret indigna Papalia tangere signa,
Linguam cùm rapuit rursus ab inde tulit.
Mane sub aurora res vertitur ad meliora,
Dum populus plorat, dum carcere Papa laborat,
Carceris è medio tollitur arte foràs.
Tristior Ecclesia Dominum cùm cernere quærat,
Vulnera mortifera reficit Clementia vera,
Lumina participat qui modò cæcus erat.
Præsul habens oculos videt omnia lumine prisco,
Gloria sit Christo, qui mira patravit in ipso,
Quo meruit cæcus frontis habere decus.
Obtinet & propriam linguam, redeunte loquela,
Audit & Ecclesia Papa recitante querelam,
Pollet in eloquio qui modò mutus erat.
Authorum sceleris Lector, si nomina quæris?
Campulus Ecclesiæ Primicerius ordine Cleri,
Author erat sceleris quem data pœna ferit.
Nomine Paschalis, cantor, Papæque Sacrista,
Sacrilegas dedit insidias, nam perpetrat ista,
Ambo pares scelere sunt, pariterque luent.

Leonis querela apud Carolum, & de Campulo & Paschali reis.

Quæ Leo passus erat, populus tormenta revelat,
Carolus interea suscepit ab Urbe querelam,
Et jubet ut veniat præsul, & ille meat.
Hæc ubi Papa gerit, solatia regia quærit,
Multaque Romulei secum tulit agmina Cleri,
Ultio martyrii, quod Leo portat, erit.
Curia Francorum precibus miseretur eorum,
Quærit & ipsorum quæ sit modò causa laborum,
Stans Leo conqueritur, narrat & ipse dolum.
Tempus ut exegit, Leo rettulit omnia Regi,
Quæ mala collegit, quæ Campulus ille peregit,
Compatitur miseris qui diadema regit.
Corde dolent mites, plorant pietate Quirites,
Præsulis horribiles properant extinguere lites,
Castra movent proceres, regia signa nitent.
Copia primatum suscepit ab Urbe Senatum,
Suscipit archatum sibi Papa reconciliatum,
Pax velut optatur Rege jubente datur.
Campulus & reliqui, quos noxia culpa notavit,
Traditur exiliis, quia crimina tetra patravit,
Præsul & Ecclesia gaudia longa trahit.

Qualiter & quando Carolus Magnus factus est Romanorum Imperator, sexagesimusoctavus.

ANno ab Incarnatione Domini DCCCI. ab Urbe condita MDLII. Carolus Magnus 33. Regni sui anno, à Leone tertio Summo Pontifice coronatur, omni populo Romano tunc acclamante, & laudes Imperiales canente. Est igitur Imperator Carolus 68. ab Augusto vocatus.

Carolus igitur Augustus, illos qui in Papam sacrilegium commiserunt, Campulum scilicet Primicerium, & Paschalem Sacristam, capitali sententia condemnatos, interventu Papæ vivere permisit, & ad pœnitentiam agendam, exilio relegavit.

Porrò Irene, Græcorum Imperatrix, missis Legatis pacem inter Græcos & Francos ordinari rogavit. Cum quibus Carolus missis suis Nunciis, Irenen in uxorem sibi postulavit. Cui dum Irene annuisset, Eutius patricius præsentibus Legatis Caroli, fratrem suum Nicephorum fecit Imperatorem, & Irenen in Monasterium trusit. Nicephorus idem factus Imperator, Legatos suos cum Legatis Caroli transmisit, & fœdus tunc inter se literis ac Nunciis firmavere. Rex quoque Persarum Carolum Imperatorem muneribus suis tunc honoravit. Cætera de coronatione Caroli versus habent.

Item de coronatione Caroli Magni, versificè narratur.

Undique Papali gaudens Leo pace beari,
Dum super Altari satagit Divina parari,
Ordine regali regia metra canit.

Lau-

Laudat & Ecclesia populo plaudente coronam,
Imperii zonam satis obtulit inclyta Roma,
Laudibus Imperii fortiter aula tonat.
Rex ubi laudatur, dum Cæsar in Urbe vocatur,
Cantica miratur, quibus à populo reboatur,
Istaque principibus dicta referre datur;
Imperii nomen qui vult mihi promere Roma,
In vacuum promet, nisi nomine conferat omen,
Nil agitur pro me, ni valitura sonent.
Laudibus Imperii tantum nequit Orbis haberi,
Effectum cum laude geri Respublica quærit,
Si laus vana perit, gloria risus erit.
Ast quia complacuit populo me laude levari,
Papaque Cæsarea voluit me sorte sacrari,
Ne videar pavidus, suscipiamus (ait.)
Quod non Roma tenet, gladio mea dextra requiret
Opto super Danaos procerum prætendere vires,
Urbis & Orbis opes conferat ista dies.
Imperii nomen non renuo tollere Romæ,
Namque super Danaos capiemus jura coronæ,
Tollere sic nomen Curia tota monet.
Carolus Imperii suscepit in Urbe coronam,
Cujus & auxiliis reparat sua tempora Roma,
Sicut & in titulis pagina nostra sonat.

Carolus Romæ coronatus, cogitat invadere Imperium Græcorum.

Carolus ut fungi statuit diademate Mundi,
Pontificis Summi manibus decrevit inungi,
Cæsareis Aquilis nomen onusque tulit.
Clerus ei cecinit, populus sua jura subegit,
Nec tamen Imperii tunc plenum culmen adegit,
Nam Leo Græcorum Rex diadema regit.
Quumque foret magni terroris fama per Orbem,
Quòd caput Italiæ jam Carolus obtinet Urbem,
Gliscit, ut & Romam possit habere novam.
Non satis est Regem Romæ captasse favorem,
Nec putat Imperium pleno retinere decore,
Unde super Danaos protinus arma movet.
Migrat in Ausoniam, pleno petit ista rigore,
Græcus ut Imperium sibi deferat absque tenore,
Ille necem metuens congrua pacta movet.

Nicephorus Græcorum Imperator, à Bulgaris occiditur: Michaël gener ejus erigitur, Carolo jam Romæ imperante.

ANno ab Incarnatione Domini DCCCXII. Nicephorus Græcorum Imperator, à Bulgaris publico congressu necatur. Cui gener suus Michaël, in Regnum substituitur. Iste nuncios Caroli, ad antecessorem suum missos honorificè dimisit, suosque Legatos cum eis ad Carolum destinavit, & pacem cum eo renovatam firmavit. Is etiam dum contra Bulgaros exercitum ducit, non prosperis usus successibus, revertitur, depositoque Regno monachus efficitur.

De Leone Græcorum Imperatore, jam Carolo Romæ imperante.

LEo filius Bardi patricii, Imperator in Græcia, cum quo rursus Carolus pacem perpetuam hoc modo componit, ut alter alterius semper frater nominetur, & alter ab altero semper juvetur: Græcus autem Imperator Orientem: Carolus verò suique successores habeant Romam cum toto Occidente. Quibus omnibus in pacem compositis, Carolus orationis causâ, Hierosolymam per Constantinopolim transit. Factaque ibi oratione, per Siciliam (sicut dicitur) remeavit: atque inde per Calabriam & Apuliam Romam rediit: ubi recepta benedictione in Gallias rediens, apud Aquisgranum Ecclesiam Beatæ Mariæ opere mirifico ædificavit.

Item Carolus per admonitionem Angeli, in Hispanias parat exercitum, ubi (ut ajunt) per annos quatuordecim laboravit, plurimas gentes convertit, plurimos amisit. Inde Aquisgranum reversus, post infinitas victorias, in palatio Aquisgrani, ubi ipse principalem sedem Regni Francorum constituit, finem vitæ suscepit, anno quadragesimosexto Regni sui: subactæ verò Italiæ anno quadragesimotertio: Imperii autem sui, anno decimoquarto: ætatis suæ, anno septuagesimosecundo, sepulturam honorabilem in eadem Sanctæ Mariæ Ecclesia, imperiali more sortitus est.

Erat autem Carolus (ut quidam scripserunt) corpore amplo ac robusto, statura eminente, apice capitis rotundo, oculos habuit prægrandes & vegetes, nasum paululum excedentem mediocritatem, canitiem pulchram, faciem lætam, & hilarem. Eloquentia erat copiosus & exuberans: in cibo temperatus: in potu temperantior. Regni ejus tunc erat terminus à Bulgaria sive ab Illyrico, usque ad Hispanos; atque à Danis, usque ad Pharum Siciliæ. Exceptis adjacentibus regionibus, utpote Boëmia, Polonia, Dalmatia, Histria, Venetia, Britannia, aliisque provinciis.

Cætera versificè gesta referre placet.

Item de pactione facta inter Carolum & Græcorum Imperatorem, versibus explicamus.

Pacta parant Reges, ut frater uterque vocetur,
Dividit Imperium, sed honor communis habetur,
Græca tenet Græcus, fit sibi Roma vetus.
Unde duæ summæ gestantur in Orbe coronæ,
Si fuit una priùs, binæ sunt ordine Romæ,
Unus erat Cæsar, nunc duo jura colent.
Unus erat dominus Mundi, præcelsus honore,
Nunc duo sunt, fratrum dupla ratione decores,
Fratris adhuc nomen fingere sæpe solent.
Græcia transegit, placuit transactio Regi,
Consensu Græci Carolus sibi culmen adegit,
Legibus obtinuit quod quasi præda fuit.
More suo fratres tali sunt fœdere facti,
Ut simul Imperium teneant, ac pace coacti,
Roma vetus nostris, sed nova cessit eis.
Consilio, gladio, spondetur utrunque juvari,
Nomine fraterno censetur uterque vocari,
Vult sibi jure pari culmen uterque dari.

De quatuor principalibus sedibus Imperii Romani, in Occidente.

Scribere vera volens, quot sint loca prima coronæ,
Quatuor Imperii sedes video ratione:
Nomina proponam, sicut & acta sonant.
Primus Aquisgrani locus est, post hæc Arelati,
Inde Modoetiæ regali sede locari,
Post solet Italiæ summa corona dari.
Cæsar Romano cùm vult diademate fungi,
Debet Apostolicis manibus reverenter inungi,
Percipietque patrem cui loca sancta patent.
Absque manu Papæ quem protulit aurea Roma,
Non decet ut capiat monocrator in Urbe coronam.
Cœlica tunc dona gratia summa tonat.

Illud ab Imperio fieri de more fatemur,
Nam placere Deum sacra suscipiendo solemus,
Placat Pontificem Rex, & honore fovet.
Talia jure fori nulli tribuuntur honori,
Jure poli soli Petri donatur amori,
Nam ratione poli, condecet illa coli.
Ungit eum præsul, sed Christus inunctor habetur,
De cœlis divina manus quæ corde videtur,
Cui bene Rex offert illud & omne decus.
Dum sacra Pontificis manus hunc benedicere sistit,
Longa manus Christi sua munera dirigit isti,
Donaque missa Dei porrigit unctor ei.
Ungitur in Christum Domini, sed eum Deus ungit,
Unctio Pontificis dat ei diademate fungi,
Est vice Papa Dei quæ benedicit ei.
Testis enim mihi Psalmus erit, qui cantica junxit,
Inveni David servum mihi, quem Deus unxi,
Unxi, non unxit, litera narrat ibi.
Ipse quidem Samuel tunc personaliter unxit,
Nec legitur, Samuel unxit: sed ego Deus unxi
Ex oleo sancto cœlitus ipse meo.
Sic oleo non corporeo diadema sacratur,
Materiale tamen oleum sacrare putatur,
Pontificisque manus conficit alma sacrum.
Si quæris quid Papa gerit, quid honoris habebit?
Clavigerum loquor æthereum, cui Mundus obedit,
Terrea cum superis cui Deus ipse dedit.

Carolus pergit peregrinus Hierosolymam, per Constantinopolim, sed revertitur per Siciliam, Calabriam & Apuliam.

Carolus Ausoniæ tandem lucratus honores,
Inde Hierosolymam subiit cum pace labores,
Jam Crucis almificæ solvere vota volens.
Visitat illorum vestigia sancta locorum,
Quà natus, quà passus erat, Deus ipse deorum,
Quà tulit æthereum Virgo Maria thorum.
Rex ut adoravit, Jordano lavandus hiavit,
Rebus honoravit regalia mœnia David,
Tunc Regnum Siculi nave reversus adit.

Carolus revertitur à Hierosolymis.

Dum rate festina Regem vehit unda marina,
Urbe Panormita portum capit absque ruina,
Omne solum Siculi munera solvit ei.
Carolus hic Siculum recreat baptismate Regem,
Quem jubet Ecclesiæ Romanæ sumere legem,
Catholici populi dogma tulere Dei.
Mons ibi stat magnus, qui dicitur esse Rolandus,
Alter Oliverius, simili ratione vocandus,
Hæc memoranda truces constituêre Duces.
Mons ibi flammarum quas evomit Ætna vocatur,
Quo lapis ignitus cum sulphure præcipitatur,
Hoc ibi tartareum dicitur esse caput.
Latrat ibi Scylla, dat plurima damna Charybdis,
Inde rates pereunt, homines merguntur in ipsis,
Gurgitis unda Pharo damna pericla parit.
*Carolus * videns loculis, quæ damna feruntur ab illis,*
Miratur patrias, Ætnæ rutilare favillis,
Urbi Messanæ dixit, amica vale.

Item de eodem.

Transit abinde Pharum quem gurgite sensit amarum,
Rerum multarum cernens ibi damna suarum,
Unde ferunt Regem non doluisse parum.
Suscipit hunc Calaber, properant vexilla potentum,
Omne solum capiunt subita probitate retentum,
Undique cum pace subdita terra jacet.
Inde per Apuliam miranda potentia Romam
Venit, & Imperii gestavit in urbe coronam,
Organa cum cithara, fistula, trumba sonant.
Tunc Aaron, Rex Persarum, Carolo remeante,
Muneribus placavit eum, mittens elephantem,
Vasaque tunc auri plurima misit ei.

Angelus Domini præcepit Carolo pergere contra Hispanos.

Pace data Romæ Papa residente Leone,
Carolus ex more diadematis auctus honore,
In patriam rediit regna paterna colens.
Carolus Imperii dum gaudia vult renovari,
Tempore Paschali solio sedet Imperiali,
Regibus ac Ducibus Regia dona parit.
Nocte quiescenti loquitur vox cœlica Regi,
Quem jubet Hispanos Christi supponere legi,
Audit & obstupuit qui diadema regit.
Mane revelata fit Regia visio grata,
Curia laudata, satìs est ad jussa parata,
Cœlica mandata stant ratione rata.
Dum super Hispanos vult Carolus arma parari,
Gaino prior comitum dat consilium variari,
Et requiem petiit tunc super arma dari.
Hinc ait (ò Cæsar) nunc imber & algor abundant,
Flumina sunt valida pluviæ torrentis inundant,
Asperitas hyemis est metuenda nimis.
Parcite principibus, equites hyemando quiescant,
Flumina deficiant, glaciesq; nivesque liquescant,
Solis in ardore tunc tua signa move.
Si placet interea legatum mitte potentem,
Qui videat si fortè queat convertere gentem,
Ne pereat gladio maxima turba tuo.
Mittere magnificum poteris pro pace Rolandum,
Ejus ego sermone reor populum revocandum,
Si cum pace redit, laus tibi major erit.
Cessat ut iste loqui, favet inclyta Curia votis,
*Carolus * tamen metuit ventura pericla nepotis,*
Ne sua mortiferis traderet arma locis.
Surgit, & infremuit plenus feritate Rolandus,
Dixit, ob invidiam satagit me tradere Gainus,
Mens inimica latet, jam maledicta patent.
Ibo, nec horribiles spernit mea dextra labores,
Spero quòd imperio multos referemus honores,
Sit Deus in medio: Dux sua signa movet.
Rex timet eventum, sunt namq; pericula centum,
Turba Ducum comitatur eum, cœtusq; potentum,
Millia ter dena tunc Ducis agmen erat.
Dux ubi sumit iter, pergunt sinè pace Quirites,
Undique multiplices peperit via pessima lites,
Bella parant gentes in regione sitæ.
Nocte sub obscura venit Angelus, alma figura,
Bella ducis dura prædicit ubique futura,
Spondet & auxilium ne ducis arma ruant.
Coge tuas acies (ait Angelus) ecce potentes,
Sex video Reges hostilia signa ferentes,
Quos ubi Marte feris, me Duce victor eris.
Dixit, & auratis clypeis montana refulgent,
*Agmina Francorum circunda * Marte perurgent,*
Vulnera dant strepitum, corpora cæsa cadunt.
Agmina mirandi secuit manus apta Rolandi,
Ense ducis magni Reges periere tyranni,
Ense triumphali deperiere mali.
Quinque ferunt Reges aciei fronte fuisse,
Quos ajunt quinque ducis ictibus hic cecidisse,
Angelus hic lucis protegit arma ducis.
Clarior è Cœlis ferit Angelus agmina telis,
Cu-

Cujus in auxiliis stetit inclyta turma fidelis,
Cessit & hostis ei sorte ferente Dei.
Talia multorum sunt prœlia facta locorum,
Hoc facit armorum victoria Teutonicorum,
Viribus ipsorum vincitur omne solum.
In Pampilona fuerat tunc summa corona,
Cui Barsellona, regioque subest Aragona,
Atque Tarascona, sive Girunda bona.
Summus ab hac Urbe Rex David ad arma recurrens,
Agmina Francorum belli statione perurgens,
Prœlia dira gerit, victus ab inde redit.
Pellitur interiùs Rex David in agmine victus,
Acriter afflictus quia cum Duce pertulit ictus,
Ante domum Regis Dux sua signa regit.
Dux petit alloquium modica sub pace teneri,
Rex favet, & causas cur venerit, ordine quærit,
Seria res agitur, sermo tenendus erit.
Romulei Dux Imperii proponit honorem,
Et jubet ut tribuat fiscalia jura coronæ,
Hæc ubi jussa movet, Rex tumet, atque dolet.
Ira movet Regem, quia jussa recepit amara,
Ista suis paribus fuerant fiscalia rara,
Rursus in arma ruens bella furore parat.
Solvitur armatis censura brevissima pacis,
Hostis ut ante Ducis rejicit Rex jussa minacis,
Utitur insidiis hostis uterque satis.
Lis patet absque mora, redeunt ad bella priora,
Rex nequit ire foras, præclusus ad interiora,
Cæsaris in patriam Francia signa volant.
Prœlia mirandus tulit infinita Rolandus,
Militis officio præcelsus in Orbe notandus.
Sydus honestatis, dignus honore satis.
** Carolus revertentis recipit vexilla nepotis,*
Gens mala Catholicis nimis est contraria votis,
Rex parat hæreticis bella referre locis.
Rex jubet Imperii victricia signa moveri,
Nec modò se poterint Hispanica Regna moveri,
Judicio Cœli turba maligna perit.
Qualiter Hispanos superavit Carolus olim,
Hujus ego libri titulis subscribere nolim,
Alterius moduli sors dabit illa coli.
Prorsus ab hac cæde mecum mea Musa recede,
Mecum læta sede, prolem mihi Cæsaris ede,
Cæsaris ad genitos dactyle verte pedem.

Ludovicus filius Caroli exaltatur in Imperium, sexagesimus nonus ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini DCCCXV. Ludovicus, filius Caroli Magni (quem ipse Carolus adhuc juvenis successorem sibi & Imperatorem constituit) comperta morte patris, ad palatium Aquisgrani redire festinat ab Aquitania; ubi, consensu omnium Principum Imperator creatur, sexagesimus nonus ab Octaviano Augusto. Qui primo Regni ejus anno per delationes quorumdam comperit quosdam Regni primates adversùs Leonem Papam conspirantes interfectos fuisse. Ad quod perscrutandum, vocat ad se nepotem Bernardum, Regem Italiæ; qui Romam pergens; ibique ægritudine tactus, statum rei per Comitem Heroldum Augusto mandavit. Leo quoque Papa, missis ad Ludovicum Nunciis, de his quæ sibi imposita tunc fuerant, se purgavit. Pauco post tempore transacto, Leo moritur, & Stephanus substituitur. Qui statim præmissis Nunciis, qui eum ad Imperatorem dicerent esse venturum, illico itinere abrepto, subsequitur. Imperator eum Rhemis cum honore suscepit, ubi Papa celebratis Missarum solennibus, Ludovicum Romanorum Imperatorem laudibus Imperialibus pronunciavit.

Imperator postea Aquisgrani, Lotharium filium suum socium Imperii legit. Alios filios duos, Reges vocatos, unum Aquitaniæ, alterum Bavariæ præfecit. Sed paulò post Bernardum nepotem suum Regem Italiæ, cum aliis Italiæ civitatibus contra se reperit conjurasse: adversùs quem dum Ludovicus parat exercitum, ille animo fractus occurrit, & tradit se Imperatori. Imperator tunc Aquisgrani, datâ sententiâ in Bernardum, & alios suæ factionis conjuratores, cùm essent capite puniendi, jussit eos omnes cœcari.

Deinde filium suum Lotharium in Italiam mittit, ubi Lotharius rebus ordinatis, in Sancto Pascha à Romano Pontifice invitatur, & ab eo in Imperium coronatur.

Postea Ludovicus, propter mala uxoris suæ opera (ut dicitur) à Regno pellitur, & iterum restituitur. Deinde post pauca, anno Imperii sui sexto, diem solvit extremum. Anno ab Incarnatione Domini octingentesimo quadragesimoprimo, dum Lotharius, filius Ludovici, reversus ab Italia Monarchiam habere proponit, fratres ejus Carolus, & junior Ludovicus, Imperii dignitate & nomine carere nolentes, Lothario bellum indicunt. Cunctisque viribus Regni simul hinc inde contractis, mirabilem habent congressum apud Fontaniacum, ubi vires totius Regni Francorum usque adeò sunt imminutæ, ut jam non Regnum eorum dilatare, sed sua cogitet vix unusquisque contra gentes circumpositas posse tenere. Ibi Carolo & Ludovico vix victoria cruenta & miseranda concessit. Deinde concordiâ inter se factâ, his tribus fratribus sic dividitur Imperium: Carolus à mari Britannico usque ad fluvium Mosam, partem obtinuit: Lothario, à Mosa usque ad Rhenum fluvium, Belgica Gallia cessit: quæ usque hodie Lotharingia, suo nomine solita est appellari: Ludovicus autem à Rheno versùs Orientem omnem Germaniam, Alemanniam, & Bavariam in sorte suscepit.

Item de eodem Ludovico Imperatore versificè narramus.

Carolus egregium genuit Regem Ludovicum,
Quem Deus almificum sibi conformavit amicum,
Lege sua Clerus jure vocatur herus.
Hic pater Ecclesiam vario prævénit honore,
Veste, domo, Cerere, cujus fuit aucta favore,
Jure suo legitur grandis ubique fore.
Hic proprias habitare domos, equitesque tenere,
Nos facit, & veste varia grisceaque nitere,
Nisus & accipiter hac quoque lege sedet.
Talis honor Clero nisi Cæsare dante veniret,
Grande genus Comitum Cleri juga nulla subiret,
Rustica ne fieret, nobilitate viget.
Rex homo Catholicus, fovet, auget, amatq; beatos,
Suscipit & ternos divino munere natos,
Quos facit & Regno participare suo.
Dividit hic proles, subdividit & regiones;
Attamen Imperii summos habet unus honores,
Sed duo reliqui sede carere dolent.
Climate sejuncti sunt, non diademate functi,
Sed neq; Pontificis manibus scribuntur inuncti,
Ita gravis pueris guerraque magna fuit.
Unus apud Francos Lotharius Orbe resedit,
Carolus est alter, cui Sequana Gallia cedit,
Climata Bavariæ sic Ludovicus habet.

De

De Lothario Imperatore, filio Ludovici, septuagesimo ab Augusto.

DIviso Francorum Regno, Lotharius, cui (ut dixi) cum Lotharingia Romanum Imperium devenerat, septuagesimus ab Augusto imperavit. Theophilo mortuo, filioque ejus Michaële apud Græcos in urbe Regia imperante, Normanni per Ligerim fluvium intrantes, civitates quasdam irrumpunt, & in Sabbatho Sancto Paschæ Episcopum ex more generale Baptismum celebrantem, cum Clericis interficiunt; ac circumquaque diffusi, cunctam ferro flammaque vastantes provinciam, Andegavensem quoque, ac Turonensem occupantes urbes, Beati Martini Ecclesiam cremare non verentur.

Eo tempore Carolus, cui (ut supra dixi) Occidentalia Regna in divisione cesserant, capit Carolum Regem Aquitaniæ, ac Episcoporum consilio, tonsum Monachum Suessione in Monasterio Sancti Medardi fecit.

Porrò Lotharius Imperator tribus filiis suis Regnum quod eum contigerat, partitur: Ludovico Italiam cum nomine Imperatoris, Lothario Lotharingiam, Carolo Provinciam tradens: ipse verò ordinatis omnibus in Promiansi Monasterio, decimosexto Imperii sui, post mortem patris anno, Monachus efficitur.

Vide ad quantum defectum Romanum Imperium devenerit, scilicet, ut in tres partes diviso Regno Francorum, tertiæ partis tertia pars esset ejus Imperium.

Quum igitur Lotharius, deposito cingulo militiæ, Monachus fieret, anno ab Incarnatione Domini DCCCLV. Ludovicus filius ipsius Lotharii serenissimus sexagesimustertius ab Augusto Octaviano, suscepit Imperium, tunc in Constantinopoli regnante Basilio, qui occiderat Michaëlem.

Tunc Lotharius frater ejus, qui Lotharingiam pro parte Regni susceperat, accepit uxorem Theobirgam, sororem Abbatis Huguberti. Non multis post diebus, Carolus frater ipsius Lotharii, qui Provinciam pro parte Regni susceperat, moritur. Unde Lotharius frater ejus, qui Regnum tenebat Lotharingiæ, contra patruum suum Carolum, qui tenebat Aquitaniam, contendit. Interea idem Lotharius Abbati Huguberto, fratri scilicet Reginæ uxoris suæ, Ducatum inter Montem-Jurum & Montem-Jovis commisit.

Porrò Rex Ludovicus, alter patruus ipsius Lotharii, qui Germaniam & Bavariam tenebat, multa prœlia contra Slavos magnificè gessit; captumque Principem eorum, Rastil, luminibus privavit. Deinde idem Ludovicus Rex, scilicet Germanorum, & Bavarorum, ad Regnum Galliæ, quod Carolus frater ejus in divisione Regni acceperat, à quibusdam Principibus ipsius Galliæ vocatus, in partes illas cum exercitu transiit, & Regnum Caroli fratris sui invasit, & usque Senonas processit. Quumque, relicto ibi exercitu, in Germaniam, Bavariamque redisset, Principes, qui eum illuc invitaverant, in gratiam Regis sui redierunt. Unde exercitus Ludovici, qui ibi remanserat, à Gallia exire compellitur.

His diebus, Saraceni ex Africa progressi, Beneventanorum regionem, quæ olim vocabatur Samnitum, devastabant. Contra quos Imperator Ludovicus, viribus repentè unde-

A cunque contractis, Lotharium fratrem suum in adjutorium invitat. Qui cum exercitu ingressus Italiam, cùm iniquè & enormiter iret, tam ex calore, quàm morsibus aranearum, in pœnam culparum suarum, de gente sua multos amisit. Ipse quoque Lotharius in via morbo correptus, apud Placentiam obiit.

Carolus autem Rex Galliæ, audita morte Lotharii, Regnum ejus, scilicet Lotharingiam, invadit. Ad hæc Imperator Ludovicus, ipsum Regnum Lotharingiæ, cum Carolo patruo suo, habita inter se pactione divisit. Ita tamen quòd Ludovicus Imperator, Aquisgrani palatium cum sua portione haberet. Non multo post tempore transacto, Adalgisius Dux

B Beneventanus, sub fiducia Græcorum, adjunctis sibi Campanis, Lucanis, atque Samnitibus, Ludovico Imperatori rebellare proponit. Imperator itaque collatis copiis Beneventum bello invadit. Cui Adalgisius, ad id dolo datis muneribus, à finibus suis discedere persuadet. Imperator rediens, omnes civitates Campaniæ & Lucaniæ, præter Capuam, sinè gravibus laboribus cepit. Capuâ etiam deinde captâ, & Episcopo cum Clero portante reliquias ante pedes ejus, cum lacrymis veniam postulante, in gratiam eos recepit, totamque Campaniam, & Apuliam à Græcis mundavit.

Paulò post Imperator ex consilio Adalgisii Ducis, dimisso exercitu, Beneventum ingredi-

C tur; Dux & Cives circa meridiem in Imperatorem dormientem faciunt insultum; ipsumque cum palatio comburere minantur, nisi jurejurando promittat, se fines eorum ampliùs non ingressurum. Imperator post hanc ignominiosam pactionem Romam vênit; ibique coram Joanne Pontifice, qui Adriano successerat, præsente Senatu, causam suam exponit: propter quod Adalgisius Dux à Senatu hostis judicatur. Imperator à juramento, quod non sponte, sed pro vita servanda fecerat, absolvitur per Apostolicum. Quamvis tamen esset absolutus, ad evitandum scandalum non ivit Beneventum: veruntamen Reginam illuc cum exercitu destinavit; Adalgisius perterritus in

D Sardiniam fugit, & ab ira Cæsaris declinavit. His diebus Franci creant sibi Regem Othonem filium Roberti.

Item de eodem Lothario Imperatore, versificè narramus.

Solus in Imperii Lotharius arce resedit,
Jureque Theutonicis Romana Monarchia cedit,
Juraque Theutonicus Cæsar in Urbe dedit.
Tunc Rex Danorum baptisma recepit Heroldus,
Filius ipsius cum matre puer Manigoldus,
Et reliqui populi chrisma tulere sui.
Imperium cum patre suo Ludovicus adeptus,
E *Italiæ sub patre tenet moderamina * receptus,*
Usque Pharum Siculi Regia signa tulit.

De Carolo Secundo, Imperatore Romanorum, septuagesimoprimo ab Augusto.

ANno ab Incarnat. Domini DCCCLXXIV. Ludovicus, suavissimus Imperator, ultimum diem clausit, anno Imperii sui decimonono. Eodem anno Carolus, patruus ejus senior, Occidentalis Franciæ Rex, cum suis Francigenis Romam veniens, Imperium à Romanis (ut dicitur) pecunia impetravit. Regnavit itaque ab Augusto septuagesimusprimus,

Non

Non multò post frater ejus Ludovicus Rex Germanorum & Bavarorum in castro Francofurt diem obiit, qui tres filios reliquit, scilicet Carlomannum, Ludovicum, & Carolum.

Porrò Carolus Imperator, morte fratris sui Ludovici audita, Regnum Lotharingiæ molitur invadere. Primo itaque loco Aquisgrani palatium occupavit, & usque Coloniam progreditur. Interea Carlomannus primogenitus Ludovici, Bavarorum & Germanorum Regis defuncti, Italiam ingreditur, & tentat tollere Imperium. Verumtamen frater ejus Ludovicus apud Germanos & Bavaros cœperat jam regnare; qui quum audisset patruum suum Carolum in fines Regni ejus, scilicet Aquisgrani & Coloniæ introisse, missa Legatione; à Regno eum cedere monet. Quo non cessante ad pugnam progreditur; & ambo juxta Rhenum, apud Andrenacum prœliantur. Carolus in fugam convertitur, multis ex utraque parte prostratis.

Post hoc, Ludovici filii tres, conventione inter se facta, Regnum Theutonicum à patre sibi relictum, dividunt hoc modo: Carlomannus accipit in portionem Bavariam, Pannoniam, Carinthiam, Bohemiam, & Moraviam: Ludovicus accipit Orientalem Franciam, scilicet circa Rhenum, & Thuringiam, Saxoniam, & Phrysiam, & Lotharingiam: Carolus accepit in portione Alemanniam, idest Sueviam, & quasdam civitates Lotharingiæ, propter vini copiam.

Carolus interea Secundus, Imperator prædictus, à Galliis Romam petiit; indeque rediens, contulit se Papiam. Ibi nunciatur ei, Carlomannus, filius fratris sui Ludovici, qui tenebat Bavariam, cum magno exercitu Italiam intrasse. Tunc Imperator in Franciam redire volens, veneno interiit.

Anno secundo, Ludovicus, filius Caroli junioris, qui dicebatur Baldus, obiit; relictis duobus filiis, scilicet Ludovico, & Carlomanno: quoniam tertium eorum fratrem, qui postea dictus est Carolus, mater ejus tunc in utero gestabat. Cujus Regnum Provinciam, quam pater ejus Carolus, filius Imperatoris Lotharii, in divisione Regni pro parte acceperat, Boso, cui Carolus Imperator Gallis illam nuper tradiderat, invadit, & primo loco Lugdunum vênit: ibique à Lugdunensi Archiepiscopo in Regem Burgundiæ & Provinciæ ungitur: qui à dictis adolescentibus Ludovico & Carlomanno arcetur.

De nativitate Regis Francorum Arnulphi, septuagesimisecundi ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini octingentesimo octuagesimo, Carlomannus Ludovici filius, cui Bavaria in sortem devenerat, post multos triumphos quos peregerat, moritur, & in loco Odino in Bavaria sepelitur, relinquens filium ex nobili fœmina, sed non legitima: quem tanquam de origine Carolorum progressum, Arnulphum vocaverunt. Isti Arnulpho postea Monarchia cessit.

Sed Ludovicus Orientalis Franciæ Rex, audita morte fratris, Bavariam adiit, eamque sibi subjecit; Arnulpho prædicto Ducatum Carinthiæ cum castro quod dicitur Mosebúrg, donavit.

A

B

C

D

E

De illo Rege Carolo, qui à fratribus suis acceperat Alemaniam in portionem, septuagesimustertius ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini octingentesimo octuagesimoprimo, Carolus, qui Alemanniam pro portione acceperat, in Italiam movet exercitum, totâque Lombardiâ in deditionem acceptâ, Romam vênit: ubi à Johanne Papa in Imperium consecratur, septuagesimustertius ab Augusto Imperatore.

Ea tempestate Normanni Regnum Ludovici per fluvium Guala navigio ingressi, palatium Noviomagi incendunt: deinde Coloniam & Aquisgranum cum tota illa provincia devastant. Inter hæc Ludovicus ipse obiit apud Francofurt, & in Monasterio Lauracensi sepultus est.

Normanni autem Regis Ludovici morte comperta, securiores effecti, urbem nobilissimam Galliarum Treverim invadunt, & in ipsa Cœna Domini cum adjacente provincia, igne consumunt, & Episcopum ipsius urbis occidunt, deinde præda Francorum onusti ad naves revertuntur.

Hæc dum in Galliis agerentur, Carolus Tertius Imperator in Italia morabatur. Principes autem tam Galliæ quàm Germaniæ, omnes eum precibus pulsant, quatenus fratre suo Ludovico Rege Germanorum jam mortuo, redeat accipere Regnum paternum, & patriam liberet à Normannorum incursione, qui festinans revertitur, assumptisque Lombardis, & Bavaris, Saxonibus, & Phrysonibus, Alemannis atque Thuringis, aliisque pluribus, contra Normannos, qui adhuc in Regno morabantur, movet exercitum.

Itaque Gotfredus Rex Normannorum, Christianus efficitur, & ab Imperatore de sacro fonte suscipitur. Filiam quoque Lotharii uxorem accipit Gislam, & totam terram Phrysonum in dotem; & sic à finibus Regni, cum suis discessit.

Anno sequenti, Ludovicus filius Caroli Regis Francigenarum obiit, & in Monasterio Sancti Dionysii sepultus est; & fratrem suum Carlomannum hæredem Regni reliquit. Non multò post Carlomannus in venatione ab apro percussus, diem obiit.

Occidentalis ergo Galliæ Principibus jam amissis, Carolum Imperatorem, qui tunc solus de stirpe Carolorum superesse videbatur, ultro invitant, eique venienti omnes subjiciuntur. Paulò post autem idem Carolus Imperator, corpore & animo in tantum ægrotat, ut ab hominibus inutilis habeatur. Propter quod Arnulphus supra memoratus, ad Imperium ab omnibus est electus. anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXXVI.

Infirmus autem Imperator Carolus ad tantam penuriam devênit, ut etiam pane carens ab Arnulpho paucos reditus ad vitæ solatium gratanter accepisset. Ab hoc tempore usque ad primum Othonem Imperatorem, invenimus, in Imperio confusè fuisse regnatum. Carolo enim isto mortuo, qui septem annis regnavit, & septimo anno privatam vitam, relicto Imperio, vixerat, Imperium diversis modis scindebatur: cùm singulæ provinciæ, singulos Reges nitebantur creare. Arnulpho tamen pars maxima cessit.

Tunc Italia & Lombardia sibi Regem Beren-

rengarium Forojulienſem conſtituit, & alium Regem fecit, Guidonem Spoletanum. Rex Berengarius tunc à Rege Guidone pulſus, ad Arnulphum confugit.

His diebus gens Ungarorum ex Scythia egreſſa, & à Pincenatis propulſa, in Pannoniam primitus vênit, & ejectis inde Avaribus, perpetualiter ibi permanſit. Iſta gens Ungarorum illo tempore tam beluina, tam inculta fuiſſe narratur, ut carnibus crudis ad cibum, humano verò ſanguine uterentur ad potum, quemadmodum & Phalagi. Pincenates uſque hodie ſanguinem beſtiarum appetunt, & carnibus equorum, & vulpium, luporum etiam, & cattorum crudis utuntur.

B Porrò Arnulphus totam Orientalem Franciam, quæ hodie Theutonicum Regnum vocatur, ideſt Bavariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Phryſiam & Lotharingiam rexit, & totum Rhenum. Occidentalem Franciam verò Odo tenuit, Arnulphi authoritate.

Poſt hæc Normanni Arnulphi Regnum invadunt, & duces ſibi occurrentes extinguunt. Arnulphus autem eos poſtea tanta virtute proſtravit, ut viventes pauci remanſiſſent. Deinde anno ab Incarnatione Domini DCCCLIV. compoſitis omnibus rebus in Germania, Arnulphus cum exercitu Lombardiam ingreditur; captaque civitate Bergamo, Comitem Ambroſium in furca ſuſpendit, unde tota Italia perterrita, ſuæ ſe ditioni ſubjecit. Arnulphus, in Galliam per Montem-Jovis rediit.

C Ea tempeſtate Guido, qui Regnum Italiæ uſurpaverat, moritur. Cujus filius Lambertus, Romam veniens, fecit ſe Imperatorem vocari. Arnulphus filio ſuo, Cendebuldo ſpurio, tunc donavit Lotharingiam. Deinde Arnulphus à Papa Formoſo vocatus, iterum Italiam ingreſſus, Romam vênit, quam & armis tunc cepit, & ab ipſo Pontifice coronatus eſt, & Auguſti nomen ſortitus. Poſtea eos qui adverſùs Pontificem ſeditionem moverunt, decollari præcepit. Reverſo ab Urbe Arnulpho, Lambertus, filius Guidonis Spoletani, qui Imperium invaſerat, moritur, & Ludovicus filius Boſonis, à Longobardis, ad Imperium invitatur.

D Reperi ego Gotfridus, in quibuſdam geſtis Romanorum; poſt Carolum tertium, tanquam Imperio à Francis ad Lombardos translato, Arnulphum in catalogo Imperatorum non nominari; & Ludovicum, cæteroſque poſt ipſum, in numero Auguſtorum poni. Alii autem Arnolphum in catalogo ponunt; eos autem qui poſt eum confusè uſque ad Othonem regnaverunt, non Imperatores & Auguſtos, ſed invaſores & Auguſtos appellare conſueverunt. Non multò poſt, mortuo Othone Rege Francorum Occidentalium, & in Eccleſia Sancti Dionyſiii ſepulto, Carolus ibi Rex creatur. Arnulphus duodecimo Regni ſui anno, Imperator (ſecundùm quæ ſupra taxatum eſt) diem ſuum obiit, & juxta Patrem ſuum Ludovicum, apud Odinum in Bavaria ſepelitur. Monſtratur tamen ſepulchrum ejus in Monaſterio Sancti Heimerani Ratisbonæ.

E De Rege Cendebuldo filio Arnulphi Imperatoris.

Cendebuldus erat Rex, de non conjuge natus,
Filius Arnulphi Regis, Regni dominator,
Nec tamen Imperii tunc diadema tulit.
Vir fuit impatiens, ſuper omnia deditus iræ,
Fertur Agrippinum dominum ſic fuſte ferire,
Præſul ut exanimis nocte ſit atque die.
Cendebuldus obit, pravæ veritatis amicus,
Legitimus puer erigitur, dictus Ludovicus,
Ejus erat frater, legitimuſque puer.

De Ludovico puero Rege Francorum, filio Arnulphi Regis, ſeptuageſimoquinto ab Auguſto.

Anno ab Incarnatione Domini noningenteſimoprimo, Ludovicus filius Arnulphi: in loco qui dicitur Phoreim, Rex creatur, atque à Principibus Lotharingiæ, qui offenſi erant Cendebuldo, invitatur ad Regnum totius Belgii. Regio enim illa, Belgica Gallia appellatur. Quo comperto, Cendebuldus, dum multa mala committeret, Regnumque multa præda & incendio & cæde cruentaret, tandem à Comitibus Stephano, Gerardo, & Mafrido, in bello occiditur. Itaque Ludovicus Arnulphi filius, Regno liberè potitur.

His diebus Ungari Lombardiam pervagantes, incolas terræ ſibi occurrentes, ſagittis ſuis occidunt: atque provinciâ crudeliter depopulatâ, in patriam ſuam revertuntur. Anno ab Incarnatione Domini noningenteſimoquinto, Ludovicus filius Boſonis, Imperium adeptus, Berengarium expulit. Quumque totius Regni pro ſuo arbitrio potiretur, dimiſſo milite, Veronam cum paucis ſe contulit; ubi à civibus captus per traditionem, revocato Berengario, cœcatus eſt. Berengarius extunc Regnum Italiæ cum Imperio Romano obtinuit.

Circa idem tempus Albertus nobiliſſimus Comes Francorum, nepos ſcilicet Othonis Ducis Saxonum, ex filia, Conradum occîdit, qui à quibuſdam dicitur Ludovici Regis fuiſſe filius; propter quod Rex prædictum Albertum, in caſtro Babenberg, ubi nunc Epiſcopatus nobilis eſt, bello invadit. Ille verò impotens, quum Regi reſiſtere ſe non poſſe videret, conſilium ab Othone Moguntino Archiepiſcopo poſtulavit. Archiepiſcopus in caſtrum tunc muniſſimum Babenberg adiit Albertum ipſum, eumque ad Regis præſentiam venire perſuadet, datâ ei dextrâ, quòd eum ſecurum & indemnem in ipſum caſtrum ſuum reduceret. Albertus Comes, recepta fide & promiſſione Othonis Archiepiſcopi, cum eo pergens, à caſtro ſuo aliquantulum egreſſus, ait ad Archiepiſcopum: Domine, debuimus in caſtro priùs prandium ſumere, quàm pergeremus ad Curiam Regis. Oportebit enim nos tota die hac jejunare. Cui Archiepiſcopus: Rectè, inquit, loquutus es; revertamur in caſtrum, & modicum comedamus. Albertus Comes verba Sacerdotis, quæ dicebantur in dolo, ſimplicibus auribus more antiquorum accepit, & in caſtrum cum Epiſcopo velociter rediens, accepto datoque prandio, nulla alia ſecuritate ab Epiſcopo requiſita, in conductu ejus ad Regem perrexit: ubi poſitus in cauſa, capitali ſententia condemnatur. Condemnatus autem monet Archiepiſcopum de facta ſecuritatis ſuæ promiſſione. Archiepiſcopus reſpondit; Se fidei promiſſionem ſervaſſe, ipſumque è caſtro egreſſum, ſanum & indemnem in caſtrum ſuum reduxiſſe. Tali fraude circumventus ipſe Albertus, in eadem Curia decollatur. De cujus bonis Eccleſia Babenbergenſis (ut dicitur) poſtea constructa, divitiis ampliatur.

Si

Si autem Otho Archiepiscopus, qui pro salute Regni hoc fecisse asseritur, in hac causa peccaverit, non meo, sed auditorum judicio reservetur. Ego tamen si fecissem, æstimarem me, etiam Saracenum conducendo peccasse. Ex istius Alberti sanguine alius Albertus originem traxisse narratur, qui postea marchiam Orientalem, idest, vulgariter dictam *Osterich*, quam alii dicunt Pannoniam superiorem, ab Ungaris ereptam, Romano Imperio adjecit.

Ludovicus Rex Franciæ Orientalis, anno Regni sui XII. sinè hærede decessit. Secundùm scripta quorundam, in isto Rege Ludovico, & in fratre suo Cendebuldo suprememorato, Carolorum genealogia finem accepit ad tempus. Unde quidam sic scripsit: Ultimus Augustorum Romæ fuit Augustulus: ultimus verò Carolorum in Francia fuit Cendebuldus. Igitur, Ludovico jam defuncto, Otho Dux Saxonum, ab omnibus petitur. Princeps autem clarissimus Otho, tanquam senio gravatus, Rex fieri recusabat.

Item de eodem Rege Ludovico puero, versificè narratur.

Iste puer pietate valens, tribus imperat annis,
Ultimus est iste Carolorum germine sanguis,
Attamen à latere germina Carlus habet.

De primo Conrado Rege post Ludovicum puerum, septuagesimoseptimo ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini noningentesimo decimotertio, Conradus primus, filius Conradi illius, quem occiderat prædictus Comes Albertus, consilio prædicti Ducis Othonis, qui Regnum accipere renuit, consensu omnium Francorum, Rex creatur, quem quidam asserunt fuisse filium fratris Regis Ludovici, tunc defuncti, & propterea eum ponunt novissimum omnium Carolorum. Anno Regni sui primo, Ungari ad depopulandam terram rursus effusi, à Suevis & Bavaris juxta Henum fluvium sternuntur. Postea Dux Bavarorum Arnolphus, Conrado Regi rebellans, cum uxore, & filiis ad Ungaros fuga lapsus est.

Conradus Rex, anno Regni sui septimo, diem obiit, ejusque consilio Henricus, filius Ducis Othonis, in Regnum subrogatur, anno ab Incarnatione Domini noningentesimo & vigesimo. Ab illo tempore dicunt quidam, post Francorum Imperium fuisse Theutonicorum Imperium. Unde etiam à Leone Papa dicunt istum Othonem primum Theutonicorum Regem dictum esse. Nam iste de quo agimus, Henricus Dux, oblatam sibi à Summo Pontifice Imperii dignitatem renuisse perhibetur; propter quod etiam non numeratur in Catalogo Imperatorum Theutonicorum. Mihi autem ex multis scripturarum authoritatibus patuit, Regnum Theutonicorum, quod Imperator Fridericus nostro tempore possidet, partem esse Regni Francorum. Ibi enim primi Franci fuerunt, cis citraque Rhenum, quæ hodie Francia Orientalis, usque ad terminos Bavariæ appellatur. Francia verò Occidentalis est Regnum illud, quod est cis citraque Sequanam & Ligerim fluvios; quæ Provincia, priùs dicebatur Gaudina: sed

A à Carolo Martello, Avo Caroli Magni, primùm Francia, vel Francigena, idest à Francis genita est appellata. In lingua verò Theutonica, unde ipse Carolus Martellus fuerat oriundus, vocavit eam nomine suo Carlingam, sicut à Cæsare Cæsarea, & ab Alexandro Alexandria nuncupatur. Hoc autem ideo fecit, quia ipse eos suo gladio subjugavit, & Regno Francorum adjunxit. Alia quædam ratio ad hæc satis manifesta monstratur. Denique sicut in superioribus patet, tempore Caroli Magni, Regis Francorum, tota Gallia, idest Celtica, & Belgica Lugdunensis, omnisque Germania, quæ est à Rheno usque ad Illyricum, una Francia fuit. Postea verò,
B Regno inter filios filiorum diviso, aliud Orientale, aliud Occidentale Regnum Franciæ dicebatur. Utrumque tamen vocabatur Regnum Francorum.

In Orientali ergo Regno Francorum, quod usualiter dicitur Theutonicum, deficiente stirpe Carolorum, Henricus Primus de gente Saxonum, successit in Regnum, manente adhuc in Occidentali Francia, idest Parisiis & Rhemis, Rege Carolo quodam, de progenie similiter Carolorum. Istius Henrici filius, Otho, postea Imperium Romanum reduxit ad Francos, quod jam à Longobardis fuerat usurpatum. Et propterea idem Otho forsitan primus Rex vel Imperator Theutonicorum dictus
C est, quia ipse primus, extra progeniem Carolorum, Rex, de sanguine Saxonum, factus, non quidem primus apud Theutonicos regnavit, sed primus Imperium Romanum à Lombardis ad Theutonicos revocavit, quod à Lombardis fuerat usurpatum.

Notanda est autem hîc varietas in nominibus Regum Francorum, quomodo primitus à Merovæo Rege, successores ejus dicti sunt Merovæi: postea à Carolo Magno, successores ejus vocati sunt Caroli vel Carlini; ab Othone verò Imperatore dicti sunt Othones: deinde ab Henrico Henrici.

D Item de eodem Conrado Rege primo, ultimo autem Carolorum, versificè.

Semine Carlorum jam deficiente virorum,
Surgit Conradus lateris cognatus eorum,
Obtinet Imperium Theutonicumque solum.
Conradus Rex eximius sedet ordine primus,
Hostibus ingeritur, contraria pellit ad imum,
Subjugat Ungaricos, Illyricosque sinus.
Conrado primo natus non extitit hæres,
Mirantur proceres, quis sceptra meretur habere,
Vita datur fatis, plebs dolet inde satis.

De Henrico Primo Rege Francorum, qui cognominatur Auceps.

E ANno ab Incarnatione Domini DCCCCXX. Henricus Othonis dictus filius, in Francia Orientali regnavit. Occidentalem Franciam tunc Carolo quodam Rege Parisiis Regente. Quidam Celtici Scriptores asserunt, eum primò Ducem Saxonum tantùm fuisse, & tunc Carolo subjecisse. Et postea consilio Giseberti Ducis generis sui, qui Belgicam tenebat, à Regno ipsius Caroli, cum omnibus Orientalibus discessit, & Regium nomen assumpsit. Alii dicunt, eum post mortem Conradi Primi, in Regnum ab omnibus Orientalibus fuisse electum, nec unquam aliquid eum

de manu illius Caroli suscepisse.

Post hæc ipse Henricus Rex Ungaros in Saxoniam violenter ingressos incredibili cæde prostravit. Iste Henricus Rex, Sacram Lanceam Imperii, quæ coram Imperatoribus fertur, à Rodulpho Rege Burgundiæ multis extorsit. Alii dicunt, à Bosone Rege Provinciæ fuisse eam ad Imperium translatam. Ipse autem Henricus Rex, post multa virtutis suæ opera, dum ad obtinendum Imperium, Romam pergeret, antequam Romam pervenisset, diem ultimum clausit, relicto filio Othone Primo, qui factus est Imperator, anno Regni ejus decimo septimo.

Item de eodem Henrico Primo, versificè subnotatur.

Henricus Dux Saxonicus regnare vocatur,
Legati mittuntur ei, qui sæpe rogatus
Noluit Imperium sumere, ritè datum.
Invenere Ducem veterano more sedentem,
Aucupis officio sua retia perficientem,
Ut modicas caperet insidianter aves.
Et quia simpliciter fuit his præsentibus auceps,
Amodo perpetuo cognomine dicitur Auceps,
Cùm tamen egregium Mundus haberet eum.
Dux igitur cùm plus petitur sibi sumere Romam,
Jurat in æternum capiti non ferre coronam,
Cùm sibi sufficiant quæ tenet ampla bona.
Cogitur Henricus regnantis numine fungi,
Cogitur in Regem tandem reverenter inungi,
Nulla tamen capiti missa corona fuit.
Coram Rege secus ferri diadema jubetur,
Ut bene servetur quicquid jurasse videtur,
Signa tamen plenè Regis ubique tenet.
Ex hoc Henrico Rex Primus nascitur Otho,
Cujus & egregia nunc gesta referre peropto,
Jam tres Othones promere Musa monet.

De Primo Othone, Imperatore Romanorum, septuagesimooctavo ab Augusto.

ANno ab Incarnat. Dom. DCCCCXXXVI. Otho Primus, nobilis hæres Henrici Primi, in Regnum succedens, in Palatio Aquisgrani, à Moguntino Hildberto Archiepiscopo coronatur. Iste Sclavos Boëmos sibi resistentes compescuit: Belgicos, dum ei transitum Rheni prohiberent, vertit in fugam, totâque terrâ Belgicâ, igne, ferroque vastatâ, castrum situm in Monte-Capri, obsedit: unde Ludovicus, filius Caroli Regis Occidentalis Galliæ, terram Belgicam, quam Pater suus perdiderat, sub hac occasione recuperare intendens, Alsatiam Provinciam ingreditur. Quo audito, Otho Rex solvit Capri-Montis obsidionem, & expulso ab Alsatia Rege Ludovico, Bresecam obsedit.

Interea Dux Gisilbertus, qui sororem Othonis Regis habebat uxorem, adversùs Francos, tanquam hostis Regis Othonis, usque ad Andernacum procedit: ubi à Francis victus, fugiens in Rhenum submergitur, suis omnibus cæsis, aut fuga delapsis. Rex autem Otho iterum Belgicam ingressus, totam in deditionem redegit: & ex tunc omnes Theutonici Reges sinè contradictione Belgicam semper tenuerunt.

Post hæc Rex Ludovicus, uxorem Ducis Gisiberti, quæ erat soror Regis Othonis, & vidua, in matrimonium accepit. Ipse verò non post multò à suis à Regno suo expulsus, ad Othonem veniens, petit auxilium. Quo habito, devictis suis hostibus, in Regnum per Othonem est restitutus.

Post hæc apud Ingelheim, in præsentia amborum Regum, Marino Sedis Apostolicæ Legato adjuncto, Synodus celebratur.

Eo tempore Berengarius Italiam nimia feritate premebat, & Adilinda vidua Lotharii Imperatoris defuncti, ab eo captiva tenebatur. Otho autem Italiam potenter ingressus, Reginam liberat, eamque sibi in uxorem consociat: atque Berengario depulso, Natalem Domini Papiæ celebravit; ibique Conradum Ducem contra Berengarium relinquens, ipse in Galliam Theutonicam remeavit. Berengarius, consilio Ducis Conradi, ad Othonem pergit; & per ipsum Conradum, & per filium Regis Othonis Letulphum, veniam impetraturus. Ubi cùm per triduum ei Rex audientiam denegasset, vix tandem per Ducem, & per Regiam prolem obtinuit, quòd ei Otho apud Regium in Lombardia, diem illuc veniendi præfixit: ubi postea præsentatus, Regnum Italiæ de manu Othonis suscepit; exceptâ marchiâ Veronensium, & Aquilejensium. Reversus in Italiam Berengarius, per suam tyrannidem totius in se odium Italiæ concitavit. Tunc Letulphus filius Regis, adversùs patrem moliri tentavit; sed citò conversus, gratiam Regis recepit.

Eo tempore Ungarorum gens erupit, totamque terram quasi locusta cooperuit; atque super fluvium Lichum, juxta civitatem Sueviæ Augustam, consedit. Quibus Otho, precibus & hortatione Uldarici, Sanctissimi illius urbis Episcopi, in Domino confisus, occurrit; tantaque illos virtute prostravit, ut non solùm ab infestatione aliorum quiescerent, sed pro se timentes terram suam vallo & palude munirent. Cecidit in eo prœlio gener Regis Conradus, & Dux Vormatiensis. Barbari autem, exceptis sex viris residuis, omnes gladio narrantur extincti. Hujus mali author dicitur quidam Comes de Stira in Bavaria extitisse; quem Ungari tanquam eum qui eos in mortem eduxerat, occiderunt: terra autem ejus redacta est in Regium Fiscum.

Eo tempore ab Apostolica Sede veniunt Legati, de tyrannide Berengarii conquerentes, & defensionem Othonis in Italia postulantes. Guabertus etiam Episcopus Mediolanensis, Gualdo Cumanus Episcopus, cum aliis Italiæ Principibus, pro eadem causa ad Regem venerunt.

Otho autem Aquisgrani in palatio filium suum Othonem tunc in Regnum sublimavit: deinde collecto exercitu, in Italiam, per vallem Tridentinam, intravit, totâque sibi Italiâ subjugatâ, ad Urbem progressus, à Johanne Papa, & toto populo, dignissimè receptus, & Imperatoris nomen ac dignitatem sortitus. Iste Otho Imperator, secundùm illos Historiographos, qui Arnolphum in Catalogo Imperatorum posuerunt, & alios qui interim in Italia Imperium tenebant, à Catalogo excluserunt, 77. est ab Augusto Octaviano; secundùm Romanos verò Historiographos, qui Arnolphum à Catalogo Imperatorum excludunt, & Ludovicum, atque duos Berengarios, & Hugonem, & Berengarium, & Albertum, in numero & Catalogo priorum ponunt, iste Otho est 84. ab Augusto.

Ab eo tempore Regnum Romanorum, post Fran-

Francos & Longobardos Imperatores prædictos, ad Theutonicos reversum est,& ad Francos Orientales, unde jam quodammodo videbatur elapsum. Ego autem tunc Imperium à Francis non dico aliquando fuisse sublatum, sed eclypsim passum, quamdiu tot & tam diversi invasores Imperium confusè tenuerunt.

Otho Imperator ab Urbe rediens, Papiæ Pascha celebravit: sed Berengarius Imperatorem fugiens latitavit. Anno sequenti Otho in monte Sancti Leonis obsidet Berengarium, cujus filius Albertus in Corsicam insulam fugit: qui postea ad Joannem Pontificem Romanum accedens, in partem suam multis promissionibus inclinavit. Quo audito, Otho Imperator, dimissa obsidione, Romam ducit exercitum; ubi quidam Romani timentes, unà cum Pontifice Joanne fugiunt: alii datis obsidibus, Othoni subduntur. Imperator postea missa legatione scribit Joanni Papæ ut redeat; quo redire nolente, Otho congregata Synodo substituit Leonem: quod videns Albertus, filius Berengarii, iterum in Corsicam fugit. Hæc omnia utrum licitè an illicitè facta tunc fuerint, ad hoc opus non pertinet explicare; proposui enim res gestas describere, non rerum gestarum reddere rationem. Imperator Berengarium in deditionem accepit, quem in Bavariam exilio relegavit.

Othone tunc Romæ manente, Romani communicato consilio cum vicinis castellis statuunt occidere eum. Sed dum proditio consilia prævenisset, Imperator insidias satagit præcavere, & de Romanis multos nece prostravit: deinde centum obsides ab eis, interpositis sacramentis, accepit. Postea tamen ad Spoletum Papa rogatus, obsides relaxavit, Othone recedente.

Romani Papam Joannem recipiunt in Urbem, expulso Leone. Leo apud Camerinum Imperatorem velociter adiit, ibique cum eo Pascha celebravit. Interea Joannes moritur, cui à Romanis Benedictus est subrogatus. Otho, tam pro Leonis expulsione, quàm pro Stephani substitutione, iratus, ad Urbe festinat: quam obsidione constrictam, & fame incredibili fatigatam, ad deditionem coëgit; tali duntaxat conditione inserta, ut apertis portis, eum susciperent, & Benedictum suæ jussioni repræsentarent. Tunc Imperator Leonem in cathedram restituit, & inde Benedictum depositum secum deducens, in suam Franciam remeavit. Non multò post, deficientibus à se Italicis, Imperator Alpes transcendit, & Natale Domini Romæ celebrato, tredecim ex majoribus, præter Præfectum, Romanis, qui erga Papam Leonem moverant factionem, patibulis una die suspendit. Deinde filium suum Othonem fecit à Leone Pontifice coronari, & Augustum vocari, eique filiam Constantinopolitani Imperatoris, Theophaniam, in matrimonium junxit. Deinde trigesimoseptimo Regni sui anno, Imperii verò decimotertio, diem ultimum clausit. Iste est ille Otho, qui Græcos in Apulia & Calabria superavit, & Romanorum Imperium ad Francos Orientales reduxit.

Ipse primus in Goslaria Saxonica argentifodinas invênit. Metropolim etiam Magdeburg, ubi sepultus est, ornamentis & thesauris plurimis decoravit. Berengarius exul, & uxor ejus, apud Babenberg mortui sunt. Denarii qui vocati sunt Otholini, ab hoc Othone sunt in Italia constituti.

Item de eodem Othone primo versibus subrogatur.

Otho coronatus Paschalia festa peregit,
Adfuit & celebris primatum Curia Regi,
Fercula quæ docuit, Regia mensa vehit.
Mensa cibos coctos tenuit prius illa paratos,
Quàm veniant domini, vel more Ducum sedeatur,
Ille cibus miseris pauperibusque datur.
Dux puer accedens, magni Ducis unicus hæres,
Cùm foret esuriens, dum fercula prompta videret,
Accipit ut comedat, cor puerile gerens.
More suo dapifer vitio variabilis iræ,
Non timuit puerum graviori fuste ferire,
Inde puer cecidit, vulnere stratus humi.
Miles adest, puero custos datus, atque Magister,
Vindicat egregiè dominum quem percutit iste,
Vulnere nam dapifer mortuus ipse jacet.
Turba gemit, Rex Otho venit, causamq; requirit,
Ille jacet, dum turba tacet, mandat aperiri,
Quæ fuerit pueri, quæ modò causa viri.
Quærit & authorem mortis, quisnam foret ille,
Ille stetit medius, animo quasi major Achille,
Nec negat hunc ipsum fuste necasse virum.
Rex ait; ergo mori dignus ratione videris,
Criminis actorem dum te satis ore fateris,
Digna tuis meritis hostia mortis eris.
Miles ait; Discerne magis quid juris habetur,
Judicio ne præcipiti res acta putetur,
Est quia Pascha Dei, Rex miserere mei.
Ira movet Regem timet ille mori sinè lege,
Cum Rex justa neget, miles rapit illico Regem,
Rex prostratus humi, justa negasse luit.
Dum tenet Othonem, barbam trahit, atq; granonem,
Guttur & ora premens, gravior feritate Leone,
Ni foret auxilium mortuus Otho foret.
Sub loculo scamni Regem crudeliter angit,
Unguibus infixum guttur conanime frangit,
Nunc pede, nunc manibus turba retraxit eum.
Otho sedet stupidus, turpi statione levatus,
Barba pilis caruit, guttur dolet excoriatum,
Laude coronatum stat sinè laude caput.
Turba dolens, stans ante fores cupit hunc cruciari,
Otho reum defendit eum, jussitque vocari,
Vir stetit & siluit, incipit Otho loqui:
Judicio sisti legum ratione petisti,
Dum tibi non licuit, tetigit me dextera Christi,
Non tua, sed Domini verbera digna lui.
Digna lui, quia Pascha fuit, cum parcere possem,
Me libuit, quod non licuit, dedit ultio nosse,
Porto furore mei digna flagella Dei.
Parcius ista tamen punire tibi potuisses,
Quam sinè rasore barbam manibus rapuisses,
Amodo quæ cupias ordine dicta feras.
Miles ut exponit quæ sit modò causa furoris,
Mitigat Othonis symptomata vi rationis,
Sic datur incolumis miles abire foris.
Nec datur hinc ire quod debeat ipse redire,
Læsor enim si quando redit, reminiscimur iræ,
Si mala deliteant livor & ira silent.
Post rediit tempus, quo Rex foret ipse peremptus,
Aut malè detentus, sed militis ense redemptus,
Corpore stat sano, cujus & acta cano.
Quando sub arce poli, canis est adjuncta Leoni,
Ut placet Othoni castrum datur obsidioni,
Clausos lege fori judicat Otho mori.
Dum media dormire die Rex ipse soleret,
Et proceres somni requies hinc inde teneret,
Vir sedet in lavacro balnea ritè gerens.
Rege soporato, citò prosilit hostis ab urbe,
Ut perimant Regem, cursum latitando perurgent,
Solus eos miles qui lavat, ille videt.

Ex lavacro saliens, clypeum rapit, atq; mucronem,
Prævenit hostiles Othone jacente furores,
Clamat, & ex more prœlia dira movet.
Regia pars crescit, timet hostis, & inde recessit,
Miles ut insequitur nudus, vera pugna calescit,
Aspicitur latè nudus, & acta patent.
Miratur Cæsar, nudum præcedere fortes,
Nam solum nudum cernit superare cohortes;
Laus equitis nudi grandis ubique fuit.
Mane sequente jubet equitem Rex Otho venire,
Miles adire timet, ne si reminiscitur iræ,
Pristina culpa viri sit memoranda sibi.
Dumque venit compulsus eques, Rex hæc ait illi;
Nonne tuis manibus nostri periere capilli?
Nonne furore tui barba pilata fuit?
Miles ait; Fateor; sed erat mihi culpa remissa;
Non decet ut culpas iterum Rex suscitet ipsas;
Securus venio Rege vocatus ego.
Surgit in amplexus equitis mirabilis Otho,
Dicit ei; Gaudere meis te rebus adopto;
Regia facta geris, semper amicus eris.

De Secundo Othone, Imperatore Romanorum, septuagesimonono ab Augusto.

ANno ab Incar. Domini DCCCCLXXV. Otho Secundus, Magni Othonis filius, qui à Leone Romano Pontifice fuerat coronatus, Patri in Imperium successit, octogesimus quintus ab Augusto imperavit. Iste dum Græcos incautè per Calabriam persequitur, amisso milite, de navi exiliens, natando evasit. Qui postea nono Imperii sui anno Romæ obiit, & ante Ecclesiam Sancti Petri in concha marmorea honorificam habuit sepulturam.

Tradunt de eo Romani, quòd ipse Otho, capta Benevento, Ossa Sancti Bartholomæi inde asportaverit, & ea Romæ in insula Tiberis, quæ dicitur Lycaonia, in Ecclesia, quæ nunc vocatur Sancti Bartholomæi, in concha porphyretica collocaverit, & postmodum easdem reliquias cum eodem sarcophago, per Tiberim in mare, & per mare in suam Franciam deducere cogitasset: eo autem morte prævento, reliquiæ Romæ sic remanserunt.

Item de eodem Othone Secundo, Imperatore, versificè subnotamus.

Otho secundus adest, Romæ diademate functus,
Lætus Apostolicis manibus discedit inunctus,
Jus dedit Italicis undique pace frui.
Rex ubi discessit, gens Itala bella capessit,
Jussio vilescit, procerum discordia crescit,
Regia delituit pax quia nulla fuit.
Terra perit gens pressa gemit, belloque gravatur,
Rex venit iratus concurrit ab Urbe Senatus,
Suscipit Imperii Regia Roma caput.
Imperii vocat Otho duces comitesque potentes,
Pontifices simul Ecclesiæ recipit venientes,
Et queritur populos pace carere suos.
Judicis officio numerat, quos culpa notavit,
Pœnaque præcipitur Ducibus condigna parari,
Ultio terribilis dira flagella parit.
Ante gradus Romæ mensas jubet Otho parari,
Multaque circuitu jubet ordine scamna locari,
Et loca Principibus undique more dari.
Dum cibus astruitur, dum potus & esca paratur,
Dum proceres comedunt, dum lætior hora putatur,
Otho per armatos cingit utrumque latus,
Præco jubet taceant, & ne quis ab hinc moveatur,
Qui loquitur, qui se moveat, gladio feriatur,
Turba timet, procerum terror ubique datur.
Crimina scripta Ducum, quæ jusserat ante notari,
Ante suas mensas jubet Otho sibi recitari,
Damnat & obtentos crimine lege pari.
Qui meruit, damnatur ibi pœna capitali,
Sanguine nobilium jam mensa potest maculari,
Otho sibi capita vult quasi fercla dari.
Humani capitis dum mensa cruore madescit,
Non minus ante datis Rex imperat undiq; vesci,
Mittit & ingratis fercula cocta satis.
Taliter alludit sceleri, sic corpora fudit,
Sic scelus excludit, sic pacis commoda cudit,
Sic sua pax viguit, sic reus acta luit.

De Othone Tertio Imperatore octuagesimo ab Augusto.

ANno ab Incar. Dom. DCCCCLXXXIV. Otho Tertius, admodum puer, Patri in Regnum succedens, octuagesimus sextus ab Augusto, suscepit Imperium. Hujus diebus Albertus Episcopus Boëmorum prædicans Prussis, martyrio coronatur.

Otho Imperator Tertius, anno Imperii sui XVII. diem ultimum clausit, & Aquisgrani in Ecclesia Sanctæ Mariæ sepultus est. Duo isti posteriores Othones, quamvis brevitatis causa, de eis pauca dixerimus, tam feroces, tam mirabiles fuerunt, ut unus, pallida mors Saracenorum, vel sanguinarius; alter autem Otho, mirabilia Mundi, solitus sit nuncupari. De isto tamen Tertio Othone, quædam alia versificè descripsimus, quæ in præsenti Capitulo subnotamus.

Item de Tertio Othone Imperatore, versibus subrogatur.

Est juxta Mutinam. Comitis domus, Amula dicta,
Imperii tunc obsequiis jussisque relicta,
Qua vacat hospitiis crebriùs Otho suis.
Corpore glorificum Comitem, vultuque decorum,
Dum Regina videt, stimulis urgetur amorum,
Et cupit hunc Regis clam violare thorum.
In vitium Regina virum dum flectere credit,
Veste trahit Comitem, tractus sinè veste recedit,
Spreta dolens mulier, vota nephanda dedit.
Protinus ascito queritur Regina marito,
Suggerit ut Comitis caput amputet ense petito,
Crimine mentito credidit Otho citò.
Dum Comes in culpa domina testante putatur,
Jam dolus astruitur, citò mors indigna paratur,
Nec locus insonti pandere vera datur.
Indicat uxori propriæ Comes acta pudoris,
Dicens; opto mori, quàm Regis abesse decori,
Se mihi prostituit fœmina digna mori.
Et quia delitui, fugiens luxum mulieris,
Judicor ad mortem, mihi non licèt acta fateri,
Tu mihi post mortem conscia testis eris.
Si dubium videatur eis, quod teste probabis,
Judicio candentis eos ferri superabis,
Sic mihi post mortem gaudia fama dabit.
Uxor ait; Fuge quum poteris, ne sic moriaris;
Ille refert; magis opto necem, quàm sons reputari:
Qui fugit, ille magìs suspiciosa trahit.
Dixit, & in fatum præcone trahente vocatur;
Insequitur Comitissa virum, quia fraude necatur,
Morte data Comitis detulit ipsa caput.
Judicii causas dum præcipit Otho parari,
Imperat & viduas celebri præcone vocari,
Hisque piis studiis jura cupita dari.
Astitit occisum plorans Comitissa maritum,

Et

Et queritur, quia judicium dat Cæsar iniquum,
Cui pro more loci nititur arte loqui.
Dicit ei; Dic, pœna reis quo jure paratur,
Si rupta quandoque fide vir fraude necatur?
Rettulit Otho; Caput perdere jure datur.
Intulit hæc; Tua te Cæsar sententia damnat,
Fraude meum jugulasse virum te crimine pandam,
Si vis jura coli, te decet inde mori.
Hæc tacuit; Rex obstupuit; dicens mulieri;
Nescio quid quæris, neque vera tulisse videris,
Hujus enim sceleris quis tibi testis erit?
Ecce caput Comitis (dixit Comitissa) paratum,
Fraude tua periit, proprium cognosce reatum,
Suscipe judicium, te perhibente datum.
Rex ait; Iste Comes meruit pro crimine mortem;
Illa negat, cupiens ignitam sumere sortem;
Rex parat ignita, fœmina vincit ita.
Dum laqueo juris se conspicit Otho ligari,
Mira viri bonitas ratione potest superari,
Fœmineis manibus se sinit ipse dari.
Dum Regem Comitissa tenet, dat Regis honestas
Ut capitis sit plena sibi collata potestas,
Sic, ut & arbitrio stet, cadat ipse suo.
Cogitat illa modum, quo Regem perdere possit,
Inducias tunc Rex modicas pro tempore poscit,
Addunt & proceres cum pietate preces.
Innumeris precibus procerum simul & mulierum,
Regia vita decem spatio datur esse dierum,
Sic ratione verum fœmina vicit herum.
Jam decima veniente die, casumque minante,
Otho redit, Comitissa venit, quæ venerat ante.
Rex ubi dixit, Ave: rettulit illa, Cave.
Tollit eum Comitissa reum, miranda leæna;
Dum trahitur, dum præcipitur succumbere pœna,
Fœmina victa prece distulit ipsa necem,
Distulit, & dixit: Ita nunc tristissima parco,
Ut post octo dies gladio sit pœna monarcho,
Sic data tunc vita, pendula pendet ita.
Pace dies octo rediens dum perficit Otho,
Tunc precibus cum Principibus rursus petit octo;
Septima dat requiem post numeranda dies.
Septima præteriit, rursus cupit octo mereri,
Ut sex ipse dies habeat cum pace tueri,
Consilio Cleri fœmina dixit, Erit.
Nec tamen illa dedit, nisi Rex promitteret illi,
Quòd priùs ignitis pereat Regina favillis,
Hoc ubi convenit vita redempta redit.
Pro tribus induciis tribuit tria castra Monarchus,
Nec fuit in reliquis concedere plurima parcus,
Nomina castrorum novimus atque solum.
Si cupis illorum confinia nosse locorum,
Climate Tuscorum, populus monstratur eorum,
Me quoque non latuit sæpe videre solum.

De Secundo Henrico, scilicet Claudo Imperatore Romanorum octuagesimo septimo ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini Millesimo primo, Othone tertio, sinè hærede defuncto, Henricus Claudus, filius Hezilonis, natione Noricus, & Dux Noricorum, idest Bavarorum, ab omnibus Regni Principibus electus, octuagesimus septimus ab Augusto, Rex creatur.

Iste multis bellis prosperè gestis, in Germania, Bohëmia, Italia, & Apulia: postremò à Domino data sibi requie, quum esset Christianissimus, Episcopatum nobilissimum Babenbergensem gloriosè fundavit, & locupletavit. Regi quoque Ungarorum Stephano sorore sua copulata, tam ipsum Regem, quàm totum ipsius Regnum vocavit ad fidem. Hunc Stephanum omnes Ungari, ut Sanctum venerantur, pro eo quòd per eum initium Fidei acceperunt.

Henricus Imperator piissimus anno Regni sui vigesimo quarto; Imperii autem anno undecimo, diem functus, in Ecclesia Babenbergensi humatur: ubi sepulchrum ejus crebris miraculis sæpe & manifestè ornatum tota illa Provincia magnificè veneratur. Cætera de ipso Henrico Imperatore, & de civitate & Ecclesia Babenbergensi, ego qui ibi prima documenta Grammaticæ artis didici, tanquam eorum alumnus versibus explicavi.

Item de eodem secundo Henrico Imperatore Romanorum, Claudo: & de civitate & gloriosa ejus Ecclesia, quæ vocatur Babenberg, idest Mons-Pavonis, versificè dicamus.

Bavaricus fluvius vulgò Radiantia dictus,
Norica rura fovens, varièque vagando relictus,
Montis-Pavonis urbis amœna colit.
Nomine vulgato Mons Babenberga vocatur,
Flumine crassatur, vicinaque terra rigatur,
Ponsque super stratus, cingit utrunque latus.
Urbs laudanda nimis, Montis succrescit ab imis,
Indeque sublimis fit turribus insita primis,
Montis in urbe tamen culmina Clerus habet.
Agmine murorum series præcincta domorum,
Exclusis Laicis munitio fit dominorum,
Clericus illorum spernit adire forum.
Dogmate grammatico Clerus solet ille beari,
Nullaque vulgaris vox audet in urbe sonari,
Sola solet cunctis lingua Latina dari.

De Ecclesia Babenbergensi.

Ecclesiæ forma montis caput auget & ornat,
Grandis ibi norma Cleri recidiva reformat,
Divitiæ latè rebus & arte patent.
Otho Pater patrum tenet ordine Pontificatum,
Nobilium fratrum dilatat honore theatrum,
Ipse sacer, sacrum præstat, adæquat utrum.
Fulget in Ecclesia mirandi ponderis aurum,
Quo minus est Danais solitus persolvere Maurus,
Pallia purpurea quis numerare queat?

De Monte-Pavonis, & ejus forma situque.

Mons-Pavonis habet colles sibi collaterales,
Tres quasi consimiles, urbis quoque participales,
Ipse nitens medius, præminet absque pare.
Pulchrior illorum loca maxima dat Monachorum,
Templaque multorum reliqui dant Canonicorum,
Quartaque pars fluvio præbet utrinque forum.
In Crucis ergo modum posuit sibi Pavo colonum,
Qui veneretur eum, foveat celebretque patronum,
Ipse suis famulis præbet ab urbe bonum.
Stat medius Petrus, Stephanus sibi dexter habetur,
Vertice stat Jacobus, læva Michaël retinetur,
Fertque secus fluvium Virgo Maria decus.

De Sepultura Cæsaris Henrici.

Cæsaris Henrici Sancti, cognomine Claudi,
Lector opes audi, quo possunt munere claudi?
Hæc & majora sunt sua multa bona.

Cu-

Cujus & ossa bona sunt ad miracula prona,
Hoc opus, hæc dona sua contulit alma corona,
Unde per Ecclesias cantica digna sonant.

Babenbergæ author priùs studuit.

Laude vacans ista, recolo mihi tempora prisca,
Prisca fuit puero mihi Babenberga magistra,
Mens mea quæ didicit, reddit amica sibi.
Reddere non potui quantum, sed reddere quale.
Ecce meæ volitant alias properantiùs alæ,
Me vocat historia, Pavo beate vale.

Item de eodem Henrico Claudo laudes scribuntur.

Henrici Claudi meritum solenniter audi,
Cui decet applaudi, cujus metra porrigo laudi,
Sumptus ab arce soli regnat in arce poli.
Conjuge virginea virgo permansit & ille,
Catholicas dedit Ecclesias numero quasi mille,
Pauperibus, viduis, spes, via, vita fuit.
Nunc & in Altari sua cernimus ossa sacrari,
More salutari solennia digna parari;
Corpora debilium plurima sana dari.

De secundo Conrado Imperatore Romanorum octuagesimo secundo ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini MXX. defuncto Henrico Imperatore Claudo sinè filiis, Conradus Dux, natione Francus, consilio ipsius Henrici Imperatoris (cujus tamen gratiam non habebat) ab omnibus electus est in Imperium, octuagesimus secundus ab Augusto Octaviano. Iste ex matre, de primis Francorum Regibus, qui à Troja venerant, & à Sancto Remigio fuerant baptizati, originem traxerat: & prædecessoris sui Henrici Imperatoris Claudi neptem, quam nolente Imperatore acceperat, uxorem habebat, nomine Gisilam, de genere Carolorum. Sicut illo tempore quidam per istos versiculos insinuavit;

Quando post decimam numeratur in linea quarta,
De Carolo Magno processit Gisila prudens.

Ista Gisila primùm Arnulpho Duci Suevorum nupta fuit, & ex eo geminos peperit, Hernestum scilicet, & Hermannum; quo mortuo, accepit istum Conradum, de quo in præsentiarum narramus.

Erat itaque Conradus iste, armis strenuus, consilio providus, sapientia florens, peritus in jure civili, & in religione Christiana devotus. In principio regni sui Dux Polonorum Boleslaus, quem prædecessor suus Henricus noviter regno subjecerat, per seipsum Rex vocari intendit, & ab Imperio dividi omnino proponit; qui cum morte propositum prævenisset, Misiconem filium suum, successorem relinquit. Ille dum patrem imitari cogitat, & insuper fratrem suum Othonem à patria expulisset: Rex tam expulsum ejus fratrem in patriam reducturus; quàm de contumacia Misiconis se & regnum vindicaturus, in Poloniam transit.

Misico quum non posset resistere, ad Ulricum Boëmorum Ducem, qui etiam tunc hostis Imperii erat, confugit. Quem cùm Ulricus Regi reddere, & per hoc in gratiam cogitasset redire, Rex eum sub perfidia illiusmodi recipere contempsit. Misico autem acA cepto à Rege Ducatu Poloniæ, coronam quam pater ejus sibi imponere contra Imperium cogitaverat, Conrado resignavit, seque ditioni suæ supposuit: Ipse verò Misico post hæc à suo armigero occisus est.

Ab illo tempore provincia Polonorum Imperio nostro solvit tributum. Conradus filium suum post se ordinat regnaturum, nomine Henricum, adhuc puerum: quo facto, Italiam ingreditur, ad quem Ernestus privignus ejus, Dux, consilio matris suæ Gisilæ Reginæ, vênit, & gratiam Regis obtinuit, promittens se cum eo in Italiam transiturum.

Conradus Romam vênit, & in die Paschali procedens inter duos Reges, Cutonem scilicet B Anglorum, & Rodulphum Regem Burgundionum, avunculum Gisilæ Reginæ suæ, à Joanne Summo Pontifice est coronatus, & Imperii dignitatem, toto populo plaudente sortitus. Eadem hebdomada bellum inter rixantes Romanos & Theutonicos oritur, fugatis autem cæsisque ibi multis Romanis, Imperator triumphavit.

Conradus Imperator per montem Pirenæum in Franciam suam rediit, ubi cùm Ernestum privignum suum Ducem prædictum, regno rebellare jam velle audisset, viribus Imperii terra marique propulsum, in sylvis conversari coëgit, ubi postmodum à fidelibus Imperii C occisus fuit: cujus Ducatum frater suus Hermannus suscepit.

Eo tempore Radulphus Burgundiæ Rex moriens, Henrico, filio Imperatoris Conradi, nepoti suo, regnum cum corona, aliisque insignibus, sub testamento reliquit. Unde Comes Celticus Otho asserens ad se regnum Burgundiæ, seu Lugdunensis Galliæ pertinere, invadit illud. Imperator ad hæc indignatus, cum exercitu in regnum illud intravit, & Othonem ad deditionem coëgit, & omnes Principes illos in suam fidelitatem suscepit.

Deinde populo Italiæ contra Imperium machinante, vênit Mediolanum, captumque ipsius civitatis Episcopum, qui factionis illius reus dicebatur, apud Aquilegiam in exilium D misit, qui tamen postea clam aufugit. Imperator Cremonam pergens, Romanum ibi obvium habet Pontificem. Quo cum multo honore dimisso, ipse propter calorem ad montana secedit. Interea Otho Comes, ruptis juramentis, in Burgundia iterum rebellat, ubi à fidelibus Imperii occiditur, & vexillum ejus, Imperatori, in signum victoriæ transmittitur. Conradus causa orationis Romam vadit; & inde in Apulia multis civitatibus visis, per mare Adriaticum redire disposuit: ubi à distemperantia aëris Principes multos amisit. Deinde reversus in Franciam, ad civitatem Trajectum inferiorem pervênit; ibique infirmatus obiit, anno Regni sui decimoseptimo, E Imperii verò decimoquarto. Cætera de Imperatore Conrado Secundo versibus exponamus.

Item de eodem Conrado Imperatore versificè narratur.

Dux erat ex villa quam ritè vocant Guebelingam,
Inclyta nobilitas Regum generatur ab illa,
Militis officio summus in Orbe suo.
Hostibus infesta fuit ejus ubique potestas,
Magna Ducis gesta fuerant, sed major honestas,
Clarus in eloquio, dignus honore suo.

Hen-

Henrici cognata fuit, quem jam memoravi,
Ipsaque pulchra Ducem clandestinè tunc adamavit,
Cujus & à gremio germina clara trahit.
Hanc rapuit: sponsam tenuit Dux pluribus annis,
Cæsareis tunc subjacuit pro tempore bannis,
Proscriptus latuit, damnaque longa luit.
Cæsar ut agnoscit sua proxima tempora morti,
Edocuit proceres, Regem præferre cohorti,
Et simul inducit tradere Regna Duci.
Sit licèt in bannis, inquit, proscriptus ab annis,
Hic valet à validis defendere Regna tyrannis,
Et bene Romuleum continuare solum.
Rex Claudus moritur: Dux à dominis revocatur;
Conveniunt proceres, ut Rex alius statuatur,
Cum quibus hic juvenis plebe petente fuit.

De Cuano Duce, & lusoria voce ejus pro rata accepta.

CUano Dux erat summus inter Principes, sperans sinè dubio Imperium obtinere; qui à cæteris Principibus interrogatus; Quisnam ad Imperium aptior videretur? Respondit quasi derisoriè dicens: Nepos meus Dux Conradus videtur ad Imperium aptissimus. Credebat enim hoc esse impossibile, & propterea eum nominavit. Quo audito, universi laudant eundem Conradum, & eligunt eum: Dux verò Cuano contra dixit: sed tamen prævaluit electio universorum. Tali autem modo tunc Conradus imperavit.

Item de eodem Cuano Duce, & nepote ejus Conrado.

Dux erat in patria præcelsus, nomine Cuno,
Ille proculdubio confidit habere coronam,
Sed de Conrado spes modò nulla sonat.
Consedere Duces, electio vult agitari,
Conrado Dux ille petit diadema parari;
Fraude quidem petiit, nec cupit illud agi.
Dum petit, hi laudant; laudantibus ipse resistit;
Sed prohibente Duce regnum contraditur isti,
Vox ita fraudata stat ratione rata.

De edicto Conradi Imperatoris, & Lupoldi casu.

COnradus Secundus Imperator nulli violatori pacis parcebat. Unde Comes Lupoldus violator pacis, timens occidi ab Imperatore fugit in sylvam remotissimam, ibique cum uxore sua solus in tugurio latitabat. Contigit Imperatori è venatione sua fortuito casu illuc divertisse, & ea nocte ibi mansisse. Uxor Comitis eadem nocte peperit masculum, quo vagiente, vox de cœlo ait: O Imperator, infans iste erit tibi gener & hæres. Hac voce tertia vice audita, surgit Imperator diluculo, & inventis duobus suis famulis, dixit: Ite & occidite illum infantem. Qui euntes accipiunt infantem, sed miserti ipsius, non occidunt, sed super arborem ponunt, atque relinquunt. Regi autem repræsentant cor leporis, pro corde infantis. Rex autem eos remuneravit. Transiens postea inde Dux quidam, invenit & deportat infantem, & adoptat eum in filium. Imperator longè post in domo Ducis videt puerum, & habet suspectum, ne sit ille quem præcepit occidi; & assumit eum quasi pro cliente, & præcipit ut ad Reginam literas suas portet, in quibus præcipiebat Reginæ, ut visis literis statim faciat eum occidi. Puer autem rem ignorans, pergit, & in domo Sacerdotis cujusdam hospitatur, qui ei dormienti literas subripuit, & aperuit; & visa ibi morte pueri, alias literas scripsit in hunc modum: Quum videris hunc puerum, ò Regina, statim da ei filiam nostram in uxorem, sicut diligis vitam tuam. Et istas literas reposuit in marsupium pueri. Puer nescius abiit; & ita filia Regis statim tradita est ei.

Item de eodem Conrado Imperatore, & de pace sui temporis, versibus explicamus.

Conradus pro pace Duces deponit honore,
Et pacis sancita facit constare favore,
Quisque Ducum metuit, ne sibi pœna foret.
Unus erat Comitum pacem violasse notatus,
Cui domus in latebris nemorum clam parva paratur,
Nam Regem metuit, dum latitabat ibi.
Uxor & ipse Comes, dum sic latuere dolentes,
Regem Conradum videt ipse Comes venientem,
Dispersis sociis solus & ipse fuit.
Hospitium petiit, quia vespera tetra coëgit,
Quæ possunt miseri referunt solatia Regi,
Quicquid equus voluit hospita larga dedit.
Filius est Comiti sub eadem nocte creatus,
Suscipiunt puerum forma specieque beatum,
In somno Regi visio magna fuit.
Vox ait: Ecce tuus puer hic erit unicus hæres,
Omnia percipiet quæcunque videris habere,
Hunc tibi tu generum posteritate feres.
Mane sub aurora Rex pergit ad ulteriora,
Et dolet & plorat generum sic tollere lora,
Ut puer hic pereat cogitat absque mora.
Protinus ex nemore vestigia nocte sequentes,
Ecce canes famulique manent, Regem repetentes,
Mirantes dominum nocte perisse suum.
Rex vocat inde duos juvenes, aliisque relictis,
Utitur astrictis sceleroso pectore dictis;
Ite simul, pueri cor citò ferte mihi.
Dum puerum quærunt, curat Deus ipse tueri,
Nam puero pueri pietate volunt misereri,
Judicio cœli salvificandus erit.
In manibus dum plasma suum tenuere parentes,
Armigeri venére viri puerum rapientes,
Ut medio nemorum vita relinquat eum.
In puerum dum respiciunt animus variatur,
Nam ridet quòcunque videt, risuque precatur,
Ne cadat infantum tam puerile caput.
Armigeri cum jam puero cupiunt misereri,
Incipiunt quæ concipiunt ex ore fateri,
Respice natus heri, quomodo pulcher erit?
Unus ait; Concedo magis vivere vita,
Quam gladio tua parva meo sint membra petita,
Morteque mentita tu remanebis ita.
Alter ait; Totum cupio dissolvere votum,
Ponamus puerum nemorum statione remotum,
Ne lupus hunc comedat nidificabo locum.
Signa tamen mortis qua calliditate feremus?
Ille refert canibus leporem campo capiemus,
Cor quoque tollemus quo simulabo scelus.
Dixit: & ecce lepus juvenum per crura resurgens,
Armiger insequitur clamando, canesq; perurget,
Sic pietate Dei victima fertur ei.
Arboris in ramo puerum lachrymando relinquunt,
Cor leporis demonstrantes mendacia fingunt,
Juxta mandatum jam scelus esse datum.
Cæsar habet grates, & gaudia magna duobus
Præ-

A Præstat & ambobus sceleris pro munere robur,
Nam bene complacuit perditionis opus.
Contigit hinc transire Ducem quà nunc jacet infans,
Audit & obstupuit, pueri vox altiùs instat,
Quumque videt puerum Dux citò tollit eum.
Suscipit infantem nimium gavisa Ducissa,
Noctis in obscuro dum cum Duce luderet ipsa,
Se queritur sterilem magna Ducissa fore.
Dux ait; Hunc puerum poteris ibi fingere natum,
Finge precor partum, de te fatere creatum.
Quippe manu Domini suspicor esse datum.
Annuit audito mulier formosa marito:
Hinc, ait; Exito, thalamo properanter abito,
Omnibus insinua me peperisse citò.
B Sic ego de more partus simulabo laborem,
Tu dictis moderare meis, præstaque favorem,
Ut reputent puerum me generante fore,
Fama volat genuisse Ducem, peperisse Ducissam,
Aspectu facieque puer formaque patrissat,
Crescit, & inducit gaudia magna Duci.
Cùm puer Henricus quindenum scanderet annum,
Militis officio censetur honore levandus,
Prorsus enim species corpus & acta placent.
Interea Rex ipse venit, puer astitit illi,
Forma recens facieque nitet, flavique capilli,
Dum quasi flos lucet, Rex vocat ipse Ducem.
Dic mihi, quis puer est? Meus est, Dux intulit illi;
C Cæsar ait; Totus forma simulatur Achilli,
Hunc (ait) obsequiis continuabo meis.
Dux ait; Oro pater, tenero nunc parcite nato,
Cùm fortis, cùm miles erit, juvenem revocato,
Ut vacet obsequio tunc meliore dato.
Dum pater implorat, dum sic retinere laborat,
Rex ferus evacuat penitus quæcunque perorat,
Atque sibi puerum detulit absque mora.
Anxia mens Regis juvenem solerter adegit,
Quis pater aut mater sibi sit, narrare coëgit,
Sum Ducis, ille refert, me Ducis Aula regit.
Rex quia jam sterilem cognoverat esse Ducissam,
Æstimat enixa puerum quia non foret ipsa,
Et quia sic dubitat, noxia corde parat.
D Nam putat hunc puerum, quem jusserat ante necari,
Hunc & ad Imperii metuit diadema vocari,
Unde citò puero morte pericla parit.
Ipse manu propria properat cùm scribere chartam,
Qua puerum portare necem sub fraude coarctat,
Fit puer Urias arripit ergo vias.
Fertur Aquisgrani septem properasse diebus,
Ipse caret sociis, nec abundat ad omnia rebus,
Presbyter hunc recipit, ut jubet ipse Deus.
Fessus & esuriens scamno capit ipse soporem,
Presbyter aspiciens juvenem fulgere decore,
Prandia disposuit deliciosa fore.
Charta boni pueri bursa retinente pependit,
E Presbyter hanc aperit, & eam cognoscere tendit,
Fortè necem pueri quamcitò cernit ibi.
Presbyter ut potuit pueri perpendere mortem,
Protinus in melius satagit convertere sortem,
Noxia rasit; abhinc hæc bona scripsit ibi:
Hæc Regis dum scripta legis Regina, videbis
Hunc puerum, facies generum, charumque tenebis;
Si dare distuleris, hostia mortis eris.
Manè puer surgens ait; Hospes chare valeto,
Ille refert; Domine famulum me semper habeto,
Rex mihi cùm fueris tunc memorare peto.
Risit ad hæc juvenis, risumque fuisse putavit,
Versùs Aquisgranum festinus iter peragravit,
Nescius in scriptis quid sibi charta parit.

Aspiciens Regina videt juvenem venientem,
Miratur formam, faciem, vultumque nitentem,
Mox puer ut vènit, Regia scripta dedit.
Ipsa legit, sed lecta tegit, secreta reponens:
Nata videns, vagabunda silet, perhibente rubore:
Mater eam citiùs cernere scripta monet.
Regia mandata nimio perplexa rigore
Lecta docent Dominam Regis metuisse furorem,
Et species juvenis hæc peragenda monet.
Non erat ut possent Regis præcepta negari,
Curia dat juveni thalamum de more parari,
Filia præcipitur quamcitò sponsa dari.
Altera post pauca Regis data litera, quærit,
Si jussis Regina suis reverenter obedit:
Illa refert, cuncta perficienda dedi.
Aspera scripta quidem, te præcipiente, relegi,
Sed quia pertimui citò contradicere Regi,
Omnia contribui quæ tua charta vehit.
Nata maritata, sponsalia sunt celebrata,
Curia lætata, solennia magna parata,
Filia nostra parem gaudet habere marem.
Legit & obstupuit reputans hæc omnia Cæsar,
Urget equos, festinat iter, cursumque coæquat,
Commotusque satìs sede resedit Aquis.
Filia cum matre procerum turba comitante,
Astitit, & generum præfert, quem prætulit ante.
Sponsa manu sponsum ducit amanda suum,
Turgidus ille sedens, quid agat, quid dicat in illam.
Nescit, & intumuit, ardensque furore favillat,
Stant furor & ratio pectore tusa suo.
Ira, furor cordis, contraria stant rationi,
Obviat & ratio socia pietate furori;
Stans gener in medio credit abinde mori.
Filia cum matre fervente patris feritate,
Plena timore tacet, vultu variante minacem,
Mors & vita simul Regis in ore latent.
Ira recens inferre necem pœnamque laborat,
Parce pater, differre placet, natura perorat,
Naturæ precibus vincitur absque mora.
Dum gravis in Rege fieret luctatio mentis,
Obtinet in causa ratio, fugit ira potentis,
Respicit uxorem lætus ut ante solet.
Dicit ei; sancita Dei nequeunt vacuari,
Quod volui, jam non potui, Deus ipse negavit,
Quæ Deus instituit, nos patiemur, ait.
Uxor ad hæc instat; Deus (inquit) contulit ista,
Prorsus ab humana cœli sapientia distat,
Hæc sunt acta Dei, mens tua cedat ei.
Si generum tamen ingenuum natura notaret,
Nec fortuna mihi, neque filia damna pararet,
Si secus est gener, gaudia nulla daret.
Cogitur hinc Regi Dux insinuare quod egit,
Inde duos juvenes verum recitare coëgit,
Compulit & Comitem, quem Nigra sylva tegit.
Dum Comes adductus credit sibi crescere luctus,
Cognitus esse pater, recipit pro tempore fructus,
Nam gener Imperii filius ejus erit.
Cæsar ubi potuit de nobilitate doceri,
Pace frui Regis valet & gener ipse mereri,
Iste mihi socius & gener (inquit) erit.
Quumque videt quòd & ipse fidem puero violavit,
Plaudit ei quem dextra Dei servavit, amavit,
Tu gener Imperii, tu mihi natus, ait.
Rex cadit in fatum, Regis gener ille vocatur,
Ordine laudatur, socero gener associatur:
Sic rota fortunæ rem variasse datur.
Ille locus nemorum quo vir fuit ille creatus,
Nobilis Ecclesia Monachis Hirsaugia vocatur,
Magna Creatori nunc ibi pompa datur.

De

De Tertio Henrico Imperatore, filio Conradi Secundi Imperatoris, octuagesimotertio ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini Millesimo quadragesimo, Henricus Tertius supra memoratæ Imperatricis Gisilæ filius, qui cœperat patre vivente regnare, patre mortuo, ab Augusto octuagesimustertius cœpit imperare. In ipso dignitas Imperialis, quæ per longum tempus extra Carolorum genealogiam deducta jam exulaverat, ad nobilissimum germen Carolorum, per matrem ejus Gisilam, est revocata.

Iste Henricus, patri suo æqualis in virtutibus, & præcelsior fuisse perhibetur. Primò quidem Bohëmorum Ducem, Imperio tunc offensum, in deditionem accepit. Petrum autem Regem Ungarorum à Regno expulsum, & exulem suscepit, atque inserto prœlio cum Ungaris innumerabilem eorum multitudinem fudit: Pannoniamque ingressus, Petrum ipsum Regno suo restituit. Accepit postea Nobilissimi Principis Galliarum, Pictaviæ, & Aquitaniæ Ducis Wilhelmi sororem, Agnetem, in uxorem. Cùmque more Regio apud Ingelheim nuptias celebraret, universos joculatores abire permisit inanes; atque ea omnia quæ eis fuerant largienda, pauperibus dedit.

Circa idem tempus in Ecclesia Romana est confusio gravis exorta, tribus invasoribus sedem illam occupantibus. Quorum unus, Benedictus vocabatur. Atque ad majoris miseriæ cumulum, divisis inter se Patriarchiis, earumque reditibus, unus apud Sanctum Petrum, alter apud Sanctam Mariam Majorem; tertius, idest Benedictus, in Palatio Lateranensi sedebat. Omnes vitam turpem (ut accepimus) & flagitiosam habebant. Tunc quidam Presbyter, nomine Gratianus, Ecclesiæ Dei in tanta confusione compassus, præfatos viros adiit, eisque à Sancta Sede cedere, pecunia persuasit. Benedicto, qui inter illos majoris videbatur auctoritatis, reditibus Angliæ, pro pacis compositione, relictis. Propter quod, Romani eumdem Gratianum Presbyterum, tanquam Ecclesiæ liberatorem, ad Summum Pontificium communiter elegerunt, eumque Gregorium Septimum vocaverunt.

Imperator his auditis, Romam pergere festinavit. Cui Gratianus apud Sutrium occurrit, eique coronam pretiosam, ad captandam ejus benevolentiam, donavit. Imperator eum tunc benignè suscepit, sed postmodum collecta Synodo, propter notam simoniæ, cedere persuasit; eique Suidegerum Babenbergensem Episcopum, consensu Ecclesiæ substituit; quem etiam Benedictum placuit nominari.

Extunc canonica electio Romanorum Pontificum usque adeò suffocata fuisse narratur, ut iste Benedictus, & Aldibrandus, & alii quatuor sequentes, ab Imperatore constituti in Catalogo Romanorum Pontificum scripti reperiantur. Qualiter autem Ecclesia Dei partim sub Leone juniore, ad plenum verò sub Alexandro, liberam electionem rehabuerit, sicut probatorum virorum assertione didicimus, postea auctore Domino referemus. Cætera de Henrico Tertio versibus explicamus.

De eodem Henrico Tertio.

Henricum dixere Nigrum, barba nigricante,
Romuleum tulit Imperium Papa mediante,
Prospexit populis cum probitate suis.
Theutonicus dictus tunc Papa fuit Benedictus,
Romanis qui Principibus cum pace relictis,
Ad patriam rediit, nobilis unde fuit.
Curia Romana pariter cum Cæsare pergit,
Copia Theutonica digno moderamine servit,
Urbeque Wormatiæ fit sibi prima quies.
Pluribus alloquiis cum Cæsare Papa vagatur,
Papa loco moritur qui Babenberga vocatur,
Tunc Leo Theutonicus Papa recepit onus.

De quarto Henrico Imperatore Romanorum, LXXXIV. ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini MXLVII. Henricus quartus, Rex victoriosus, Romæ in die Natalis Domini, à Clemente Papa coronatus, LXXXIV. ab Augusto, Imperii nomen dignitatemque suscepit. Inde per Apuliam ducto exercitu, ad Patriam cum honore revertitur.

Eodem anno, mortuo Suidegero, idest Clemente Papa, Popio Aquilejensis Patriarcha, in locum ejus Romæ subrogatur. Non multò post, Rex Ungarorum Petrus, à quodam suo cliente, nomine Andrea, oculis regnoque privatur. Tunc mortuus est Popio, idest Damasus Papa. Cui Bruno Tullensis Episcopus, idest Leo Papa, Romæ succedit. Ille nobili Francorum prosapia oriundus, authoritate Imperiali ad Sedem Beati Petri fuerat destinatus: qui cùm assumptâ purpurâ per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, ubi Aldibrandus Papa supra memoratus, Prioratus officium ministrabat. Ipse eum adiens, æmulatione Dei plenus, constanter de incœpto redarguit: illicitum asserens, Summum Pontificem per manum laicam ad gubernationem universalis Ecclesiæ introire. Veruntamen (inquit) si meis consiliis te credere volueris, efficere poteris, quòd neque Regis animum exacerbabis, neque Sanctæ Ecclesiæ auferes in electione Pontificis, libertatem. Inclinatur ille ad admonitionem Aldibrandi Prioris, & purpuram deponit, & habitum peregrini assumit, & iter arripiens, eundem Aldibrandum secum deducit. Igitur cùm ambo Romam simul venissent, consilio Aldibrandi Bruno in Summum Pontificem eligitur. Qua causa, Romana Ecclesia qualitercunque tunc cœpit ad electionem sui Pontificis noviter informari.

Interea Imperator ingressus Belgicam, Gotfridum, & Balduinum Duces ad deditionem coëgit. Post hæc, Synodus Moguntiæ celebratur, in præsentia ipsius Papæ Leonis, & Henrici quarti, Imperatoris.

Ad hæc, Imperator adversùs Andream, qui (ut supra narravimus) Dominum suum Petrum, Regem Ungarorum, oculis regnoque privaverat, exercitum movet, & Pannoniam ingreditur. Sed incolis terræ undique latitantibus, cunctisque Ungariæ victualibus vel absconditis, vel contaminatis, aut veneno infectis, exercitum illic sustentare non valens, Pannoniâ devastatâ, reversus est. Item sequenti anno Pannoniam hostiliter aggrediens, Leonem Papam secum deducit, & Andream fugavit, atque omnia feliciter ordinavit.

Terra Roberti Guiscardi in Apulia.

EO tempore gens Normanniæ consurgens, sub Roberto Guiscardo, viro strenuissimo, & magnæ recordationis Duce, Apuliam ingreditur, ubi incolas terræ, variis modis, nunc potentia, nunc dolo & fraude afflixit. Quos dum Leo Papa, Romam cum militia à Gallia rediens, incipit coërcere, & ab Apulia intendit expellere; conserto cum eis prœlio, multisque prostratis, victus cogitur fugere Beneventum. Tanta autem ibi ex utraque parte cecidit multitudo, ut acervus ibi postea factus ex ossibus mortuorum, usque hodie ab indigenis soleat viatoribus ostentari.

Anno extunc proximo Papa Leo moritur, & in Ecclesia Sancti Petri sepultus, miraculis coruscare monstratur. Cui succedit Gebehardus Æstetensis Episcopus, qui Victor Papa est nominatus. Illi quoque successit Stephanus, Theutonicus natione.

Imperator rursus Italiam ingressus, Comitissam Beatricem, matrem scilicet Comitissæ Mathildæ, consanguineam suam, viduam Bonifacii Marchionis, secum deduxit.

De recuperatione Sancti Sepulchri, anno Domini millesimo sexagesimo septimo

DEfuncto Gregorio VII. Papa apud Salernum, Gilberto autem Romæ per Imperatorem Cathedram & Urbem possidente, pauci Romani propter metum Imperatoris Abbatem Desiderium de Monte Cassino, invitum ad Papatum traxerunt: qui etiam dato pretio custodibus occultè, qui civitatem Leoninam custodiebant, sub silentio noctis eum apud Sanctum Petrum in Cathedram posuerunt, & Victorem eum nominaverunt. Ipse verò fluxu ventris statim detentus, vitam finivit. Cujus loco Episcopum Hostiensem Othonem, idest Urbanum Papam constituerunt.

Eodem tempore civitas Hierusalem à Paganis conculcata erat, atque detenta. Sepulchrum autem Domini ab eis quæstus causâ venerabiliter habebatur, vivente adhuc Imperatore Henrico quarto, & Alexio Rege Græcorum. Tunc præfatus Urbanus Papa, propter miseriam Hierosolymorum transiens in Galbas, ad defensionem Sancti Sepulchri Christianorum arma commovit, atque ex diversis nationibus centum millia hominum ad arma collegit: eisque Duces subscriptos præfecit, Ducem Lotharingiæ Gotfridum de Boillon, Comitem Sancti Ægidii, Reinmundum Comitem Flandriæ, Robertum & Hugonem fratrem Philippi Regis Franciæ. Curam autem omnium eorum in Christo Episcopo Fodiensi commisit. Rumores istos alii Christiani audientes, ex omnibus regionibus & linguis & insulis Christianorum homines cum inæstimabili multitudine affluxerunt. Asserentes se Apostolos, & prædicatores Christi esse, atque adversùs inimicos Crucis Christi pugnatores.

Gotfrido igitur duce, per Bulgariam cum magna difficultate Constantinopolim pervenerunt, ubi multum dolum & impedimentum à Rege Alexio perpessi, commissâ cum Græcis pugnâ pontem urbis Regiæ expugnant, & transeuntes suburbium succendunt. Ibi recensitis trecentis millibus bellatorum in Nicenam turrim quondam Christianorum venientes, eam

A à Paganis expugnaverunt, & Imperatori eam dederunt. Deinde per maritimam Rutenorum progressi, tantam rerum abundantiam invenerunt, ut bos pro siclo, & aries pro nummo, teste Roberto Comite, venderetur. Principes etiam Saracenorum sibi occurrentes bello presserunt. His elati successibus, obsidione Antiochiam cingunt, ubi per novem menses morantes, deficientibus copiis, & exercitu debilitato, valde humiliati sunt. Deus autem eorum misertus, urbem cum omni copia Turcorum tradidit in manus eorum.

Cùm igitur rumor eorum universum Orientem terreret, Rex Babyloniorum dirigit ad eos Legatos, poscens confœderationem eorum in dolo: cum quibus Legatis pergunt in

B Babyloniam Legati Francorum, & honorificè suscepti, dum proceritas, & pulchritudo eorum aspicitur, dum virtus, & magnanimitas ipsorum consideratur, dum magìs esse quàm homines ab illius terræ indigenis asseruntur, Rex Babyloniæ, accepto à suis consilio, movet illico exercitum, & Hierusalem cingit obsidione, dicens eis: se cum Francis fœdus & amicitiam contraxisse; cum quibus etiam eos vellet destruere, nisi se & urbem Regi Babyloniæ subditos exhiberent. Turci itaque urbem tenentes; propter metum Christianorum, se & urbem in manus Regis dederunt. Qui ejectis omnibus Turcis, urbem cum Saracenis munivit, & sic Christianorum propositum suo ingenio præpedivit.

C Inter hæc Christiani, captâ (ut diximus) Antiochiâ, quia Deum non dignè glorificasse videntur, tanta cinguntur multitudine Saracenorum, ut priorem ubertatem fames tam intolerabilis sequeretur, ut etiam vix ab humanis carnibus abstinerent. Respiciens autem Dominus populi sui contritionem, Lanceam, qua Christi Sanctissimum latus legitur perforatum, in locis illis per revelationem eis monstravit; cujus virtute Christiani confisi, quamvis debiles & famelici, cum Saracenis bellum committunt, fusisque viriliter omnibus, non sua, sed Christi fortitudine, hostes vicerunt.

D Inde procedentes in Syriam, Barram, & Martam urbes ceperunt: ubi moram facientes, tanta iterum inopia narrantur attriti, ut etiam humana corpora fœtida, famelici aliqui devorarent. Post hæc, ad civitatem sanctam jam à Saracenis inhabitatam atque munitam, acies direxerunt. Quam obsessam cùm capere non possent, habito religioso consilio, Christum humilitatis magistrum imitantes, nudis eam pedibus circuire disponunt. Igitur in die, quæ dicitur divisio Apostolorum, civitas capitur; & hostes ibidem comprehensi, tanta sunt occisione prostrati, ut in porticu Salomonis sanguis occisorum usque ad nostrorum equorum genua perveniret. Extunc civitas Hierusalem usque nunc, authore Deo, à nostris possidetur.

E Porrò Admiratus * Babyloniorum, qui & Rex Mempheorum, & Alexandrinorum vocatur, apud Ascalonam manens, innumerabilem collegit exercitum, tanquam Hierusalem & Antiochiam, per suam potentiam recepturus. Legatos autem Francorum adhuc in Ascalona apud se retinebat. Ad hæc Christiani, sarcinis suis, & infirmis in urbe relictis, exercitui Babyloniorum in campo occurrunt. Cùmque infinitam hostium multitudinem conspexissent, fusis ad Do-

Dominum precibus, cum paucis contra hostes procedunt; & mirum in modum per divinum auxilium, cum quinque millibus equitum, & quindecim millibus peditum, Saracenorum centum millia equitum, & trecenta millia peditum, vertere terga compellunt, & spolia immensa diripiunt. Ceciderunt ex Saracenis in eo prœlio plus quàm centum millia gladio extincti, sed circa portam Ascalonæ ducenta millia in introitu civitatis sunt suffocata. Innumeri quoque submersi & spinis irretiti, periisse referuntur.

Peractâ victoriâ, Principibus ad propria remeantibus, Dux Gotfridus exercitum qui remansit, strenuè sapienterque conduxit. Ipse etiam Romanos & Theutonicos invicem sæpe ob invidiam rixantes, tanquam utriusque linguæ peritus, ad paçem & concordiam, ut simul commanerent, suis studiis salubriter informavit. Interea Urbanus Papa, qui ultra mare exercitum direxerat, celebrato Concilio apud Clarmontem, Romam revertitur, & Gilbertum, qui per Imperatorem Cathedram Romæ tenebat, ab urbe expellit: sola illi domo Crescentii, ideft castello Sancti Angeli remanente. Inde cathedrâ suâ receptâ, egressus ab urbe, Apuliam, Calabriam, atque Siciliam peragravit: unde quamplurimâ collectâ pecuniâ, Romam reversus, custodes castri Crescentii pecunia corrupit: atque in hunc modum expulso Gilberto, ad ultimum tam Urbe, quàm cathedra liberè potitur. Ipse paulò post in fata concessit, & Cathedram Paschali Papæ reliquit.

Interea Christianis ad Sanctum Domini Sepulchrum confluentibus, Dux Gotfridus in Hierusalem moritur; eique Balduinus frater ejus ibidem subrogatur, & auctoritate Summi Pontificis Rex appellatur. Anno Domini MC.

Eo tempore quo Primus Balduinus factus est Rex Hierusalem, Gilbertus moriens, horribilissimo Schismati, tanquam Ægypti densissimis tenebris, finem imponit.

Anno sequenti Conradus, filius Quarti Henrici Imperatoris, cui pater Italiam commiserat, obiit, anno scilicet IX. ex quo à patre discesserat, & in civitate Florentia honorificè sepultus est. Post hæc Imperator pater ejus, apud Moguntiam Nativitate Domini celebrata, Henricum filium ejus, qui fuit Quintus Henricorum, regnaturum post se Principibus assignavit: seque Hierosolymam iturum devovit, & publicè pronunciavit. Anno secundo iterum apud Moguntiam Imperatore existente; Henricus filius ejus contra eum rebellionem molitur apud Ratisbonam, consilio Bavarorum, habens occasionem, quòd pater excommunicatus à Romano Pontifice haberetur. Assumptisque Principibus, Saxoniam contra Imperium facilè commovendam intravit, ubi apud Quintlineburg universos Saxones suæ voluntati conjunxit.

Tunc Ruthardus Moguntinus Archiepiscopus à sede sua diu per patrem Imperatorem expulsus, filio ejus Henrico Quinto adhæsit, & apud villam Northusen concilio celebrato, Imperatorem tanquam simoniacum condemnavit. Item Henricum Magdeburgensem electum; sed ab Imperatore reprobatum, consecravit. Inde in Moguntiam per auxilium filii redire proposuit. Sed pater in Moguntia cum militia manens propositum præpedivit. Post hæc filius castrum Noricum, ideft Nurenberg, expugnavit.

Item de eodem Henrico quarto, Imperatore.

Henricus Quartus cùm esset puer, mortuo patre, sub custodia matris suæ Agnetis Imperatricis fuit; quæ aliquanto tempore prudenter Imperium rexit. Postea filius consilio lascivantium à matre alienatus, per se cœpit regnare. Hæc discessio maximæ discordiæ seminarium fuit. Imperatrix aspiciens iniquas rerum mutationes, cùm fluctibus turbationis nollet involvi, religiosam vitam elegit, & ad Monasterium Fructuariense se transtulit. Inde postmodum Romam pergens, ibique aliquantam moram faciens, vita decessit, & in Ecclesia Beatæ Petronillæ, in tumba marmorea honestè sepulta est.

His diebus Alexander, primò Lucensis Episcopus, postea communi voto & electione promotus in Summum Pontificem, Ecclesiam Romanam, diu jam ancillatam, in pristinam libertatem reduxit. Nam Cadulum Parmensem Episcopum, Romanam Sedem armata manu occupare volentem, constanter repressit. De isto Cadulo, & de isto Alexandro scriptus est versus in camera Lateranensi:

Regnat Alexander, Cadolus cadit, & superatur.

Itaque Imperium Henrici in seipsum dividitur, & conspirantibus Saxonibus rebelliones fiunt. Detractiones & inhonesta plurima de Imperatore ad aures Summi Pontificis referuntur. Hanno Coloniensis Archiepiscopus, & Germanus Babenbergensis Episcopus, Romam mittuntur. Qui peracta legatione revertentes, literas Apostolicas Regi assignant, per quas ad satisfactionem de simonia aliisque enormitatibus commonetur. Eodem tempore Saxones manifestè rebellant, & urbes & castella, quæ Rex in Saxoniâ construxerat, auferunt, & omnino subvertunt.

Anno secundo Alexander Papa decedit, & Aldibrando Archidiacono suo, qui Gregorius septimus fuit, Apostolatum reliquit. Quod quia sinè Imperatoris concessione actum est, schisma gravissimum narratur exortum. Ipse itaque Gregorius Papa ad simoniam extirpandam, & Clericorum incontinentiam reprimendam intendens, Imperatorem ipsum ad Synodalia pro hujusmodi frequenter vocavit. Connubia Clericorum, à Subdiaconatu, & supra, per totum Orbem Romanum, Edicto decretali in æternum prohibuit, ac seipsum athletam Dei pro domo Domini murum constituit.

Imperator Saxones bello petit, & juxta fluvium Hunstrot bello incerto, cæsis hinc inde quampluribus, cruentam victoriam vix obtinuit. Cecidit ibi Gebeardus pater Ducis Lotharii, qui postea imperavit, & Ernestus pater Alberti Marchionis.

Eodem anno Wilhelmus Comes Normanniæ, majorem Britanniam, quæ nunc Anglia nuncupatur, expugnavit, Regemque ipsius Eraldum occîdit. Deinde Normannis ibi positis, totâque provinciâ in servitutem redactâ, ipse ibi regnavit.

Anno sequenti, Imperator accepit uxorem, filiam Othonis Marchionis Italici, nomine Bertam. Papa tantum Imperatorem excommunicavit; ejusque consilio Saxones sibi Rodulphum Regem creaverunt; quo postea in bello occiso, & Herimanno Principe Lotharingiæ sibi substituto, ipse quoque citò interficitur. Ante hunc Imperatorem non legimus ali-

aliquem à Romano Pontifice excommunicatum, aut Imperio privatum: nisi fortè illud pro excommunicatione reputetur, quòd Philippus Primus Christianus Imperator, ad breve tempus à Romano Pontifice inter pœnitentes legitur collocatus. Aut illud, quòd Theodosius, ob cruentam hominum cædem à liminibus Ecclesiæ legitur sequestratus.

Interea Gregorius Papa septimus, potentia Imperiali ab Urbe pellitur. Cujus loco Gilbertus Ravennas intruditur.

Item de eodem Henrico quarto, versibus subnotatur.

Henricus quartus Guebelingo semine surgens,
Regna per Italiam multa feritate perurget,
Ut tribuant Domino digna tributa suo.
Omnia dum recipit quæ rapta vel aucta putavit,
Romani bona Pontificis plerumque gravavit,
Papa dolens factis, non patiemur, ait.
Cur petat illicitum Cæsar, citò Papa requirit,
Ecclesiæque bonis qua vult ratione potiri?
Pax mea jam periit pro feritate viri.
Despicit Henricus Papæ quamcumque querelam,
Nec cupit Ecclesiam aliqua placare medela:
Namque potens armis cordeque magnus erat.
Invidia fertur nimia potuisse notari,
Et nimia feritate sua nequam reputari,
De quibus exempla pagina pauca dabit.
Si probitate virum, vel equum pollere putaret,
Ejus ad interitum quæ posset iniqua pararet,
Insidias mortis fraude doloque daret.
Miles erat Regi speciosus, & altus honore,
Ille datur nudo pugno mactasse leonem,
Militis officio summus in Orbe suo.
Hunc videt invitus Rex, insidiator iniquus,
Invidus Henricus, probitatis atrox inimicus,
Cujus ab insidiis deperit ille citò.
Fertur eques Regi talis quandoque fuisse,
Cui virtute parem nullum natura dedisset,
Hic in aquis Rheni Rege jubente perit.
Prava per Imperium dum Regia fama notatur,
Ira movet proceres, gens Theutona tota gravatur,
Et dolet Imperium turpe fovere caput.
Curia Francorum collecta simul Dominorum,
Crimina gestorum Regis condemnat eorum,
Expertumque volunt jam reprobare dolum.
Nunc ab Apostolico procerum sententia quærit:
Si Princeps scelerum Rex jure potest removeri?
Papa refert; meritò destituendus erit.
Gregorius Papa nunc septimus extat in Urbe,
Post venit Urbanus, qui Regia facta perurget,
Fert quoque Paschalis tempora plena malis.
Henricus malè sortitus fit ab hinc anathema,
Rodulphus cum Saxonibus tulit hoc diadema,
Cum quibus Ecclesia Regia jura premat.
Junctaque Saxonibus consentit & inclyta Roma,
Aurea Rodulpho transmittitur inde corona,
Bella per Imperium multiplicata tonant.
Scriptus & insertus fuit in diademate versus,
Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho;
Hæc ita Saxonibus missa corona datur.
Sede Moguntinus tunc Præsul in ordine primus,
Extitit Albertus, sævus, feritate ferinus,
Nec tamen ingenio vel probitate minor.
Hic super Henricum magis omnibus est inimicus,
Sic & Agrippinus præsul, celebris Fridericus,
*Alberto * de Treveri, fit gravis hostis ei:*
Undique conspirant, veniunt certamina mira,
Signa, pares Aquilæ, veniunt ad prœlia dira,
Saxo tribus vicibus Marte repressit eum.
Pugna redit quarta, Regem malè Saxo coarctat,
A *Nam quasi jam parta fuerat victoria quarta,*
Ast ubi bella gerit Rex novus ense perit.
Dum fugit Henricus, comitum fugiente caterva,
Miles ei signum media statione reservat,
Dicens; Quo graderis, respice victor eris.
Hoc ego Rodulphum gladio tibi dico peremptum,
Rex negat eventum, sed eum trahit ille retentum.
Rex ubi fata gemit, publica fama venit.
Miles ait: Surge, tua gloria magna resurget,
Saxo fugit, quia Rex cecidit, tu curre, perurge,
Dum tractus rediit victor & ipse fuit.
Nec tamen ut vivit, victorem pœna reliquit,
Mortibus addici Regem faciunt inimici,
Filius ejus ei tollere Regna sitit.

B Henricus junior tollit Imperium adversùs patrem suum.

Efficit ingratus præsul procerumque Senatus,
Patris ad interitum quod habet diademata natus,
Ex ope Pontificis omnia posse ratus.
Fit pater ut fuerat sub præsule Rex anathema,
Filius erigitur Henricus habens diadema,
Et studet ut penitus jura paterna premat.
Pellitur ergo pater, nimia procerum feritate,
Nec penitus natus patris caruit pietate,
Leodii genitor pauper inopsque latet.
Henricus Magnus, numero quartus reputandus,
Quinquagintaduos vitæ præfecerat annos,
Bella quibus nati fertur amara pati.
C *Tunc obiit, tunc Leodii voluit tumulari,*
Canonici studuere sui corpus venerari,
Moreque Regali condere membra lari.
At quia Rex voluit vivens anathema mereri,
Papa caput celeri jubet hinc corpus removeri,
Cunctaque Leodii mox anathema ferit.
Pellit & à sacris corpus: rebus variatis,
Filius ossa patris doluit fore cum sceleratis,
His citò sublatis longiùs ire facit.
In patriam Spiram, quæ Rhenica litora gyrat,
Ossa patris minat, nimium commotus in iram:
Aphra capella fuit quæ patris ossa tulit.
Rex ita translatus, feretroque novo reseratus,
Quinque reservatus annis fuit intumulatus,
Omnibus ingratus, ludibrioque datus.
D *Hoc genus horroris nato fit causa doloris,*
Tempora mœroris renovat feretrum genitoris,
Pulsus ab Ecclesiis dum jacet ipse foris.
Sacra sepultura Papa prohibente negatur,
Annulus & baculus nisi Papæ restituatur,
Cum quibus Ecclesias vendidit ille suas.
Vendidit ille, quia rarò caruit simonia,
Quæ nota ne fiat, vetuit divina sophia,
Papaque mente tali tollere prorsus hiat.
Henricus verè defuncti Cæsaris hæres,
Amodo Pontificum baculos prohibetur habere:
Hoc etenim fieri regula nulla feret.
Vendere Pontifices non possunt amodo Reges,
Illud enim sacræ prohibent per sæcula leges,
Expedit ut Simonis crimina quisque neget.
E *Henricus Quintus tunc incidit in labyrinthum,*
Hoc laqueo cinctus, foris est arctatus & intus,
Ecclesiæ cedit, dona coacta dedit.
Hæc duo dumtaxat Cæsar repetita relaxat,
Ecclesias passas rabiem, non amodo quassat,
Guerra dedit requiem, pax rediviva placet.
Annulus & baculus Papalia jura sequuntur,
Sic & ab Imperio meritò mundana reguntur,
Jura coæquata stant ratione rata.
Sacra sepultura nunc Cæsaris est valitura,
Aurea structura patris est, dans gaudia plura,
Sanctaque Spirea membra recondit ea.

Nor-

Normanni invadunt Apuliam tempore Quarti Henrici Imperatoris.

Henrici Quarti dum gloria vergit ad imum.
Sentit & Apulia Normannica prœlia primùm,
Vincitur & Calaber nunc, Siculusque sinus.
Dux ibi Normannus Wilhelmus primo notandus,
*Postque * Robertus Magnus Viscardus adest memorandus,*
Cujus & in modico maxima gesta dabo.
Paganos Siculos hic in sua jura redegit,
Apulus & Calaber victus sibi colla subegit,
Quos modò Wilhelmus Rex probitate regit.

Robertus Viscardus combussit Lateranum, dum Imperator Papam Paschalem captum Romæ teneret.

Non erat Henrico licitum defendere terram,
Namq; per Imperium fuerat validissima guerra.
Papaque Paschalis vincula captus adit.
Henricus Quintus dum gestat in Urbe coronam,
Audet Viscardus partim comburere Romam,
Hinc Lateranensis porta perusta sonat.
Transit ut ad Danaos, referunt sibi prœlia Græci,
Regis ibi Danai pars extitit hostia lethi,
Copia fit spolii, miraque massa necis.
Dux erat in rebus pauper, dives probitate,
Addidit ex corio nummos expendere latè,
Cum quibus & Danai copia victa jacet.
Devictis Danais, post tempora fertilitatis,
Reddidit argentum pro denariis coriatis,
Militibus gratis dat sua dona satis.
Robertus Viscardus obit tandem sinè prole;
Rogerius Germanus ei succedit honore,
Climata Siciliæ possidet atque fovet.
Rogerius Paganus erat de more vocatus,
Rogerius de Rogerio Comes est generatus,
Gemma sui generis, & probitate caput.
Gemma fuit, regnare sui meruit probitate,
Apulus, & Calaber fit ei subjectus, & Apher:
Quod loquor ecce patet, terra subacta jacet.
Rogerii Regis hic tempus & acta relinquam,
Cæsaris Henrici Quinti rem primitus inquam,
Post quoque Rogerio tempus & acta dabo.

Item de Quinto Henrico juniore filio Quarti Henrici, octuagesimo-quinto ab Augusto.

HEnricus junior contra patrem movet exercitum, & pater contra eum. Utriusque autem exercitus, supra Rhenum fluvium castrametatur, Rheno in medio existente, & alterum ab altero separante. Erat autem patris maxima potentia in exercitu Bohëmorum, & in Marchione Austriæ Lupoldo. Quam rem, cùm filius considerasset, tam Ducem Bohëmorum nomine Boroez, quàm Marchionem Lupoldum, largissimis promissionibus ab auxilio patris sui avertit: quibus abeuntibus, pater debilitatus, à campo cedere compulsus, confusus discessit. Ab illo itaque die pater minuitur, filius autem augetur. Postea filius & pater ad apud Pinguiam castellum colloquuntur: ubi filius monet, ut pater per Apostolicum exeat ab excommunicatione, qui petit Principes apud Moguntiam congregari, ibique coram eis de eadem causa tractari. Itaque petente patre, generalis Curia Moguntiæ indicitur: ibique pater & filius omnibus Principibus præsentantur.

De Hierosolymis.

CIrca idem tempus, Balduinus Rex Hierosolymorum Ascalonam obsessam, sibi tributariam fecit. Commissoque prœlio cum Saracenis (cùm ipse tantùm quatuor millia bellatorum haberet) hostium quinquaginta millia Dei magis, quàm hominum virtute prostravit, uno Saracenorum Principe capto, & altero occiso.

Tunc Alexius Rex Constantinopolitanus, Christianæ prosperitatis adversarius, Turcos in desperationem jam positos, in amicitiam suam confœderavit, eisque turrim Niceam, Christianorum sanguine conquisitam, concessit.

Interea generali Curia Moguntiæ congregata, præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis, Imperator coram omnibus excommunicatus pronunciatur. Unde etiam ipse in castro quodam custodiæ mancipatur: ubi dum audientiam petunt Principes, eum dolo circumveniunt, & quodammodo cogunt, ut filio suo regalia insignia non differat resignare: anno scilicet Regni sui quinquagesimo tertio, Imperii sui verò quadragesimo. Reversi igitur Principes à patre ad filium, Imperialia insignia detulerunt: eumque tunc à patre electum denunciantes, per manus Legatorum Romani Pontificis creant Imperatorem, nonagesimumsecundum ab Augusto Octaviano.

Author.

HUcusque tam ex libris Orosii, quàm Eusebii, & aliorum qui post eos scripserunt, authoritatibus fulti, scripta nostra posuimus. Cætera autem quæ sequuntur, quia recentis memoriæ, & quasi nostrorum temporum sunt, nos ea nobis à viris probabilibus tradita, & partim à nobis oculata fide conspecta, & auribus nostris audita, quantò veraciùs possumus (favente Domino) lectoribus proponemus.

Nota; me Gotfridum, hujus libri authorem, Capellanum & Notarium fuisse Regis Conradi tertii, & Friderici Imperatoris, & filii ejus Henrici sexti: quorum temporibus hæc omnia cis citraque mare per annos quadraginta sum perscrutatus, ex omnibus armariis & Latinis, & Barbaris, & Græcis, & Judaicis, & Chaldæis.

De Henrico Quarto.

IMperator Henricus Quartus, omnibus Regalibus filio resignatis, & omnium Principum suffragio destitutus, & factus egenus; dum per Rhenum fluvium Coloniam pervenisset, ibi, non sicut exul, sed ut Imperator, à civibus suscipitur. Indeque procedens Leodium, insinuavit omnibus tam verbo, quàm literis, à Principibus se fuisse deceptum, & ad resignanda Regalia filio coarctatum. Transacto pauco tempore, pater apud Leodium moritur, & more Regio ibi sepelitur. Sed postea mandato Romani Pontificis, à cœmeterio ejicitur, eique omnis Christiana sepultura denegatur. Corpus autem ejus à Leodio in urbem Spiram, scilicet supra Rhenum (ubi ipse in honorem Sanctæ Mariæ mirabilis structuræ Ecclesiam fundaverat, sed non perfecerat)

rat) est in feretro deportatum, & in Capella Sanctæ Aphræ, sinè sepultura, per spatium quinque annorum in feretro conservatum. Quid autem de eo postea fuerit factum, in fine hujus Capituli inferiùs versificè referemus. Quid igitur filius faciat, videamus.

Henricus Quintus capit Papam Paschalem.

HEnricus Quintus, mortuo patre, mirabili collecto exercitu, tertio anno post obitum patris, per Montem Jovis transit Pyrenæum, Romam proficiscens. Quumque supra Padum castrametatus, præciperet exercitum recenseri, inventa sunt triginta millia militum; exceptis omnibus, qui ad eum de Italia confluxerunt. Inde per Montem Apenninum transiens, Bargum Pontis-Tremuli turribus & muris valde munitum, qui transitum exercitui prohibere tentavit, expugnavit atque destruxit. Deinde Perusiam procedens usque Aretium, civitatem ipsam destruxit, pro eo quòd cives illi Ecclesiam Sancti Donati, idest Episcopium, quod est extra civitatem, destruxerant, Sedem Episcopalem infra mœnia civitatis ponere intendentes. His ita peractis, Romam pervênit, & in gradibus Beati Petri Papa Paschali, cunctisque Cardinalibus, & à Populo Romano, cum Crucibus in Processione, cum tripudio & gaudio magno susceptus est. Ipse autem Papam Paschalem, consilio quorundam sceleratorum, captum detinuit, & Ulrico Patriarchæ Aquilejensi, cum reverentia custodiendum commisit. Tunc orto ex improviso tumultu, & ornatu Ecclesiæ cunctisque rebus Clericorum invasis atque distractis, qui expectabant gaudium, luctum incurrunt.

Occasio autem & causa illius captivitatis, talis fuisse narratur: Quia Imperatore Romam tendente, Papa cum eo tali pactione convenerat, ut Imperator Episcoporum investituras dimitteret; Papa autem è converso Imperatori omnia Episcoporum regalia relaxaret. Hæc pactio sacramentis & obsidibus inter Papam & Imperatorem asseritur firmata fuisse. Quam dum renitentibus Episcopis Papa adimplere non posset, quum per omnia innocens esset, tanquam reus custodiæ est mancipatus. Hujus factionis consiliator præcipuus dicitur fuisse Albertus, tunc Imperatoris Cancellarius: qui postea fuit Archiepiscopus Moguntinus. Quem tantùm Imperator postea per Divinum judicium, fortissimum sensit inimicum.

Papa aliquandiu capto & detento, Imperator à civibus revocatur, & Episcoporum investituras, idest, annulum & baculum, à Papa recipiens, ipsum Papam & cives Romanos muneribus reconciliare curavit: & à Papa coronatus, favorem & nomen Imperiale sortitur, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo undecimo; anno verò Regni ejus, ex quo pater regalia sibi resignaverat, sexto.

His ita transactis, Synodo Episcoporum postea celebrata, Privilegium ab Imperatore minis & terroribus extortum tamquam Pravilegium reprobavit. Imperator ab Urbe in Franciam reversus, filiam Henrici Regis Anglorum, Mathildam, in uxorem sibi conjunxit, nuptiasque magnificas Moguntiæ celebravit. In ipsa Curia Lotharius Dux Saxoniæ, qui postea fuit Imperator, tunica lanea pro pœnitentia indutus, & pedibus discalceatus, procidit ante pedes Imperatoris. Tantus enim terror omnes invaserat, ut aliquis voluntati suæ resistere non auderet. Cæterùm in ipsa nuptiarum celebratione, ubi omnes convenerant, factæ sunt contra terribilitatem ejus multæ Principum conspirationes; & ex tunc tam manifestè, quàm occultè multi incipiunt rebellare. Ex consilio autem & suggestione Archiepiscoporum, Friderici scilicet Coloniensis, & Alberti Moguntinensis, & aliorum quorundam, Callistus Papa, qui post Paschalem, & Gelasium, Romæ Pontificatum acceperat, Imperatorem excommunicationis vinculo innodavit. Schismate itaque renovato, Imperator Romam pergens, Burdinum, natione Hispanum, in Cathedram, per suam violentiam collocavit: quem Romani apud Sutrium postea captum, & camelo (ut dicitur) superpositum, cum ignominia deportaverunt, & in cavea prope Salernum, perpetuæ custodiæ tradiderunt. Imperator videns à se Regnum paulatim deficere, & exemplum patris sui mente revolvens, atque metu anathematis quo urgebatur; collecta generali Curia apud Wormatiam, investituram Episcoporum, scilicet annulum & baculum, in manus Legati Apostolici, nomine Lamberti, qui postea fuit Papa Honorius, publicè resignavit: per quem etiam ab anathemate est absolutus. Papa quoque Imperatori tale Privilegium scripsit, ut Episcopi omnes tam Cisalpini, quàm citra, non priùs Episcopi ordinentur, quàm per manus Imperatoris de regalibus sint investiti.

Imperator de Romanis ulcisci desiderans, festinato cursu in Italiam, Urbem obsedit: quibus contra eum incautè progressis, plurimos cepit; quos ferè omnes aut cœcavit, aut denasavit. Deinde reversus in patriam, morboque correptus, obiit, & in civitate Spira, ubi Ecclesiam supra memoratam complevit atque ditavit, sepultus est juxta patrem & avum & atavum suum, anno Regni ejus decimonono, Imperii verò decimoquarto.

Cætera versificè gesta referre placet.

Item de captivitate Papæ Paschalis, & de guerra inter Imperium & Ecclesiam versibus subornatur.

Cùm foret Henrico subjecta per omnia Roma,
Unctus Apostolicis manibus, sumptáque coronâ,
Cepit Apostolicum, rumor in Urbe sonat.
Bella parat populus, succurrit ab Urbe Senatus:
Prævalet Henricus, pars Præsulis expoliatur,
Papa caret Manto, captus ab hoste suo.
Quæstio nunc oritur, cur carcere Papa tenetur?
Respondetur eis; Quia sustulit omnia Præsul,
Abstulit Imperio Pontificale decus.
Nam bona Pontificum quæ nititur ipse tenere,
Contulit Imperium, quæ debeo Cæsar habere;
Amodo qui teneat, Cæsare dante feret.
Annulus & baculus de nostro munere vénit,
Undique Pontifices Regum sunt munere pleni,
Cæsaris officium quomodo Papa gerit?
Rettulit Ecclesia: si quærimus æqua fateri,
Annulus & baculus nunquam de Cæsare vénit,
Nam Deus Ecclesiis cœlitus ista dedit.
Omnia quæ Reges per tempora prisca dederunt,
Non modò sunt Regum, sed cui data jura fuerunt,
Nec Deus hoc patitur, nec tua jura ferunt.
Cùm

Cùm tua sit Regni, tua sit custodia juris,
Carceribus nostris mala dat exempla futuris,
In Sanctum Domini dum feritate furis.
Conditor es juris, qui spernere jura videris,
Jam neque jura Dei, neque Regia jura vereris,
Ecclesiam crucias, qui cruciandus eris.
Dedecus est fontem juris confundere legem,
Et magìs est timidum, cœlorum spernere Regem,
Cùm sacra jura neges, tristia regna reges.
Cur Laicus quærit tradi sibi munera cœli?
Ut Deus instituit electio consona Cleri,
Judicio cœli libera semper erit.
Tu tua si repetis, repetes quæ tu tribuisti,
Hæc cùm non dederis, cur tollere proposuisti?
Tradere te decuit, tollere nulla mihi.
Si quodcunque datur, ratio monet ut repetatur,
Dos tua tollatur, nobis quoque nostra feratur,
Hoc ita si cupias quærimus esse ratum.
Imperium dedimus, tu pauca dedisse videris,
Ex ope Pontificis Cæsar Romanus haberis,
Vincula Pontifici qua ratione geris?
Quicquid agat præsul, quicquid sacra turba fatetur,
Reddere cogetur quod Cæsaris esse videtur,
Illud & in scriptis firmat uterque secus.
Annulus & baculus, vel cætera quæ memorantur,
Cæsaris ad jussum penitus reddenda parantur,
Papaque Paschalis sic spoliatus abit.

De excommunicatione Imperatoris Henrici Quinti, propter Papæ Paschalis captivitatem.

Papa dolens lamenta movet, totumque per Orbem
Ecclesiam sua charta vocat properanter ad Urbem:
Hæc ubi consedit, Cæsaris acta dedit.
Tunc ait; O patres, à Cæsare scripta notate,
Et quodcunque placet super his decreta parate,
Me quoque Pontificem non fore, jussa date.
Peccatis mala vestra meis venisse notavi,
Officiis me destitui dignum reputavi,
Me quoque deposui, ne pereatis, ait.
Hæc ait, & mitram rejicit, Mantumque relinquit,
Ordinet Ecclesia sinè me, quicquid placet, inquit,
Moreque Pontificis judicet ipsa sibi.
Scripta legunt Cleri, Rex Pontificalia quærit,
Annulus & baculus sub Cæsare fertur haberi,
Copia Pontificum non ita (dixit) erit.
Extortum Papæ scriptum contra rationem
Uritur, & priscum tibi conciliamus honorem,
Tolle pater Mantum, Curia tota monet.
Rursus in Henricum Quintum nova bella gerentur,
Pristina mota patri sibi jam tormenta moventur,
Ut pater ante fuit, sic anathema luit.
Litera Papalis simul, & Papale sigillum,
Missa per Imperium gravis excommunicat illum,
Et cunctos proceres, qui sua jussa tenent.
Nunc Paschalis obit, succedit honore Calixtus,
Sede Viennensis Regumque propagine mixtus,
Germine Francigenæ Cæsaris hostis erat.

Disputatio inter Imperialem Curiam & Papalem; quis eorum esset major in illo tempore.

Curia Papalis contendit & Imperialis,
An sit inæqualis, vel debeat æquiparari;
Partibus oppositis Curia Regis, ait;
Spiritus est Papa carnis velamine clausus,
Hunc quasi terrenum describere quis foret ausus?
Terrea cum superis qua paritate gerit?
Est quoque par superis, cœlum datur ore tenere,
Qua ligat, & solvit, qua Regna videtur habere,
Carnis in exilio spiritus astra tenet.

Allegatio in contrarium de Imperatore.

Cæsar lex viva stat Regibus imperativa,
Legeque sub viva sunt omnia jura dativa,
Lex ea castigat, solvit, & ipsa ligat.
Conditor est legis, neque debet lege teneri,
Sed sibi complacuit sub lege libenter haberi,
Quicquid ei placuit juris adinstar erit.
Qui ligat ac solvit Deus, ipsum protulit Orbi,
Divi sit Regnum Divina potentia secum,
Astra dedit superis cætera cuncta sibi.

Responsio Curiæ Romanæ contra Imperatorem.

Pars quoque Papalis sic obviat Imperiali,
Sic regnare damus, quòd Petro subjiciaris,
Jus etiam nobis Christus utrumque parit.
Spiritus & corpus mihi sunt subjecta potenter,
Corpore terrena teneo, cœlestia mente,
Unde tenendo polum, solvo ligoque solum.
Æthera pandere, cœlica tangere Papa videtur,
Nam dare, colere, nectere, solvere, cuncta meretur,
Cui dedit omne decus lex nova, lexque vetus.
Annulus & baculus quamvis terrena putentur,
Sunt de jure poli, quæ significare videntur,
Respice jura Dei, mens tua cedat ei.
Reddit apostolico Cæsar, quæcunque rogavit,
Pax bona conficitur, sublata Deo reparavit,
Jura suæ partis lætus uterque trahit.

De Lothario Imperatore, octuagesimosexto ab Augusto, post Henricum Quintum.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimoquinto, defuncto absque hærede Henrico Quinto, Principes Moguntiæ conveniunt; ibique habito de successore consilio, quatuor Regni optimates, Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Suevorum, Leopoldus Marchio Orientalis, Carolus Comes Flandriæ ad Regnum designantur.

Tandem Lotharius natione Saxo, patre Gebhardo, voto omnium, renitens, valde acrè clamans, ad Regnum tractus, præsente Legato Sedis Apostolicæ, nonagesimosecundo ab Augusto regnavit.

Iste per omnia humiliavit progeniem Henrici Imperatoris: contra quem Dux Fridericus & frater ejus Conradus, nepotes Henrici Imperatoris ex sorore, diu rebellaverunt. Propter quod Papa Honorius successor Calixti, eos excommunicavit.

Verumtamen prædictus Conradus, à fratre suo Friderico, & à quibusdam aliis, factus est Rex contra Lotharium. Qui cum pauco exercitu intravit Italiam, & Mediolani apud Modoëtiam coronam portavit. Deinde ad partes Romanorum processit, & tandem rebus exhaustus in patriam remeavit, pacemque cum Lothario componens, dimisso Regno, quievit. Eodem tempore Romæ Honorio mortuo, oritur schisma inter Innocentium & Anacletum. Innocentius autem transiens in Galliam, vênit Leodium: ubi Lotharius ei occurrit, auxiliumque

que promittit. Unde Innocentius Papa apud Clarum-montem, Concilio celebrato, Romam rediit, & Regem Lotharium, in Lateranensi palatio apud Sanctum Salvatorem coronavit. Non enim poterat apud Sanctum Petrum morari, propter potentiam Anacleti filii Petri Leonis.

A

Lotharius in patriam rediit; rursusque renovato exercitu, Romam post biennium remeavit. Ubi assumpto secum Innocentio, in Apuliam transiit, & Rogerium Siculum, qui tunc Dux Apuliæ vocabatur, inde fugavit, & Rainonem Comitem ibi Ducem constituit. Civitatem Barum cepit, & totam Apuliam occupavit. Inde reversus, Veronæ morbo correptus, vitam finivit, anno Regni sui duodecimo; cui Conradus supra memoratus, per electionem Principum in Regnum successit.

B

Item de Lothario versificè, & de Duce Conrado contra eum erecto, sed tandem pacificato.

Non erat Henrico Quinto tunc masculus hæres;
Sed soror hunc genuit qui Regna meretur habere,
Tertius Conradus Rex diadema geret.
Conradus Dux Imperium captare paratur,
Lotharius Dux Saxonicus contra relevatur,
Sed magìs invidia, quàm ratione datur.
Livor & invidia recolebant gesta priorum,
Quos Henricorum fortuna repressit amorum,
Sic modò Lotharius tollit habetque thronum.
Transit in Italiam Conradus, ibique receptus,
Est Mediolani diadema potenter adeptus,
Bellaque Rex Regi fortis utrinque vehit.
Schisma fuit Regno, sunt & nova schismata Romæ;
Nam duo sunt Papæ, binæque fuere coronæ:
Schismatis errores mundus adesse dolet.
Unus Anacletus fuerat sub schismate præsul,
Innocentius est, qui contra Papa tenetur;
Hæc duo fert secum schismata Roma vetus.
Cedit Anacletus, alterque sedere meretur,
Regnat Lotharius, Conradus amicus habetur,
Summus & Imperii signifer ipse fuit.
Lotharius senuit, Conradi longa juventus,
Obtulit obsequium, sed post, sene prorsus adempto,
Succedens juvenis Regia jura tulit.
Interea juvenis Regni vexilla tenebat,
Fit prior in Ducibus semper, primusque sedebat,
Hoc sibi nobilitas, dignaque forma dabat.
Imperat hinc annis sic Lotharius duodenis,
Bis videt Italiam, Romam quoque denuo vénit,
Et semel Apuliam cum feritate premit.
Rogerius nunc Dux Siculus regnare putatur,
Pulsus ab Apulia, qui Cæsaris ense fugatur,
Cæsar habet Barum, vincit & usque Pharum.
Rainonem creat ipse Ducem, cui cuncta relinquit,
Quem Dux Rogerius post hoc certamine vincit,
Et facit Apuliæ, se sinè fine Ducem.
Indeque se Regem jussit dominumque vocari,
Moreque regali regalia signa parari,
Atque per Apuliam magna tributa dari.
Hostis ei Papa satis Innocentius extat,
Intrat in Apuliam, Regi contraria præstat,
Captus ibi cedit, Regia jura dedit.

C

D

E

De exaltatione Conradi Tertii post Lotharium Imperatorem, octuagesimoseptimo ab Augusto.

ANno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimonono, Conradus supra memoratus, XCIII. ab Augusto, apud Confluentiam, inter Moguntiam & Coloniam, in Regnum eligitur, præsente Deodevino Portuensi Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato. Statimque Aquisgrani in Sede Caroli à Principibus constitutus, ab eodem Legato est coronatus.

Saxones tamen & Dux Bavariæ Henricus tunc in eum non consenserunt. Asserebant etiam eum, non Regem legitimum, sed per subreptionem creatum. Rex præfigit eis omnibus Curiam generalem apud Babenberg: ad quam venientes, simul cum Imperatrice vidua Lotharii, in gratiam & pacem Regis fuere omnes recepti, excepto solo Duce Bavarorum Henrico, qui cognominabatur Superbus, apud quem etiam insignia regalia contumaciter adhuc detinebantur. Erat enim gener defuncti Imperatoris Lotharii; & ex hoc tenens regalia, ad Regnum quantum poterat, aspirabat. Coactus verò tandem regalia, idest, Crucem & Lanceam & Coronam reddidit: gratiam autem Regis non impetravit. Postea verò judicio Principum à Rege proscriptus, ab omnibus suis derelictus, vix quatuor militibus comitatus, in partes Saxoniæ miserabiliter cessit. Atque post pauca vitam finivit.

His temporibus, Rogerius Siculus Apuliam rursus ingressus, cum Duce Rainone, quem Lotharius ibi præfecerat, habet conflictum, victusque fugatur. Interea Anacletus, filius Petri Leonis Romæ moritur; & eo mortuo, schisma terminatur. Post pauca, Dux Apuliæ, Raino vel Rainaldus, moritur. Rogerius in Apuliam revertitur, & terram Duce orbatam, nec rebellantem, occupat. Principem Robertum Capuanum, cum omnibus nobilibus ejicit, & residuos, variisque tormentis affligit. Ad ultimum se Regem Siciliæ & Apuliæ, præcipit appellari. Princeps Robertus Capuanus cum omnibus Comitibus expulsis, ad Regem Conradum secessit. Rex benignè omnes recepit, & longo tempore in Alemannia secum tenuit: sed in Apuliam transire non potuit, quia eum gravis Imperii necessitas præpedivit.

Ad hæc Papa Innocentius, vir magnanimus, cum populo Romano contra Rogerium collecto exercitu Apuliam ingreditur: ubi incautè conductus, in loco qui vocatur Galluzu, à Rogerio capitur. Eoque cum reverentia coacto, Rogerius nomen & authoritatem Regiam, cum benedictione Apostolica, tam in Sicilia, quàm in Apulia, sicut voluit, plenariè impetravit.

Rogerius extunc authoritate Apostolica Rex exaltatus, quum jam nullum præter Conradum Regem haberet obstaculum, Velfonem Ducem, fratrem scilicet Henrici Superbi supra memorati, pecunia sua conductum, contra Conradum in Alemannia concitavit. Quem Rex in uno prœlio, juxta castrum Winisberg eleganter vicit, suosque grandi occisione prostravit. Altera vice Henricus filius Conradi, qui si vixisset, post eum fuerat regnaturus, eundem Velfonem bello devicit. Velfo tamen dum Conradus vixit, pro Rogerio stetit, & Regnum pro viribus impedivit.

His temporibus Romani cœperunt innovare Senatum, qui longis ante temporum curriculis ita cessaverat, ut nec mentio ejus Romæ haberetur: quem Papa Innocentius ingenio, pretio, & minis solvere conatus, non potuit; morboque præventus sub ea discordia diem ulti-

ultimum clausit; cui Sacerdos laudabilis Cœlestinus successit; quo infra annum defuncto, in Cathedra Lucius Papa consedit. Lucius Secundus itaque intendens Senatum extinguere, cum ingenti militia Capitolium Romæ conscendit, ut sedentes ibi tunc Senatores cum dedecore removeret. Senatus autem Populusque Romanus ad arma conversus, Papam cum suis omnibus à Capitolio in momento repellunt. Ubi Papa (sicut tunc audivimus) lapidibus magnis percussus, usque ad obitus sui diem, qui proximè sequutus est, non sedit in sede. Cui tunc successit Eugenius Abbas Sancti Anastasii Romæ, de Ordine Clarevallensium.

Cujus tempore obiit Rex Conradus apud Babenbergam: cui successit Fridericus nepos ejus, Dux Suevorum. Tunc Constantinopoli Manuel imperabat, habens uxorem Theutonicam, sororem scilicet uxoris Regis Conradi, natam de Sulzbach, filiam nobilissimi Comitis, in terra Bavarorum. Cætera de Rege Conrado, qualiter ivit ultra mare, & de Rege Rogerio, & de filio suo Rege Wilhelmo, & item de VVilhelmo Rege filio VVilhelmi, versibus adnotamus.

Item de Conrado Tertio, qualiter Rex Rogerius contra eum tollit Apuliam, & per Velsonem Ducem infestat Regnum Theutonicum.

Lothario moriente, venit Conradus honestus,
Hostibus infestus, sapiens, ad cuncta modestus,
Quem satìs Imperium laudat, & omne solum.
Dum timet hunc Siculus, dum perdere Regna veretur,
Velsoni dat dona Duci, quo sæpe tenetur,
Hoc duce sustinuit bella ferente decus.
Undique Conradus Siculos arctare minatur,
Præmia Velsoni magìs ille referre paratur,
Diraque cum Rege prœlia Velso movet.
Contra Velsonem mens Regia plena furore,
Imperii virtute sui defendit honorem,
Vultibus oppositis insimul arma movent.
Dextera Conradi gladio conformis Achilli,
Signifero veniente Ducis caput amputat illi;
Hic ubi Marte cadit, Velso repulsus abit.
Multimoda tunc cæde data, sumptoque trophæo,
Conradus virtute datur major Machabæo,
Omne decus Velso tempore perdit eo.
Rogerii Regis Siculi venit ultima vita,
Filius ipsius Wilhelmus Regna cupita
Suscipit, & vitæ tempore regnat ita.
Tempus abit, Conradus obit, miranda potestas,
Succedit Fridericus ei, relevatur honestas,
Interea Siculus Rex sinè clade fuit.
Nulla dedit Siculo Fridericus prœlia Regi,
Nam Mediolani tunc prœlia longa peregit.
Sic Rex Wilhelmus Regna quieta regit.

De duobus Wilhelmis.

Wilhelmus post Wilhelmum succedit honore,
Formosus, gladioque probus, summusque decore,
Qui magis Ausoniæ dignus honore foret.
Dum jam Wilhelmus ter denos perficit annos,
Cæsar apud Danaos Manuel moritur memorandus,
Tunc quoque Francigenis Rex Ludovicus obit.
Imperium nunc Græcorum rapit ille tyrannus,
Andronicus, Princeps scelerum, vir nec memorandus,
Græcorum proceres ejus ab ense cadunt.

A De Pace inter Imperatorem Fridericum & Lombardos.

Expedit hìc dici, quòd & Imperio Friderici,
Omnes Lombardi sic efficiuntur amici,
Sicut ei placuit, res patet acta sibi.
Filius ipsius Henricus, ad alta levatur,
Ritè coronatur, uxoris honore beatur,
Fit Regis Siculi filia sponsa sibi.
Sponsa fuit speciosa nimis, Constantia dicta,
Posthuma, post patrem materno ventre relicta,
Jamque tricennalis tempore virgo fuit.

B Item de Conrado tertio, qualiter ultra mare perrexit cum exercitu Christianorum.

Consilio Seneca, specie Paris, Hector in armis,
Regnum bis senis Conradus rexerat annis,
Cùm tulit in scapulis insita signa Crucis.
Unde Cisalpina gens omnis erat peregrina.
Quam neque per maria vexit ratis ulla marina,
Imò per Ungariam præripuere viam.
Tunc Rex Francigena Ludovicus mente serena,
Signa Crucis tulerat: numerum si noscere quæras?
Millia millena militis agmen erant.
Reges & populos latuit fortuna futuri,
Nam fuerant nostri pro lege Dei morituri.
Constantinopolim miles uterque venit.
Inde per Iconium via Regum recta paratur,
C *Fraudeque Græcorum malè per deserta vagatur,*
Unde fame pereunt, spes bona nulla datur.
Millia Turcorum veniunt ad bella virorum,
Copia Maurorum ferit agmina Theutonicorum,
Perforat ipsorum pectora, castra thorum.
Nunc Rex Francorum comes astat Theutonicorum,
Perditur armorum series, ornatus equorum,
Plena jacent feretris, prata, platea, forum.
Cùm labor infestet, calor irrogat undique, pestes.
Qui fuerant equites, pergunt moriendo pedestres,
Æger ubique jacet, prœlia nostra tacent.
Tunc Rex Conradus multis tulit arma diebus,
Ense regens equites, cessantibus undique rebus,
Sic loca pacifica Theutona signa petunt.
D *Adfuit egregius Fridericus Dux Suevorum,*
Æqua suo patruo regit agmina Theutonicorum,
Hostibus ingeritur, protegit ipse forum.
Dummodo festinant nimiam vitare ruinam,
Inveniunt binas per littora fortè carinas,
Unde Hierosolymam præripuere viam.
Tunc magìs irasci studuit super urbe Damasci,
Prœlia contraxit, cœpit victoria nasci,
Urbs obsessa luit, nam quasi capta fuit.
Ni foret ob pretium res vendita proditione,
Urbs peritura foret, nostrisque dedisset honorem,
Rex pro fraude dolens, signa reversa movet.
Ipse suis manibus Rex tantus erat gladiator,
Ut gladio feriente suo nullus tueatur.
E *Indeque per medium corpora cæsa cadunt.*
Ad sua Regna redit, modico post tempore vivit,
Palmigerique viri pauci redeunt redivivi,
Paceque Rex obiit, nam requiescit ibi.
Anno milleno, centeno, terque deceno,
Atque quater deno, reddit sua tempora cœlo,
Cui famulabar ego, qui mea metra lego.

De exaltatione Imperatoris Friderici Primi, nepotis Conradi Tertii, octuagesimi octavi ab Augusto.

Anno ab Incarnat. Domini MCXLVI. Anno etiam ab Urbe condita MDCCCCXVIII.

 Annis

Annis verò ab Adam sex millibus trecentis trigintaquinque transactis, Fridericus Primus, filius Friderici Ducis Suevorum, fratris scilicet Conradi Regis, natus ex clarissima progenie Carolorum; post Conradum tertium apud Francofordiam communi voto, & consensu omnium Principum, electus est ad Imperium, nonagesimus quartus ab Octaviano Augusto. Cujus in hoc loco brevem tractatum ad observandum Catalogum Imperatorum facimus, ne ordo nominum ipsorum interrumpatur, si fortè nomen ejus in hoc Catalogo non assignatur. Alibi autem de actibus ejus, omnia ferè principalia quæ gessit in Italia, versificè dictata posuimus, ubi de Mediolani destructione, & de aliis satis compendiosè narramus.

Gratias igitur agimus Creatori, à quo bona cuncta procedunt: quia, sicut in exordio libri hujus spopondimus, universum Vetus & Novum Testamentum in summa complectentes versificè assignavimus: & ab initio Mundi usque ad præsentem diem, sub tempore Domini Imperatoris Friderici, & Domini Papæ Urbani Tertii, omnia regna Mundi, omnes Reges, & acta Regum, sub compendio, & nomina, & tempora, & annos eorum, atque omnes Romanos Pontifices, & annos & menses, & dies eorum per ordinem descripsimus: qui etiam Imperatores cum quibus Apostolicis vixerunt. Distinximus Chronica omnia, quæ Catholicæ Ecclesiæ inseruimus. In omnibus autem istis nihil fabulosum scienter addidimus, sed authores Catholicos & authenticos secuti sumus, ut Eusebium, Clementem Papam, Dionysium Areopagitam, Origenem, Hieronymum, Augustinum, Josephum, Orosium, Ægesippum, Strabum, & Hionium, & Solinum de mirabilibus, & Svetonium de vita Imperatorum.

Item de eodem Friderico Imperatore, versificè notamus.

Regibus antiquis descripsimus omnia latè,
Tu minor ætate Friderice, prior probitate,
Jam tua gesta patent, quæ recitare placet.
Nam Friderici tempora, prælia, gestaque novi,
Indeque maxima, vel magìs optima promere vovi,
Qui tulit, aut movit, quæve recepit ob id.
Dum canimus magni Regis, mea Musa, cacumen,
Sub brevitate suum studeamus tangere numen:
Altiùs incipias; organa nostra tument.
Nunc tibi lingua mea panget Friderice trophæa,
Acta gigantæa canat omnis in Orbe chorea,
Tu quoque Musa mea, surge, canamus ea.
Flos fuit ex flore Regum Fridericus honore;
Sumpsit eum Regem Germania plena favore,
Imperii dominum semper habere volens.
Rex ut Aquisgrani Carolorum Sede resedit,
Ordine legitimo Germania prorsus obedit,
Finibus Italiæ Rex sua signa dedit.

De civitate Mediolani & de guerra ejus cum Friderico Imperatore.

Urbs Melana potens, meritis dicenda leæna,
Viribus eximia, populis & milite plena,
Sæva, superba, fera, tota rebellis erat.
Urbibus annexa fuit hæc, quibus omnia vexat,
Quæ fuerint urbes, exponere nomina restat,
Brixia, Terdona, Crema, Placentia bona.
Rex ubi Theutonicam meruit captasse coronam,
Quærit & Italicam, quia sic docet inclyta Roma,
Per medios Ligures Regia signa volant.
A *Signa sui Regis spernit Melana vereri,*
Sed propria virtute sua vult rura tueri,
Nescia quòd sibi mors Rex Fridericus erit.
Hanc ubi Rex angit regalibus undique bannis,
Dissipat & frangit, sex Marte fluentibus annis,
Urbs, quæ summa fuit, Marte repressa luit.
(Rex modò dissimulat mala quæ Melana meretur,
Ad reliquas urbes exercitus ire jubetur,
Et super Astenses arma tulere Duces.
Rex abiit, Melana sibi non præbet honorem;
Tempus erit quo facta luet, contrita furore;
Roma vocat Regem, Rex sua signa movet.)

De Astensi civitate.

B *Magna timens Regem mox deserit Asta colonum,*
Ad castrum novum cuncti sua cuncta reponunt,
Unde suum vacuum deserit Asta solum.
Nec penitus vacua, deserta relinquitur Asta,
Turribus eversis, inventa cibaria vastant,
Alterius muri nulla ruina fuit.
Dum Rex egreditur melior fortuna paratur,
Jurat ei populus sic Asta reconciliatur,
Culpa fuit modica, gratia plena datur.

Item de eadem Asta civitate.

In Ligurum patria manet urbs, quæ dicitur Asta,
Inclyta divitiis, modico munimine vasta,
Quæ citò succubuit, nec tamen ipsa ruit.

C De civitate Terdona per Fridericum ter desolata.

Amodo Terdonæ superest recitare dolorem,
Quæ Mediolani veteri subnixa furore,
Consueto more vult inimica fore.
Rex ubi castra movet, metuit fera turba leonem,
Cingitur horribili procerum Terdona labore,
Miles ut aggreditur plebs fugitiva dolet.
Undique Rex arcet, populus secedit ad arcem.
*Nec sibi sic patet * stringens eques undiq; partes,*
Urbs capitur planè, turba cacumen habet.
Hinc cibus arctatur, fons tollitur, inde paratur,
D *Talpa cavans, aries, mangonibus injaculatur,*
Perforat interiùs, rumpit utrumque latus.
Proxima jam morti cedit gens subdita sorti,
Introitum Regi patulis dedit undique portis,
Plebis membra tamen vitaque salva manent.
Insita telluri Rex mœnia præcipit uri,
Inde cadunt muri populi dignè perituri,
Sic Terdona ruit, quà satis alta fuit.
Inclyta Terdona nimis irascente corona,
Victa ruit prona, capiens tria tristia dona,
Quippe tribus vicibus diruta tota domat.

Qualiter à Terdona Romam consecrandus processit.

E *Hæc ubi complevit, celebris legatio vênit,*
Pergat ut hinc properè Papalia jura tueri,
Ex ope Pontificis jam monocrator erit.
Utque moras purget, vehementer Papa perurget,
Rex bonus exurgens aquilas direxit ad Urbem,
Dantque Placentina rura cremata viam.
Servit ei Parma, Bononica transiit arva,
Alpe satis parva Florentia pertulit arma,
Nuncius Achajæ Palæologus adest.
Arnaldus capitur, quem Brixia sensit alumnum,
Dogmata cujus erant quasi pervertentia Mundum,
Strangulat hunc laqueus, ignis & unda vehunt,

Thu-

Thuscia devota sese dedit undique tota,
Nota vel ignota subduntur Regna remota,
Ad Pendentis-Aquæ prædia castra jacent.
Ad vitæ meritum veniunt vexilla Viterbum,
Unde patens erebus fontem facit igne protervum,
Fortis ibi populus, miles ad arma probus.
Optimus indigenis fons balnea multa paravit,
Fertilis est patria quam copia multa beavit,
Nam genus & species fertilitate trahit.
Illic Roma suos voluit requiescere fessos,
Emeritos equites, senio seu vulnere pressos,
Sic vitæ meritum, res facit ipsa locum.

Verba Auctoris.

Longa per obsequia cùm vita labore gravetur,
Si senio premitur, si vulnere debilitetur,
Hic habeat requiem sæpe senile decus.
Si præclara velit Cæsar sua gesta foveri,
Hoc decus Imperii decet omni lege teneri,
Debeat ut senibus vita quieta geri.
Non hæc servorum fit gloria, sed dominorum,
Si defectorum stet salvus honor seniorum,
Si nitet ipsorum veste platea, forum.
Si miserum præstat famulum, si diva potestas,
Dedecus infestat dominum, cui servit egestas,
Non sibi, sed Domino stat miser ille suo.
Regia præveniunt tentoria plurima Romam,
Gestat ut Imperium Romana sede coronam.
Cui favet Ecclesia publica signa tonant.
Romanus populus antiquos expedit usus,
Rex despexit eum primatum milite tutus,
Nil petit imò jubet, Roma furore tumet.
Spe malè frustratus discedit abinde Senatus,
Acriter iratus Romanus ad arma paratur,
Vincere primates Regis & arma ratus.
Rex animo fortis, movet agmina multa cohortis,
Papa dedit patulis aditum per devia portis,
Tecta beata Petri nocte sub ense petit.
Manè sub aurora sedem tenet atque coronam,
Munere Basilicam Petri reverenter honorat,
Roma dolens plorat, rumor in Urbe sonat.

Qualiter Imperator ab Apostolico Adriano coronatus est apud Sanctum Petrum, sinè Romanorum consensu; unde pugnatum est cum Romanis, sed Imperator obtinuit.

Decipitur Roma dum sic capit ille coronam,
Regia persona recipit Papalia dona,
Ungitur, erigitur, rumor in Urbe sonat.
Præsul Adrianus Romanaque Curia tota,
Tunc sinè Romanis complevit Regia vota,
*

Acriter iratus consurgit ad arma Senatus,
Prosilit armatus Cæsar, feritate citatus,
Marte secus Tiberim fervet utrumque latus.
Plebs adiit, Rex obtinuit, multisque necatis,
Unda fuit Tiberis defensio sola fugatis,
Sanguine tincta satis turba natabat aquis.

De Spoleti destructione.

His ita completis Papali munere freti,
Dum remeant læti, resident super arva Spoleti,
A quibus & Cæsar danda tributa petit.
Falsa moneta venit, falsum citò Cæsar ademit,
Prælia namque gerit, multos de plebe peremit,
Intus & exteriùs plebs superata gemit.
Imperat Augustus pereat locus igne perustus:
Qui fuerat vacuus miles, remeavit onustus,
Debita qui sprevit reddere, cuncta dedit.

A

De Veronensium traditione inter Alpes, ubi Imperatorem, & totum exercitum inter angusta montium conclusum, extinguere cogitaverunt.

Regales Aquilæ veniunt ad plana Veronæ,
Flumina dum transit Rex, duriùs invenit omen,
Monte coarctatis bella Verona movet.
Montibus angustis & fluminis ordine cincti,
Rex, proceresque sui fuerant quasi carcere vincti,
Conclusique suas non habuere vias.
Arma ruunt, quia saxa pluunt de monte relaxa,
Interimunt, quassant proceres à vertice saxa,
Armaque militibus nulla valere queunt.
Quatuor has pœnas spatio sensere dierum,
Quo sinè spe vitæ tolerant discrimina rerum,
Vulnera suscipiunt nec tamen ulla gerunt.
Passibus occultis super alta cacumina tendunt,
Unde Veronensi populo malè facta rependunt,
Plebsque supercilii montis ad ima redit.
Nunc pede truncari, nunc funditus exoculari
Rex jubet ingenuus, laqueo super alta levari;
Talis honor reprobis debet ob ista dari.

B

De Nuncio Schismatis inter Alexandrum, & Octavianum, tempore prædicti Imperatoris.

C

Præsul Romanus tuc mortuus est Adrianus,
Vênit Alexander, cui restitit Octavianus:
Schisma fit Ecclesiæ, pugnat utrinque manus,
Schismate fervente Friderica potentia vênit,
Quæ Mediolanum post multa potenter ademit,
Quo satìs absorpto, lis recidiva redit.
Conspirant Ligures, profugus Rex inde recessit,
Omneque jus Regis Lombarda superbia pressit,
Ipsa sibi dominans tunc quasi Cæsar erat.
Rex rediit, Morianna luit, Cilenia clusa
Præbuit introitum Regi, pereunte Segusa,
Et reliqui Ligures Regia signa timent.

D

De civitate Alexandria, quæ nunc dicitur Cæsarea, in Lombardia.

Burmia cum Tanaro palearum fecerat urbem,
Quam subitò veniens Rex obsidione perurget,
Succurunt Ligures, bellica signa patent.
Cæsar ab opposito mox obsidione relicta,
Obviat his, plebs obstupuit, quæ stans quasi victa,
Pacta petit pacis, plena timore satìs.
Nudatos gladios nuda cervice gerentes,
Cæsaris ante pedes veniunt, veniam repetentes;
Cæsar amore Dei parcere sanxit eis.
Regia mandata jurat gens pacificata;
Ante dies octo pax decidit evacuata,
Guerra velut fuerat stat recidiva rata.
Urbs Mediolanum meliùs reparata resurgit,
Fortior effecta Lombarda potentia turget,
Utraque pars tumida fortis ad arma volat.
Rex priùs obtinuit: sed post fugiendo recessit,
Nec tamen à patria cessit, sed verbere fessi
Tam Rex, quàm Ligures jam super arma silent.
Annis ter senis tribulatis schisma recedit;
Vincit Alexander tandem, cui Cæsar obedit,
Paceque consedit, consiliumque dedit.

E

De Rege Henrico Sexto, filio Domini Friderici Imperatoris, octuagesimo nono ab Augusto.

DE Domino Rege Henrico, filio Domini Friderici Augusti, adhuc adolescente, gesta non tenemus. Videmus autem ejus elegantissimam formam, laudabilem militiam, audaciam & largitatem, benevolentiam, pietatem, justitiam, & veritatem; atque omnes Regias virtutes, quas ex ætate adolescentum possemus optare. Qui licèt natura & litteratura super omnes coœtaneos, sapientia & sensuum subtilitate videatur pollere; nos quidem si plura nescimus, plura tamen temporum ratione conspeximus, plura etiam experti sumus, salva ejus Majestate, cogitavimus, ut ei aliquas admonitiones in medium proponamus; per quas admonitiones ad laudabiles mores, & ad justitiam & judicium informetur, & ad Regias virtutes, quibus sibi concessum gloriosè & honestè regat Imperium, versibus heroicis animetur.

Item de Rege Henrico Sexto, adhuc adolescente, proponitur quædam forma regnandi, qualiter Imperium debeat laudabiliter gubernare.

Henrico Sexto sacra sunt diademata præsto.
Tu pater, hoc festo, Friderice, Monarchus adesto,
O pater, ô nate, Regia metra patent.
Regibus antiquis Henrice Monarche cohæres,
Tu diadema feres, Romani culminis hæres,
Romula signa geres, secula nostra tenes.
Imperii sydus, plaudunt tibi mensis & idus,
Metra tibi fidus Regalia dat Godefridus,
Quæ tibi sæpe legas, ut bene Regna regas.
O juvenis juvenum flos mundi, gloria Regum,
Urbis & Orbis honor, cui plaudunt tempora rerum,
Suscipe consilium, quod mea metra ferunt.
Sordibus implicitos pravosque cavebis amicos.
Omnibus æquus eris: sed castigabis iniquos.
Prospice, quicquid agis, te tibi nosce magis.
Lautius est tibi te solum constringere legem,
Quàm varios populos, aut magnos vincere Reges.
Hæc si mente leges, Rex, bene Regna reges,
Si tua nolueris, neque publica vota vereri,
Qua fore te Regem poteris ratione fateri?
Si tibi non fueris, nec mihi rector eris.
Doctor Alexandri Magni pravos sibi mores
Finxit, & incessus inhonestos absque decore;
Rex puer hæc didicit: sed didicisse dolet.
Vicit Alexander Darium, simul & Babylonem:
Sed nequit impressum sibimet devincere morem:
Quo semel imbuitur testa tenere solet.
Tu puer explora, si te nota prava colorat,
Prorsus & absque mora vitium removere labora,
Namque vetus vitium nescit abire foras.
Dum tibi cuncta licent, non quæras cuncta licere,
Nam quæ sæpe licent, poterunt tentata nocere;
Res etenim licitæ noxia sæpe ferent.
Legum fræna tenens fræno te fortiter arce,
Plus aliis minus ipse tibi pro tempore parce,
Dum nullum metuis, sis metus ipse tibi.
Vita Pharaonis, scelerosaque gesta Neronis,
Et transgressoris monstrant culpæ Salomonis,
Quæ mala sint reprobis, quæ bona nata bonis.
Has tibi tam duras veterum propono figuras,
A *Ut Sacra Scriptura tibi sit doctrina futura:*
Hac poteris patrias arte fovere tuas.
Judicis officio loca sacra decenter honora,
Pace frui, punire malos, Henrice labora,
Si scelus exploras, pax erit absque mora.
Ecclesias jubeas multa pietate foveri,
Semper in adversis te subveniente tueri
Ecclesiæ precibus vult diadema geri.
Si cupias veri Regis promissa mereri,
Auxilio Cleri studeas Henrice doceri,
Ut placeas Domino cras quoque sicut heri.
Pauperis aut viduæ dum cernis adesse querelas,
Promptiùs exhibeas plena pietate medelas,
Judicium miseri cum pietate geras.
Prima poli, postrema fori sic jura coæqua,
B *Ut jus prævaleat, quantum tua suppetit ætas,*
Omne malum reseca, noxia cuncta veta.
Expedit interdum sancita remittere legum,
Ne pereat feritate mala clementia Regum;
Nam puto sæpe Deum vivere velle reum.
Indulgere tuis tua sic dignetur honestas,
Ut magis absolvat quàm puniat alma potestas,
Si miserando feris, Rector amandus eris.
Judicio residens animum sic comprime Judex,
Ne scelerum vindex vultus sit pectoris index,
Et quæ sunt pœnæ proxima, clausa tene.
Et qua sorte bonus causæ sit utrinque patronus,
Par quoque portet onus extraneus atque colonus,
Et nihil arcanum polluat arte manum.
Currant Marte suo parili discrimine lites,
C *Nec reprimant miseros sub majestate Quirites,*
Lite cadant lites Judicis arte sitæ.
Si varios testes cupiant producere partes,
Ne dolus intersit, examine cuncta coarctes,
Atque memor pueri tunc Danielis eris.
Si superest charta, causam per scripta coarcta,
Nec sceleri parcas, si falsa prodiit arca,
Falso, fraude, dolo, non tibi plaudat homo.
Si scelus ulcisci ratio certissima poscit,
Rex age quòd subitò tua debeat ultio nosci;
Ultio tarda fovet crimina, damna movet.
Si mea vincla priùs subitò punita fuissent,
Nulla Moguntini tibi captio damna dedisset:
Crimina non fieri Regia pœna facit.

D Item ad Regem Henricum admonitio.

Laudibus inspectis quas audis commemorari,
Nolo superborum cupias veritate levari,
Tædia nam populis vita superba parit.
Proximus esse Deis hac forsan laude putaris;
Rex moritura caro, caveas ne decipiaris,
Et quia mortalis, mors tibi fata parit.
Corpore mortalis, mortalia sic moderaris,
Ut Rex jure pari cum pauperibus moriaris,
Divitis & miseri vita coæva cadit.

De nuptiis Henrici Sexti.

E ANno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo sexto, Indictione sexta, sexto Calendas Februarii, Rex Henricus Sextus cum Regina Constantia, filia Rogerii Regis Siciliæ, nuptias gloriosas celebravit Mediolani apud Sanctum Ambrosium, anno ætatis suæ vigesimo primo, anno autem Regni sui decimo septimo.

PARTIS DECIMÆSEPTIMÆ FINIS.

GODEFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORUM PARS DECIMAOCTAVA.

DE ANGLIS ET SAXONIBUS.

De nonnullis Ecclesiæ persequutoribus. A

Chronica quæ perhibent regnasse Diocletianum,
Cùm regnasse sibi referunt tunc Maximianum,
Climata Britaniæ quem tenuisse canunt.
Fecerat hunc apud hos regionis Roma patronum,
Quem perhibent sat pacificè tenuisse colonum,
Hunc patriæ Dominum semper habere volunt.
Attamen in sanctos exarserat ille furore,
Undeque Christicolas deleverat à regione,
Omnia Catholica scripta cremare volens.

De Maximiani prole. B

Maximianus obit, scelerum scelerosus amator,
Deserit & geminos propria de conjuge natos,
Uter & Aurelius nomen habere datos.
Mater habens pueros, procul à regione recedit,
Pars ubi Britaniæ sibi clam reverenter obedit,
Conscia quòd pueris terra paterna redit.
Hostibus amotis tali moderamine totis,
Securi vivunt pueri, procul inde remoti,
Sed nova sors oritur perniciosa locis.
Defuncti Regis fratrem facit insula Regem,
Nomine Constantem Monachum qui Canone degens
Tempore post modico Britona Regna regit. C

De Voltigerno Anglorum Duce.

Voltigernus Dux Anglorum summus habetur,
Carus apud proceres tota regione tenetur,
Cujus ob auxilium Regna tenet Monachus.
Ille docet, quòd multa voce Rex arma virorum,
Ut valeat punire malos quoscunque suorum,
Et sibi subjiciens stringat ubique solum.
Charta vocat quos merce locat per Regna Quirites
Utque solet commota movet Britannia lites,
Bella fovent gentes in regione sitæ.

Quamobrem Saxones Oceanum transfretarunt. D

Saxo vocatus ad hæc ad Regia bella monetur.
Cujus & innumera populorum turba movetur,
Arma per Oceanum militiamque ferunt
Miratur jam Rex cur copia tanta veniret.
Saxo refert; quia tota domi remanere nequiret,
Terra foret modica, milite plena loca.
Plena viris terra, jam penè carebat & herba,
Hæc tua nos terra cùm sit ditissima servat,
Tu tibi belligeros nos retineto viros.
Turba sumus quam pellit humus sortita parentum,
Sorte pari remanere lari vult turba potentum, E
Nos quoque sors misit Regna tenere tibi.

Saxones à Voltigerno Duce humaniter recepti.

Voltigernus ait; nova sint tibi gaudia Regi,
Cui fortuna truces sortis bonitate subegit,
Sic modò tu tua Rex Regna quieta Regis.
Da tua Saxonibus fortissima castra foveri,
Jura, potestates, sub Saxonis arce teneri,
Saxonis officio dat tua bella geri.
Cordis amicitia quam Voltigernus habebat,
Insita Saxonibus sic Saxonis acta fovebat,
Sic quoque Saxo Duci corde fidelis erat.
Saxo tenens patriam Regis bonitate levatus,
Occulta feritate Ducis subitò variatur,
Rex Ducis ingenio perdidit ense caput.
Cum Duce tunc equites ficto gemuere dolore,
Ulciscique necem falso statuere colore,
Cordeque lætifico tristia gesta movent.
Arce trucis statuere Ducem consistere Regem,
Saxonica virtute sedens tenet omnia lege,
Enseque Saxonico regnat in Orbe suo.
Hujus erat Regis miles de semine natus,
Dux Volgimerus, vulgi ratione vocatus,
Militiæ Princeps clarus, ad arma potens.
Ille dolet quòd Regna solet sua Saxo tenere,
Nam fieri si Saxo perit, vult Regius hæres,
His & ob invidiam tunc gravis hostis erat.

De Orsone, & Engisto.

Tunc erat Anglorum regalis copula fratrum,
Orsus & Engistus Angla ratione vocati:
Hi duo Saxonibus ritè fuere caput.
Dum movet introrsus Dux Volgimer arma seorsum
Restitit his prorsus saliens Engistus & Orsus.
Insula Britonum præstat utrumque dolum.
Volgimer & Saxo, sua dum certamina taxant,
Utraque pars passa, Britannica prædia quassat,
Vulneribusque datis mors fit utrinque satis.
Volgimer ut Regnum satagit vexare paternum,
Saxonibusque locum cupit annihilare modernum,
Saxo movet pacis dicta, favore patrum.
Rex vocat iratum patria dulcedine natum,
Et quasi pacatus sibi sponte reconciliatur,
Talibus alloquiis rem moderatur ei.

Saxonum commendatio.

Saxonicæ gentis cur opprimis agmina, fili?
Cùm Regni sit amica mei custosque cubili?
Sintque bonæ fidei, belligerique viri?
Hæc Regni diadema mei, me teste, paravit,
Hostiles probitate dies satis alleviavit,
Quàm malè persequeris rem bene gessit, ait.
Pacificos largire dies, depone furorem,
Saxonibus tu redde tuum constanter amorem,
Hæc tibi proficuo me moriente foret.
Cùm Regni sis nate mei spectabilis hæres,
Saxonica probitate potes tua jura tenere,
Hi tua jura ferent, & tua bella gerent.

Vol-

Volgimer acta patris non suscipit ordine pacis,
Saxo quasi gratis juvenis fert bella minacis,
Attamen iratis restitit ense satis.
Orsus & Engistus Saxo non sustinet istud,
Undique per patriam contraria prœlia sistunt,
Et Ducis ardore bella movente movent.
Dum furit introrsus tellus Britannica prorsus,
Transiit Oceanum mare Dux Engistus & Orsus,
Et redit in patriam frater uterque suam.
Angria Saxonicos dominos rediisse revelat,
More Macedonico proponitur alta querela,
Quàm mala Volgimeri prœlia Saxo ferat.
Undique per patriam sonitu fervente querelæ,
Fœmina cum maribus sua nititur arma movere,
Insula Britonum jam nova bella feret.
Orsus & Engistus propriam duxere sororem,
Quæ specie formaque datur meruisse decorem,
Regis ad accubitum digna Corinna foret.

De Angria Regina, & regione, & cæteris actis.

Angria Regina nomen tulit à regione,
Fœmina Theutonica roseo suffulta colore,
Cujus in obsequium signa Macedo movet.
Plena per æquoreos fertur ratis inclyta fluctus,
Insula Britonica parcos videt undique luctus,
Dum ratis arma gerit, subdita terra perit.
Saxonicæ gentis Rex Voltigernus amator,
Pacis utrinque dator, cupit esse reconciliator,
Et petit alloquio bella silere dato.
Bella silent, dum pacta vident, vexilla quiescunt,
Colloquiis hinc inde datis fera corda tepescunt,
Rex parat iratis fœdera stricta satis.
Pacis ab hac hora dum Rex dare pacta laborat,
Rixa scelus renovat, rixantur in ulteriora,
Miles ad arma volat, pax perit absque mora.
Saxonici populi valido stant cuspide fulti,
Unde suis cultris hostes perimuntur inulti,
Omne decus patriæ Saxonis ense jacet.
Viribus Anglorum vires superantur eorum,
Ense Macedo bonum superat perimitque colonum,
Saxo tulit patriam, diripuitque solum.
Volgimer elatus hostiliter inde fugatus,
Visa morte patrum timet hìc incurrere fatum,
Per medium nemoris labitur atque fugit.
Tempore post modico fertur periisse veneno,
Undique per patriam Saxo viget ordine pleno,
Amodo Saxonibus plena trophæa fero.
Regis amicitia qua sæpe Macedo revixit,
Regis in obsequium victorum pectora fixit,
Subditus unde sibi Saxo remansit ibi.
Consona Saxonibus fit Regis ubique voluntas,
Saxo patrem Regem reputat quocumq; triumphat,
Quippe suo Regi climata victa regit.
Orsus & Engistus quasi conregnare videntur,
Nam cum Rege simul communia Regna tuentur
Rex pater, hi nati, posteritate sui.
Victima Principibus mandatur amœna parari:
Rege sedente lari datur Angria virgo vocari,
Sydere splendidior, gaudia forma parit.
Angria Regina maris huc evecta carina,
Fratribus inclinat, Regique decora propinat,
Et citò regale pectus amore ligat.
Virginis aspectus penetrat sinè vulnere pectus,
Mox amor injectus latuit sub pectore tectus,
Mentis in ardore tela puella movet.
Vestibus auratis nituit coma flava capillis,
Pocula dum recipit, oculos Rex intulit illi,
Dumque videre libet, dicit; Amica bibe.
Gustat, ut illa refert; Mecum bibe diva potestas,
Rex ait; Ergo sede, tua me constringit honestas,
Sub lare regali te decet (inquit) ali.

A *Pocula præbentis dulcantur in ore potentis,*
Inde calor mentis impellit ad acta volentis,
Plus ubi vina bibit plus adamare libet.
Mensa brevis, fortuna levis, pro virgine vénit,
Cor Regis quod virgo vehit, sub pectore sævit;
Tracta manu leni, dicit; Amanda veni.
His ita prævisis, virgo celeberrima risit,
Fratribus ascitis, Regi sua dicta remisit.
Si cupit Angrorum lege parare thorum.
Et mihi lege bona vult participare corona,
Regis ad obsequia sint agmina Saxona prona,
Verba placent fratri, sponsa fit absque mora.
Orsus & Engistus socia regnante sorore,
Amodo majore funguntur ubique favore:
Insula tota favet, Regna quieta manent.
B *Brito timet factum, quia Saxo tenet dominatum,*
Ne sibi primatum reputet vincendo paratum,
Vendicat Imperium Saxo labore datum.
Viribus Angrorum cœpit malè terra gravari,
Nomine vulgari datur Angriterra vocari,
Illud & Angrorum nomen ab urbe trahit.
Moribus & linguis victoribus assimilatur,
Angria perpetuo victore vocante vocatur,
Angria dicta per R. tunc ibi non erat L.
Gregorius Papa, cuius baptismate pollent,
Nomina dans dedit L. priùs R. de nomine tollens,
Sic velut Angelicos Papa vocavit eos.
Tunc erat in patria mons, culmen habens speciosum,
C *Qua Rex Angrorum castrum parat imperiosum,*
Nec potuit lapidum pondera ferre locus.
Quotquot enim muri coalent hodie valituri,
Manè cadunt vacui, post oras iterum ruituri,
Quicquid ponit ibi, subdita terra bibit.
Mirantur populi, mirantur ab arte magistri,
Quicquid ibi lapidum poterint jactare magistri,
Deperit absque mora: nam lupa terra vorat.
Rex jubet ariolos longa statione vocari,
Et magica mox arte sibi jubet insinuari,
Mœnia cur recidant, quæ sibi terra trahit.
Cur cadat, ignorant; sed quomodo stare valerent,
Fingere consilium mendaciter illico quærunt,
Quod simul inveniunt, Rege jubente ferunt;
Hunc, ajunt, montem, superi sibi constituerunt,
Sæpe sibi Reges libamina magna tulerunt,
D *Quæ nisi tu dederis mœnia nulla ferunt.*
Munera sacra Deis, quæ te modò ferre jubemus,
Nec tu ferre potes, neque nos in rebus habemus,
Nec dabit hæc penitus, insula, terra, nemus.
Sanguinis humani petit hic torrente sacrari,
Corpore fundari, post desuper ædificari,
Murus ab hinc stabit, si memorata dabis.
Nec tamen humanum petit hæc tua victima corpus,
Cujus ab humano sit semine conditus ortus,
Natus erit matre filius absque patre.
Consilio vatum Rex amodo certioratus,
Undique legatos direxit ad ista paratos,
Quæritur optatus, sorte ferente datur.
Inveniunt puerum fantasmatis arte creatum,
E *Nomine Merlinum, vatem sinè dogmate vatum,*
Partu fœminino, sed sinè patre datum.
Suscipit inventum puerum pars magna potentum,
Ejus in adventu, castrum putat esse redemptum,
Corpus Merlini si tumuletur ibi.
Quæritur à matre, quo spermate, qua novitate,
Filius à matre potuit nasci, sinè patre?
Rettulit illa, patet Incubus esse pater.
Ad Regem Merlinus ait; nihil hic operaris,
Vatibus ignaris, caveas ne decipiaris,
Nil tibi proficui turba maligna parit.
Ecce meum corpus si mittitur arte seorsum,
Mox erit absorptum, cadet urbs tua, rupta retrorsum.

Mul-

Multiplicando dolum perdis utrumque bonum. A
Duc (ait) Ariolos, turbamque jubeto magorum
Dicere, murorum quæ sit modò causa tuorum,
Quid sibi fata volunt, quis sit in arte dolus.
Dicere si norunt, tu dogma tenebis eorum,
Si malè decipiunt, gladius sit pœna malorum:
Post, ego murorum consolidabo solum.
Verba placent pueri, Rex illico dicta requirit,
Nec valet arioli quod poscitur arte potiri,
Pœna datur sceleri, quam puer inquit, ibi.
Carsere multorum reserat Rex colla magorum,
Ut si fortè dolum puer exsuperaret eorum,
Fiat in ariolos mortis ubique forum.
Amodo Merlini verbis datur insinuari,
Cur lapis inde cadit, quo Rex jubet alta parari,
Cur opus artificis concava terra trahit? B
Si cupis invisa (puer inquit) ænigmata dicam:
Montis in arce sita stat desuper unda petita.
Terra superpositâ pendula pendet ita:
Portat onus terræ, crustaque natante, supernæ,
Ampliùs inferre sinis nequit undula ferre,
Pondera pressa bibit quæ superaddis ibi.
Ut pateat dubium, montis latus infodiatur,
Inde tibi fluvius, quem nescis, ut egrediatur;
Siccus abinde lacus siccaque terra datur.
Nomine Merlini Rex imperat hunc aperiri,
Magnus apertus ibi fluvius monstratur adiri,
Castra suis populis Rex fabricabit ibi.
Restat ut illorum Rex puniat acta magorum,
Quorum sæpe dolus fuerat sibi causa dolorum,
Concremet ipsorum corpora tecta torum. C
Dum cadit ariolus, dum montis ad acta venimus,
Undique Merlinus vates fit summus & imus:
Ut docet Oceanus, Iscotiæque sinus.
Egrediente lacu terret gravis unda colonum,
Gurgitis è medio surgit tetra forma draconum.
Undique dant strepitum, concutiuntque solum.
Climata Cornubiæ bini petiere dracones,
Rufus & albus erant, errore premunt regiones,
Territus hinc populus rura timendo colet.
Uter & Aurelius quos charta supra memoravit
Principis Italici de semine Maximiani,
Militis officio tunc valuere magìs.
Uter in arma furens invadit & ipse draconem,
Cujus ad interitum datur ingessisse mucronem,
Indeque plebs patriæ gaudia magna movet, D
Qui priùs Uter erat, juvenis, milesque decorus,
Uter Pendragon sub lege vocatur eorum;
Nomine serpentis nomen habere volunt. (nis,
Fama recens vagabunda necem gerit ipsa draco-
Uter eum jugulasse reum datur ore mucronis,
Terror inest Regi famaque læta bonis.
Ad Regem Voltigernum dum fama veniret,
Dicit; Merline tu quæso futura require,
Nam Regina timet, dum nova tanta videt.
Dic (precor) augurium nobis Merline draconum,
Quid rumor, quid fama sonat, partis regionum?
Uter & Aurelius, quæ sibi jura volunt.
Merlus ait: Ventura magìs, si noscere gliscces,
Jam Regni metuenda tui symptomata disces,
Fortuitosque dies applicuisse scies. E
Hos ego serpentes binos loquor esse potentes,
Uter & Aurelium, jam Regna paterna petentes,
Judicioque Dei terra redibit eis.
Quæ bona Saxonibus sunt, aut tibi subdita tollent;
Militis officio patriæque juvamine pollent,
Cæsar enim Romæ posset uterque fore.
Sanguinis insani pueri sunt Maximiani,
Semine Romani, fervent feritate ferali,
Tu tibi (si poteris) prospice, Merlus ait.
Insula dividitur, populi duo sceptra sequuntur,
Regibus ambiguis regalia jura reguntur,
Bellaque Saxonicis sunt nova nata locis.

Obtinet Aurelius, Regnum sibi conciliatur,
Voltigerna manus gladio cadit atque fugatur,
Perdit & archatum, perdit & ipse caput.
Angria Regina Regis viduata ruina,
Bella refert prima, neque viribus extitit ima,
Prælia fert varia, damna, pericla, minas.
Orsus & Engistus, seu cætera Saxona virtus,
Acriter obsistunt, Regnum rapientibus istud,
Pro nece prostrati Regis amara pati.
Uter & Aurelius dum regna paterna capessunt,
Viribus excrescunt, sed & Angrica bella tumes-
Regibus iratis arma tulere satis. (cunt,
Post varias cædes, hinc inde cremantur & ædes,
Conveniunt plebes, quas ferre pericula tædet,
Pacis apud proceres fœdus inire sedet.
Sic modus est pacis; quòd ritè reconciliatis
Saxonibus gratis tribuat Rex fœdera pacis,
Urbibus & feudis, rebus, honore datis.
Angria Regina, pacis sumpta medicina,
Regibus inclinat, secedit arva marina,
Qua sibi pacifica castra tenere sinant,
Aurelius primogenitus, regnique monarchus,
Sic pacis sancita facit, sic prospicit actus,
Ut reparet patriæ gaudia, lata quies.
Confovet optima, dissipat horrida, Regia norma,
Prælia deprimit, abdita rejicit, apta reformat,
Rex erat, imò Pater, gesta paterna patent.
Attamen admissa Patris feritate patrizat,
Nam priùs inflixa renovat tormenta, remissa,
Et tenet erroris dogmata plena dolis.
Æmulus ipse Dei, populi fit tutor Hebræi,
Atria scripta vehit, sectamque fovet Manichæi,
Catholicique rei prorsus habentur ei.
Post annos paucos, post multa pericula rerum,
Suscipit Aurelius fatum finemque dierum,
Justus apud proceres, sed reus ante Deum.

Defuncto Aurelio Rege Anglorum erigitur Uter, qui & Pendragon dicitur.

Post Regis fatum dominus terræ variatur,
Rex obit Aurelius, germanus ad alta vocatur,
Erigitur solium, versa corona datur.
Uter Pendragon Rex est cognomine dictus,
Viribus invictus, cujus draco decidit ictu,
Moribus & specie Regia forma placet.
Usus erat, Regem proceres ad Pascha vocare,
Nuncia lætitiæ convivia magna parare,
Regis & à solio Regia dona dare.
Ferre nec est licitum sinè conjuge dona maritum,
Imò simul veniunt, Dominum laudare petitum,
Præbet eis solitum Principis aula situm.
Dividit alterutrum Dominus convivia rerum,
Dextera fit procerum, fit & altera pars mulierum,
Rex sedet in medio, fercula digna ferunt.
Dux ibi Cornubiæ tunc primus in ordine sedit,
Uxor in opposito, cui nomen Hierna, comedit,
Cui citò Rex oculos luxuriando dedit.
Dum sedet alta, rosa magis omnibus est speciosa,
Fercula multiplicat Rex omnibus invidiosa,
Per varios oculos cætera turba notat.
Hæc ubi subrisit, oculos compota remisit,
Nutibus innisi, nexi sunt pectore visi,
Fœmineas latebras tactus amore sitit.
Curia magnarum commota sedet dominarum,
Nam velut ignarus Rex non videt agmen earum,
Respicit hanc nimium, cætera cuncta parum,
Hunc amor involvit; citò Rex convivia solvit;
Dum cupit hanc tolli causam, rota versa revolvit,
Territus exurgit Dux, & Hierna fugit.
Mane sub aurora fugiunt stationis ab hora,
Laxa Ducis lora, loca præripiunt potiora,
Ad loca Cornubiæ fertur Hierna volans.

Dum

Dum fuga facta sonat, Rex ustus amore laborat,
Imperat ut redeant, Dux pergit in ulteriora,
Dum fugit illa foras, Rex furit absque mora.
Lex erat ut nunquam proceres à Rege recedant,
Ni priùs his reditum concessa licentia quærat,
Utque domum rediens Regia scripta ferat.
Regula præfata quum jam foret evacuata,
Ad Ducis interitum sunt Regia bella parata,
Terraque damnata perditione rata.
Arte satis forti parat ille resistere forti,
Sæpe tulit patulis regalia prœlia portis,
Sæpe dedit gratis prœlia dira satis.
Rex tenet obsessum, procerum virtute repressum,
Abstulit ingressum, restrinxit ab urbe regressum,
Jussit & induci prœlia multa Duci.
Sic amor occultus regali pectore fultus,
Efficit insultus, equitum movet ipse tumultus,
Dat quoque languere, Regia membra terens.
Nunc amor injectus penetrat sinè vulnere pectus,
Visceribus tectus amor est pallore repertus,
Tela nec evadit, pressus amore cadit.
Dum sic est, Gothorum petit auxilium medicorum,
Nec valet antidotum causas removere dolorum,
Nescit enim medicus quod sit amoris onus.
Quum timet ipse mori, datur optima cura labori,
Merlinus fert consilium studio meliori,
Mirus in auxiliis, miraque facta colit.
Quærit & à medicis, quæ sit modò causa doloris,
Dicere dum nequeunt, gravis est sibi pœna pudoris,
Quæ latet interiùs, promitur ira foris.
Merlus ait Regi; te causa perurget amoris,
Ite foras medici, labor estis ubique labori,
Regia deserite, quærite jura fori.
*Quæso torum Regis nostre imitate * legi,*
De pulsis medicis solatia Merlus adegit,
Inde domus Regis gaudia digna vehit.

De Merlino Propheta Anglorum.

Rex modò Merlini quæ sit medicina requirit,
Ille refert; volo te nemorum statione potiri,
Tuque meis studiis mira videbis ibi.
In Ducis ecce tuam faciam transire figuram,
Nunc ita mansuram, rursusque tibi redituram,
Forma Ducis pura sit modò forma tua.
Hac ego sorte suos in nostros verto ministros,
Ut putat ecce Ducis servos qui viderit istos,
Me quoque servili pelle videbis ibi.
Vultibus arte datis, pro velle tuo variatis,
Nominibus variis forma variante vocatis,
Velle tuo poteris luxuriare satis.
Amodo Cornubiam curemus adire Ducissam,
Sanet ut infixa tibi vulnera pectoris ipsa,
Qua satis ascita, tunc remeabis ita.
Sis licèt in guerra, castri conscende superna,
Quam cupis interea, te pulchra videbit Hierna,
Dum mentita viri forma sedebit ibi.

De eodem.

Vatis ad indicium gaudet Rex, illico surgens,
Edita perficere socios mandata perurgens,
Pergit ut ista gerat, qui priùs æger erat.
Non erat in castro tunc cum Duce pulchra Corinna,
Altera pars montis Ducis altera castra resignat,
Qua residens plenè semper Hierna manet.
Imperat armatos Rex hìc remanere ministros,
Ducere promittens equites plures super istos,
Hæc via mentita Regis habetur ita.
Rex ubi carpit iter, paucis comitatus alumnis,
Montibus ingeritur per summa cacumina summis
Suscipit ut proprium magna Ducissa virum.
Regis in adventu dat gaudia turba potentum,
Organa cùm centum reboant, sub laude retentum,
Laude canunt Dominum, villa, platea, forum.
Regis in amplexu dat pro Duce fœmina nexum,
Artibus impressum vultum Ducis, oscula, fletum,
Arte superducit oribus ora Ducis.
Tunc nova de Rege faciunt exponere Regem,
Ille refert; Regem pravam præcedere legem,
Dum qui regna regit, destruit ipse gregem.
Rex, ait, armatis infert mihi prœlia gratis,
Destruit atque capit bellis mea castra patratis,
Attamen arma sapit nostra nociva satis.
Me premit injustus, locus est mihi circiter ustus,
Imminet incursus, bello sum totus onustus,
Hìc mihi nunc requiem conferat una dies.
Fortiter ingemuit cùm vidit Hierna maritum,
Hostibus attritum, nimioque labore petitum,
Condolet ignitum Marte perire situm.
Nocte sedent plena, Regem vocat inclyta cœna,
Rex satìs accelerat, consedit Hierna serena,
Sed magìs in Venerem cor comedentis erat.
Fit modò mensa brevis, mens saucia, pauca comedit,
Clauditur interiùs, dominaq; favente resedit,
Cætera quæ petiit larga Corinna dedit.
Nocte jacent tota, veniunt solatia manè,
Illa refert germen utero consistere planè,
Qui pater efficitur, lætior inde manet.
Noxque diesque simul subitò signatur & hora,
Lætitia plenus pater est, & abire laborat,
Mox quæ signa gerit Rex memoranda dedit.
Quæ fert signa pater, retinet sibi conscia mater,
Et quæ mater habet, secum Rex deferet acer,
Nec patuit matri subdola forma patris.
Cedit ab uxore Dux fictus, aditque laborem,
Dum redit in nemore prisco renovatur honore.
Scribere nunc placuit quid sua turba facit.

Uter Pendragon rediens à collusione Ducissæ, invênit Ducem occisum, & castrum ejus captum.

Rex ubi de castris Merlo comitante recessit,
Miles ab incœpto modicum sua castra repressit,
Et datis insidiis sic latitabat ita.
Miles ab arce Ducis dum castra relicta videret,
Irruit in paucos, spolium confisus habere,
Dux quoque cum reliquis prosilit arma ferens.
Regis ab insidiis exercitus obviat illis,
Jura sui domini manibus defendit Achillis,
Dux miser hìc capitur, perdit & ense caput.
Altera pars equitum quæ cum Duce vénit ab arce,
Fusa jacet penitus, Regis manus obtinet arcem,
Regia regale signa cacumen habent.
Dum redit ex nemore Rex hostis adire laborem,
Signa videns castri, proprium cognoscit honorem,
Tunc iter accelerans, gaudia digna movet.
Prœlia victorum laudat sinè fine suorum,
Quoslibet ad libitum socios ditavit eorum,
Inde cupit reliquum tollere Marte solum.

Item de Hierna Ducissa, obsessa in arce sua.

Uter Pendragon jubet Anglica signa moveri,
Viribus armorum se quærit Hierna tueri,
Nescia quòd socia Regis & uxor erit.
Sub specie pacis recipit mandata minacis,
Ut veniat mediis componere fœdera pratis,
Ne pereat gratìs rebus & arce datis.
Illa refert; habeo fortem super arce maritum,
Hic tibi colloquium teneat pro pace petitum,
Non decet ut mulier quærat ad arva situm.
Rex ait; ingratum cognosce Ducem jugulatum,
De-

Desere morte datum, meliùs jam percipe fatum,
Ne tibi sit dubium, respice tolle caput.
Saucia mortiferis causis, infixaque telis,
Concidit exanimis mulier turbata fidelis,
Verbaque cùm rediit vix rediviva dedit.
Mors injusta Ducis tibi Rex non proficit, inquit,
Ipse mihi prolem quam gesto, ventre relinquit,
Si pater ense perit, filius hostis erit.
Urbs mea tam fortis, tua non timet arma cohortis,
Nec patulis portis metuit discrimina sortis,
Dum puer hic vivit, ipse manebit ibi.
Rex ait; o domina, secretiùs (oro) loquamur,
Gesta tibi referam quæ chara ferenda putamus,
Ex quibus indicia digna favore damus.
Pone supercilium, cœptumque relinque furorem,
Si mihi credideris, summum retinebis honorem,
Gaudia percipies quæ lachrymata doles.
Vix devicta prece mulier fortissima Regi,
Cessit, & alloquiis animum reverenter adegit,
Amodo Merlini mira loquentur ibi.

Loquitur cum Ducissa.

Rex placator ait; pro te mea bella paravi,
Te nimis optavi, nimiumque coactus amavi,
Fune tuo potui vinctus amore trahi.
Sub Ducis effigie tecum quandoque resedi,
Deditus ingeniis lecto rutilante quievi,
Basia cum reliquis actibus ore dedi.
Ore tuo didici, quia germina venter haberet,
Unde tibi placuit propriè mea signa tenere,
En tua quæ teneo, respice, nosce, gere.
Hic quem ventre tenes meus est, hunc opto tenere,
Iste meæ patriæ Rex est, regnique cohæres,
Tu Regina sedes, & diadema feres.

Hierna Ducissa recognoscit dicta Regis, & tradit se illi.

Credidit absque mora, cognovit & acta priora,
Illico majora recipit, spernitque minora,
Abstergit lachrymas, pellit amara foràs.
Splendida fit facie, capit illico læta colorem,
Pallida quæ fuerat recipit Regina ruborem,
Clarior est flore, cùm priùs ægra foret.
Miles ut inquirit, quid nam sibi causa requirit,
Illa jubet Regi castrum properans aperiri,
Undique suscipiens jussa colenda viri.
Nuptia regalis datur illico mira parari,
Illa subarrhari, Reginaque summa vocari,
Pace vacant populi flumine, rure, mari.
Indice Merlino Rex & Regina requirit,
Plasma jacens utero, quo debet honore potiri,
Fœmina si fuerit, dignave forma viri?
Lætus ait vates; en gaudia magna parate,
Currite primates, cœloque resolvite grates,
Nam quæ ventre latent mira futura patent.
Hic erit Arturus Rex summus in Orbe futurus,
Prælia gesturus, loca Gallica Rex habiturus,
Nomine Magnus erit, vulneribusque perit.
Nec perit omnino, maris observabitur imo,
Vivere perpetuò poterit ex ordine primo:
Ista tibi refero, cætera claudo sinu.
Arturi qui tantus erat, si bella requiris,
Omne solum variis potuit devincere miris,
Viribus & gladiis præfuit ipse viris.

PARTIS DECIMÆOCTAVÆ FINIS.

Dum fuga facta sonat, Rex ustus amore laborat,
Imperat ut redeant, Dux pergit in ulteriora,
Dum fugit illa foras, Rex furit absque mora.
Lex erat ut nunquam proceres à Rege recedant,
Ni priùs his reditum concessa licentia quærat,
Utque domum rediens Regia scripta ferat.
Regula præfata quum jam foret evacuata,
Ad Ducis interitum sunt Regia bella parata,
Terraque damnata perditione rata.
Arte satis forti parat ille resistere sorti,
Sæpe tulit patulis regalia prœlia portis,
Sæpe dedit gratis prœlia dira satis.
Rex tenet obsessum, procerum virtute repressum,
Abstulit ingressum, restrinxit ab urbe regressum,
Jussit & induci prœlia multa Duci.
B *Sic amor occultus regali pectore fultus,*
Efficit insultus, equitum movet ipse tumultus,
Dat quoque languere, Regia membra terens.
Nunc amor injectus penetrat sinè vulnere pectus,
Visceribus tectus amor est pallore repertus,
Tela nec evadit, pressus amore cadit.
Dum sic est, Gothorum petit auxilium medicorum,
Nec valet antidotum causas removere dolorum,
Nescit enim medicus quod sit amoris onus.
Quum timet ipse mori, datur optima cura labori,
Merlinus fert consilium studio meliori,
Mirus in auxiliis, miraque facta colit.
Quærit & à medicis, quæ sit modò causa doloris,
Dicere dum nequeunt, gravis est sibi pœna pudoris,
Quæ latet interiùs, promitur ira foris.
C *Merlus ait Regi; te causa perurget amoris,*
Ite foras medici, labor estis ubique labori,
Regia deserite, quærite jura fori.
*Quæso torum Regis nostre imitate * legi,*
De pulsis medicis solatia Merlus adegit,
Inde domus Regis gaudia digna vehit.

De Merlino Propheta Anglorum.

Rex modò Merlini quæ sit medicina requirit,
Ille refert; volo te nemorum statione potiri,
Tuque meis studiis mira videbis ibi.
In Ducis ecce tuam faciam transire figuram,
Nunc ita mansuram, rursusque tibi redituram,
Forma Ducis pura sit modò forma tua.
D *Hac ego sorte suos in nostros verto ministros,*
Ut putat ecce Ducis servos qui viderit istos,
Me quoque servili pelle videbis ibi.
Vultibus arte datis, pro velle tuo variatis,
Nominibus variis forma variante vocatis,
Velle tuo poteris luxuriare satis.
Amodo Cornubiam curemus adire Ducissam,
Sanet ut infixa tibi vulnera pectoris ipsa,
Qua satis ascita, tunc remeabis ita.
Sis licèt in guerra, castri conscende superna,
Quam cupis interea, te pulchra videbit Hierna,
Dum mentita viri forma sedebit ibi.

De eodem.

E *Vatis ad indicium gaudet Rex, illico surgens,*
Edita perficere socios mandata perurgens,
Pergit ut ista gerat, qui priùs æger erat.
Non erat in castro tunc cum Duce pulchra Corinna,
Altera pars montis Ducis altera castra resignat,
Qua residens plenè semper Hierna manet.
Imperat armatos Rex hìc remanere ministros,
Ducere promittens equites plures super istos,
Hæc via mentita Regis habetur ita.
Rex ubi carpit iter, paucis comitatus alumnis,
Montibus ingeritur per summa cacumina summis
Suscipit ut proprium magna Ducissa virum.

A *Regis in adventu dat gaudia turba potentum,*
Organa cùm centum reboant, sub laude retentum,
Laude canunt Dominum, villa, platea, forum.
Regis in amplexu dat pro Duce fœmina nexum,
Artibus impressum vultum Ducis, oscula, fletum,
Arte superducit oribus ora Ducis.
Tunc nova de Rege faciunt exponere Regem,
Ille refert; Regem pravam præcedere legem,
Dum qui regna regit, destruit ipse gregem.
Rex, ait, armatis infert mihi prœlia gratis,
Destruit atque capit bellis mea castra patratis,
Attamen arma sapit nostra nociva satis.
Me premit injustus, locus est mihi circiter ustus,
Imminet incursus, bello sum totus onustus,
Hìc mihi nunc requiem conferat una dies.
Fortiter ingemuit cùm vidit Hierna maritum,
Hostibus attritum, nimioque labore petitum,
Condolet ignitum Marte perire situm.
Nocte sedent plena, Regem vocat inclyta cœna,
Rex satis accelerat, consedit Hierna serena,
Sed magìs in Venerem cor comedentis erat.
Fit modò mensa brevis, mens saucia, pauca comedit,
Clauditur interiùs, dominaq; favente resedit,
Cætera quæ petiit larga Corinna dedit.
Nocte jacent tota, veniunt solatia manè,
Illa refert germen utero consistere planè,
Qui pater efficitur, lætior inde manet.
Noxque diesque simul subitò signatur & hora,
Lætitia plenus pater est, & abire laborat,
Mox quæ signa gerit Rex memoranda dedit.
Quæ fert signa pater, retinet sibi conscia mater,
Et quæ mater habet, secum Rex deferet acer,
Nec patuit matri subdola forma patris.
Cedit ab uxore Dux fictus, aditque laborem,
Dum redit in nemore prisco renovatur honore.
Scribere nunc placuit quid sua turba facit.

Uter Pendragon rediens à collusione Ducissæ, invênit Ducem occisum, & castrum ejus captum.

Rex ubi de castris Merlo comitante recessit,
Miles ab incœpto modicum sua castra repressit,
Et datis insidiis sic latitabat ita.
Miles ab arce Ducis dum castra relicta videret,
Irruit in paucos, spolium confisus habere,
Dux quoque cum reliquis prosilit arma ferens.
Regis ab insidiis exercitus obviat illis,
Jura sui domini manibus defendit Achillis,
Dux miser hìc capitur, perdit & ense caput.
Altera pars equitum quæ cum Duce vênit ab arce,
Fusa jacet penitus, Regis manus obtinet arcem,
Regia regale signa cacumen habent.
Dum redit ex nemore Rex hostis adire laborem,
Signa videns castri, proprium cognoscit honorem,
Tunc iter accelerans, gaudia digna movet.
Prœlia victorum laudat sinè fine suorum,
Quoslibet ad libitum socios ditavit eorum,
Inde cupit reliquum tollere Marte solum.

Item de Hierna Ducissa, obsessa in arce sua.

Uter Pendragon jubet Anglica signa moveri,
Viribus armorum se quærit Hierna tueri,
Nescia quòd socia Regis & uxor erit.
Sub specie pacis recipit mandata minacis,
Ut veniat mediis componere fœdera pratis,
Ne pereat gratìs rebus & arce datis.
Illa refert; habeo fortem super arce maritum,
Hic tibi colloquium teneat pro pace petitum,
Non decet ut mulier quærat ad arva situm.
Rex ait; ingratum cognosce Ducem jugulatum,
De-

Desere morte datum, meliùs jam percipe fatum, A
Ne tibi sit dubium, respice tolle caput.
Saucia mortiferis causis, infixaque telis,
Concidit exanimis mulier turbata fidelis,
Verbaque cùm rediit vix rediviva dedit.
Mors injusta Ducis tibi Rex non proficit, inquit,
Ipse mihi prolem quam gesto, ventre relinquit,
Si pater ense perit, filius hostis erit.
Urbs mea tam fortis, tua non timet arma cohortis,
Nec patulis portis metuit discrimina sortis,
Dum puer hic vivit, ipse manebit ibi.
Rex ait; o domina, secretiùs (oro) loquamur,
Gesta tibi referam quæ chara ferenda putamus,
Ex quibus indicia digna favore damus.
Pone supercilium, cœptumque relinque furorem,
Si mihi credideris, summum retinebis honorem, B
Gaudia percipies quæ lachrymata doles.
Vix devicta prece mulier fortissima Regi,
Cessit, & alloquiis animum reverenter adegit,
Amodo Merlini mira loquentur ibi.

Loquitur cum Ducissa.

Rex placator ait; pro te mea bella paravi,
Te nimis optavi, nimiumque coactus amavi,
Fune tuo potui vinctus amore trahi.
Sub Ducis effigie tecum quandoque resedi,
Deditus ingeniis lecto rutilante quievi,
Basia cum reliquis actibus ore dedi.
Ore tuo didici, quia germina venter haberet,
Unde tibi placuit propriè mea signa tenere, C
En tua quæ teneo, respice, nosce, gere.
Hic quem ventre tenes meus est, hunc opto tenere,
Iste meæ patriæ Rex est, regnique cohæres,
Tu Regina sedes, & diadema feres.

Hierna Ducissa recognoscit dicta Regis, & tradit se illi.

Credidit absque mora, cognovit & acta priora,
Illico majora recipit, spernitque minora,
Abstergit lachrymas, pellit amara foràs.
Splendida fit facie, capit illico læta colorem,
Pallida quæ fuerat recipit Regina ruborem,
Clarior est flore, cùm priùs ægra foret.
Miles ut inquirit, quid nam sibi causa requirit,
Illa jubet Regi castrum properans aperiri,
Undique suscipiens jussa colenda viri.
Nuptia regalis datur illico mira parari,
Illa subarrhari, Reginaque summa vocari,
Pace vacant populi flumine, rure, mari.
Indice Merlino Rex & Regina requirit,
Plasma jacens utero, quo debet honore potiri,
Fœmina si fuerit, dignave forma viri?
Lætus ait vates; en gaudia magna parate,
Currite primates, cœloque resolvite grates,
Nam quæ ventre latent mira futura patent.
Hic erit Arturus Rex summus in Orbe futurus,
Prælia gesturus, loca Gallica Rex habiturus,
Nomine Magnus erit, vulneribusque perit.
Nec perit omnino, maris observabitur imo,
Vivere perpetuò poterit ex ordine primo:
Ista tibi refero, cætera claudo sinu.
Arturi qui tantus erat, si bella requiris,
Omne solum variis potuit devincere miris,
Viribus & gladiis præfuit ipse viris.

PARTIS DECIMÆOCTAVÆ FINIS.

GODEFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORUM

PARS DECIMANONA.

De Regalibus insignibus, videlicet de Sancta Cruce, de Gladio, de Lancea Sacra, de Sceptro, de Pomo aureo, de Corona, de Diademate: quid significent gemmæ in Corona; quid significet aurum in Corona, quid significet crista in Corona.

A

CÆsar jussit heri quæ sint insignia quæri,
Quæ caput Imperii dignè perhibentur haberi,
Et cur signa gerit, quid rationis erit?
Ut scriptura tonat, crux, ensis, sceptra, corona,
Lancea, palla, bona nobis insignia donant,
Restat ut exponam, quid sua signa sonent. B

Quid significat illa Crux?

Crux caput Imperii, datur hæc medicinaque morbis,
Climata quadrati per brachia continet Orbis,
Crux est scala Dei, spes, via, vita reis.
Hac datur ascensus justorum merce repensus,
Hac latro suspensus, recipit pro crimine census,
Hanc solet Imperium ferre per omne solum.
Brachia distenta Mundum complexa retentant,
Cunctaque portenta Christi virtute retenta,
Crux velut athleta noxia cuncta vetat.
Unde per hoc signum, quo tollitur omne malignum, C
Imperii dignum caput est venerabile signum,
Prœlia virtutis dant sibi signa Crucis.
Crux datur Imperio speciali jure ferenda,
Quippe vicem Christi tenet hic ad regna tuenda,
Et gerit in terris signa colenda Crucis.

Quid significat gladius Regalis, vel Imperialis?

Judicii signum gladius monstrare videtur,
Quo malefactorum feritas cessare jubetur,
Ut latro frustretur, Rex tenet arma secus.
Præcipitur gladius vibratus semper haberi,
Puniat ut subitò, potuit quod culpa mereri:
Nam si tardus erit, pax vacuata perit. D
Jura sibi soli Deus edere, condere patrat,
Ut gladio laqueoque suo mala pressa quiescant.
Si mala non premeret Principis umbra foret.
Sic sibi regna Deus subjicit, sic jurgia legum,
Quod valet humano lucrari sanguine cœlum,
Munera grata Deo dat percunte reo.
Ense quiescente compescere non valet Orbem,
Sanguinis humani torrente potest moderari,
Qui regnare volet sanguine jura colet.

Quid significat Sceptrum Regale?

In manibus Regum dum Regia Sceptra tenentur,
Tunc quasi per virgam compescere cuncta videntur, E
Pœnaque præstatur quæ ratione datur.
Usibus innumeris & legibus undique fultus,
Instruit hic homines dignos prætendere cultus,
Regia virga tamen, quo moderentur habet.
Plura solent homines per climata fingere jura,
Cæsar sceptra tenens, novit distinguere plura,
Imperat & virga jura valere sua.
Vita, genus, linguæ variæ, variant regiones,
Una nequit cunctos distinguere regula mores,
*Unde per Imperium plurima jura moveat *.*
Lex superest legi, Rex Regi pluribus unus,
Par superest paribus, mos moribus, usibus usus,
Imperat his unus, cujus in Orbe sumus.
Lex Romanæ locum super omnia jura meretur,
Nec tamen evacuat quod in his rationis habetur,
Vult magìs atque minus Cæsar habere simul.

Quid significat Lancea Imperialis, & unde vênit?

Lancea Mauricii reliquis præmaxima signis,
Plurima Christicolis peperit miracula dignis,
Clavus namque Dei junctus habetur ei.
Subjicit Imperio bello gestata potentes,
Motibus ipsius nequeunt obsistere gentes,
Hæc ubi bella movet, vincere cuncta solet.
Lancea sancta solet Regnorum vincere lites,
Ipsa facit proceres Romanos esse Quirites,
Ex hac Cæsar habet quod sibi regna favent.
Rex Arelatensis illam dum Boso teneret,
Et sibi pugnanti semper fortuna faveret,
Extitit indigetis terror amara ferens.
Nunc liber expone, quo casu, qua ratione,
Traditur Imperio post hæc Sacra Lancea Romæ,
Et cur Bosonem littera nostra sonet.
Boso formosus, Rex magnus, Rex animosus,
Insomnis totus quandoque fuit furiosus,
Inde soporatus alligat ense latus.
Hunc requiescentem somno quicumque vocaret,
Regia dextra virum mox plena furore necaret,
Solus & absque pare dormiit ipse lare.
Tempore Natalis Domini Rex est Arelati,
Pontifices Sacri surgunt ad festa parati,
Noctis ad officia laude canore dati.
Dumq; gerit Sacrum, Præsul quo Missa canatur,
Rex venit iratus, quia non fuit ante vocatus,
Fusteque mitratum percutit ipse caput.
Res plangenda satis Præsul cum sanctificatis
Percutitur gratis solennibus evacuatis.
Amodo noscatis quid Deus inde facit.
Tam malè tractati tunc Pontifices Arelati,
Milite collecto veniunt ad bella parati,
Cœlestis fati digna patrare pati.
Unde coarctatus Rex surgit ad arma vocatus,
Vincitur, ejicitur, stat Præsul honorificatus,
Rex dolet iratus, ludibrioque datus.
Mens devicta dolet, nimio confusa pudore,
Nec regnare volet, quia bello perdit honorem.
Optat ut & Monachi jam sibi vita foret.
Imperii solium cùm maximus Otto teneret,
Et valitura satìs Mundi fortuna faveret,
Huic Rex Boso loquens verba gemendo refert.
Trado tibi Regnum cunctos depono decores,
Amodo nostra tibi sacra lancea præstet honores,
Sola mihi Monachi vita colenda foret.
Do tibi Vivarium, Lugduni Sede sedebis;
Hæc duo cis Rhodanum, me traduce, castra tenebis,

Rex ibi Francigenis prædia nulla petit.
Lancea Mauricii, mea quam tibi dextera tradit,
Est caput illorum quæ nunc mea Regna notavi,
Nunc caput Imperii lancea sancta dabit.
Qua dubius Sauna, Rhodanus fluit, estque Vienna,
Cis mare Tyrrhenum fuerant Bosonica Regna,
Huic simul Allobroges & Morienna favent.

Quid significat globus aureus, qui Regum manibus gestatur?

Aureus ille globus, pomum vel palla vocatur,
Unde figuratum Mundum gestare reputatur,
Quando coronatur, palla ferenda datur.
Significat Mundum, forma perhibere rotundum,
B *Intus habere plenum, terrestri pondere fundum,*
Quem tenet arcanum palla ferenda manu.
Hæc fuit ex terris Mundi collecta quaternis,
Ut foret Imperii manibus gestanda supernis,
Hac tulit Imperium Julius arte suum.
Taliter hunc Mundum gestat manus una rotundum,
Regius includit sic omnia climata pugnus,
Taliter omne quod est regia pompa tenet.

Quid significat Crux posita super aureum pomum?

Crux superest pomo cœli super insita dono,
Suscipe corde bono Rex, quæ tibi mystica promo,
C *Teque sedente throno prospice quid sit homo.*
Crux & palla simul pariter connexa tenentur,
Hæc magìs, illa minùs, parte reverenda videntur,
Hæc ferit, hæc sanat, hæc perit, illa manet.
Si mundana cupis pugno concludere Regna,
Significata Crucis tibi sint reverenter habenda,
Servulus esto Dei, qui tua sceptra regit.

Quid significat diadema Imperiale?

Hoc diadema sonat duplam conferre coronam,
A *Quod veterem Romam mundanaque climata donat,*
Hoc quicumque tenet, summus in Orbe sedet.
Dupla corona manet, quia dum complectitur Urbem,
Continet & reliquum fastu diadematis Orbem,
Sic facit esse suas una corona duas.
Non loquor esse duas numeri ratione, sed actu,
Urbis & Orbis habet solium diadema subactum,
Hæc duo continuans omnia Cæsar erat.

Quid significant gemmæ preciosæ in corona, & qui eas instituit?

Julius instituit gemmas superesse coronæ,
Ut preciosa foret lapidum gravidata decore;
Nunc liber exponet, quid sibi gemma volet.
Quattuor in cunctis sunt insita mystica gemmis,
Durities, virtus, splendorque, colorque perennis,
Hæc, qui Cæsar erit, mystica nosse velit.
Duritie constans, virtute refertur honestus,
Est bona fama color, splendor sinè crimine quæstus,
Quatuor ista geret qui diadema feret.

Quid significat aurum in coronis?

Aurea materies regalibus apta coronis,
Indicat Imperium Mundi superesse patronis,
Circulus est Orbis forma rotunda soli.
Aurum cuncta suo superat fulgore metalla,
Imperium superat quos Orbis continet aula,
Et bene Romuleo jure gubernat eos.
Suscipit innumeras aurum tractabile formas,
Suscipit & varias Romana Monarchia normas,
Flexibilis, facilis, aurea forma suis.

Quid significat crista in Corona Imperiali?

Ducitur augusta circlo superaddita crista,
Publica res aucta planè monstratur in ista,
Qui diadema gerit, victor & author erit.

PARTIS DECIMÆNONÆ FINIS.

GODEFRIDI VITERBIENSIS CHRONICORUM

PARS VIGESIMA.

Catalogus omnium Pontificum Romanorum, & omnium Imperatorum Romanorum; & etiam omnium Regum, qui fuerunt ab initio Mundi usque ad Papam Urbanum Tertium, & usque ad Imperatorem Fridericum Primum, & ad filium ejus Regem Henricum Sextum.

PAPÆ. A

Salvator noster

DOMINUS NOSTER JESUS CHRISTUS sedit in hoc Mundo annis trigintaduobus, mensibus tribus.

Pontifices Romani.

Petrus Apostolus sedit annis vigintiquinque, mensibus quinque, diebus quatuor.

Linus Papa, sedit annis undecim, mensibus tribus, diebus duodecim.

Cletus Papa, sedit annis duodecim, mense uno, diebus decem. B

Clemens Papa, sedit annis novem, mense uno, diebus decem.

Anacletus Papa, sedit annis novem, mensibus quinque, diebus undecim.

Evaristus Papa sedit annis novem, mensibus quinque, diebus decem.

Alexander Papa, sedit annis decem, mensibus septem, diebus quinque.

Xystus Papa, sedit annis decem, mensibus quinque.

Telesphorus Papa, sedit annis undecim, mensibus quinque, diebus viginti & uno.

Hyginius Papa, sedit annis quatuor, mensibus duobus, diebus tribus. C

Anicetus Papa, sedit annis decem, mensibus quatuor, diebus tribus.

Pius Papa, sedit annis decem, mensibus quatuor, diebus quatuor.

Soter Papa, sedit annis novem, mensibus septem.

Eleutherus Papa, sedit annis undecim, mensibus novem, diebus tribus.

Victor Papa, sedit annis undecim, mensibus septem, diebus duodecim.

Severinus Papa, sedit annis novem, mensibus novem, diebus decem.

Callistus Papa, sedit annis quinque mensibus duobus, diebus decem. D

Urbanus Papa, sedit annis novem, mensibus decem, diebus duodecim.

Pontianus Papa, sed. annis quinque, mensibus sex, diebus duobus.

Anteros Papa, sedit annis tribus, mense uno, diebus novemdecim.

Fabianus Papa, sedit annis duodecim, mensibus duobus, diebus undecim.

Cor-

IMPERATORES.

JUlius Cæsar, regnavit annis quatuor, mensibus sex.

Octavianus Imperator, regnavit annis quinquagintasex.

Tiberius Imperator, regnavit annis tredecim.

Gajus Caligula Imperator, regnavit annis tribus, mensibus decem.

Claudius Imperator, regnavit annis quatuordecim, mensibus quinque.

Nero Imperator, regnavit annis tredecim, mensibus novem.

Hîc fuit prima persequutio.

Galba, Vitellius & Otho Imperatores, regnaverunt anno uno.

Vespasianus Imperator, regnavit annis novem, mensibus undecim.

Titus Imperator, regnavit annis duobus, mensibus duobus.

Domicianus Imperator, regnavit annis quindecim, mensibus quinque, diebus duobus.

Hîc fuit secunda persequutio.

Nerva Imperator, regnavit anno uno, mensibus quatuor.

Trajanus Imperator, regnavit annis novemdecim, mensibus quinque, diebus quindecim.

Hîc fuit tertia persequutio.

Adrianus Imperator, regnavit annis viginti, mensibus undecim.

Hîc fuit quarta persequutio.

Antoninus Pius Imperator cum filiis suis, regnavit annis vigintiduobus, mensibus tribus.

Marcus Verus Antoninus Imperator, cum fratre suo Aurelio Commodo, regnavit annis vigintinovem, mensibus quatuor.

Hîc fuit quinta persequutio.

Commodus Imperator, regnavit annis tredecim.

Ælius Pertinax Imperator, regnavit mensibus sex.

Severus Imperator, regnavit annis novemdecim.

Antoninus Caracalla Imperator, regnavit annis septem.

Alexander Imperator, regnavit annis duodecim.

Macrinus Imperator, regnavit anno uno.

Marcus Aurelius Imperator, regnavit annis quatuor.

Hîc fuit sexta persequutio.

Maximinus Imperator, regnavit annis tribus.

Gordianus Imperator, regnavit annis septem.

Philippus cum filio suo Philippo, Primus Chri-

PAPÆ.

A

Cornelius Papa, ſedit annis tribus, menſibus quobus, diebus quatuor.

Lucius Papa, ſedit annis tribus, menſibus atuor, diebus quinque.

Stephanus Papa, ſedit annis quatuor, menſibus ſex, diebus duobus.

Xyſtus Papa, ſedit annis duobus, menſibus ſex, diebus octo.

Dionyſius Papa, ſedit annis quinque, menſe uno, diebus quatuor.

Felix Papa, ſedit annis quatuor, menſibus quatuor, diebus quinque.

B

Eutychianus Papa, ſedit menſibus decem, die uno.

Gajus Papa, ſedit annis undecim, menſibus quatuor, diebus duodecim.

Marcellinus Papa, ſedit annis novem, menſibus quinque, diebus ſex.

Marcellus Papa, ſedit annis quinque, menſibus octo, diebus viginti & uno.

Euſebius Papa, ſedit annis duobus, menſibus duobus. Iſti omnes martyres fuerunt.

Miltiades Papa, ſedit annis tribus, menſibus ſeptem.

Sylveſter Papa, ſedit annis vigintitribus, menſibus decem.

C

Marcus Papa, ſedit annis duobus, menſibus octo, diebus viginti.

Julius Papa, ſedit annis undecim, menſibus duobus, diebus ſex.

Liberius Papa, ſedit annis ſex, menſibus tribus, diebus quatuor.

Felix Papa, ſedit anno uno, menſibus quatuor, diebus duobus. Liberius ab exilio reverſus. Nota, Felicem, qui in Catalogo Pontificum poſitus eſt, ab hæreticis fuiſſe Liberio ſubrogatum, vivente Liberio: ſed quare in Catalogo ſtet, interroga Romanos.

Damaſus Papa, ſedit annis quindecim menſibus quatuor, diebus duobus.

D

Syricius Papa, ſedit annis undecim, menſibus undecim.

Anaſtaſius Papa, ſedit annis tribus, menſibus decem, diebus duodecim.

Innocentius Papa, ſedit annis undecim, menſibus duobus, diebus viginti & uno.

Soſimus Papa, ſedit anno uno, diebus undecim.

Bonifacius Papa, ſedit annis tribus, menſibus octo, diebus ſeptem.

Cœleſtinus Papa, ſedit annis ſeptem, menſibus decem, diebus ſeptemdecim.

Xyſtus Papa, ſedit annis octo, menſe uno.

Leo Papa, ſedit annis viginti uno, menſe uno, diebus tredecim.

E

Hilarius Papa, ſedit annis ſeptem, menſibus tribus, diebus decem.

Simplicius Papa, ſedit annis ſex, menſe uno, diebus ſeptem.

Felix Papa, ſedit annis octo, menſibus ſex, diebus ſeptem.

Gelaſius Papa, ſedit annis quatuor, menſibus octo, diebus octodecim.

Symmachus Papa, ſedit annis novem, diebus ſeptemdecim.

Hormiſda Papa, ſedit annis duobus, menſibus novem, diebus ſeptemdecim.

Joannes Papa, ſedit annis duobus, menſibus novem, diebus ſedecim.

Fe-

IMPERATORES.

Chriſtianus Imperator, regnavit annis ſeptem.

Decius Imperator, regnavit anno uno.

Hîc fuit ſeptima perſequutio.

Gallus Imperator, cum filio ſuo Voluſiano, regnavit annis duobus.

Valerianus Imperator, cum filio ſuo, regnavit annis quindecim.

Hîc fuit octava perſequutio.

Claudius Imperator, regnavit anno uno.

Aurelianus Imperator, regnavit annis quinque, menſibus ſex.

Hîc fuit nona perſequutio.

Tacitus Imperator, regnavit menſibus ſex.

Probus Imperator, regnavit annis ſex, menſibus quatuor.

Carus Imperator, cum Carino & Numeriano filiis, regnaverunt annis tribus.

Diocletianus & Maximianus Imperatores, regnaverunt annis viginti.

Hîc fuit perſequutio Chriſtianorum decima.

Conſtantius, & Galerius, & Licinius Imperatores, regnaverunt annis duobus, menſibus ſex.

Conſtantinus Imperator, regnavit annis triginta, menſibus decem.

Conſtantinus cum Conſtantino, & Conſtante fratribus, Imperatores, regnaverunt annis trigintaquatuor, menſibus quinque, diebus vigintitribus.

Julianus Imperator, regnavit annis duobus, menſibus ſex.

Jovinianus Imperator, regnavit annis octo.

Valentinianus Imperator, regnavit annis undecim.

Valens Imperator, regnavit annis quatuor.

Gratianus cum fratre ſuo Imperatores, regnaverunt annis ſex.

Valentinianus Imperator, regnavit annis duodecim.

Theodoſius Imperator, regnavit annis vigintiſeptem: cum utriſque, & poſt utroſque filios.

Arcadius, & Honorius, Theodoſius cum Valentiniano, Imperatores, regnaverunt annis trigintaduobus.

Honorius & Arcadius Imperatores, regnaverunt annis vigintiquinque.

Valentinianus cum Martiano Imperatores, regnaverunt annis novem.

Marcianus Imperator, regnavit annis ſex, poſt Valentinianum.

Leo Imperator, regnavit annis ſeptem.

Zeno Imperator, regnavit annis ſeptemdecim.

Anaſtaſius Imperator, regnavit annis ſeptemdecim.

Juſtinus ſenior, Imperator, regnavit annis ſeptem.

Juſti-

A

PAPÆ.

Felix Papa, sedit annis quatuor, mensibus duobus, diebus tredecim.

Bonifacius Papa, sedit annis duobus, diebus vigintisex.

Joannes Papa, sedit annis duobus, mensibus quatuor, diebus sex.

Agapetus Papa, sedit annis undecim, mensibus decem, diebus undecim.

Silverius Papa, sedit anno uno, mensibus quinque, diebus undecim.

Vigilius Papa, sedit annis tredecim, mensibus sex, diebus viginti & uno.

Fabianus Papa, sedit anno uno, mensibus quinque, diebus tredecim.

B Pelagius Papa, sedit annis undecim, mensibus decem, diebus vigintiseptem.

Joannes Papa, sedit annis duodecim, mensibus undecim, diebus vigintisex.

Benedictus Papa, sedit annis quatuor, mensibus duobus.

Pelagius Papa, sedit annis decem, mensibus duobus, diebus decem.

Gregorius Papa, sedit annis tredecim, mensibus sex, diebus decem.

Sabinianus Papa, sedit anno uno, mensibus quinque, diebus vigintiocto.

Bonifacius Papa, sedit annis novem, diebus vigintiduobus.

C Deusdedit Papa, sedit annis tribus, mense uno.

Bonifacius Papa, sedit annis quinque, mensibus decem.

Honorius Papa, sedit annis quinque, mensibus decem.

Severinus Papa, sedit annis duobus, diebus quatuor.

Johannes Papa, sedit anno uno, mensibus octo, diebus novemdecim.

Theodorus Papa, sedit annis sex, mensibus quinque, diebus quatuordecim.

Martinus Papa, sedit annis sex, mensibus duobus, diebus vigintiseptem.

D Eugenius Papa, sedit annis duobus, mensibus novem, diebus vigintiquatuor.

Vitalianus Papa, sedit annis quatuordecim, mensibus sex.

Adeodatus Papa, sedit annis tribus, mensibus duobus, diebus quinque.

Donnus Papa, sedit anno uno, mensibus quinque, diebus decem.

Agatho Papa, sedit annis duobus, diebus quatuor.

Leo Secundus Papa, sedit annis decem, diebus tredecim.

Benedictus Papa, sedit mensibus decem, diebus duodecim.

Johannes Papa, sedit anno uno, diebus novem.

E Conon Papa, sedit mensibus undecim, diebus vigintiduobus.

Sergius Papa, sedit annis tredecim, mensibus novem.

Joannes Papa Sextus, sedit annis tribus, mensibus duobus, diebus sexdecim.

Joannes Septimus Papa, sedit annis duobus, mensibus septem.

Sisinnius Papa, sedit diebus triginta.

Constantinus Papa, sedit annis septem, diebus viginti.

Gregorius Papa, sedit annis quindecim, mensibus vigintiduobus.

Gre-

IMPERATORES.

Justinianus Imperator regnavit annis trigintaquatuor.

Justinus minor, Imperator, regnavit annis septem.

Tiberius Imperator, regnavit annis sex.

Mauricius Imperator, regnavit annis triginta & uno.

Phocas Imperator, regnavit annis octo.

Heraclius Imperator, regnavit annis trigintasex, cum Constantino filio suo.

Constantinus filius Heraclii.

Constantinus junior.

Justinianus junior.
Leo.
Tiberius.

Justinianus Imperator.
Philippus Imperator.
Anastasius Imperator.

Theo-

PAPÆ.

Gregorius Papa, sedit annis decem, mensibus novem, diebus vigintiquatuor.
Zacharias Papa, sedit annis decem, mensibus octo.
Stephanus Papa, sedit annis quinque, mensibus tribus.
Paulus Papa, sedit annis decem, mense uno.
Constantinus Papa, sedit anno uno, & diebus tribus.
Stephanus Papa, sedit annis tribus, & mensibus sex.
Adrianus Papa, sedit annis vigintiquatuor, mensibus decem, diebus tredecim.
Leo Tertius Papa, sedit annis viginti, mensibus sex.
Stephanus Papa, sedit mensibus septem.
Paschalis Papa, sedit annis octo.
Eugenius Papa, sedit annis sex.
Valentinus Papa, sedit mense uno, & diebus undecim.
Gregorius Quartus Papa, sedit annis tredecim.
Sergius Secundus Papa, sedit annis tribus. Iste Papa fuit primus qui nomen suum mutavit; & sequentes omnes idem fecerunt.
Leo Quartus Papa, sedit annis octo, mensibus quinque.
Papissa Johanna non numeratur.
Benedictus Papa, sedit annis duobus.
Paulus Papa, sedit annis decem.
Nicolaus Papa, sedit annis decem, mense uno.
Adrianus Papa, sedit annis quatuor, mensibus undecim.
Johannes Papa, sedit annis decem, mense uno.
Martinus Papa, sedit anno uno.
Adrianus Papa, sedit anno uno, mensibus tribus.
Stephanus Papa, sedit annis sex.
Formosus Papa, sedit annis quatuor, mensibus septem.
Bonifacius Papa, sedit annis duodecim.
Stephanus Papa, sedit anno uno, mense uno, diebus quindecim.
Romanus Papa, sedit annis quatuor.
Theodorus Papa, sedit anno uno.
Johannes Papa, sedit anno uno.
Benedictus Papa, sedit annis quatuor, mensibus sex.
Leo Quintus Papa, sedit mensibus duobus.
Christophorus Papa, sedit mensibus sex.
Sergius Papa, sedit annis sex, mensibus quatuor.
Anastasius Papa, sedit annis duobus, mense uno.
Lando Papa, sedit mensibus quinque.
Joannes Papa, sedit annis quatuor, mensibus duobus.
Leo Sextus Papa, sedit annis septem, diebus quindecim.
Stephanus Papa, sedit annis duobus, mense uno.
Johannes Papa sedit annis tribus, mensibus decem.
Leo Septimus Papa, sedit annis tribus, mensibus sex.
Stephanus Papa, sedit annis tribus, mensibus quatuor.
Marinus Papa, sedit annis tribus, mensibus sex.

Aga-

A

B

C

D

E

IMPERATORES.

Theodosius Imperator.
Leo, Constantini filius.
Constantinus, cum filio Leone.
Pipinus jam Francorum Rex, & patricius Romanorum.
Leo post mortem patris sui Imperator.
Carolus Magnus jam Rex Francorum, & patricius Romanorum.

Constantinus cum matre Irene, Imperatrice post filium suum.

Nunc Imperium transfertur ad Francos.

Carolus ille Imperator Francorum.
Ludovicus, cum Lothario filio.

Lotharius Imperator, post Patrem suum.

Item Lotharius Imperator, cum filio suo Ludovico.

Ludovicus Secundus Imperator, post Patrem suum.

Carolus Secundus Imperator.

Carolus Tertius, Imperator.

Arnolphus, secundùm quosdam.

Secundùm Romanos, isti in Italia Imperatores sunt.

Ludovicus Imperator in Italia.

Berengarius in Italia Imperator.

Hugo Imperator in Italia.

Guido Imperator in Italia, & filius ejus Lambertus.

Berengarius in Italia imperat.

Lotharius in Italia.

Berengarius in Italia cum filio suo Alberto.

Nunc

A PAPÆ.

Agapetus Papa, sedit annis novem, & mensibus octo.

Johannes Papa, sedit annis quatuor, & mensibus tribus.

Benedictus Papa, sedit anno uno, mensibus quinque.

Leo Octavus Papa, sedit annis duobus, mensibus tribus.

Johannes Papa, sedit annis quinque, mensibus undecim.

Benedictus Papa, sedit anno uno, mensibus quinque.

Donnus Papa, sedit anno uno, mensibus
B sex.

Bonifacius Papa, sedit mense uno.

Benedictus Papa, sedit annis novem.

Johannes Papa, sedit mensibus octo.

Johannes Papa, sedit mensibus quatuor.

Johannes Papa, sedit annis decem, mensibus sex.

Gregorius Papa, sedit anno uno, mensibus sex.

Johannes Papa, sedit mensibus decem.

Silvester Papa, sedit annis quatuor & mensibus quinque.

Johannes Papa, sedit mensibus quinque.

Johannes Papa, sedit annis tribus.

Sergius Papa, sedit annis tribus.

C Benedictus Papa, sedit annis undecim, mensibus undecim.

Johannes Papa, sedit annis novem, mensibus sex.

Benedictus Papa, sedit annis quatuordecim.

Silvester Papa, sedit mensibus duobus.

Gregorius Papa, sedit annis duobus, mensibus duobus.

Clemens Papa, sedit mensibus novem.

Damasus Papa Theutonicus, sedit mense uno.

Leo Papa Theutonicus, sedit annis quinque, mensibus quinque.

Victor Papa Theutonicus, sedit annis duobus, mensibus quatuor.

D Stephanus Papa Theutonicus, sedit mensibus octo.

Benedictus Papa, sedit annis decem.

Nicolaus Papa, sedit annis tribus, mensibus sex, diebus vigintiquinque.

Alexander Papa, sedit annis novem, mensibus sex.

Gregorius Papa Septimus, sedit annis quindecim, mense uno, & diebus octo.

Victor Papa, sedit mensibus quatuor, diebus septem.

Urbanus Papa, sedit annis undecim, mensibus sex, diebus octodecim.

Paschalis Papa, sedit annis novemdecim.

Gelasius Papa, sedit anno uno, diebus sex.

E Callistus Papa, sedit annis quinque, mensibus decem, diebus tredecim.

Honorius Papa, sedit annis quinque, mensibus sex, diebus vigintinovem.

Innocentius Papa, sedit annis tredecim, mensibus sex, diebus quatuordecim.

Cœlestinus Papa, sedit mensibus quinque, diebus undecim.

Lucius Papa, sedit mensibus undecim.

Eugenius Papa, sedit annis octo, mensibus quinque, diebus decem.

Anastasius Papa, sedit anno uno, diebus quinque,

Adria-

IMPERATORES.

Nunc imperant Theutonici.

Otho Primus, Imperator Theutonicus.

Otho Secundus, Imperator Theutonicus.

Otho Tertius, Imperator Theutonicus.

Henricus Primus, Imperator.

Conradus Primus, Imperator.

Nota, quòd ante istum Henricum Imperatorem fuit alter Henricus Rex, Saxo; qui dicitur Primus Henricus Rex, sed non Imperator.

Similiter fuit alter Rex Conradus Primus; sed non Imperator.

Isti verò sunt, Primus Henricus, & Primus Conradus Imperator Theutonicus. Henricus Tertius in Regno; sed in Imperio est Henricus Secundus, ratione Henricorum.

Henricus Imperator Tertius: sed in Regno Quartus Henricus est, ratione Henricorum.

Henricus Imperator Quartus: sed ratione Henricorum est Quintus. Iste Henricus cepit Papam Paschalem: & iste refutavit Ecclesiæ annulum, & baculum Episcoporum.

Lotharius Secundus.

Conradus Tertius.

Fridericus Primus.

Hen-

PAPÆ.

Adrianus Papa, sedit annis quatuor, mensibus novem.

Alexander Papa, sedit annis vigintiduobus.

Lucius Papa Tertius, sedit annis tribus.

Urbanus Papa Tertius, sedet nunc.

A

IMPERATORES.

Henricus Sextus, cum Patre suo Friderico, regnat.

FINIS CATALOGI PONTIFICUM, ET IMPERATORUM ROMANORUM.

CATALOGUS REGUM ITALICORUM.

A ITalus, primus Rex Italiæ, regnavit annis quadraginta & uno.

Janus Rex Italiæ, regnavit annis viginti septem.

Saturnus Rex Italiæ, regnavit annis triginta quatuor.

Picus Rex Italiæ, regnavit annis triginta & uno.

Faunus Rex in Laurento, ideſt, in Sabinia Provincia, regnavit annis vigintinovem.

Latinus Rex in Latio, regnavit annis trigintaduobus.

Æneas Rex Italiæ, regnavit annis trigintasex.

Aſcanius Rex Italiæ, regnavit annis trigin-

B taſex.

Poſthumus Silvius, filius Laviniæ, regnavit annis trigintanovem.

Æneas Silvius, regnavit annis vigintiduobus.

Latinus Silvius, regnavit annis quinquaginta.

Alba Silvius, regnavit annis trigintaquatuor.

Capetus Silvius, regnavit annis trigintaquatuor.

Capys Silvius, regnavit annis vigintiſeptem.

Calpetus Silvius, regnavit annis tredecim.

Tiberinus Silvius, regnavit annis octo.

Agrippa Silvius, regnavit annis quadragin-

C ta & uno.

Alladius Silvius, regnavit annis vigintiquatuor.

Aventinus Silvius, regnavit annis trigintaſex.

Procas Silvius, regnavit annis vigintitribus.

Amulius Silvius Rex in Latio ultimus, expulſo fratre ſuo Numitore, in Alba regnavit annis quatuor & quadraginta.

Deinde urbe Roma tempore Numitoris condita, Remus & Romulus Romæ regnaverunt: quorum mater fuit Rhea Silvia: virgo Veſtalis, quam alii dicunt Æliam.

Romanorum tempora.

D ROma condita eſt anno ab Adam ter milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quarto: anno autem ab Imperio Nini milleſimo trecenteſimo: anno verò poſt everſionem Trojæ quadringenteſimo decimoquarto; Olympiade tertia; regnante etiam tunc Oſee in Iſraël.

Poſt Romulum autem regnavit Romæ Numa Pompilius, annis quadraginta.

Tullus Hoſtilius, regnavit annis trigintaduobus.

Ancus Martius, regnavit annis vigintiquatuor.

Tarquinius Priſcus, regnavit annis trigintaſeptem.

Servius Tullius, regnavit annis quadragin-

E taquatuor.

Tarquinius Superbus, regnavit annis vigintiquinque.

Ejecto Tarquinio Superbo regnaverunt
Conſules,
Senatores,
Dictatores,
Tribuni,
Magiſtri militum,
Per annos quadringentos ſexagintaquatuor.

Poſtea à Julio Cæſare, qui his ſucceſſit, fuerunt Imperatores, & Romani Pontifices: quemadmodum antea deſcripſimus.

Jam de Regno Aſſyriorum dicturi ſumus, quod cœpit anno decimoquinto Saruch, proavi Abrahæ. Duravit autem uſque ad annum quintum Oziæ Regis Judæorum. Illud Regnum habuit triginta & octo Reges, quorum nomina ordine ſequuntur. Duravit autem illorum Regnum in ſuo ſtatu, annis mille trecentis & duobus.

Catalogus Regum Aſſyriorum.

HI ſunt Reges Aſſyriorum.

Rex Babyloniæ Nembrot, gigas decem cubitorum.

Rex Belus Aſſyriorum.

Rex Ninus Aſſyriorum.

Regina Aſſyriorum Semiramis, uxor Nini poſt eum.

Rex Aſſyriorum Zameis, qui & Ninias, filius Nini & Semiramidis.

Rex Arius Aſſyriorum.

Rex Aralius Aſſyriorum.

Rex Baleus Xerſes Aſſyriorum.

Rex Armamitres Aſſyriorum.

Rex Belochus Aſſyriorum.

Rex Baleus junior Aſſyriorum.

Rex Altadas Aſſyriorum.

Rex Mamitus Aſſyriorum.

Rex Mancaleus Aſſyriorum.

Rex Spherus Aſſyriorum.

Rex Mancaleus alter Aſſyriorum.

Rex Sparetus Aſſyriorum.

Rex Aſcatades Aſſyriorum.

Rex Amyntas Aſſyriorum.

Rex Belochus junior Aſſyriorum.

Rex Belopares Aſſyriorum.

Rex Lamprides Aſſyriorum.

Rex Soſares Aſſyriorum.

Rex Lampares Aſſyriorum.

Rex Pannias Aſſyriorum.

Rex Soſarmus Aſſyriorum.

Rex Mitreus Aſſyriorum.

Rex Tautanius Aſſyriorum.

Rex Teuteus Aſſyriorum.

Rex Tyneus Aſſyriorum.

Rex Dercillus Aſſyriorum.

Rex Eupales Aſſyriorum.

Rex Laoſthenes Aſſyriorum.

Rex Pyridiades Aſſyriorum.

Rex Ophrateus Aſſyriorum.

Rex Ophraganeus Aſſyriorum.

Rex Aſtraſapes Aſſyriorum.

Rex Tonos Concoleros, qui & Sardanapalus vulgariter nuncupatur.

Sub iſto Sardanapalo periit Regnum Aſſyrio-

riorum: & Medi subjugaverunt illud; anno ab Imperio Nini millesimo ducentesimo vigesimosexto: à Regno verò patris sui Beli, millesimo trecentesimo quinto: ab initio autem Babyloniæ, vel instauratione sub Regina Semiramide; millesimo centesimo sexagesimoquarto. Tunc prædictus Sardanapalus novissimus & vilissimus Rex Assyriorum, primam culcitram seu prima pulvinaria adinvênit, & suis manibus fecit, ob quam causam Principes ejus verecundia moti, voluerunt interficere eum; ille autem dixit eis: Non habebitis de me triumphum: & hoc dicto, projecit in ignem semetipsum, in quo extinctus est.

Catalogus Regum Medorum.

Ista sunt nomina Regum Medorum, postquam subjugaverunt sibi Regnum Assyriorum.

Primus Rex Medorum Arsaces, regnavit annis vigintiocto. Cui postea successit

Rex Medorum Sosarmus: cujus Regni anno decimoquinto, Olympias primùm apud Ælidem urbem Græciæ cœpit nominari. Sosarmo Regi successit

Rex Medidus. Post quem fuit

Rex Medorum Cardiceas, cui deinde successit

Rex Medorum Dejoces. Et post eum regnavit

Rex Medorum Phraortes, qui regnavit annis duobus & viginti. Cui successit

Rex Medorum Cyaxares. Et post eum vênit

Rex Astyages.

Istius Astyagis nepos ex filia, Cyrus, Rex Persarum, bello eundem avum suum Astyagem devicit, & Regnum Medorum subjugavit; avum suum Regem Astyagem Hyrcanis præfecit: & ipse Regnum Medorum sub Regno Persarum constituit. Duraverat autem Imperium Medorum ducentis quinquagintaseptem annis.

Catalogus Regum Persarum.

Isti sunt Reges Persarum.

Rex Persarum Cyrus. Cui successit

Rex Persarum Cambyses, quadrinominis; qui & Xerxes secundùm Esdram; qui & Nabuchodonosor secundùm historiam Judith; qui & Assuerus secundùm historiam libri Hester. Post istum Cambysem successit

Rex Persarum Darius, filius Hystaspis, qui Templum Domini restauravit. Dario successit filius ejus

Rex Persarum Xerses. Cui successit alius

Rex Persarum Artaxerxes, post quem vênit

Rex Persarum Darius nothus. Deinde

Rex Persarum Magnus Artaxerxes. Cui successit

Rex Persarum Darius Ochus. Dario isti successit

Rex Persarum Arsames, qui & Arses. Cui successit

Rex ultimus Persarum, Darius Codomanus

Hunc Darium devicit Alexander Macedo: & subjugavit Persas & totum Orientem

Mortuo Alexandro Magno, Principes ejus sic inter se diviserunt Imperium: Ptolomæus accepit Ægyptum: Antipater Græciam: Seleucus, à quo dicitur Seleucia, accepit Syriam & Babyloniam: Cassander accepit Lyciam & Pamphiliam: Antigonus majorem Phrygiam: quorum unusquisque diadema sibi imposuit:

Catalogus Regum Hebræorum.

Saul.
David.
Salomon Rex totius Israël.
Roboam in Juda.
Hieroboam in Israël.
Baasa in Israël.
Abiam in Hierusalem.
Rex Asa in Hierusalem.
Rex Josaphat in Hierusalem.
Rex Samariæ, Hela.
Rex Zambri in Samaria.
Rex Amri etiam in Samaria.
Rex Achab in Samaria.
Rex Ochozias in Samaria.
Rex Josaphat in Juda.
Rex Joram in Juda.
Rex Azachias in Juda.
Rex Joachim in Juda.
Rex Achas in Juda.
Rex Ezechias in Juda.
Jehu Rex Samariæ.
Rex Joas in Samaria.
Rex Hieroboam in Samaria.
Rex Zacharias in Samaria.
Rex Sellum in Samaria.
Rex Manacho in Samaria.
Rex Phaceja in Samaria.
Rex Osee in Samaria.

Regnante eodem Osee, Salmanassar Rex Assyriorum cepit eundem Oseam, & captivum deduxit cum omni populo Samariæ, & posuit eos super fluvium suum Mosim, in terra Medorum.

Rex Ezechias tunc erat in Hierusalem.
Rex Manasses in Hierusalem.
Rex Amon in Hierusalem.
Rex Josias in Hierusalem.
Rex Joas in Hierusalem.
Rex Joachim in Hierusalem.

Istum captivum duxit Nabuchodonosor, cum omni populo Judæorum in transmigratione Babylonis.

Ab hoc loco in antea deficiunt omnes Reges Hebræorum, tam in Hierusalem quàm in Samaria: quia in captivitate sunt.

Post quadringentos autem annos iterum Reges habuerunt in Hierusalem, post tempora Machabæorum.

Regem scilicet Joannem Hyrcanum.
Regem Aristobolum.
Regem Alexandrum.
Regem iterum Aristobolum.
Regem Hyrcanum iterum.
Regem Herodem alienigenam, filium Antipatris viri pagani, ex matre Judæa. Cujus tempore natus est Christus Rex Regum.

Catalogus Regum Trojanorum.

Jupiter Rex, & filii ejus.
Dardanus Rex Primus in Troja.
Trojus, Rex Secundus in Troja.
Laomedon Rex Trojæ.
Priamus Rex Trojæ.
Anchises Rex Trojæ.
Hector Rex Trojæ.

Paris Rex Trojæ. A
Priamus junior Rex Trojæ.
Antenor Rex Trojæ.
Æneas Rex, è Troja.

Catalogus Regum Græcorum.

Rex Jupiter Athenis.
Rex Danaus filius ejus.
Rex Pelops in Græcia.
Rex Atreus in Græcia.
Rex Menelaus in Græcia.
Rex Agamemnon in Græcia.
Rex Philippus, pater Alexandri Magni.
Rex Alexander Magnus.
Tunc subdivisum est ipsum Regnum inter B duodecim Principes Alexandri, usque ad tempora Romanorum, qui omnia Regna obtinuerunt.

Catalogus Regum Sicyoniorum.

Sicyonia, est Regio, quæ priùs vocata est Api: postea verò mutato nomine, vocata est Peloponnesa.

Regnum Sicyoniorum cœpit anno vigesimoquarto Nachor avi Abraham, perduravit usque ad annum Heli Sacerdotis Domini in Silo. Duravit autem hoc Regnum per annos noningentos sexagintaduos. Et habuit hos Reges vigintisex. C

		regnavit annis
1	Ægialeus,	52
2	Europs.	45
3	Selchin.	20
4	Apis.	25
5	Thelasion.	52
6	Ægidius.	34
7	Thurimachus.	45
8	Leucippus.	53
9	Messapius.	47
10	Heratus.	46
11	Plemnæus.	48
12	Orthopolis.	63
13	Marathius.	30
14	Marathus.	20
15	Erichthreus.	55
16	Choar.	30
17	Epopeus.	35
18	Laomedon.	40
19	Sicyon.	45
20	Polybus.	40
21	Inachus.	42
22	Phæstus.	8
23	Adrastus.	4
24	Polyphides.	31
25	Pelasgus.	20
26	Zeusippus.	32

Catalogus Regum Ægyptiorum.

Regnum Ægyptiorum, sub Belo patre Nini E cœptum, sub Nino etiam fuit, & sub uxore sua Semiramide: quibus mortuis, remansit inter Principes Ægypti: qui per electionem statuêre sibi Regem, sub nomine isto Dynastiæ. Cujus etiam successores, singuli vocati sunt similiter, Dynastiones. Regnum Ægypti ante tempora Abrahæ habuit quindecim Dynastiones, idest, Reges Ægyptiorum.

In nativitate autem Abrahæ, jam erant Dynastiæ septemdecim. Ex tunc Reges Ægypti cœperunt vocari Thebæi. Rursus postea mutato nomine, Reges illi vocabantur Pastores.

In vigesima autem Dynastia, cœperunt vocari Pharaones. Alio quoque nomine vocati sunt Diapolitæ.

Pharaones autem per diversa tempora eorum, fuerunt septemdecim usque ad Cambysem filium Cyri, Regis Persarum, qui primus subjugavit Ægyptum. Notandum autem, quòd ab illo tempore, quo Joseph descendit in Ægyptum, usque ad nativitatem Mosis, Reges (idest Pharaones) quinque in Ægypto fuerunt, quorum nomina sunt hæc.

Rex Amois, regnavit annis quindecim.

Rex Nembrot, qui regnavit annis tredecim.

Rex Amenophis, regnavit annis viginti & uno.

Rex Memphres, regnavit annis vigintiduobus.

Rex Mesphat, regnavit annis vigintisex.

Sub quo Rege, Aram filius Levi, anno ætatis suæ sexagesimoquinto, genuit Mosen. Quem filia Pharaonis nomine Termut, collectum de flumine educavit. Qui etiam Israël de Ægypto eduxit.

Catalogus Regum Ægypti & Antiochiæ post mortem Alexandri Magni.

Post mortem igitur Alexandri, successit in Ægypto primus Ptolemæus, cognominatus Soter. Qui regnavit in Ægypto annis novemdecim. Secundus Rex Ptolemæus Ægypti, vocatus est Philadelphus. Tertius Ptolemæus, vocatus est Evergetes. Quartus Ptolemæus, vocatus est Philopator. Adversùs istum Philopatorem surrexit Antiochus Magnus, qui & occîdit eum, subjugavitque Ægyptum, & Judæam, & Persidem: & regnavit annis trigintasex. Iste habuit duos filios, Seleucum & Soter. Seleuco illo qui erat major natu, Romæ existente in obsidatu, frater ejus Seleucus minor natu, successit Patri in Imperio Antiochiæ, & est cognominatus Epiphanes. Iste Epiphanes filium fratris sui Demetrium ejecit è Regno. Iste Epiphanes usque adeò oppressit Judæos, ut in Templo Domini idola ponerent, & ea adorarent. Tunc surrexit Matathias pater Machabæorum contra Antiochum, & post eum Judas Machabæus Antiochus Epiphanes regnavit annis duodecim: cui successit filius ejus Eupator, & regnavit annis duodecim. Huic successit in Antiochia Demetrius Rex, filius Soter. Sub istius Demetrii Imperio occisus est Judas Machabæus. Hunc Demetrium occîdit Alexander. Cujus patrem præfatum Eupatorem ipse occiderat, & ipse regnat pro eo. Istum Alexandrum postea occîdit Demetrius Creticus, filius prædicti Demetrii, & regnat pro eo. Postea filius istius Alexandri vocatus Antiochus Magnus, receptus est in Regnum Antiochiæ, & fugavit inde Demetrium. Tryphon autem Princeps Antiochi pueri, occîdit ipsum puerum Dominum suum, unde & ipse regnavit pro eo, quum adhuc Demetrius quem ille puer ejecerat, captus apud Artaxem Regem Arabum teneretur. Tryphone autem in prœlio armis attrito, surgit Demetrius, filius Demetrii captivi, & receptus in Regnum Antiochiæ, imperat. Tryphon verò * isto Demetrio, Johannes Hyrcanus de progenie Machabæorum, erat Summus Sacerdos. Cujus filius Aristobulus, primus Rex Judæorum post captivitatem Babyloniæ est constitutus.

tus. Cui successit Alexander filius ejus Rex Judæorum. Alexandro autem successit filius Aristobolus.

Et ipse regnavit pro eo, quum adhuc Rex Demetrius expulsus, apud Arabes captus detineretur. Tryphone autem à Machabæis in prœlio nimis confecto, Demetrius filius Demetrii captivi recipitur in Regnum. Tryphon verò fuga lapsus, abiit in Persidem.

Eo tempore Aristobulus ex genere Machabæorum, factus est Rex Judæorum primus, scilicet post transmigrationem Babyloniæ quadringentis quadragintaseptem annis.

Aristobulo succedit alter Aristobulus, quem occîdit Consul Pompejus, & fecit Antipatrem Procuratorem Judææ.

Cui succedit Herodes filius ejus in Regnum.

Eo tempore natus est Christus Dominus: & subactum est Regnum Judæorum; Antiochia jamdudum à Romanis subjugata.

Catalogus Regum Argivorum.

Regnum Argivorum incœptum est eo anno, quo natus est Jacob & Esau filii Isaac, sub primo Rege eorum Inacho. Duravit autem usque ad annum decimumquintum illius mulieris Prophetæ, quæ vocabatur Debora, in Israël. Permansit etiam Regnum Argivorum in suo statu, per annos ducentos sexagintaquatuor. Dissipatum verò est, atque destructum sub Græcorum Rege Danao, à quo omnes Græci, usque hodie, Danai sunt vocati.

Eodem tempore Rex Phoronæus, filius Inachi, primi Regis Atheniensium & uxor ejus Niobe, primas Leges Græcis dederunt apud Athenas, & primi statuerunt causas sub Judice agitari; & locum judicii appellaverunt forum.

Catalogus Regum Babyloniorum.

Regnum Babyloniæ computatum est sub Regno Ægyptiorum, vel Assyriorum. Verumtamen sub temporibus Nabuchodonosor, qui non fuit de genere Regum Babyloniorum vel Assyriorum, sed fuit quasi extraordinarius, ut puta spurius, ex incerto coitu procreatus; cœpit Babyloniæ Imperium præeminere usque ad tempora Cyri Regis Persarum & Medorum; qui Babyloniam subjugavit, & Imperio Persarum adjunxit. Ponemus ergo Catalogum Regum Babyloniorum ab ipso Nabuchodonosor, usque Cyrum.

Rex Nabuchodonosor, qui Hierusalem destruxit, & Judæos omnes captivavit.

Rex Nabuchodonosor filius primi.

Rex Evilmerodach etiam filius illius.

Rex Regusar, filius Evilmerodach.

Rex Labosar, etiam filius Evilmerodach.

Rex Baltasar, etiam filius Evilmerodach.

Iste Baltasar vidit manum scribentem in pariete. Quam visionem Daniel interpretatus est; dicens, quia divideretur Regnum ejus, & ipse Rex gladio periret. Quo dicto, sequenti nocte vênit Darius Rex Medorum; & Cyrus nepos ejus ex filia, Rex scilicet Persarum, & occiderunt Regem Baltasar, & totum Regnum Babyloniæ obtinuerunt.

A

Catalogus Regum Francorum.

Regum Francorum genealogiam nobilissimam, multis tamen authoribus ignotam, per Catalogum disponemus, incipientes ab Adam usque ad Noë; & à Noë usque ad primum Regem Babyloniæ Nembrot; & ab illo de Rege ad Regem, usque ad Reges Trojanos; & inde usque ad Carolum Magnum: & ab illo usque ad Fridericum Imperatorem, & filium ejus Regem Henricum. Igitur ab Adam ordiamur.

B

Adam, Seth, Enos, Cainan, Malalehel, Jareth, Enoch, Matusalem, Lamech, Noë, Sem filius Noë, Arphaxad filius Sem. Arphaxad genuit Salem, Salem genuit Heber, Heber genuit Phalec, & Irari patrem primi Regis Nembrot, in divisione linguarum. Nembrot, primus Rex hujus Mundi in Babyloni, genuit octo filios; quorum primus fuit Cres, à quo Creta Insula nomen accepit. Cres primus Rex Cretensium, genuit Cælium.

Cælius genuit Saturnum.

Rex Saturnus genuit Jovem.

Rex Jupiter genuit Dardanum & Trojum.

Rex Trojus ædificavit Trojam nomine suo, & genuit Laomedonta.

Rex Laomedon genuit Priamum & Anchisen.

C

Rex Anchises genuit Æneam, à quo omnis nobilitas Regum Albanorum & Romanorum descendit.

Rex Priamus major, habuit ex sorore sua nepotem Priamum juniorem; qui Priamus, & Antenor cum eo, post Trojæ destructionem, transierunt navigio per mare Illyricum, cum tredecim millibus armatorum per Venetias, ibique civitatem Paduam ædificaverunt: in qua etiam Antenor habet honorabilem sepulturam. Inde transierunt in Mæotidas paludes: ibi ædificaverunt urbem Sicambriam, à qua ipsi vocati sunt Sicambri. Deinde processu temporum, obtinuerunt Germaniam, à qua vocati sunt Germani. Postmodum quoque ab Imperatore Valentiniano vocati sunt Franci, idest feroces. In Germania igitur regnantes, primum Regem suum habuerunt filium Priami supra memorati, nomine Priamum, quem Imperio Romano rebellem, Romani in prœlio occiderunt. Tunc remansit filius Priami, quem vocabant Marcomirum, cujus filium Pharamundum Germani sibi Regem creaverunt. Leges etiam tunc, per suos authores Guisogastaldum, & Salagastum compositas, habere cœperunt. Ab illo autem Salagasto, Lex Salica nomen accepit. Qua Lege Salica usque hodie usi sunt Franci. Unde & ipsi Franci Salici nuncupantur.

D

E

Mortuo autem Rege Pharamundo, succedit Rex. Crinitus filius ejus: à quo reliqui Francorum Reges omnes, Criniti sunt appellati.

His temporibus Franci accrescere; Romani verò minui cœperunt. Gentes enim quæ fuerant Romanis subjectæ, per seipsas regnare cœperunt. Romani econtra, gentibus servire cogebantur.

Gothi enim, cùm ipsam Urbem jam essent depopulati, ultra Ligerim fluvium in Gallia consederunt. Burgundiones tunc Regem habere cœperunt. Franci etiam, Romanos, qui tunc circa fluvium Rhenum habitabant, fugave-

verunt. Defuncto Rege Crinito, successit Rex Gildibertus, qui ex Regina nomine Bissina genuit Clodovæum.

Rex autem Clodovæus genuit Mirovæum.

Rex Mirovæus genuit alium Mirovæum, à quo Reges reliqui omnes, Mirovæi sunt appellati in Francia.

Rex Ildricus filius Mirovæi, genuit alium Clodovæum.

Rex iste Clodovæus, fuit primus Christianus Rex Francorum; quem Sanctus Remigius baptizavit.

Iste Clodovæus, Alemannos subjugavit: Gothos, idest, Vascones, devicit.

Anno ab Incarnatione Domini septingentesimo quinquagesimoprimo, Reges Francorum solo nomine regnabant. Erat autem apud eos Princeps de cognatione eorum, qui vocabatur ex officio suo Major-domus: totum enim illud Regnum regebat. Quorum primus dicitur fuisse Arnuldus, qui postea fuit Episcopus Metensis.

Cujus filius Ansgisus, post eum fuit Major-domus. Post quem fuit filius ejus Pipinus, Major-domus, qui cognominabatur Grossus, cujus filius fuit avus Caroli Magni, Carolus Martellus. De quo natus est Pipinus Nanus, Dux etiam Francorum & Rex, & Major-domus. De quo natus est Carolus Magnus, primus Francorum Imperator.

Ex tunc fuerunt in Francia Imperatores, usque hodie. Quorum

Carolus Magnus, primus Imperator fuit.
Ludovicus Secundus, Francorum Imperator.
Lotharius Primus.
Lotharius Secundus.
Carolus Secundus.
Carolus Tertius.
Arnulphus.
Cendebuldus.
Ludovicus puer.
Conradus Primus.
Henricus Primus.
Otho Primus.
Otho Secundus.
Otho Tertius.
Henricus Secundus.
Conradus Secundus.
Henricus Tertius.
Henricus Quartus.
Henricus Quintus.
Lotharius Saxo.
Conradus Tertius.
Fridericus Primus.
Henricus Sextus, filius Friderici.

Ecce habes Lector, ab Adam usque ad Fridericum & filium ejus Henricum, plenam genealogiam & plenum Catalogum Regum, sive Imperatorum Francorum. Deo gratias.

Catalogus Regum Gothorum.

Gothorum gens est diversa. Sunt enim Wisogothi, quos nos vocamus Wascones circa Provinciam Cataluniam & Aragonam. Sunt etiam Austrogothi, in plaga Australi. Quorum omnium una est origo: sed propter diversa climata, eorum nomina seu cognomina sunt diversa. Quorum Reges fuerunt isti:

Rex Theodericus primus.
Rex Theodericus Secundus.
Rex Theobaldus.
Rex Alaricus.
Rex Dalaricus.
Rex Witigous.
Rex Vigivus.
Rex Sigismundus.
Et alii quidam.

Catalogus Regum Lombardorum.

Lombardi olim in patria sua, à qua priùs venerunt, vocati sunt Vinuli, in plaga Australi in provincia Scatinavia. Unde venientes, in principio duos duces habuerunt, Ivor, & Agion, & matrem eorum Gamaram. Quibus mortuis, creant sibi Lombardi Regem Agilmundum, filium Agionis, qui regnat annis trigintatribus. Quo defuncto, creant sibi Regem Lamisonem. Quo defuncto, Lecha Rex regnat pro eo. Qui cùm quadraginta annorum (*spatio*) regnasset, successit ei filius Gildeoc.

Quo defuncto succedit Rex Classo, filius ejus. Quo defuncto, succedit filius ejus Guado. Quo defuncto, succedit filius ejus Gualtaris, octavus in Regno Lombardorum.

Rex Gualtaris cùm septem annis regnasset, obiit. Cui successit Aldoinus, nonus Rex Lombardorum. Iste Aldoinus, primus perduxit Lombardos in Pannoniam. Eo tempore Justinianus Imperator, legum multiplicitatem abbreviavit. His diebus Sanctus Benedictus Abbas erat in Sublacu. Mortuo igitur Rege Alduino, filius ejus Alboinus succedit, decimus Regum Lombardorum. Iste interfecit Cunimundum Regem Gepidorum, & filiam ejus Rosimundam accepit uxorem: & de capite ipsius Regis Cunimundi, fecit sibi scyphum ad bibendum parari. In quo etiam fecit ut filia propinaret, dicens ei: Bibe cum patre tuo. Illa autem ultra injuriam suam & patris, fecit eum occidi: sicut in libri hujus corpore continetur.

Igitur cùm ubique Lombardorum victoriæ personarent, Rege Alboino adhuc in Pannonia manente, Narsis Præfectus Italiæ, & Carthularius Imperialis, vocat ipsum Alboinum cum omnibus Lombardis in Italiam. Ubi mortuo Alboino, succedit Luprandus. Quo mortuo succedit Agistulphus. Quo mortuo succedit Desiderius.

Desiderium illum cepit, & in exilium deportavit Carolus Magnus Imperator. Extunc Imperatores & Reges Francorum tenuerunt Lombardiam sibi subjugatam, usque ad tempora Friderici Imperatoris, & filii ejus Regis Henrici Sexti.

Quorum temporibus, ego Gotfridus, istiusmodi librum composui & conscripsi, ad honorem Dei, & Ecclesiæ atque Imperii, & ad omnium lectorum perpetuam utilitatem. Precor igitur omnes hujus libri lectores, ut amore Dei & summæ charitatis intuitu, benedicant animæ meæ & parentum meorum; Amen.

FINIS CATALOGORUM OMNIUM REGUM.

CATA-

CATALOGUS PAPARUM ET IMPERATORUM SYNCHRONUS.

Dominus Jesus Christus, primus & Summus Pontifex, sedit in hoc Mundo, annis trigintaduobus, & mensibus tribus, ante Ascensionem suam.

Petrus Apostolus in partibus Orientis prædicando, sedit annis quatuor. In Episcopatu verò Antiochiæ, sedit annis octo. Romæ autem in Papatu, sedit annis vigintiquinque, mensibus duobus, diebus quatuor.

Distinctio temporum.

Octavianus Imperator Augustus fuit tempore Petri Apostoli, & imperat annis quinquaginta sex.

Tiberius privignus Octaviani fuit tempore Petri, & imperat annis tredecim.

Gajus Galigula fuit tempore Petri, & imperat annis tribus, mensibus decem, diebus octo.

Claudius imperat tempore Petri, annis quatuordecim, mensibus octo. Tempore Claudii vênit Petrus Apostolus Romam, ubi sedit annis vigintiquinque. Et cum eo Linus fuit coadjutor Petri in Papatu, annis novem, mensibus tribus, diebus duodecim.

Cletus cum Lino coadjutor Petri, sedit annis duodecim, mense uno, diebus decem. Isti duo, Linus scilicet & Cletus, fuerunt Coepiscopi, & coadjutores Petri. Unde Joannes Apostolus tertiò scribit omnibus Episcopis Galliæ & Germaniæ, sic: Petrus Princeps Apostolorum, adjutores sibi ascivit Linum & Cletum; non tamen Pontificium aut potestatem ligandi atque solvendi tradidit eis, sed in exterioribus eum juvabant.

Nero Imperator, tempore Petri fuit, & imperavit annis tredecim, mensibus novem.

Galba & Vitellius, & Otho, post Neronem invadunt Imperium, & se invicem bellis & contentionibus citò extinguunt. Quibus succedit Vespasianus.

Distinctio temporum.

Clemens primus Papa, post Petrum, sedit annis novem, mense uno. Tunc cessavit Papatus diebus viginti uno, post obitum suum.

Vespasianus tempore Clementis, imperat annis novem, mensibus undecim, diebus vigintiduobus. Cujus tempore Colossus erectus est, qui fuit altus centum & octo pedum. Tunc urbs Adventia condita est apud Allobrogos, super Ararim fluvium. Vespasianus obiit fluxu ventris.

Titus tempore Clementis, imperat annis duobus, mensibus duobus, & facundissimus fuit.

Domicianus frater Titi, tempore Clementis imperat annis quindecim, mensibus quinque, diebus duobus. Iste superbus præcepit, Deum & Dominum se vocari. Christianos persecutus est, & Johannem Evangelistam in Patmum insulam relegavit. Omne genus David Regis interfecit. Eo tempore Capitolium Romæ, & forum, & porticus, & stadium, & thermæ Trojanæ, & Pantheon, ædificata sunt. Domicianus à suis in palatio occiditur. Cadaver ejus in plateas turpiter tractum est à populo Romano.

Nerva tempore Clementis, imperat anno uno, mensibus quatuor. Iste omnia quæ Domicianus fecerat, damnavit: & quæ ille damnaverat, absolvit. Unde Johannes tunc ab exilio rediit, ubi scripserat Apocalypsim.

Distinctio temporum.

Anacletus Papa, sedit annis novem, mensibus duobus, diebus undecim. Cessat diebus tredecim.

Trajanus tempore Anacleti, imperat annis novemdecim, mensibus sex, diebus quindecim.

Distinctio temporum.

Evaristus Papa, sedit annis novem, mensibus decem, diebus duobus. Cessat diebus novemdecim.

Adrianus Imperator tempore Evaristi, regnat annis viginti, mensibus undecim. Tunc tertia persequutio fuit Christianorum, satis gravis.

Distinctio temporum.

Alexander Papa, sedit annis decem, mensibus septem. Cessat diebus vigintiquinque Papatus Romæ post eum.

Ælius Imperator tempore Alexandri Papæ, regnat annis viginti, mensibus undecim. Iste Hierosolymam à se reparatam, vocavit nomine suo Æliam: & Judæos omnes, in remotissimis partibus, exilio relegavit, ne in ea ampliùs habitarent, & ne civitas Hierusalem vocaretur in æternum, sed Ælia.

Distinctio temporum.

Xystus Papa, sub Decio Imperatore, sedit annis decem, mensibus quinque. Cessat diebus duobus.

Decius Imperator, tempore Xysti, regnavit anno uno. Orosius dicit, annis tribus.

Distinctio temporum.

Telesphorus Papa, sedit annis undecim, mensibus quinque, diebus viginti & uno, sub Antonino. Cessat diebus septem.

Antoninus Pius Imperator, sub Telesphoro Papa, imperat annis vigintiduobus, mensibus tribus. Eo tempore Galenus Medicus claruit, Pergami natus.

Hygi-

Hyginius Papa, sub Antonino Imperatore, sedit annis quatuor, mense uno, diebus quatuor.

Distinctio temporum.

Marcus Antoninus tempore Aniceti, annis novemdecim, mensibus quatuor, die uno, cum fratre suo Lucio Aurelio. Lucius iste apoplexia moritur. Antoninus verò filium suum Commodum vocat ad Imperium. Isti leges asperas temperaverunt, & scripta fiscalia omnia in foro publico incenderunt.

Anicetus Papa, sub Marco Imperatore, sedit annis undecim, mensibus sex, diebus tribus. Cessat Papatus diebus decem.

Item sub Marco Pius Papa, sedit annis decem, mensibus quatuor, diebus quatuor. Cessat Cathedra post obitum ejus, diebus tredecim.

Item sub eodem Marco Imperatore, Soter Papa, sedit annis novem, & mensibus septem. Cessat diebus viginti & uno.

Eleutherus Papa, sedit annis quindecim, mensibus novem, diebus tribus. Cessat diebus decem post eum Cathedra Papalis, sub Commodo.

Commodus Imperator, tempore Eleutheri, regnat annis tredecim.

Ælius Imperator Pertinax, sub Eleuthero, infra sex menses occiditur. Post hunc, Julianus mensibus septem imperat: eumque Severus occidit, & ipse fit Imperator.

Distinctio temporum.

Victor Papa, sedit annis undecim. Cessat diebus duodecim sub Severo, Cathedra Petri.

Severus Imperator, sub Papa Victore, regnat annis novemdecim. Iste in Britannia partem Insulæ, à mari usque ad mare, vallo munivit, quod erat in longitudine centumtrigintamilliarium, & multis turribus communitum. Severus ille Imperator, apud Eboracum sepultus est.

Distinctio temporum.

Severinus Papa, sedit annis octo, mensibus septem, diebus decem, sub Aurelio. Cessat diebus sex.

Antoninus Aurelius Caracalla, tempore Severini, imperat annis septem. Iste asperior Severo patre suo fuit, & à Persis occisus est.

Distinctio temporum.

Callistus Primus, Papa, sedit annis sex, mensibus duobus, diebus decem. Cessat diebus sex.

Alexander Imperator, tempore Papæ Callisti Primi, regnat annis duodecim. Iste vicit Xersem, magnum Regem Persarum, in prœlio.

Distinctio temporum.

Urbanus Papa, Primus, sedit annis quatuor, mensibus decem, diebus duodecim. Cessat Cathedra, diebus triginta post obitum ejus.

Macrinus tempore Urbani, imperat anno uno. Cujus historia non habetur.

A

B

C

D

E

Distinctio temporum.

Pontianus Papa, sedit annis novem, mensibus sex, diebus duobus. Cessat diebus decem.

Marcus Aurelius Antoninus, tempore Pontiani, imperat annis tribus. Iste in stupro, & in omni turpitudine mortuus est, & turpem famam reliquit.

Anteros Papa, sedit annis duodecim, mense uno, diebus duodecim. Cessat diebus octo.

Maximus Imperator, tempore Anteri, regnat annis tribus, & persequitur Christianos.

Distinctio temporum.

Fabianus Papa, sedit annis quatuordecim, mensibus undecim, diebus undecim.

Gordianus, tempore Fabiani, imperat annis septem. Iste puer à suis deceptus, in Parthico bello occisus est. Eo tempore claruit Origenes.

Distinctio temporum.

Cornelius Papa, sedit annis duobus, mensibus duobus, diebus tribus. Cessat post illum Cathedra, diebus triginta & uno.

Philippus Imperator cum filio suo Philippo, est primus Christianus Imperator, tempore Cornelii Papæ, imperat annis septem. Anno autem ejus quarto completus est Annus Millesimus ab Urbe condita, propter quod facti sunt Romæ ludi theatrales in Campo Martio tribus diebus, & tribus noctibus. Istum Philippum, & filium ejus Philippum occidit Decius in dolo, & ipse factus est Imperator, & persequutor Christianorum, in odium ejus Philippi.

Distinctio temporum.

Lucius Papa, Primus, sedit annis tribus, mensibus quatuor, diebus tribus. Cessat diebus triginta & uno.

Decius Imperator, tempore Lucii, regnat annis tribus, & persequitur Christianos. Fuit autem septima persecutio.

Distinctio temporum.

Stephanus Papa, sedit annis octo, mensibus sex, diebus duobus. Cessat diebus duodecim.

Gallus cum Volusiano, tempore Stephani Primi, Papæ, imperat annis duobus, mensibus quatuor. Isti duo Imperatores, in dolo sunt occisi ab Æmiliano. Ipse quoque Æmilianus postea occisus est, quarto mense. Eo tempore Cornelius Papa corpora Sanctorum de Catacumba levavit & dedicavit.

Distinctio temporum.

Xystus Papa, Secundus, sedit annis duobus, mensibus sex, diebus quindecim. Cessat diebus trigintaquinque.

Valerius cum filio suo Galieno, nunc regnat annis quindecim. Et est persequutio octava in Christianos facta per illos. Eo tempore Germani, idest, Theutonici, Galliam pervagati Italiam devastant. Nunc etiam gens Go-

Gothorum Macedoniam, Græciam, Pontum, & Asiam depopulantur. Imperator Valerius, à Sapore Persarum Rege capitur, & cœcatur. Qui dum vixit, talem pœnam portavit, ut Regem Persarum equum ascensurum ipse proprio suo dorso semper levaret super equum.

Dionysius Papa sub eodem Valerio sedit annis quinque, & mensibus duobus. Cessat post eum Pontificatus, diebus quinque.

Felix Papa, sub eodem Valerio Imperatore, sedit annis quatuor, mensibus quatuor, diebus quinque. Cessat post eum Cathedra Papalis, diebus quinque.

Distinctio temporum.

Eutychianus Papa, sedit mensibus decem, & die uno, tempore Imperatoris Claudii.

Claudius tempore Eutychiani imperat anno uno, mensibus novem. Iste Gothos, Macedoniam, & Illyricum vastantes, incredibili strage delevit. Et propter hoc, ei clypeum aureum, & hastam auream Senatus in Capitolio dare decrevit.

Distinctio temporum.

Gajus Papa, sedit annis undecim, mensibus quatuor, diebus duodecim. Cessat Papalis Cathedra post eum, diebus sex.

Aurelianus, tempore Gaji Papæ, imperat annis quinque, & mensibus sex. Iste Gothos summa virtute depressit, & Romam muris firmioribus cinxit, & Solis Templum construxit. In Christianos ille nonam persequutionem concitavit. Et ipse tandem occisus est.

Tacitus Imperator, similiter Gaji Papæ tempore, regnat mensibus sex.

Item Florianus, sub eodem Gajo, regnat mensibus tribus.

Probus sub eodem Gajo Papa, imperat annis sex, & mensibus quatuor.

Distinctio temporum.

Marcellinus Papa, sedit annis novem, mensibus quinque, diebus duodecim. Cessat diebus sex.

Carus Imperator, cum filiis suis Carino, & Numeriano, tempore Marcellini Papæ, imperat annis tribus. Iste devictis Persis quum esset supra fluvium Tigridem, cum duobus filiis suis, ictu fulminis occisus est.

Marcellus Papa, sedit annis novem, mensibus quinque, & diebus vigintiuno. Cessat Sedes Papalis, diebus viginti.

Diocletianus & Maximianus, tempore Marcelli, imperat annis viginti. Diocletianus socium suum Maximianum suscepit in Imperium, eumque in Africam direxit, ut eam defenderet à Quingentianis. Præterea plures Cæsares sibi elegit, videlicet Constantium, Licinium, & Galerium. Ipse etiam Diocletianus tanquam Deum se adorari præcepit, & ipse prior gemmas in vestibus, & in calceamentis portavit. Priùs enim Reges alii, sola Purpura utebantur. Diocletianus iste in Oriente, & Maximianus in Occidente, omnes Ecclesias Christianorum præcipiunt devastari, & libros comburi, & Christianos omnes occidi. Ista persequutio decima, omnibus aliis immanior, & diuturnior fuit. Diocletianus ille apud Nicomediam, & Maximianus Mediolani, Purpuram deposuerunt.

Distinctio temporum.

Eusebius Papa, sedit annis duobus, mensibus duobus. Ipse autem & suprascripti Papæ, omnes martyres fuerunt.

Constantius, & Galerius, & Licinius Cæsares, Diocletiani tempore Eusebii Papæ fuerunt, & Imperium Romanum rexerunt.

Distinctio temporum.

Miltiades Papa, sedit annis septem, mensibus septem, in Papatu.

Valerius, & Constantius, & Licinius Cæsares supra memorati, regnant tempore Miltiadis Papæ, annis duobus: quorum Constantius Hispaniam subegit, & de Alemannis triumphavit, & filiam Regis Britanniæ, nomine Helenam (defuncto priùs patre ejus, nomine Johel) accepit uxorem, de qua genuit Constantinum. Quamvis alii asserant, ipsum Constantinum fuisse spurium filium Helenæ, puellæ tabernariæ, in finibus Persarum genitum; dum pater ejus Constantius, pro colligendis tributis publicis, legatione in Perside fungeretur. Ipse Constantius pater, in Anglia apud Eboracum dicitur esse sepultus.

Eodem tempore Maxentius filius Maximiani, Romæ creatus est Imperator: quem Constantius postea à Romanis vocatus, juxta pontem Milvii interfecit: & ipse regnavit annis triginta, mensibus decem. Regnum verò Britanniæ Tacherio avunculo suo reliquit. Et priùs quidem Christianos persequutus est, postea verò per Sylvestrum Papam accepit sacrum Baptismum.

Sylvester Papa, sedit annis viginti tribus, mensibus decem. Cessat diebus quindecim.

Iste Sylvester, anno quarto Imperii Constantini, factus est Papa, & eum baptizavit. Sed sicut Tripartita narrat historia, & Eusebius Cæsariensis in Chronicis testatur, ipse postea rebaptizatus est à quodam Eusebio Ariano, Episcopo Nicomediæ, in villa quæ vocatur Aquilona.

Constantinus tempore Sylvestri & Martini Papæ, imperat annis triginta, mensibus decem. De quo satis diffusè in corpore hujus libri, sub tractatu Imperatorum loquuti sumus.

Marcus Papa, sedit annis duobus, mensibus octo, diebus viginti. Cessat diebus quindecim. Iste Marcus Papa, fuit temporibus Constantini Imperatoris.

Distinctio temporum.

Julius Papa, sedit annis undecim, mensibus duobus, diebus sex. Cessat diebus quindecim.

Constantius cum Constantino & Constante, imperant tempore Julii Papæ, annis vigintiquatuor, mensibus quinque, diebus viginti tribus: quorum Constans edomitis Gallis, & in pace receptis, in Hispania occisus est. Constantinus autem, dum fratri suo Constantio bellum inferre pararet, juxta Aquilejam est occisus. Sic ad Constantium Monarchia pervênit: qui in hæresim Arianorum lapsus, & ab eis rebaptizatus, gravissimam Catholicis intulit persequutionem. Cujus auxiliis, Ariani

Ariani omnes Catholicos Episcopos, carceribus, & aliis variis tormentis sunt demoliti. In qua persequutione, Athanasius Alexandrinus Episcopus, Hilarius Pictaviensis, & Eusebius Versellensis, constantissimi & invincibiles apparuerunt. Eo tempore claruit Basilius Cæsariensis, Victorinus Rhetor, & Priscianus & Donatus Grammatici.

Distinctio temporum.

Felix Papa, vivente Liberio Papa, & in exilio posito, ab hæreticis constitutus, sedit anno uno, mensibus quatuor, diebus duobus. Cessat Cathedra diebus triginta octo.

Liberio autem ab exilio Constantii Imperatoris, post biennium reverso, & in Papatum restituto, Felix qui ei viventi fuerat subrogatus, aliæ civitati prælatus est. Quare autem idem Felix in Catalogo Catholicorum Apostolicorum scriptus sit, ego ignoro. Vos autem, Romanos interrogate, si placet.

Distinctio temporum.

Julianus Apostata, temporibus Liberii & Felicis Pap. imperavit annis duobus, mensibus sex. Iste à puero fuit Christianus, & Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus. Sed postmodum ad Idolorum cultum conversus, & Apostata pessimus factus, persequutus est Christianos, & in odium Christi Templum Hierosolymis reparari præcepit. De Juliani autem vita & morte, in corpore hujus libri largiùs continetur. Tempore Juliani claruit Didymus, & Basilius Cæsariensis Episcopus.

Distinctio temporum.

Damasus Papa, sedit annis octodecim, mensibus quatuor, die uno. Cessavit Sedes Papalis post eum, diebus viginti.

Jovianus tempore Damasi Papæ, imperat annis octo. Iste omnem exercitum Constantii ad Fidem Catholicam revocavit.

Distinctio temporum.

Syricius Papa, sedit annis quindecim, mensibus undecim. Cathedra non cessat.

Valentinianus tempore Syricii, imperat annis undecim.

Valens filius Valentiniani, sub eodem Papa Syricio, imperat annis quatuor.

Gratianus Imperator cum fratre suo Valente, imperat sub eodem Papa, annis sex.

Distinctio temporum.

Anastasius Papa, sedit annis tribus, mensibus decem, diebus duodecim. Cessavit post eum Pontificatus, diebus viginti & uno.

Valentinianus Secundus, imperat tempore Anastasii Papæ, annis duodecim.

Distinctio temporum.

Innocentius Papa, sedit annis undecim, mensibus duobus, diebus viginti uno. Tunc Roma ab Alarico Rege Gothorum capta est, ipso Papa tunc Ravennæ commorante.

Theodosius imperavit annis vigintiseptem, tempore Innocentii Papæ primi.

Distinctio temporum.

Sosimus Papa, sedit anno uno, diebus undecim. Cessat diebus undecim.

Arcadius cum Honorio & Theodosio, & Valentiniano imperat annis triginta duobus sub eodem Papa.

Distinctio temporum.

Bonifacius Papa, sedit annis tribus, mensibus octo, diebus septem. Cessat diebus novem.

Honorius & Arcadius tempore Bonifacii Papæ, imperat annis viginti uno.

Cœlestinus Papa, sedit annis septem, mensibus decem, diebus septemdecim. Cessat diebus viginti. Iste verò Scotis in Christo credentibus primum mittit Episcopum, nomine Palladium.

Distinctio temporum.

Valentinianus cum Martiano, imperat annis novem.

Xystus Papa, sub eodem Valentiniano, sedit annis octo, mense uno. Cessat diebus viginti duobus.

Distinctio temporum.

Leo Papa, sedit annis undecim, mense uno, diebus tredecim. Cessat diebus septem. Tunc facta est quarta Synodus sexcentorum triginta Patrum sub Martiano Imperatore contra Eutychen: ubi concessum est, Theotocon, idest, Dei matrem esse Mariam: & prohibitum est dicere, duas in Christo esse personas. Eo tempore Atila intrat Italiam: ad quem egressus Leo Papa, ut Urbem non ingrederetur, obtinuit: unde Atila frænum retro convertit.

Distinctio temporum.

Martianus post Valentinianum sub Leone Papa, imperat annis sex.

Distinctio temporum.

Hilarius Papa, sedit annis septem, mensibus tribus, diebus decem. Cessat diebus decem.

Leo Imperator, regnat annis septem in Constantinopoli.

Distinctio temporum.

Simplicius Papa, sedit annis quindecim, mense uno, diebus septem.

Zeno Imperator tempore Simplicii Papæ, regnat annis septemdecim.

Felix Papa, sedit annis octo, mensibus sex, diebus septem. Cessat diebus quinque. Iste fuit sub Zenone.

Distinctio temporum.

Gelasius Papa, sedit annis quatuor, mensibus octo, diebus octodecim. Cessat diebus septem. Hoc tempore Gensericus Rex Gothorum capit urbem Romam; & per dies qua-

quatuordecim omnibus bonis expoliat; sed hominibus ad Ecclesias confugientibus parcit; & ita locupletatus recedit.

Anastasius Imperator tempore Gelasii, regnat annis septemdecim.

Symmachus Papa sub Anastasio, sedit annis novem, diebus septemdecim.

Distinctio temporum.

Hormisda Papa, sedit annis novem, diebus septemdecim. Cessat diebus sex.

Justinus Senior sub Hormisda, regnat annis septem.

Joannes Papa sub Justino, sedit annis duobus, mensibus novem, diebus sedecim. Cessat diebus quinquagintaocto. Iste à Theoderico Gothorum Rege carcerali inedia maceratus, post diuturnam pœnam peremptus est.

Mercurius Papa, sedit sub Justiniano.

Bonifacius Papa, sedit annis duobus, diebus vigintisex. Cessat diebus septuagintasex.

Distinctio temporum.

Joannes Papa secundus, sub Justiniano, sedit annis duobus, mensibus quatuor, diebus sex. Cessat diebus sex.

Agapetus Papa, sub illo sedit annis undecim, mensibus decem, diebus undecim. Cessat diebus vigintiseptem.

Silverius Papa, sedit anno uno, mensibus quinque, diebus undecim. Cessat diebus sex.

Vigilius Papa, sedit annis septemdecim, mensibus sex, diebus viginti & uno. Cessat diebus vigintiquinque. Nunc fit quinta Synodus sub Justiniano, contra Theodorum.

Fabianus Papa, sedit anno uno, mensibus quinque, diebus tredecim.

Distinctio temporum.

Pelagius Papa, sub Justino Imperatore, sedit annis undecim, mensibus decem, diebus vigintiseptem.

Benedictus Papa, sub eodem Justino, sedit annis quatuor, mensibus duobus. Cessat mensibus tribus.

Justinus imperat annis septem.

Joannes Papa, sub Justino, sedit annis duodecim, mensibus undecim, & diebus vigintisex.

Distinctio temporum.

Tiberius imperat annis sex.

Benedictus Papa, sub Tiberio, sedit annis quatuor, mensibus duobus.

Distinctio temporum.

Mauricius imperat annis vigintiuno.

Pelagius Papa, secundus, sub Mauricio, sedit annis decem, mensibus duobus, diebus decem. Cessat mensibus septem.

Gregorius Papa, sub Mauricio, sedit annis tredecim, mensibus sex, diebus decem. Cessat mensibus quinque. Iste convertit Anglos.

Distinctio temporum.

Phocas Imperator regnat annis octo.

Bonifacius Papa tertius, sedit annis novem, diebus vigintiduobus. Cessat diebus trigintasex. Tunc consecratum est Pantheon.

A

Distinctio temporum.

Heraclius Imperator, cum filio suo Constantino, imperat annis trigintasex. Per eundem Heraclium facta est Exaltatio Sanctæ Crucis.

Bonifacius quartus, Papa, sub Heraclio, sedit annis quinque, mensibus decem. Cessat diebus quatuordecim.

Deusdedit Papa, sub Heraclio, sedit annis tribus, mense uno. Cessat diebus sexagintaseptem.

B

Honorius Papa, sedit annis duodecim, mensibus undecim, diebus sexdecim. Cessat anno uno, mensibus septem, diebus octodecim.

Severinus Papa, sedit annis duobus, diebus quatuor. Cessat mensibus quatuor, diebus vigintisex.

Joannes Papa, sedit anno uno, mensibus octo, diebus novemdecim. Cessat diebus quadragintatribus.

Distinctio temporum.

Constantinus Imperator filius Heraclii.

C

Theodorus Papa, sedit annis sex, mensibus quinque, diebus octodecim. Cessat anno uno, diebus duobus.

Martinus Papa sedit annis sex, mensibus duobus, diebus vigintiseptem. Cessat anno uno, diebus viginti.

Eugenius Papa, sedit annis duobus, mensibus novem, diebus vigintiquatuor. Cessat mensibus duobus, die uno.

Vitallianus Papa, sedit annis quatuordecim, mensibus sex. Cessat anno uno, diebus tredecim.

Distinctio temporum.

Constantinus junior, Imperator.

D

Deodatus, sedit annis tribus, mens. duobus diebus quinque. Cessat diebus octo.

Donnus Papa, sedit anno uno, mensibus quinque diebus decem. Cessat diebus duobus. Iste construxit locum qui dicitur Paradisus, ante Ecclesiam S. Petri.

Agatho, sedit annis duobus, diebus quatuor. Cessat anno uno, mensibus quinque, & diebus quinque. Nunc sexta Synodus celebratur Constantinopoli centum quinquaginta Episcoporum, sub Constantino pronepote Imperatoris, contra Georgium Patriarcham.

Leo Papa, sedit mensibus decem, diebus sexdecim. Cessat diebus duodecim.

E

Benedictus Papa, sedit mensibus duobus, diebus viginti.

Joannes Papa, sedit anno uno, diebus novem. Cessat mensibus duobus, diebus octodecim.

Conon Papa, sedit mensibus undecim. Cessat mensibus quatuor, diebus viginti duobus.

Distinctio temporum.

Justinianus junior, Imperator.

Sergius Papa, sedit annis tredecim, mensibus novem.

Leo Papa, sedit sub Justiniano juniore annis duobus, mensibus novem.

Distinctio temporum.

Joannes Papa, sedit annis tribus, mensibus duobus, diebus sedecim. Cessat mense uno, diebus tredecim.
Joannes alius, Papa, sedit annis duobus, mensibus septem. Cessat mensibus octo.
Sisinnius Papa, sedit diebus viginti. Cessat mense uno, & diebus novemdecim.

Distinctio temporum.

Justinianus Imperator.
Constantinus Papa, sedit annis septem, diebus viginti. Cessat anno uno & diebus quadraginta.
Philippus Imperator, regnat tempore ipsius Constantini Papæ.

Distinctio temporum.

Anastasius Imperator, regnat tempore Gregorii Papæ.
Gregorius Papa, sub ipso Anastasio sedit annis quindecim, diebus viginti duobus. Cessat diebus triginta quinque.

Distinctio temporum.

Theodosius Imperator. Sub eo sedit Gregorius Papa Tertius, annis decem, mensibus novem, diebus vigintiquatuor. Cessat diebus octo.
Leo Imperator, cum Constantino filio suo, regnat tempore ipsius Gregorii Papæ.

Distinctio temporum.

Constantino cum filio suo Leone imperante.
Zacharias Papa, sedit annis decem, mensibus octo.

Distinctio temporum.

Stephanus Papa, sedit annis quinque, mensibus tribus. Cessat diebus triginta quinque. Tempore ipsius Stephani Papæ, Pipinus dux Francorum factus est Rex Galliarum & Patricius Romanorum. Hildericus verò qui priùs fuerat Rex Francorum, ignavus & inutilis, tonsus & Monachatus est.
Paulus Papa, tempore Pipini Regis & Patricii, sedit annis quinque, mense uno. Cessat anno uno. Tempore ipsius Pauli & Pipini, Leo imperat.

Distinctio temporum.

Stephanus Papa, tempore Caroli Regis Francorum & Patricii Romanorum, sedit annis tribus, mensibus sex.
Adrianus Papa, tempore Caroli Regis & Patricii, sedit annis quatuordecim, mensibus decem, diebus vigintiseptem.
Leo Papa, tertius, imperante Constantino in Græcia, cum matre sua Irene, & regnante Carolo Magno in Francia, sedit annis viginti, mensibus sex. Iste primùm Carolum Magnum pro Imperatore suscepit, & laudes Imperiales solenniter ei Romæ cantavit. Nunc septima Synodus Nicena sub Constantio, & Irene Imperatrice, matre ejus, celebrata est

A de Imaginibus Sanctorum. Carolus Magnus Imperator, tempore Papæ Leonis, & deinceps tertii, imperat annis quadraginta sex.

Distinctio temporum.

Ludovicus Imperator, filius Caroli Magni, imperat post patrem cum filio suo Lothario.
Stephanus Papa, tertius, sub Ludovico & Lothario, sedit annis septem.
Paschalis Papa, sedit annis sex.
Eugenius Papa, sedit annis sex.
Valentinus Papa, sedit annis undecim, sub eodem Imperatore.

B *Distinctio temporum.*

Lothario imperante, post patrem suum Ludovicum.
Gregorius Quartus, Papa, sedit annis quatuordecim.
Sergius Papa, sedit annis tribus.
Leo Papa, sedit annis octo, mensibus quinque, sub eodem Lothario & filio ejus Ludovico.
Benedictus Papa, sub eodem, sedit annis duobus.

Distinctio temporum.

C Ludovicus Imperator, regnat post patrem suum.
Paulus Papa, sub eodem Ludovico, sedit annis decem, mensibus duobus. Cessat anno uno.
Stephanus Papa, sedit annis quatuor.
Nicolaus Papa, sedit annis decem, mense uno.
Adrianus Papa, sedit annis quatuor, mensibus undecim.

Distinctio temporum.

Carolus Secundus, Imperator, post Ludovicum Secundum, regnat.
D Joannes Papa, sedit annis decem, mense uno, sub Carolo Secundo.

Distinctio temporum.

Carlomannus imperat post Carolum Secundum.
Marinus Papa, sub Carlomanno, sedit anno uno, mensibus tribus.
Adrianus Tertius, Papa, sedit anno uno, mensibus tribus.
Stephanus Papa, sedit annis quatuor.

Distinctio temporum.

E Arnulpho Imperatore, secundùm quosdam.
Formosus Papa, sedit annis quatuor, mensibus septem.
Bonifacius Papa, sedit annis duodecim.
Stephanus Papa, sedit anno uno, mense uno, diebus octodecim.
Romanus Papa, sedit annis quatuor.
Theodorus Papa, sedit anno uno.
Johannes Papa, sedit annis duobus.

Distinctio temporum.

Ab hoc loco in antea ponimus, secundùm sen-

sententiam Romanorum, illos Imperatores, qui in sola Italia leguntur regnasse. Ludovicus imperat in Italia.

Christophorus Papa, sub Ludovico, sedit mensibus sex.

Sergius Papa, sub eodem Ludovico, sedit annis sex, mensibus quatuor.

Distinctio temporum.

Berengario imperante in Italia, Anastasius Papa, sedit anno uno, mense uno.

Lando Papa, sedit mensibus quinque, sub isto Berengario.

Joannes Papa, sedit annis quatuor, mensibus duobus, sub Berengario Primo.

Distinctio temporum.

Hugone imperante in Italia.

Leo Papa, sedit annis septem, diebus quindecim.

Distinctio temporum.

Guidone imperante in Italia, & filio ejus Lamberto,

Stephanus Papa, sedit annis duobus, mense uno.

Joannes Papa, sub eisdem, sedit annis quatuor, mensibus decem.

Distinctio temporum.

Berengario Secundo, imperante in Italia, Leo Papa, sedit annis tribus, mensibus sex.

Distinctio temporum.

Lothario imperante in Italia.

Stephanus Papa, sedit annis tribus, & mensibus quatuor.

Distinctio temporum.

Berengario Tertio, imperante in Italia, cum filio suo Alberto.

Marinus Papa, sedit annis tribus, mensibus sex.

Distinctio temporum.

Ab hoc tempore in antea incipiunt soli Theutonici imperare.

Othone Primo Theutonico Imperatore, Benedictus, sedit anno uno, mensibus quinque.

Leo Papa, sub eodem Othone Primo, sedit anno uno, mensibus tribus.

Joannes Papa, sub eodem Othone, sedit annis quinque, mensibus undecim.

Distinctio temporum.

Othone Secundo Imperatore, Benedictus Papa, sedit anno uno, mensibus quinque.

Donnus Papa, sedit anno uno, mensibus sex.

Bonifacius Papa, sedit mense uno.

Benedictus Papa, sedit annis novem.

Joannes Papa, sedit mensibus octo.

Joannes Papa, sedit mensibus quatuor.

Distinctio temporum.

Othone Tertio, Theutonico Imperatore.

Joannes Papa, sedit annis decem, mensibus sex.

Gregorius Papa, sedit anno uno, mensibus sex.

Joannes Papa, sedit mensibus decem.

Silvester Papa, sedit annis quatuor, mensibus quinque. Iste vocabatur Gilbertus.

Joannes Papa, sedit mensibus decem:

Joannes Papa, sedit annis tribus.

Sergius Papa, sedit annis tribus.

Distinctio temporum.

Nota, quia plures sunt Henrici Reges, quàm Henrici Imperatores. Unde cùm legitur Henricus Imperator Primus, ratione Imperii, primus quidem est; sed ratione Henricorum, secundus est: fuit enim unus Rex Henricus ante istum. Idem intellige de Conradis.

Henricus, primus Imperator, cognomine Claudus, qui inter Henricos notatur secundus. Cujus tempore

Benedictus Papa, sedit annis undecim, mensibus undecim.

Joannes Papa, sedit annis novem mensibus sex.

Distinctio temporum.

Conrado primo imperante, qui inter Conrados notatur secundus, Benedictus Papa, sedit annis quatuordecim.

Silvester Papa, sub eodem Conrado, sedit mensibus duobus.

Gregorius Papa, sub eodem, sedit anno uno, mensibus sex.

Clemens Papa, sub eodem Conrado, sedit mensibus novem.

Damasus Papa Theutonicus, sedit mense uno.

Leo Papa, Theutonicus, sedit annis quinque, mensibus quinque.

Victor Papa, Theutonicus, sedit annis duobus, mensibus quatuor.

Stephanus Papa, Theutonicus, sedit mensibus octo. Omnes sub eodem Conrado secundo.

Distinctio temporum.

Henricus, secundus Imperator: sed ratione Henricorum Regum, tertius numerandus est. Fuerat enim ante omnes Henricos, & ante omnes Othones, quidam Henricus Rex, ut diximus: sed non Imperator, de gente Saxonica, cognominatur Auceps. Similiter fuit ante omnes Conrados primus Conradus, Rex Theutonicorum: sed non erat Imperator. Tempore autem istius Henrici secundi Imperatoris, Benedictus Papa, sedit annis decem.

Nicolaus Papa, sedit annis tribus, mensibus sex, diebus vigintiquinque.

Distinctio temporum.

Henricus Imperator tertius: sed ratione Henricorum, quartus est numerandus. Tempore istius Henrici, Alexander Papa, sedit annis novem, mensibus sex.

Gre-

Gregorius Septimus, Papa, sedit annis quindecim, mense uno, diebus octo.

Victor Papa, sedit mensibus quatuor, diebus septem.

Urbanus Papa, sedit annis undecim, mensibus sex, diebus octodecim.

Distinctio temporum.

Henricus Imperator Quartus, qui ratione Henricorum numeratus est quintus. Iste est Henricus qui cepit Papam Paschalem Romæ, & iste refutavit Ecclesiæ Romanæ annulum & baculum Episcoporum.

Paschalis Papa, sub eo, sedit annis novemdecim.

Gelasius Papa, sedit anno uno, diebus sex.

Callistus Papa, sedit annis quinque, mensibus sex, diebus tredecim.

Honorius Papa, sedit annis quinque, mensibus sex, diebus vigintiocto.

Distinctio temporum.

Lotharius Secundus, Imperator, regnavit annis duodecim, fuit Saxo.

Innocentius Papa, sedit annis tredecim, mensibus sex; diebus quatuordecim.

Cœlestinus Papa, sedit mensibus quinque, diebus undecim.

A Lucius Papa, sedit mensibus undecim.

Distinctio temporum.

Conradus Rex Theutonicorum & Romanorum, regnat annis quatuordecim.

Eugenius Papa, tempore Conradi Tertii, sedit annis octo, mensibus quinque, diebus decem.

Distinctio temporum.

Fridericus Primus, Imperator, imperat nunc annis trigintaseptem.

B Anastasius Papa, tempore Friderici, sedit anno uno, diebus quinque: vivente etiam Eugenio supradicto.

Fridericus Secundus, regnat.

Adrianus Papa, sedit annis quatuor, mensibus novem. Iste unxit Fridericum in Imperatorem.

Alexander Papa, sedit annis vigintiduobus, imperante Friderico, & regnante cum patre filio ejus Henrico Sexto.

Lucius Papa, imperante Friderico, & filio ejus Henrico regnante, sedit annis tribus.

Urbanus Tertius, Papa, sedit similiter imperante Friderico, & regnante filio ejus Henrico: sedet nunc feliciter. Amen.

FINIS CHRONICORUM GODEFRIDI VITERBIENSIS.

SICARDI
EPISCOPI CREMONENSIS
CHRONICON

A Nativitate Christi usque ad Annum Æræ Christianæ MCCXIII.

NUNC PRIMUM PRODIT

EX MANUSCRIPTO CODICE

AUGUSTÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS BIBLIOTHECÆ,

ET EX ALTERO

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

IN SICARDI CREMONENSIS CHRONICON PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

SIcardus Cremonensis Episcopus, aevo suo illustris, famam quoque apud posteros sibi quaesiverat, Chronico ab antiquissimis temporibus ad sua usque deducto, quod tamen Majorum nostrorum incuria hucusque delituit. Hujus Historiae mentionem non uno in loco olim deprehendi, hoc est in Libris MStis *Gualvanei de la Flamma*, & *Andreae Danduli*, atque in editis aliorum Scriptorum. Quare nihil non egi, ut alicubi monumentum hoc Italicae eruditionis, tamdiu nobis ereptum, detegerem; dolens nempe, tam paucas ex antiquis Italiae Historiis ad nos pervenisse, pauciores vero publica luce donatas. Et quidem Sicardus is erat, qui & ex eruditione sua, atque ex tempore, quo floruit, magni nobis faciendus videbatur. Hujus autem praeclarissimi Viri non solum meminit, sed simul Scripta recenset doctissimus Vir, mihique antiqua amicitia junctus *Franciscus Arisius Cremonensis*, Ordinum in sua Patria Conservator, & de eadem Patria optime meritus in sua Cremona Literata Tom. I. ad Ann. 1185. Ita vero ille Sicardi Libros hoc ordine recenset. *Acta & obitus Sancti Homoboni* qui ipsius Sicardi tempore sanctitate vitae, & miraculis floruit, & curante ipso Praesule (ut in Chronico nunc edendo habetur ad Annum 1198.) in Canonem Sanctorum ab Innocentio III. Papa est relatus. *Chronicorum Libri diversi*, de quibus infra agemus. *Tractatus de Humilitate*, cujus rei testem Arisius profert *Fanusium*, *Campanum*, *in Libro de illustr. Italiae Familiis*. Verum Fanusii Liber, in Ambrosiana Bibliotheca adservatus, a Pseudonymo, & certe Pseudographo Scriptore compositus mihi semper visus est, ac propterea illius fidei acquiescere non facile velim. *Historiam* quoque, seu *Vitas Romanorum Pontificum* a Sicardo collectas ante Arisium Raphaël Volaterranus initio Commentarior. Lib. 22. nos monuit. Tamdem *Mitrale*, vel *Summa de Officiis*, sive *Rationale Divinorum Officiorum*, Sicardo tribuitur. Sed si quidquam conjectura mea valet, *Mitrale*, sine dubitatione ab eo elucubratum, nihil fortassis aliud est quam alterum ex *Chronicis* ipsius Sicardi: quippe Gualvaneus de la Flamma non Libros quosque, sed tantum Historicos enumerans, quibus fuerat usus, *Mitrale Imperatorum* a Sicardo Episcopo Cremonense compositum memorat. Quod est *ad Summam de Officiis* eam Antonius Possevinus ex Lelando innuit, eamque in Bibliotheca Vaticana adservari ajunt. De hoc opere mihi incomperto nihil aliud addam. Verum praeterire non possum, quae de Sicardo nostro habet singularis eruditionis Vir Gerardus Johannes Vossius Lib. 2. Cap. 53. de Historic. Latin. Animadvertit ille, a Raphaele Volaterrano inter eos, qui Vitas Romanorum Pontificum tradiderunt, Sicardum nostrum referri, & proxime collocari post Sigebertum, & Hugonem Floriacensem; Sicardo autem subjungi Godefridum Viterbiensem, qui claruit Anno 1186. *ut omnino*, inquit Vossius, *si standum sit Volaterrano*, *vixerit Sicardus circa Annum* 1160. Nullus certe nobis dubitandi locus est quin Sicardus Anno 1160. in vivis fuerit, ipsoque tempore, quo Viterbiensis floruerit. Sed quia ad Annum usque 1215. suam Sicardus aetatem produxit, & vitam Godefridi sua excessit, propterea priorem locum aequius Viterbiensi, quam Sicardo, Volaterranus dedisset. Pergit scribere Vossius, se mirari, cur Possevinus Sicardum memorans tam antiquum Scriptorem, addat tamen *esse hunc illum Sicardum Cremonensem*, *cui Scholia sua dicavit Laurentius Lauretus Carmelita*, quum Lauretus circiter Annum Christi 1570. floruerit. At Possevinus, Sicardi nostri mentionem faciens, ait: *ad quem Scholia reliquit Laurentius Lauretus* &c. Hoc est non Sicardo viventi ea Scholia obtulit, sed Si-

Sicardi tamdiu vita functi Libro *de Officiis* ea addidit Lauretus; ac proinde nulla heic antilogia.

Redeo nunc ad Chronicon Sicardi, diu olim a me conquisitum. Deprehendi tamdem ex Catalogo Librorum aliquot nondum editorum Augustae Bibliothecae Caesareae Vindobonensis, illud ibi adservari cum hoc titulo: *Sighardi Episcopi Cremonensis Chronicon incipiens a Creatione Mundi, pertingit usque ad A. C.* 1221. Meminerat & Lambecius in Comment. de Bibl. Caes. Lib. 2. Quare pluribus egi apud praeclarissimum Procerem Comitem Antonium de Collalto, ut ab Illustrissimo tunc & doctissimo Bibliothecae Caesareae Praefecto, postea vero Romanae Rotae Auditore, nunc autem Celsissimo Tridentinae Urbis Episcopo ac Principe, Johanne Benedicto Gentilotto mihi impetraretur ejusmodi Operis exemplar. Ejus tamen conatibus, meisque votis tunc nullus effectus respondit. Certior interea factus fui, Opus idem scriptum reperiri in Bibliotheca Serenifs. Electoris Ducis Bavariae. Sed & illic spes mea frustrata est; nam dum gravi bello cedere, ac solum vertere coactus fuit ille excelsi animi Princeps, exemplum hujus Chronici expetente Caesareo quodam Ministro, Codex MStus ac membranaceus e Bibliotheca eductus cum ipsius Ministri morte inopportuna evanuit. Interea quum attentiori oculo perscrutarer MStos Codices Estensis Bibliothecae, visus sum mihi inscius possidere, quod alibi tanta anxietate quaerebam. In eadem quippe Bibliotheca servatur membranaceus ac pervetustus Codex, quem scriptum censeo temporibus Guilielmi de Bobio Episcopi Regiensis, hoc est circiter Annum Christi 1290. in hunc enim Episcopum desinit Catalogus Episcoporum Regiensium in calce Libri positus. Ibi vero Chronicon innominati Auctoris habetur cum hocce tantum Titulo. *Incipit Chronica Imperatorum Latinorum, & Graecorum, & Regum Longobardorum, & aliarum Nationum.* Primum Capitulum est *de Ptolemaeo Dionysio, & de gestis, quae fuerunt suo tempore, & aliis Baronibus, & de gestis Pompeji.* Subsequuntur Capitula *de Julio Caesare, & de gestis ejus.* Tum *de Octaviano Imperatore* &c. Hisce, quae ex probatis Auctoribus decerpta erant, mirabar subinde interspersa fabulosa quaedam commenta, nempe *de visione, quam vidit Octavianus Imperator de Beata Maria. De patre & matre Pilati*, aliaque id genus, quae mihi insulsum consarcinatorem, immo ridendum exhibeant, ac proinde ab ipsa Historia animum meum prorsus avertebant. Verum legere pergens, quo plus progredior, eo pluris aestimandum Scriptorem reperio. Tum se mihi in postrema parte objiciunt, quae ab uno Sicardo profecta nemo negabit, quale potissimum illud erat, quod de *Homobono Cremonense* piissimo Viro in Sanctorum album sua cura illato ad Annum 1198. is refert, seque Anno 1203. in Armeniam fuisse peregrinatum: quod revera a Sicardo Episcopo factum auctor est Ughellus in Ital. Sac. Tom. IV. atque ante eum Scriptor Vitae Innocentii III. Pontificis Maximi adnotarat, quo teste *Episcopus Cremonensis* Cruce assumta in Orientem navigavit. Ad haec narrat ille, quae tum Constantinopoli, tum in Armenia gesserit, ut demum agnoscas, Sicardum plane his verbis sese pinxisse. Sed quod me in eam sententiam vehementius induxit, Gualvaneus de la Flamma *in Manipulo Florum*, huic ipsi Collectioni infra adjungendo, non semel Sicardi Chronicon laudat ad Annum 390. sunt ejus verba: *Heic, idest in ista Civitate Mediolanensi, Virgilius natione Mantuanus Togam secundum Sicardum suscepit.* Potuisset Gualvaneus hujus rei testem afferre Eusebii Chronicon a S. Hieronymo Latinitate donatum, a quo haec Sicardus sumsit; verum sat illi fuit, vetustissimo Scriptore dimisso, Sicardum recentem commemorare, a quo revera haec produntur Cap. 1. Rursus idem Gualvaneus Cap. 37. auctor est, Maximianum Augustum *Mediolani Imperialem Purpuram deposuisse secundum Sicardum.* Eadem exhibet & Chronicon Estense. Ad haec Gualvaneus Cap. 49. ejusdem Manipuli scribit: *Isto tempore fuit bellum de Rivolta; & ipso tempore secundum Sicardum apud Cremam totus Populus Cremonensis ductus fuit Mediolanum in carceribus.* Exhibentur haec ipsa in Chronico nostro ad Annum 1139. Denique, ut alia loca praetermittam, Gualvaneus Cap. 205. Mediolanensium proelium atque victoriam in bello adversus Fridericum AEnobarbum referens ait: *Unde clamat Sicardus: O rota fortunae, quae quondam humiliavit Mediolanenses, & nunc exaltavit; immo Dominus, qui pauperes fecit Mediolanenses, & modo ditavit, superbum deponens de sede.* Eadem verba repetit Corius Mediolanensis Historicus sub nomine *Aicardi Scriptoris eorum temporum*, Sicardum memorare volens: quem errorem si in Typographos rejicere velis, non impedio. Sunt & alii veteres, qui a Sicardo exclamationem hanc mutuati in suas Historias intulerunt. Atqui eamdem totidem verbis habet Chronicon Atestinum ad Annum 1176. Quam concordiam rerum ubi perspexi, etsi Chronologi nomen non appareret, hunc tamen alium

alium a *Sicardo* esse non posse tamdem statui.

Quamobrem literis denuo supra laudatum eruditissimum Caesareae Bibliothecae Praefectum Gentilottum, nunc amplissimum Tridentinum Episcopum, conveni, simulque Estensis Chronici exemplar ad eum misi, ut perspiceret, utrum cum Vindobonensi Codice paria complecteretur. Ille eumdem Scriptorem utrobique deprehendit, quamquam inter se in nonnullis Codices discreparent. Quare ut est in omnia humanitatis officia pronus, venia facta ab Augustissimo Romanorum Imperatore CAROLO VI. hujusce Collectionis meae patrono clementissimo, Caesareae Bibliothecae Codicem a tempore Caroli Magni usque ad finem describendum curavit, & ad me continuo misit, quo mihi in promtu esset de hoc argumento Lectores commonefacere tutius. En ergo quae animadverti. Vindobonensis Codex purum putum Sicardi Chronicon exhibet, deductum a creatione Mundi ad Annum usque 1221. Prologi titulus miniatis literis efformatus ab hisce verbis exordium sumit: *Incipit Prologus super Chronicam, quae est a Domno Syghardo Cremonensi Episcopo edita. Rerum Creator omnium & opifex earumdem genus humanum in ea sorte locavit, ut sibi vicissim vivant* &c. Tum Chronici initium ita se habet: *Adam nomina rebus imposuit, de cujus costa formata est Eva, de qua genuit Cain* &c. Exinde Breviarium exhibet tum sacrae, tum profanae Historiae usque ad tempora Caji Julii Caesaris, quae tamen omnia, utpote nullius aevo nostro usus, perlibenter suis in tenebris jacere sum passus. Postea uterque Codex, videlicet Caesareus, ac Estensis, pari concordia breves Romanorum Imperatorum Vitas, atque iisdem verbis, complectuntur ad Annum usque 1213. in quem desinit Estensis. Haec autem inter eos differentia intercedit, quod Codicis Estensis Chronicon eodem Seculo, quo Sicardus e vivis excessit, interpolatum est ab Anonymo quodam, quem patria Regiensem puto; aliqua enim intermiscuit, fabulosa plane, atque exsibilanda; ac praeterea quaedam ad Reges Longobardos, & alia postremo loco ad civitatem Regiensem spectantia, ac potissimum nomina Consulum ac Potestatum illius Urbis adjecit. Quod pleraque haec additamenta praeciderim, Lectores ut puto, facile mihi ignoscent; putidas enim fabulas nemo sani capitis amet. Quae vero ad Regium Lepidi pertinent, infra loco suo hoc est in altero Chronico a me Lector accipiet.

Sed illud in primis animadvertendum est, in hoc discrepare inter se Codices istos, quod nonnulla in Atestino desiderentur, quae in Caesareo occurrunt; & vicissim haberi in Estensi multo plura, quae frustra in Caesareo requiras. Atque id potissimum perspicias in iis, quae Sicardus Estensis narrat de gestis suo tempore in Oriente a Crucesignatis. Haec eumdem Sicardum habere Auctorem, tam certum est, quam quod certissimum; semetipsum enim iis admiscet, utpote qui peregrinantibus in eam regionem sese adjunxerat. At his de rebus ne gry quidem complectitur Sicardus Vindobonensis. Unde autem effluxerit dissimilitudo ista inter ejusdem Chronici exemplaria, si quis petat, conjecturam hanc meam responsum habeat. Ut infra edisseram, duplex Chronicon post se reliquit Sicardus. Caesareus Codex unum tantummodo complectitur, quale ab hoc Auctore procusum est, hoc est sine ullo prorsus additamento. Contra Estensis Codicis Scriptor, quippe qui, ut conjicio, non amanuensis, sed Auctoris gloriam consectaretur, in usum suum, praeter paucas aliorum Historias, illud ipsum Sicardi Chronicon magnam partem in suam invexit Historiam, ac praeterea ex altero ejusdem Chronico lacinias aliquot decerpsit, suoque Operi immiscuit. En igitur, quare uberior interdum ac ditior videatur Historicus noster in Codice Estensi, quam in Caesareo. Dixi geminum Chronicon videri mihi a Sicardo fuisse conscriptum; hujus enim rei idoneum testem laudare possum Gualvaneum de la Flamma supra memoratum, qui circiter Annum Christi 1325. florebat, ac *Manipulum Florum*, sive Mediolanensis Historiae Breviarium concinnabat. Ita ille ad Annum 1214. scribit: *Isto Anno Sycardus Episcopus Cremonensis, qui Mitrale, & Chronicam pulcherrimam composuit, in Domino moritur*. Rectius fecisset Gualvaneus, si in subsequentem Annum 1215. Sicardi obitum rejecisset. Sed quod nunc quaerebamus, vides, Sicardum duo diversa Opera contexuisse, alterum *Chronicae*, seu *Chronici* titulo distinctum; alterum vero *Mitrale* nuncupatum. Non minus istum, quam illum, Historica fuisse complexum, mihi, ut supra innui, perquam verisimile est; tum quod *Mitrale*, non Pontificum, sed *Imperatorum* alibi a Gualvaneo appellatur, tum etiam quod ab eodem Gualvaneo Mitrale, non secus ac Chronicon, uti Liber Historicus citatur atque adhibetur. Fortassis in uno ex iis Libris *Vitas Imperatorum*, in altero vero *Romanorum Pontificum Vitas*, atque Historiam potissimum Ecclesiasticam fuerit persequutus.

Itaque in edendo hoc Opere hujusmodi ratione sum usus. Dimissis, quae Nativitatem Domini praecedunt, utpote superfluis; Codicis Estensis textum produco ab ejus exordio usque ad Caroli Magni Imperium. Commenta ibi sparsa atque, ut puto, a Regiensi consarcinatore adjecta, sustuli; reliquis autem additamentis, si qua sunt, peperci, aut quod minime videbantur a Sicardi calamo aliena, aut quod non inutilia scitu duxi. In eodem autem Codice Estensi MSto ac membranaceo alterum Chronicon habetur hactenus ineditum, cujus mentionem feci in Praefatione ad Godefridum Viterbiensem. Illius Titulum accipe: *Incipit Liber de temporibus, & aetatibus. Breve compendium collectum ex variis Chronicis, & per ordinem digestum de temporibus, in quibus sederunt certi Pontifices Romani, & Imperatores imperaverunt, Reges regnaverunt, sederunt Regini Pontifices, Consules, & Potestates. Civitatem Reginam rexerunt* &c. quam postremam partem, hunc titulum praeferentem *Memoriale Potestatum Regiensium*, ut nuper sum pollicitus, edere suo loco constitui. Exordium autem ducit haec Historia ab ortu Christi, & fere tota versatur in Vitis Romanorum Pontificum, quas tamen easdem esse deprehendi, ac vulgatae sub Anastasii Bibliothecarii nomine, sed plerumque breviatas. In ora Codicis Historica quaedam additamenta apponuntur, ad Martyrum praecipue, aliorumque Sanctorum memoriam servandam, inter quae nonnulla mihi e Sicardo desumta fuisse videbantur. Rem uno exemplo ostendam. Ad Vitam Damasi I. Papae haec in margine adjiciuntur: *His temporibus Damasi Papae Valentiniano, & Valente Imperatoribus, Anno secundo Valentiniani, Damasus, & paulo post Ursinus Diaconus Romae fuerunt Episcopi; sed praevaluit Damasus. Hic damnavit Liberium, & annullavit omne, quod fecerat. Anno V. Valentiniani Hylarius Pictaviensis moritur. Anno VII. Eusebius Vercellensis moritur. Anno XI. Ambrosius, cum esset Catechumenus, Mediolani ad Sacerdotium postulatus, multipliciter fugiens, a Valentiniano legitur audivisse: Noli timere, quia Deus, qui elegit te, ipse te adjuvabit; & ego adjutor & defensor tuus semper existam. Post haec consecratur Episcopus. Ex tunc Italia ad Fidem convertitur. Et Aquilejenses Clerici quasi chorus Sanctorum habentur. Temporibus quoque Valentiniani Athanaricus Rex Gothorum Christianos persecutus est. Eunomius discipulus Arii Fidem impugnavit, sicut & Apollinaris Laodicenus, qui* &c. Haec Auctorem habere Sicardum Cremonensem, testis est mihi locuples Andreas Dandulus in Chronico heic edendo Lib. 4. Cap. 13. ad Annum 368. ubi haec leguntur: *Dicit autem Sicardus Episcopus, quod Aquilejenses Clerici hoc tempore quasi chorus Sanctorum habebantur*. Verum quae Sicardi sint in eo Chronico, quaeve aliorum Scriptorum, tuto discernere nemo, ut censeo, possit; ac propterea ab iis edendis supersedi. Quum vero ad Caroli Magni Imperium Sicardi Historia venit, tunc Vindobonensis Caesarae Bibliothecae Codice uti incipio, simulque Estensi, ita ut quae plura habet hic noster, pone subjiciam, sed semper indicato alterutro Codice, unde sumta sit narratio. Quae vero exigui momenti variantia sunt, subdam ad instar Notarum. Hac ratione quidquid potui de Sicardi reliquiis colligere, erit in posterum Eruditae genti ad manus.

Nunc aliquid de Sicardo ipso dicendum. Ad Annum 1179. Offredum Cremonensem Episcopum *ordinatorem meum* appellat. Tum narrat, se Anno 1183. a Lucio III. Subdiaconatus honore auctum. Anno vero 1185. addit: *Quo anno ego Sicardus praesentis Operis Compilator & Scriba, Cremonae, licet indigne, electus sum ad Episcopale Officium*: Proxime sequenti Anno ejus opera inter Fridericum I. Imperatorem, & cives Cremonenses, restaurata est pax. Anno 1187. eorumdem Civium precibus ac amore ductus, in Germaniam iter suscepit, ut resarciendi Castri Manfredi veniam ab Imperatore impetraret. Ad Annum 1194. scribit, Castrum Jovisaltæ (nunc *Genivolta*) a se inchoatum, ac feliciter consummatum; Anno vero 1199. se Romam peregre profectum fuisse, qua occasione ab Innocentio III. Papa impetravit, ut Coelitum albo inscriberetur Beatus Homobonus Cremonensis civis, non multo antea e vivis ereptus. Anno 1203. in Armeniam se contulit, ibique versatus est una cum Petro Cardinali Apostolicae Sedis Legato; atque Anno insequenti Constantinopolim profectus, in Templo Sanctae Sophiae solennem jussu ejusdem Legati ordinationem Clericorum celebravit. Quare vides, deceptum Ughellum, qui in Catalogo Episcoporum Cremonensium peregrinationem Sicardi in Orientem illigavit Anno 1209. Regressus denique in Patriam Sicardus, uti Cremonensium monumenta testantur, finem vivendi fecit Anno 1215. In Codice Caesareo haec adnotata infra videas. *Anno 1215. obiit Praesul Sycardus mense Junii, hujus praesentis Operis Compilator*. De Anno emortuali Auctoris nostri haec certa reor; de Mense dubitare me cogunt Arisius in Cremona Literata Ughellus, & alii, qui tradunt, Sicardum ad plures abiisse die *XXVI. Januarii*.

For-

Fortasse qui Vindobonensem MStum olim scripsit, *Jan.* ibidem breviatum pro *Januario* inveniens, incaute *Jun.* idest *Junium* legit. Christophorus Sandius in Notis ad Vossium de Histor. Latin. quum animadvertisset, Sicardum Anno 1215. postremo fato functum fuisse, postea subdit: *Qua ergo ratione potuit Chronicon suum produxisse ab origine Mundi usque ad Annum* 1221. *ut refert Lambecius Tom. II. de Biblioth. Vindobonen. pag.* 871.? Non injuria hoc petit Sandius. At ex verbis Chronici ipsius, quod Lambecius laudavit, constare nunc potest, revera Sicardum Anno 1215. e vita concessisse; quae vero pauca sequuntur, apposita fuisse, uti usu venit, ab alio Scriptore, qui Sicardi Librum per annos quinque continuavit. Atque heic iterum audiendus est Gualvaneus de la Flamma, qui Cap. 247. *Manipuli Florum* MSti narrat, Anno 1214. profligatos in bellico certamine fuisse Cremonenses a Mediolanensibus, addendo: *Nec fuit umquam in Populo Cremonensi secundum Sycardum facta tam enormis jactura.* Atqui teterrimi hujus proelii ne verbum quidem Estensis, aut Vindobonensis Codex habent; immo amborum narratio in Annum praecedentem 1213. desinit. Quid haeic dicendum? Num Gualvaneo fuit Codex, cui non Sicardus, sed quisquam alius, cruentae hujus pugnae mentionem addidit? an vero integrum Sicardi Chronicon minime nobis servatum? Ego dubius sto, ac praecipue quod tantam inter ambos hosce Codices MStos dissimilitudinem intuear. Ceterum hujus Mediolanensis victoriae ne ipsi quidem Annales breves Cremonensium, quos infra sum editurus, ad Annum 1214. meminerunt.

Reliquum est, ut nunc de hoc ipso Sicardi labore quid ego sentiam, atque sentiendum judicem, studio omni deposito, edicam. Quae ille congessit usque ad tempora Caroli Magni, modico usui futura sunt Eruditis iis, quibus curae est a fontibus, non autem a rivulis, Historiae veritatem haurire. Attamen ibi quoque nonnulla mihi videre videor, quae alibi frustra perquiras, deperditis nempe ante haec tempora Historiis, quibus ille suo tempore utebatur. Quod si illic te laedat fabulosum aliquid, aut male consutum, quod resecare ego ausus non fuerim: tu aut illud Regiensi Scriptori Sicardum farcienti tribue; aut Sicardo ipsi, aevo parum Critico degenti, ignosce. Nam & ille in ea Historiae parte, quae eum proculdubio Auctorem agnoscit, non satis sibi cavit a fabulis, atque erroribus vulgarium Chronologorum. Cujus rei exemplum petenti, ejusdem Caroli Magni vita statim occurrat; eum quippe Sicardus tradit peregrinatum in Palaestinam, & per duodecim praecipuos pugnatores bella gessisse (nos *Paladini* appellamus) inter quos *Rolandus*, *Uliverius* &c. Haec a Romanensibus Fabulis desumta. Ita ille quatuor nobis *Berengarios* Italiae Reges obtrudit, quem errorem in Historia plurimi subinde propagarunt. Sed quod plus mirere, etiam domi suae hospitem se prodit Sicardus. Si ei credimus, sub Ottone I. Augusto *Luyso Cremonae fuit Episcopus, qui corpus Beati Hymerii transtulit.* Imperante vero Ottone II. *Liutprandus Cremonae fuit Episcopus.* Sed veniam det Sicardus: ex uno Episcopo duos illos incaute fecit; neque enim a *Liuzone* alius est *Liutprandus*, uti jamdiu recte adnotavit Ughellus, atque ego in Praefatione ad Chronicon ejusdem Liutprandi Tom. II. Rer. Italic. satis evicisse me puto. Quare jam intelligas, quam facile rudibus iis Seculis caespitarent Historici, quoties de eventibus ab aetate sua remotis res erat, & eos deficiebant coaevi Scriptores. Attamen quae hactenus attuli, nihil obstant, quominus Sicardi foetus, aliis antiquioribus additus, suum quoque praesidium Eruditioni praebere possit, ac potissimum ubi sui, aut proxime praeteriti temporis acta enarrat. Si non alia ipsum nobis commendarent (commendant autem plura) hoc unum ejus laudem, & quidem non exiguam, statuere queat. Eleganti enim sermone supra Seculi sui morem singula describit, atque ita Friderici I. Augusti expeditionem postremam in Orientem, & subsequuta Cruce signatorum gesta ob oculos ponit, ut fortasse, quod est ad res eorum temporum Orientales, plerosque alios Scriptores post se relinquat. Adde, neminem ex nostris tot nobis, quot Sicardus monumenta reliquisse de inclyta progenie Marchionum Montis-ferrati, eorumque praeclaris in Oriente gestis. Atque hinc est, cur doleam, quod utilissimi Scriptoris lucubrationes aliquot jam exciderint, neque omnes educere in omnium conspectum queam. In his etiam, quae nunc prodeunt, optassem ut emendatiores Codices mihi praesto fuissent; abundant enim vitiatis lectionibus tam Caesareus Vindobonensis, quam Estensis. Sed quando nec plura, nec meliora exhibere licet, erit honesti Lectoris haec quae dare possum, sibi ac aliis bonarum Literarum amatoribus gratulari, mihi vero in reliquis proniorem fortunam precari.

Forrasse qui Vindobonensem MStum olim scripsit, *Jan.* ibidem breviatum pro *Januario* inveniens, inchoate *Jan.* idest *Junius* legit. Christophorus Sandius in Notis ad Vossium de Histor. Latin. quum animadvertisset, Sicardum Anno 1215. postremo fato functum fuisse, postea subdit: *Qua ergo ratione potuit Chronicon suum produxisse ab origine Mundi usque ad Annum 1221. ut refert Lambecius Tom. II. de Bibl. Vindobon. pag. 871.?* Non injuria hoc petit Sandius. At ex verbis Chronici ipsius, quod Lambecius laudavit, constare nunc potest, revera Sicardum Anno 1215. e vita concessisse; quae vero pauca sequuntur, apposita fuisse, uti ante vidit, ab alio Scriptore, qui Sicardi Librum per annos quinque continuavit. Atque hujus iterum argumentum est Gualvaneus de la Flamma, qui Cap. 247. *Manipuli Florum* MSti narrat, Anno 1213. profligatos in bellico certamine fuisse Cremonenses a Mediolanensibus, addendo: *Nec fuit umquam in Populo Cremonensi fama Sicardum fuisse tam magnum* [illegible]. Attamen ceterarum hujus proelii ne verbum quidem Estensis, aut Vindobonensis Codex habent; immo amborum narratio in Annum praecedentem 1213. desinit. Quid hinc dicendum? Num Gualvaneo suus Codex, cujus non Sicardus, sed quisquam alius, certamine hujus pugnae mentionem addidisse; an vero integrum Sicardi Chronicon minime nobis servatum? Ego dubius sto, ac praecipue quod tantam inter ambos hosce Codices MStos dissimilitudinem intuear. Ceterum hujus Mediolanensis victoriae ne ipsi quidem Annales breves Cremonensium, quos infra sum editurus, ad Annum 1214. meminerunt.

Reliquum est, ut nunc de hoc ipso Sicardi labore quid ego sentiam, atque sententiam judicium studio omni deposito, edicam. Quae ille congessit usque ad tempora Caroli Magni, modico usui futura sunt Eruditis iis, quibus curae est a fontibus, non autem a rivulis, Historiae veritatem haurire. Attamen ibi quoque nonnulla mihi videre videor, quae alibi frustra perquiras, deperditis nempe ante haec tempora Historiis, quibus ille suo tempore utebatur. Quod si [illegible]



SICARDI
EPISCOPI CREMONENSIS
CHRONICON.

De Ptolemæo Dionysio, & de gestis, quæ fuerunt suo tempore, & aliis Baronibus, & de gestis Pompeji, & de morte dicti Pompeji.



Tolemæus Dionysius apud Ægyptũ regnavit annis XXX. Apud Judæos Alexandra, mortuo viro, regnavit an.IX. quæ primogenitum Hircanum declaravit Pontificem. Temporibus Dionysii orta est hæresis Pharisæorum. Apud Romanos Albanorum civitas capta est occasione civilis belli, & bellum gladiatorum fuit in Campania. Post hæc nova bella consurgunt in Hispania, in Pamphilia, in Macedonia, & in Dalmatia: de omnibus triumphaverunt Romani. Nicomedes Rex Bithyniæ Populum Romanum hæredem instituit. Lucullus Mithridatem virum insanientem, Byzantium, quæ nunc est Constantinopolis, fugavit, & oppressit. Interea novum bellum in Italia oritur, non levius bello Annibalis. Lucullus victâ Armeniâ, & Mesopotamiâ, & Nisibi capta primus Imperator est appellatus. Alter Lucullus capta Bile, & ceteris urbibus de Hæsis triumphavit usque ad Danubium, & de profugis in Rhodopæis montibus & multis aliis. Confecto bello Macedonico, adhuc manente Mithridatico, Creticum reparatur, ad quod Metellus missus cepit universam Provinciam, unde

A Creticus est appellatus. His temporibus Marcus Pontius Cato Stoicus Philosophus agnoscitur. Defunctâ Alexandrâ Hircanus filius Alexandri & Alexandræ sedit in Sede Pontificali apud Judæos annis XXXIV. quem multum persequutus est Aristobulus frater ejus. Sed tunc Hircani Consiliarius erat Antipater Idumæus, cujus consilio fugit Hircanus ad Aretam Regem Arabum, qui vênit in Judæam, & obsedit Hierusalem. Audiens Pompejus, qui erat in Armenia, dissensionem fratrum, ascendens Hierusalem, cepit eam, & Templum profanavit, & equos, ut dicitur, in porticibus stabulavit: ob quam rem dicitur, quòd qui fuerat in prœliis fortunatissimus priùs, post hæc fuit infortunatus. Pompejus itaque Hierosolymis tributum imposuit,
B Hircanum Pontificem confirmavit, Aristobulum captivavit, & rediens Romam, Syriæ administrationem & Judææ Scauro commisit. Hic est, qui Hispaniam, Albaniam, Armeniam, Asiam, Syriam, Lusitaniam, Piratas, Mithridatem, & Judæam subjugavit, unde & Imperator est appellatus. Sed & Catilina contra patriam conjuravit, qui demum in agro Piceno cum suis confossus est. Postmodum Gabinius Scauro succedit; gentem Judæorum per pentarchias, idest quinque conventus, divisit. Sub Gabinio militabat Marcus Antonius. Gabinio successit Crassus, factus Præses
C Syriæ; qui ut Parthos comprimeret, Templum auro exspoliavit, quare meritò auro in os infuso interiit; cui successit Cassius. Julius verò Cæsar de Germanis, Gallis, Britannis triumphavit, & omnes inter Rhenum, & Rhodanum, & Alpes usque ad Oceanum subjugavit. Appius Rex Romano Populo Lybiam testamento concessit. Eisdem temporibus Virgilius in pago, qui dicitur Andos, juxta

juxta Mantuam nascitur, qui postea Cremonæ studuit, Mediolani togam sumsit, & inde Romam vênit. Horatius Venusii nascitur. Apollodorus Græcus; Titus Livius Historicus; & Curio promtus Orator, claruerunt. Rediens Julius de Gallia victor Romam, exercitu dimisso apud Ariminum, quæsivit alterum Consulatum; sed contradictum est à Pompejo, Marcello, & Catone: ideoque Julius Cæsar solvit Aristobulum Romæ ligatum, & mittens cum exercitu sperabat obtinere victoriam; sed ab amicis Pompeji occisi sunt Aristobulus, & Alexander filius ejus. Alius verò filius Antigonus fugit ad quemdam Ptolemæum, qui accepit sororem Antigoni uxorem, & genuit Lysaniam, qui post fuit Abilinæ Tetrarcha. Et reversus Julius ad exercitum contra patriam se armavit. Pompejus autem, & omnis Senatus, & universa nobilium multitudo de Urbe aufugit, & in Græciam transivit, & contra Cæsarem bellum paravit. Cæsar utique vacuam Urbem ingressus, se Dictatorem fecit. Inde vadens in Hispaniam, exercitum Pompeji superavit. Inde transiens in Græciam cum Pompejo in Æmathia dimicavit. Unde Lucanus

Bella per Æmathios plusquam civilia campos.

Pompejus victus fugit in Alexandriam, ut à Ptolomæo Rege Ægypti peteret auxilium. Sed & Ptolemæus occîdit eum, & caput & anulum misit ad Cæsarem. Cæsar autem Alexandriam ivit, & cum Ptolemæo navali certamine dimicavit, cujus corpus in lorica aurea fuit inventum. Eo mortuo, Regnum Cleopatræ sorori ejus, cum qua consuetudinem stupri habuerat, dedit. Regnavit annis XXII. & fuit dicta Cleopatra soror & uxor dicti Ptolemæi. Hæc à serpente periit, & sic Regnum Ptolemæorum, vel Lagidum, defecit, quod stetit per annos CCXCV. Antipater autem fuerat cum Pompejo; sed eo mortuo Cæsari adhæsit, & Ægyptios ad obsequendum Cæsari suâ prudentiâ inclinavit. Ejus ergo gratiâ Cæsar Pontificatum confirmavit Hircano. Fecit Hircanum Regem, & Antipatrum Judicem Procuratorem. Postmodum in Thessalia, Africa, Hispania cum Pompeji fautoribus de omnibus triumphavit. Romam rediens singulare Imperium obtinuit.

De Julio Cæsare, & de ejus gestis, & de morte ejus.

JUlius Cæsar regnavit apud Romanos annis IV. mensibus VII. Fuerat ante Romæ imperatum sub septem Regibus annis CCXLIII. Postea verò sub Consulibus res acta est annis CCCCLXIV. Cœpitque Julius imperare anno primo Cleopatræ, & anno post Pontificatum Hircani. Quum igitur honores ex sua voluntate præstaret, & Senatui ad se venienti non adsurgeret, conjuratum est contra eum, & vigintitribus vulneribus, dolo Bruti & Cassii, confossus est. Vir, quo nullus umquam feliciùs in bellis enituit, nam quinquagies dimicavit; quo nullus celeriùs scripsit, nemo velociùs legit: quaternas epistolas simul dictavit; tantæ fuit bonitatis, ut quos armis subegerat, clementia magìs vinceret. Ab hoc Cæsare Principes Romanorum Cæsares appellati sunt. Julius Cæsar Idibus Martii occisus est in Curia à Senatoribus. Obiit autem anno ætatis suæ LVI. Cujus corpus combustum est, & tumulatum in Columna, quæ Julia nuncupatur. Ante mortem ejus fulmen cecidit in Foro, quod de nomine ejus statuæ superposito C. literam capitalem abrupit; & fenestræ thalami ejus tanto strepitu sunt apertæ, quòd domum rupturam crederent. Eadem die datæ fuerunt ei, quum iret in Capitolium, literæ mortis indices, quæ in manu occisi nondum solutæ fuerunt inventæ. Post mortem ejus tres Soles apparuerunt in Oriente, convenientes in unum corpus solare, significantes, quòd trium potestates redirent in Monarchiam, vel significantes, quòd notitia trini & unius Dei toti Orbi imminebat futura. Romæ Basilica Julia dedicatur. Antonius mensem Quintilem Julium nominavit, quia in eo mense Julius natus est. His temporibus boves in suburbano Romæ ad aratorem loquuti sunt, frustra se urgeri dicentes, magìs defuturos homines quàm frumenta. Nota, Pompejum in Ægypto à Ptolemæo Rege Ægypti occisum esse, quum Pompejus ad eum confugeret. Unde Cæsar eum persequutus occîdit Ptolemæum, pro eo quòd ausus fuerit Principem Romanorum occidere. His temporibus Servius Sulpicius Jurisperitus, & Publius Servilius Isauricus claruerunt. Cassius in Judæa Templum expoliat.

De Octaviano Imperatore, & de gestis & actibus, quæ fuerunt suo tempore.

OCtavianus Cæsar Augustus regnavit apud Romanos annis LVI. & mensibus V. Annis XII. cum Antonio, XLIV. solus. Anno ab Urbe Condita DCCX. quidam dicunt DCC. minus VIII. Antonius Cæsaris occisores persequebatur, quos Senatus fovebat. Ergo contra Antonium missi sunt duo Consules, & cum eis tertius, scilicet Octavianus adolescens sexdecim annorum, natus Patre Octaviano Senatore, maternum genus trahens per Juliam familiam, nepos Julii. Cæsar suum dedit nomen, & hæréditatem testamento reliquit. Igitur hi profecti contra Antonium, juxta Mutinam vicerunt eum. Et ecce rursus civilia bella. Sed post duo Consules mortui sunt, & illi exercitus Cæsari paruerunt; qui cum Antonio pacem fecit, & cum exercitu & Antonio Romam rediit. Item Antipater mortuus est bibendo venenum. Quatuor habebat filios, scilicet Phasælum Procuratorem Judæorum, Herodem Procuratorem Galilææ, Josephum, Pheroram, & filiam Salomam. Itaque reversi sunt Antonius & Octavianus. Mortem Cæsaris vindicantes, occiderunt Ciceronem Oratorem, & multos nobiles, & post hæc Brutum & Cassium. Dimicantes obtinuerunt, diviseruntque inter se Rempublicam. Octavianus Hispaniam, Galliam, & Italiam. Antonius Asiam, Pontum, Syriam, & Orientem, qui Phasælum & Herodem Procuratores Tetrarchas effecit. Sed Rex Parthorum Hierusalem obsedit, & Antigono Regnum restituit, tradens ei Hircanum & Phasælum. Herodes autem fugiens vênit Romam, & coronatus est in Regem super Judæam. Rediens Herodes cum Romanis cepit Hierusalem, & Antonius occîdit Antigonum, & confirmavit Herodi Regnum. Ad hæc Antonius, repudiata sorore Cæsaris Octaviani, cujus bajulus post mortem Cæsaris remanserat, nitebatur multo certamine ei auferre Imperium; & duxit in uxorem Cleopatram Reginam Ægypti potentissimam in

in auro & argento & lapidibus pretiosis, & populo. Cumque Antonius & Cleopatra cum magno apparatu navium & populi contra Romam venire cœpissent, hoc Romæ auditum est. Octavianus verò cum ingenti apparatu obviam ivit, & aggressus est eos ad Epyrum, & sic orta est pugna: in qua pugna navis Reginæ, quæ tota erat deaurata, cœpit declinare. Quod Antonius videns declinavit, quem insequutus est usque Alexandriam, qui irruit in ferrum, & se ipsum occîdit. Cleopatra autem videns conservatam se pro triumpho, ornata auro, & lapidibus pretiosis voluit sua pulchritudine Octavianum decipere, & sicut ceteros ad libidinem specie provocare. Sed non est flexus; immo eam custodiri præcepit. Videns igitur se despectam intravit ita ornata Mausolæum viri sui, & posuit ad mammillas duas Persinas, quod est genus serpentis. Octavianus autem tulit inde infinitam pecuniam ex illa victoria, & triumphavit Alexandriam, & Ægyptum, & totam regionem Orientis, & ita victoriosus reversus est Romam. Et susceperunt eum Senatores & omnis Populus Romanus cum magno triumpho. Et quia victoria ista fuit in Sextilibus Kalendis, posuerunt ei mensi nomen *Augustus*, ab augendo Rempublicam. Statuerunt, ut omni anno in Kalendis Augusti tota Civitas hanc festivitatem illius victoriæ ad honorem Octaviani Cæsaris, & tota Urbs floreat & gaudeat in tanta festivitate.

Additamentum posterioris, sed antiqui Scriptoris ad Chronicon Sicardi in Codice Estensi.

„ Hic ritus perduravit usque ad Arcadii „ viri Eudoxiæ tempora, quæ mortuo „ ejus marito remansit cum filio suo Theodosio „ parvulo, quæ viriliter regebat Imperium, ac „ si vir ejus Arcadius viveret. Hæc inspirante „ Divino nutu, & negotio Reipublicæ, ivit „ Hierosolymam, Sepulchrum Domini, & alia „ Sanctuaria visitatura. Inter multa negotia „ Reipublicæ comprovinciales detulerunt ei „ ingentia munera, inter quæ Catenas Bea„ti Petri Apostoli. Et cogitavit non alibi „ eas Catenas poni, nisi ubi Beati Petri corpus „ requiescit in pulvere. Veniens autem Romam „ in Kalendis Augusti vidit illum antiquissimum „ ritum Paganitatis à Populo Romano celeber„rimè fieri in Sextilibus Kalendis, quem nullus „ Romanorum Pontificum removere potuit. „ Aggressa est Papam Pelagium, & Senatores „ & Populum, quatenus hoc munus, quod pe„tere vellet, ei concederetur. Cui diligenter „ condonare promiserunt. Regina verò dixit: „ *Video vos tam sollicitos in Sextiles Festivitates* „ *in honorem Imperatoris mortui Octaviani pro* „ *victoria, quam fecit contra Ægyptios. Rogo* „ *vos, ut mihi donetis honorem Imperatoris mor*„*tui Octaviani ad honorem Imperatoris cælestis,* „ *& Apostoli Petri, cujus Catenas à Hierosoly*„*mis adduxi. Et sicut ille liberavit nos ab* „ *Ægyptiaca servitute, ita ille Imperator cæle*„*stis liberet vos à servitute Dæmonum. Et volo* „ *facere Ecclesiam ad honorem Dei & Beati Pe*„*tri, ibique ponere Catenas; quam Ecclesiam &* „ *Domnus Apostolicus dedicet in Kalend. Augu*„*sti, & vocetur Sanctus Petrus ad Vincula.* „ *Ubi Domnus Apostolicus annualiter in hac Ec*„*clesia Missarum solemnia celebret. Et sicut* „ *Beatus Petrus ab Angelo fuit à vinculis abso*„*lutus, ita Romanus Populus cum benedictione* *à peccatis absolutus incedat.* Quod Populus „ audiens gravissimè suscepit: tamdem Papæ & „ Reginæ concessit, quæ fabricavit Ecclesiam, „ quam Domnus Papa dedicavit in Kalend. Au„ gusti, sicut Eudoxia Christianissima Imperatrix „ proposuerat; ubi posuit Catenas Beati Petri „ prælibatas, & Catenas Beati Petri Neronia„ nas, & Beati Pauli, ut ibi Populus Romanus „ in hoc die Kalendarum Sextilium confluat, & „ salutet Catenas Apostolorum Petri & Pauli. „

Anno XLI. Octaviani Augusti natus est Johannes Baptista, qui exultavit in utero matris, & natus solvit linguam patris. Prædixerat enim Angelus Zachariæ Sacerdoti seni, quòd de Elisabeth sterili & sene filium generaret, quod quia discredidit, factus est mutus. In sexto verò mense missus est Angelus Gabriel in civitatem Nazaret ad Virginem Mariam desponsatam Joseph: dicens: *Ave Maria gratia plena: Dominus tecum &c.* ut in Evangelio continetur. His temporibus Octaviani, fontem olei manasse de Transtiberi usque in Tiberim, & è taberna meritoria per totam diem; significans gratiam Christi ex gentibus. Et circulus ad speciem Cœlestis arcus circa Solem apparuit, ejusdem gratiæ significativus. Temporibus Cæsaris Octaviani Augusti Falcidius legem tulit, quæ Falcidia nominatur. Virgilius, Horatius, Ovidius Naso, Varrus, & Nicea, Æmilius Veronensis, Quinctilius Cremonensis Poëtæ, & Cornelius, Sallustius Historici, Artorius Medicus Augusti, Varro Philosophus, Albucius Novariensis, & Messala Corvinus Rhetores fuerunt. Ægyptus itaque Romano Imperio per Octavianum subacta est anno XV. Regni ejus, apud quam regnatum fuerat post Alexandrum per duodecim Reges annis CCLXXXXV. His temporibus Herodes contra Regem Arabum ab Antonio missus fuerat; sed rediens in gratiam Cæsaris admissus est, & amplians ei Regnum, tradidit ei Trachonitidem, & Myrrhæam, & totam maritimam usque ad Pyrgum Simeonis; deditque ei Cæsar CCCC. Galatas satellites, qui postea vocati sunt Herodiani. Eodem tempore, ut ait Tertullianus, vel potiùs XLII. anno Imperii Cæsaris Augusti, & XXXII. Regni Herodis, Maria peperit filium primogenitum. Hic est finis quintæ ætatis, quæ senectuti comparatur, eo quòd in hac plebs Hebræa in multis malis oppressa est, & continet generationes XIV. Fuerunt anni ab Adam usq; ad Christũ anni quinque millia centum nonaginta novem. A diluvio MMMCCC. minus XLIII. Ab Abraham MMXV. A David mille quadragintasex. A transmigratione Babylonis quingenti octogintanovem: alii dicunt, quingenti octogintasex. Ab Urbe Condita septingenti quinquaginta duo; quidam dicunt, triginta tres. Nota. Ad cujus tempus elucidandum, aliquot annos, qui ad rem pertinent, singulariter & evidentiùs declaremus.

Anno igitur Octaviani Augusti X. defecit Pontificatus Judæorum. Anno XI. Herodes alienigena, filius Antipatri Ascalonitæ, & matris Epyridis Arabicæ, suscepit, ut prædiximus, à Romanis Judaïcum Regnum. Cujus principatus modò per Duces, modò per Reges, modò per Pontifices fuerat hactenus à Judæis obtentus. Imminente verò Christi Nativitate ad alienigenam translatum est, ut adimpleretur illud Propheticum: *non deficiet Princeps,* vel *non auferetur sceptrum de Juda, nec Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est,*

& ipse est exspectatio gentium. Sed Herodes combussit Libros genealogiæ gentis Judæorum, ut deficientibus probationibus crederetur ad eum pertinere Regnum. Hic complentur sexaginta novem anni hebdomadæ Danielis, qui faciunt CCCCLXXXIII. Defecit etiam successio generis Sacerdotalis, quum emeretur Sacerdotium à Romanis. Anno Octaviani Augusti XLVII. & Regni Herodis XXXVII. scatentibus è corpore vermibus miserabiliter Herodes mortuus est; qui fuit in aliis fortunatissimus, sed in domesticis infelicissimus. Qui multas Civitates construxit, scilicet Cæsaream, quæ Turris Stratonis antea vocabatur; Samariam reparans, Sebasten, idest Augustam, nominavit. In Hierusalem multas domos ædificavit, & Turrim, quam ad honorem Antonii vocavit Antoniam, sed nunc dicitur Turris David. Construxit & Aquilam auream super Speciosam Portam Templi; & ad honorem posuit Romanorum, quam Judæi dejecerunt in morte ipsius. Fecit & in Ascalone domum Regiam, unde Ascalonita vocatus est. Fecit & Templa multa ad honorem Cæsaris, sed & Templum Domini decoravit. In Syriæ singulis urbibus opera multa construxit; sed homicidia & parricidia multa commisit. Nam Hircanum, & filium ejus, & sororem suam, uxorem cum duobus filiis, & socrum, & duos viros sororis unum post alium fecit occidi. Jussit quoque Sileam nobiliores in morte sua Judæos occidere, ut eo mortuo plangeretur ab universa Judæa saltem invita. Et quum de novem uxoribus numerosam genuisset prolem, tres jussit occidi, Antipatrum, Alexandrum, & Aristobulum. Tres autem superstites exstiterunt, Archelaus, Herodes Antipas, & Philippus. Aristobulus verò reliquit filium suum Herodem Agrippam, & filiam Herodiadem. Mortuo Herode orta est inter fratres de Regno seditio; inter quos quum Romæ coram Cæsare litigassent, Cæsar Regnum divisit, medietatem Archelao, aliam medietatem inter Herodem Antipam, & Philippum. Archelao quidem Judæam tradidit & Idumæam. Herodi regionem trans flumen, & Galilæam, Philippo Ituræam, & Trachonitidem. Factus est Archelaus Dinarchus, sed quandoque Monarchus, intellige secundùm opinionem vulgi, vel promissionem Augusti, vel jactantiam sui. Herodes autem & Philippus facti sunt Tetrarchæ. Anno XLVIII. Regni Augusti, & primo Archelai, & septimo fugæ Christi, monitus est Joseph per Angelum, ut rediret in terram Hierusalem. Sed audiens, quòd Archelaus regnaret in Judæa, noluit illuc venire, sed veniens in Galilæam cum matre & puero habitavit in Nazaret. Anno Augusti LIV. quum esset puer Jesus duodecim annorum, ascendit Hierosolymam cum parentibus ad diem Festum, & sedit in Templo in medio Doctorum, audiens, & interrogans. His temporibus censu Romæ agitato inventa sunt hominum nonagies & trecenta & sexaginta millia. Romam veniens Archelaus, quum accusaretur, à Cæsare damnatus est, & apud Viennam in exilium relegatus. Sol eclypsim patitur, & Augustus moritur, quum regnasset XIV. annis post Nativitatem Domini. Ajunt quidam, quòd regnavit annis LVI. mensibus VI. diebus X.

A

De Tiberio Cæsare filio Octaviani adoptivo & genero; & de Pontio Pilato, quem dictus Cæsar Procuratorem Judææ instituit. Et de gestis & actis, quæ fecit, & fuerunt suo tempore.

Tiberius Augustus filius adoptivus fuit Octaviani Cæsaris. Apud Romanos regnavit annis XXIII. Hic vivente Augusto sub eo de Rhætis, Vindelicis, Armenis, & Pannoniis triumphavit; ideoque Augustus adoptavit eum in filium. Fuit enim privignus ejus, & gener. Similiter adoptavit & Agrippam,
B idest Herodem. Tiberius adoptatus Darmatas seu Sarmatas in Romanam redegit potestatem. Factus Imperator multos Reges ad se per blanditias vocatos non remisit, inter quos Cappadocem Archelaum retinens, cujus Regnum in provinciam vertitur, & Mazaram Civitatem, caput Regni, Cæsaream appellavit. Hic Tiberius vino indulsit, unde quum nomen haberet *Claudius Tiberius Nero*, joculatores vocabant eum *Caldius Biberius Mero*. Apud Judæos relegato in exilium Archelao, missi sunt Procuratores unus post alium: Coponius, Marcus Annius Cuphus, Valerius, qui sæpe vendidit Sacerdotium. Anno XII. Tiberii Cæsaris Philippus Tetrarcha Panea-
C dem Cæsaream Philippi vocavit, constituens in ea plurimas ædes, & Sephorim aliam Civitatem Juliam vocavit. Anno XIII. Valerio Romam reverso Tiberius Pontium Pilatum Judææ Procuratorem instituit, qui Hierusalem veniens statuas Cæsaris erexit; & quum Judæi supplicassent de statuis amovendis, minatus est eis mortem: at illi potiùs mortem eligebant, quàm leges patrias profanarent. Admirans itaque Judæorum constantiam in legalibus institutis, statuas jussit auferri. Anno XIV. Tiberii Herodes Tetrarcha Tiberiadem condidit, & Libiadem. Anno XV. Imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode,
D Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Itureæ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ Tetrarcha, sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha, prædicatur baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et veniens omnis Judæa in Betharam regionem trans Jordanem baptizabatur ab eo. Erat autem Johannes vestitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos ejus: locustas & mel silvestre comedebat, in deserto inhabitans. Eo tempore erant tres sectæ Judæorum, à communi vita & opinione distantes. Pharisæi phylacteria, scilicet pictacia chartarum, quibus Decalogus erat inscriptus, in brachiis & in fronte gerebant, & spinas in fimbriis. Ani-
E mas defunctorum dicebant transire in alia corpora usque ad resurrectionem. Sadducæi negabant resurrectionem, putantes animas cum corporibus interire. Essæi, vita quasi Monachi, dicebant animas omnes à principio creatas, pro temporibus incorporari. Eodem tempore dicti Tiberii Cæsaris exierunt Scathoarii de Scanadabia Insula in mari Oceano posita; qui venientes juxta Rhenum, fecerunt Burgos, ideoque dicti sunt Burgundiones. Cujus tempore primi habitatores dicebantur Allobroges. Et quum regnasset Tiberius annis V. post Passionem Domini mortuus est. Eodem tem-

tempore Sudarium Veronicæ deportatum fuit Romam de Hierusalem, & liberatus fuit Tiberius à lepra; & vindicta Christi facta fuit de Judæis propter mortem Christi; & mortui & destructi fuerunt Principes Sacerdotum, & venditi per Titum & Vespasianum; & Pilatus in navi vivus deductus fuit Romam.

De Cajo Caligula, & de Herode Tetrarcha, qui occidi fecit Johannem Baptistam, & de gestis, quæ fecit, & fuerunt suo tempore.

ANno ab Incarnatione Domini XXXVIII. Cajus Caligula regnavit apud Romanos annis IV. mensibus X. Hic fuit sceleratissimus. Nam cum sororibus suis stupra commisit: post eas exilio condemnavit. Hic anno primo Imperii sui Agrippam, idest Herodem, de vinculis liberavit, & Judææ Regem instituit, & apud Judæos regnavit annis VII. Herodem verò Tetrarcham apud Lugdunum exilio condemnavit, ubi cum Herodiade adultera extrema mortuus est egestate. Anno ab Incarnatione Domini XXXVIII. Anno XVII. vel secundùm quosdam XVI. Imperii Tiberii Cæsaris, Herodes Tetrarcha jussit decollari Johannem Baptistam: caput datum est puellæ in disco, & humatum est corpus in Hierosolymis. Discipuli sepelierunt in Sebaste. Audivit autem Herodes famam de Jesu, & dubitabat an esset Johannes, qui resurrexisset à mortuis, & quærebat eum videre. Tempore Caji Caligulæ Pontius Pilatus incidens in multas calamitates, demum se propria manu occîdit. Cajus Caligula jussit in Templo & Synagogis Judæorum, & suas & Jovis imagines erigi, & se Dominum vocari.

De Claudio. Et de morte Beati Jacobi fratris Johannis, & de gestis, quæ fecit, & fuerunt suo tempore.

ANno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi XLIII. Claudius patruus Drusi, qui apud Maguntiam sepultus est, regnavit apud Romanos annis XIV. mensibus VII. diebus XXVIII. Hic de Britannis triumphavit, & Orcades Insulas Romano adjunxit Imperio. Rex Agrippa (alio nomine dictus Herodes) occîdit Jacobum fratrem Johannis gladio; sed is, qui eum obtulerat ad martyrium, capite punitus est, quia confessus, se esse Christianum. Petrum quoque misit in carcerem; sed Angelus Domini eripuit eum de manibus Herodis. Anno IV. descendens Herodes vel Agrippa in Cæsaream, sedens pro tribunali gloriabatur, & post mortem inter Deos relatus est, & Divus appellatus. Cujus temporibus descriptio facta est; Romæ: sexagintaocto centena quadraginta quatuor millia; alibi dicitur: sexagies mille millia nongenta quadraginta unum millia hominum inventa sunt. Ejsque temporibus triginta millia virorum in die Paschæ constipatione populi in foribus Templi necantur, ut dies festus converteretur in luctum. Anno VI. Claudii tanta fames fuit Romæ, quòd Imperator vix furorem plebis evaserit. Post hæc Claudius Agrippæ filium Agrippam substituit in Regnum Judæorum, & regnavit apud Judæos annis XXXVI. Eodem tempore Felix quemdam Ægyptium falsum Prophetam, qui multa millia virorum

A congregaverat, ut irruerent in Hierusalem, de quo Acta Apostolorum faciunt mentionem, in fugam convertit. Quum itaque Paulus coram Felice fuerit accusatus, Felix liberam concessit ei custodiam. Anno IX. Judæos tumultuantes Roma ejecit.

De Nerone Imperatore, qui multa mala fecit & fieri fecit suo tempore, quia interfecit matrem, amitam, & uxorem, fratrem, & magistrum suum Senecam. Et de morte Beati Jacobi, Marci, Petri & Pauli, & Lucani, & aliis gestis.

B ANno ab Incarnatione Domini LVIII. Nero apud Romanos regnavit annis XIV. mensibus VII. diebus XXVIII. Hic fuit similis Caligulæ avo suo, & eo pejor, quia matrem, amitam, uxorem, fratrem, & magistrum suum Senecam occîdit, qui fuit de civitate Cordubensi, patruum Lucani. Et civitatem incendit, ut similitudinem ardentis Trojæ videret. In re militari nil ausus, ferè Britaniam perdidit, & Armeniam. Qui tantæ fuit luxuriæ, ut retibus aureis, & funibus purpureis piscaretur. Romæ Thermas ædificavit. Anno VII. Imperii Neronis Jacobus frater Domini Hierosolymitanus Episcopus de pinnaculo Templi pertica fullonis jactatus & mortuus est. C Anno secundo Imperii sui Festum Felici substituit Præsidem Palæstinæ, à quo Paulus Cæsarem appellavit. Cui Festus: *Cæsarem appellasti: ad Cæsarem ibis*. Quum Rex Agrippa venisset Cæsaream ad salutandum Festum, indicavit Festus Regi de Paulo, coram quo Paulus etiam comparuit. De morte Beati Marci Evangelistæ multipliciter est scriptum.

Additamentum posterioris, sed antiqui Scriptoris ad Chronicon Sicardi in Codice Estensi.

„ IN Passione sua legitur, quòd imperantibus Gajo & Junio (alibi, quòd primo Neronis anno, quidam octavo) mortuus est. *Hic Petri in baptismate filius, & in sermone discipulus fuit. Hic Evangelium in Italia scripsit rogatu Romanorum, ut quod Petrus docuerat verbo, literati in memoria conservarent. Post hæc in tota regione Ægypti baptizatis ordinavit Episcopum. Multos quoque varios infirmos sanavit: leprosos mundavit; dæmoniacos liberavit. Demum Ecclesiá constructá per Fratres in loco, qui Buculus nominatur, insidiatores in mense Pharmuthi, idest Aprili & festivitate septiplica fune trahentes eum, dicebant: trahamus bubalum de Buculi. Sanctus verò Domini gratias agebat Domino Jesu Christo dicens: in manus tuas Domine commendo spiritum meum. Et tunc quum Gentiles reliquias ejus comburerent, factæ sunt tenebræ, tempestas, & imber. Posuerunt ergo justi corpus ejus in Alexandria in loco lapidis excisi cum gloria, venerantes memoriam ejus*. Quod longo tempore post Venetias creditur esse translatum, ubi colitur & veneratur. Et meritò ad Italiam translatum est, ubi ejus Evangelium primò prædicatum. Cujus discipulus fuit Hermagoras Aquilejensis. Hermagoras verò Syrus, & Inventius Papiensis claruerunt. Eodem tempore Neronis, discipuli Pauli fuerunt Dionysius Areopagita, qui apud Athenas Sacerdotium adeptus est, & Crescens, & Trophimus, qui ad Gal-

 lias

„ lias profecti sunt; & Lucas, qui ad ejus „ doctrinam scripsit Evangelium, & ad ejus „ sequelam Actus Apostolorum.

Demum verò quum à Romanis quæreretur ad pœnam, quia magnam partem Senatus occiderat, à Senatu fugatus est & occisus. Dicitur, quòd se ipsum occîdit, & in eo omnis Augusti familia cōsumta est. Temporibus Neronis Lucanus claruit, qui deprehensus in conjuratione quadam, brachium ad secandas venas præbuit. Horatius Rhetor, qui & Thebaidos appellatur. Eo tempore terræmotus Romæ & in Asia fuerunt. Fulmen cecidit ante mensam Neronis. Ejus tempore Cornutus Poëta Magister Persii claruit. Sed Cornutum Nero misit in exilium. Eodem tempore An. XII. Neronis & XXXVI. post Passionem Domini, & LXX. ab Incarnatione (alibi dicitur XIV. Neronis, & XXXVIII. Dominicæ Passionis) Nero Petrum occîdit Crucis patibulo, capite deorsum, sicut elegit, verso; & sepultus est in Vaticano juxta Viam Triumphalem; & eodem die Paulum occîdit gladio. Hic fuit Judæus Gamalielis discipulus, qui XIV. scripsit Epistolas, sed propter stilum de ultima dubitatur, & creditur esse Barnabæ, & Lucæ, vel Clementis. Et quum ad Paulum Seneca scripsisset Epistolas, Paulus quoque scripsit ad eum. Est autem sepultus in Via Ostiensi, anno XXVII. ut quidam ajunt, post Passionem Domini. Hi duo, sicut ait Clemens, habuerunt uxores. Nam Petrus, quum uxorem vidit duci ad passionem, gavisus ait: *ò conjunx memento Domini*. Paulus negat, se suam circumducere, ut expeditiùs posset prædicationi vacare.

De Galba, & Ottone, & Vitellio, & Vespasiano, & aliis gestis.

ANno ab Incarnatione Domini LXXII. post mortem Neronis Galba in Hibernia, Otto Romæ, Vitellius in Germania, Vespasianus in Palæstina electi sunt ad Imperium. Nero namque contra Judæos Vespasianum miserat. Sed Galba septimo mense capite truncatur. Hujus temporibus fuit Linus Papa. Otto levi prœlio victus se ipsum occîdit. Vitellius à Ducibus Vespasiani occiditur. Itaque Vespasianus exercitum filio Tito commendans, Romam vênit, & confirmatus regnavit annis IX. mensibus XI. diebus XXII. Qui moderatissimè rexit Imperium: erat enim justus, largus, lætus, patiens, immemor offensarum. Ecclesia, quæ Hierosolymis congregata fuerat, responso accepto, transivit ad castrum, Pellam nomine, trans Jordanem. Ablatis justis viris Titus anno secundo Imperii patris sui Judæam & Hierusalem diebus Azymorum subvertit, diebus meritò, quibus Dominum occiderunt. Alii occiderunt gladio, alii fame, usque adeò, quòd matres filios comederent. Alii verò igne combusti sunt, alii venumdati, alii captivati, usque ad decies centena millia. Hic est igitur ille secundùm Prophetam *aper de silva, qui devastavit eam*. Fuerunt autem à prima ædificatione Templi, quod fuit sub Salomone, usque ad hanc ruinam anni MMMCII. (alii dicunt MMMLXXXIX.) A secunda, quæ fuit sub Dario DXC. A captivitate sub Antiocho CCXXXVIII. A Passione Domini XXXIX. vel potiùs XL. (supra Isaiam legitur XLII.) Hanc ruinam prodigia præcesserunt, scilicet Cometes stella similis gladio, & immensum fulgur repentinum in Templo, & voces dicentes: *transmigremus hinc*; & janua ferreis vectibus munita, sponte patefacta: currus & quadrigæ, armatorum cohortes in aëre, & vitula in sacrificiis agnam enixa; & prophetia cujusdam rustici clamantis, & nil aliud in ore habentis, quàm verba hæc: *Vox, ab Oriente: vox ab Occidente: vox à quatuor ventis: vox super Hierusalem & Templum: vox super sponsam & sponsum: væ Israhelitis!* & divisio Civium, quia pars Templum, pars tenuit arcem, pars reliquam Civitatem. Unde Isaias: *vox Populi de Civitate: vox de Templo*. Post excidium Judæorum ex diversis locis convenientes in unum Apostoli, cæterique Discipuli, qui supererant, elegerunt Simonem Cleophæ filium, & Jacobo substituerunt. Temporibus Vespasiani Achaja, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samos, Thracia, & multæ aliæ regiones, quarum quædam liberæ, quædam sub Regibus degebant, amissis Regibus sub Romano Imperio rediguntur, Capitolium incenditur, & ædificari incipit.

De Vespasiano, & de vindicta, quam fecit de Judæis, & de pestilentia Judæorum, fame, & mortalitate eorum, & aliis gestis. Et de Josepho.

REfert Josephus, quòd propter peccatum mortis Jacobi Justi factum sit excidium Hierusalem, & dispersio Judæorum. Sed non solùm ob mortem Jacobi, sed etiam ob mortem Domini præcipuè hæc destructio facta est, secundùm quod Dominus dicit: *Non relinquetur inde lapis super lapidem, eo quòd non cognoveris tempus visitationis meæ*. Sed quoniam Dominus *non vult mortem peccatoris*, & ut ipsi excusationem non haberent, per XL. annos pœnitentiam eorum exspectavit, & per Apostolos, maximè per Jacobum fratrem Domini, inter eos continuè prædicantem, eos ad pœnitentiam revocabat. Sed quum per admonitionem eos non posset revocare, voluit eos saltem prodigiis exercere. Nam in his XL. annis, sibi ad pœnitentiam datis, multa monstra & prodigia, sicut refert Josephus, evenerunt. *Nam Stella præfulgens gladio per omnia similis visa est Civitati desuper imminere, ac per totum annum exitialibus flammis ardere. In quodam Festo Azymorum hora noctis Nona tantus fulgor Aram Templi circumdedit, ut omnes diem clarissimum putarent. In eadem festivitate vitula ad immolandum adducta, inter ministrorum manus agnum subitò est enixa. Post aliquot dies prope Solis occasum visi sunt currus, & quadrigæ in omni regione per aërem fieri, & armatorum cohortes misceri nubibus, & urbem circumdare agminibus improvisis. In alio die Festo, qui Pentecostes appellatur, noctu Sacerdotes in Templum ingressi ad ministeria ex more complenda, motus quosdamque strepitus senserunt, ac voces subitas audierunt dicentes: Transeamus ab his sedibus. Ante quartum etiam annum belli vir quidam nomine Jesus Ananiæ filius in Festo Tabernaculorum repentè clamare cœpit: Vox ab Oriente: vox ab Occidente: vox à quatuor ventis: vox super Hierusalem, & super Templum: vox super sponsos & sponsas: vox super Hierusalem universam. Prædictus igitur vir capitur,*

tur, cæditur, verberatur; sed ille aliud dicere nequiens, quanto plus verberabatur, tanto eadem fortius clamitabat. Ad Judicem igitur adducitur; tormentis diris afficitur; usque ad putredinem ossium laniatur. Sed ille nec preces nec lacrymas effundebat, sed cum quodam ululatu per singula pæne verbera eadem proferebat, addens etiam hoc, væ, væ Hierosolymis. Hæc Josephus.

Quum autem Judæi nec admonitionibus converterentur, nec tantis prodigiis terrerentur, post XL. annum Dominus Vespasianum & Titum Hierusalem adduxit, qui ipsam Civitatem funditus destruxerunt. Vespasianus namque Romam adiit, & destruendi Judæam & Hierusalem à Tiberio licentiam impetravit. Per annos igitur plures exercitum congregavit, & Hierusalem cum copioso exercitu Vespasianus advênit; & in die Paschæ Hierusalem per circuitum potenter obsedit, ibique infinitam multitudinem, quæ ad diem Festum venerant, conclusit. Per aliquod autem tempus, antequam Vespasianus Hierusalem adveniret, Fideles, qui ibi erant, à Spiritu Sancto admonentur, ut inde recedant, & in quodam Oppido trans Jordanem, quod Pellam vocant, secedant, ut ablatis ab urbe sanctis viris cœlesti vindictæ fieret locus, tam de urbe sacrilega, quàm de populo scelerato.

Quamdam autem Civitatem Judææ nomine Jonaparam, in qua Josephus Princeps & Dux erat, primo omnium est aggressus. Sed Josephus cum suis viriliter resistebat. Tandem Josephus videns imminere excidium Civitatis, assumtis undecim Judæis, subterraneam domum intravit, ubi quatriduana fame jacuerunt afflicti. Judæi verò consentiente Josepho malebant ibidem mori, quàm Vespasiani se subjicere servituti. Volebant se mutuò interficere, & sanguinem suum in sacrificium Deo offerre. Et quoniam Josephus inter eos erat dignior, volebant eum primitus occidere, ut ejus effusione sanguinis Deus citiùs placaretur; vel ut Chronica dicit, ideo mutuò se interficere volebant, ne darentur in manibus Romanorum. At vir prudens Josephus & mori nolens, judicem mortis & sacrificii se constituit; & quis prior alio occisurus esset, inter binos & binos sortem mittere jussit. Missis itaque sortibus, sors nunc unum, nunc alium morti tradidit, donec ventum est ad ultimum, cum quo Josephus sortes missurus fuit. Tunc Josephus homo strenuus & agilis gladium illi abstulit, & quid magis eligeret, vitam scilicet aut mortem, requisivit, & ut sinè dilatione eligeret, præcepit. Et ille timens respondit: *vivere non recuso, sed gratia tui vitam conservare valeo*. Tunc Josephus uni familiari Vespasiani, & sibi etiam familiari, latenter locutus est; & ut sibi vita donaretur, petiit; & quod petiit, impetravit. Quum autem ante Vespasianum Josephus esset adductus, dixit ei Vespasianus: *Mortem meruisses, si hujus petitionibus liberatus non esses*. Josephus: *Si quid perperam actum est, in melius commutari potest*. Et Vespasianus: *qui victus est, quid facere potest?* Et Josephus: *Aliquid facere potero, si dictis meis aures tuas demulsero*. Et Vespasianus: *concedatur, ut verbis inhæreas; & quidquid boni dicturus es, pacificè audiatur*. Et Josephus: *Imperator interiit, & Senatus Imperatorem te fecit*. Et Vespasianus: *Si Propheta es, quare non es vaticinatus huic Civitati, quòd meæ subjicienda sit ditioni?* Et Josephus: *per quadraginta dies hoc eis prædixi*. Interea Legati Romanorum venerunt. Vespasianum Imperatorem sublimatum asserunt, eumque venerati sunt. Hæc supradicta Chronica testatur, quòd scilicet Josephus Vespasiano prædixit tam de Imperatoris morte, quàm de sua sublimatione. Reliquit autem Vespasianus Titum filium suum in obsidione Hierusalem.

Titus autem, ut in Historia apocrypha legitur, audiens patrem suum in Imperium sublimatum, tanto gaudio & exultatione repletur, quòd nervorum contractione ex frigiditate corripitur, & altero crure debilitatus paralysi torquetur. Josephus autem audiens infirmitate laborare, causam morbi, & morbum, & tempus morbi diligenter inquirit. Causa nescitur; morbus ignoratur. De tempore autem, quoniam audita patris electione hoc sibi accidit, aperitur. Josephus vir autem sapiens & providus ex paucis multa conjecit, & ex tempore morbum & causam invênit. Sciens quòd gaudio & lætitia superabundanti debilitatus fuit. Animadvertens itaque quoniam contraria contrariis curantur; sciens etiam, quidquid amore conquiritur, dolore frequenter amittitur: quærere cœpit, an aliquis esset, qui Principis inimicus obnoxius teneretur. Et erat ibi servus adeò molestus Tito, ut sinè vehementi conturbatione nullatenus in eum posset respicere, nec etiam nomen ejus audire. Dixit itaque Tito: *Si curari desideras, omnes, qui in meo comitatu venerint, salvos efficias*. Cui Titus: *quicumque in tuo comitatu venerint, securus habeatur & salvus*. Tunc Josephus citò prandium fieri præcepit, & mensam suam mensæ Titi oppositam locavit, & servum à dextris suis sedere fecit. Quem Titus respiciens, molestia conturbatus infremuit; & qui priùs gaudio infrigidatus fuerat, accessione furoris incaluit, nervosque distendens curatus fuit. Post hæc Titus & servum in sui gratiam, & Josephum in sui amicitiam accepit.

Biennio igitur à Tito Hierusalem obsessâ, inter cetera mala, quæ obsessos graviter perurgebant, tanta fames omnes tenuit, quòd parentes filiis, & filii parentibus, viri uxoribus, & uxores viris cibos non tantùm ex manibus, sed etiam ex ipsis dentibus rapiebant. Juvenes etiam ætate fortiores velut simulacra per vias oberrando palàm exanimes cadebant. Qui mortuos sepeliebant, sæpe super ipsos mortuos mortui cadebant. Fœtorem autem cadaverum non ferentes, ex publico sumtu ipsa sepeliebant; sed deficiente sumtu, & vincente cadaverum multitudine, de muro cadavera præcipitabant. At Titus circuiens quum videret valles cadaveribus repletas, & totam patriam ex eorum fœtore corruptam, manus suas cum lacrymis ad cœlum levavit. *Deus tu vides, quia ego hæc non facio*. Tanta ibi fames erat, quòd calceamenta sua & corrigias comedebant. Matrona etiam genere & divitiis nobilis, sicut legitur in Historia Ecclesiastica, quum prædones ejus domum intrantes eam omnibus exspoliassent, nec sibi ulteriùs quod comederet remansisset, parvulum filium suum lactantem tenens in manibus, ait: *Infelicis matris infelicior fili. In bello, in fame, in direptione cui te reservabo? veni ergo nunc, ò mi nate, esto matri cibus, prædonibus furor,*

furor, seculis fabula. Et his dictis filium jugulavit, & coxit; & dimidium comedens, partem alteram occultavit. Et ecce confestim prædones odorem carnis coctæ sentientes in domum irruunt, & nisi carnes prodat, mortem minantur. Tunc illa detegens infantis membra; *ecce*, inquit, *vobis partem optimam reservavi*. At illos tantus horror invasit, quòd nec loqui potuerunt. Et illa: *meus est hic filius*: *meum est peccatum*: *securi edite, quia prior ego comedi quod genui. Nolite fieri aut matre religiosiores, aut fœminis molliores. Quòd si vicit vos pietas, & horretis, ego totum comedam, quæ dimidium jam comedi*. Illi verò trementes & territi discesserunt.

A

Tamdem secundo anno Imperii Vespasiani Titus Hierusalem cepit, & captam subvertit, Templumque funditus destruxit. Et sicut Judæi Christum triginta denariis emerant, sic & ipse uno denario triginta Judæos vendidit. Sicut autem narrat Josephus, nonaginta septem millia Judæorum venditi sunt, & undecies centena millia fame & gladio perierunt.

B

Additamentum antiqui interpolatoris ad Chronicon Sicardi in Codice Estensi.

„ LEgitur quoque, quòd Titus intrans Hierusalem, quemdam murum densissimum vidit, ipsumque perforari præcepit, factoque foramine quemdam intus senem aspectu & canitie venerabilem invenerunt. Qui requisitus, qui esset, respondit se esse Joseph ab Arimathia Judææ civitate, seque à Judæis ibidem inclusum & muratum fuisse, eo quòd Christum sepelisset; addiditque quòd ab illo tempore usque nunc cœlesti sit cibo pastus, & divino lumine confortatus. In Evangelio tamen Nicodemi dicitur, quòd quum Judæi ipsum reclusissent, Christus resurgens eum inde eripuit, & in Arimathiam duxit. Potest dici, quia quum eductus à prædicatione Christi non cessaret, à Judæis iterum est inclusus.

C

Mortuo quoque Vespasiano Imperatore Titus filius ejus eidem in Imperio successit, qui fuit vir clementissimus, & multæ liberalitatis, tantæque bonitatis fuit, sicut ait Eusebius Cæsariensis in Chronica, & testatur Hieronymus, quòd dum quodam sero recordatus fuisset, quòd illo die nil boni egisset, aut nihil dedisset, ait: *Diem perdidimus*.

D

De origine Josephi, & nativitate, & cujus filius fuit; & de compositione Librorum, quos fecit.

OPeræ pretium sanè est post ista noscere, quis fuerit hic Josephus, & unde, vel ex quo genere originem ducens; qui tantam nobis materiam rerum gestarum cognitionemque præstitit. Exponit ergo etiam hæc ipse de se hoc modo scribens. *Josephus Matathiæ filius Hierosolymis Sacerdos, qui & in ipso primo bello Romanos oppugnavit, & posterioribus nihilominus interfuit prœliis necessitate constrictus*. Constat igitur, hunc virum per idem tempus non solùm apud Judæos proprios cives, verùm etiam apud Romanos habitum esse nobilissimum, ita ut literarum merito in urbe Roma etiam statuâ donaretur, & Libri ejus Bibliothecæ traderentur. Conscripsit itaque *Antiquitatum* Historiam in XX. Libris, *Belli* verò *Judaici* cum Romanis Historiam

E

VII. voluminibus comprehendit, qua non solùm Græca facundia, verùm etiam & patrio, idest Hebræo, sermone suis etiam civibus se edidisse confirmat: dignus, cui præ ceteris omnibus debeat credi. Sed & alia ejusdem viri exstant *de Judæorum vetustate* duo volumina, in quibus contradicere Appioni cuidam Grammatico videtur, qui illis temporibus adversùm Judæos scripserat, & ad alios quosdam, qui mores gentis Judæorum atque instituta laceraverant. In primo ergo ex his Libris duobus, quæ volumina apud Hebræos in auctoritate habentur, secundùm majorum traditionem per hæc docet.

Prologus de Libris, quos Josephus composuit contra Appionem.

NEque igitur innumera (inquit) *apud nos habentur volumina inter se invicem discordia: sed duo tantùm & viginti sunt Libri, qui omnium temporum seriem continent, qui & justè creduntur divinitus inspirata. Ex quibus quinque sunt Moseos, continentes Legem vitæ, & successionis humanæ prosapiam, usque ad ipsius Moseos terminum protendentem; qui paulò minus trium millium annorum continentiam gerunt. A morte verò Moseos usque ad Artaxersem, qui regnavit apud Persas, quæ gesta sunt, Prophetæ quinque per ea tempora tredecim voluminibus conscripserunt. Reliqui verò quatuor Libri, hymnos in Deum, & vitæ instituta ac monita mortalibus tradunt. Ab Artaxerse verò usque ad nostrum tempus singula quidem conscripta, non tamen priori simili fide sunt habita, pro eo quòd non extiterit Prophetarum jugis & certa successio. Rebus ergo ipsis constat, quòd nos venerabiliter utamur Scripturis nostris. Nam quamvis tot secula intercesserunt, neque addere quis umquam, neque aut ferre aut permutare quid ausus est. Sed omnibus gentis nostræ hominibus insita hæc quodammodo, atque ingenita fides est, credere, hæc Dei esse consulta, & his jugiter inhærere, ac pro ipsis, si ita res poposcerit, libenter & animam ponere*. Sit etiam hæc pars Historiographi his in locis à nobis, ut arbitror, non incompetenter inserta. Est adhuc ejus aliud elegans satis volumen: quòd *animus sit, qui imperium teneat in nobis*. Quem libellum quidam *Machabæorum* attitulaverant, pro eo quòd certamina inibi & agones pro pietate à Machabæis fratribus desudata contineat. Sed & in fine vigesimi Antiquitatum Libri significat idem ipse, composuisse quatuor volumina comprehensura secundùm fidem & religionem patriam *de Deo, & de substantia ejus, ac Legibus, & cur quædam apud eos liceant, quædam non liceant*. Sed & alia nonnulla Opuscula à se dicit esse composita. In fine etiam supradicti *vigesimi Antiquitatum Libri*, Justum quemdam ex Tiberiade, qui conatus sit hoc idem opus, quod ipse explicuerat, aggredi, arguit falsitatis per hæc verba: *Sed non ego te imitatus in his, quæ conscripseram. Ipsis enim Imperatoribus obtuli Libros meos, quum adhuc ipsa, quæ gesta sunt, penè in oculis haberentur; quippe qui conscius mihi essem, servare in omnibus veritatem, nec me dictorum testimonio fefellit opinio. Sed & aliis pluribus obtuli, quorum multi etiam ipsis interfuere bellis, sicut Agrippa Rex, & nonnulli ejus propinqui. Imperator quidem Titus* in

in tantum probavit, ex istis debere Libris ad omnes homines rerum gestarum notitiam pervenire, ut manu subscriberet publicè ab omnibus eos legi debere. Rex verò Agrippa sexaginta duabus Epistolis de Operis nostri veritate testatus est, ex quibus & duas inserui. Sed de his satis. Nunc ad narrationis nostræ seriem redeamus.

De Tito Vespasiani filio Imperatore.

ANno ab Incarnatione Domini LXXXII. Titus Vespasiani filius regnavit apud Romanos annis II. & mensibus II. Qui fuit Græca & Latina Lingua disertissimus, facundus, pius, largus; dicens, nullum debere tristem ab Imperatore discedere; unde quum quadam die recordatus fuisset in cœna, se nil illo die cuiquam præstitisse, ait: *amici hanc diem perdidi*. Hujus temporibus Cletus, quem Petrus Presbyterum fecit, successit post Petrum Papam.

De Domitiano Imperatore filio Vespasiani.

ANno ab Incarnatione Domini LXXXIV. Domitianus filius Vespasiani, & frater Titi junior regnavit apud Romanos ann. XV. Hic superbissimus fuit, ut se Deum & Dominum jusserit appellari, & aureas & argenteas statuas in Capitolio sibi erigi, mensem Octubrem Domitianum suo nomine quoque vocari. Verumtamen Romæ multa opera fecit, Capitolium, Forum, Porticus Divorum, Isium, & Serapium, Horrea, Præparatoria, & Pantheon, & Stadium, & multa alia. De Dacis & Germanis triumphavit. Eunuchos fieri prohibuit. Philosophos, & Mathematicos de Urbe ejecit. Christianos persequutus est, & Johannem Apostolum in ferventis olei dolio posuit, & quum inde illæsus exisset, in Pathmos insula relegavit, ubi Apocalypsim scripsit. Eodem tempore Domitiani, Josephus à Vespasiano jam captus Romam vênit, & multa conscripsit, præsertim XXIV. Antiquitatum Libros ab exordio Mundi usque ad XIV. annum hujus Domitiani, unde statua Romæ donatus est. Et eodem tempore Quinctilianus Romæ scholam habuit, & salarium de Fisco primum accepit. Eodem tempore omne genus & Regnum Hebræorum, & præcipuè Regis David omnino deletum fuit à Domitiano Imperatore, exceptis quibusdam, qui dicebant non deberi sibi terrenum Imperium, sed cœleste, quos ad voluntatem eorum liberos abire permisit; demum quum multos Nobiles de Senatu occidisset, suorum conjuratione occisus est.

De Nerva Imperatore.

ANno ab Incarnatione Domini XCIX. Nerva apud Romanos regnavit ann. I. & mens. IV. Vir fuit strenuus & modestus, qui missos in exilium per Domitianum solvit. Idem creditur de Johanne Apostolo, qui reversus est Ephesum. Ista est Metropolis Asiana. Audi fabulam de Johanne. Cuidam Episcopo quemdam juvenem commisit. Episcopo absente juvenis princeps latronum effectus est. Quum repeteret eum Johannes, ait Episcopus: *mortuus est*. Cui Johannes: *bonum te custodem fratris animæ reliqui*! Demum per Johannem ad pœnitentiam revocatus est.

De Trajano Imperatore.

ANno ab Incarnatione Domini C. Trajanus regnavit apud Romanos ann. XIX. & mens. VI. & diebus XV. Hic fuit tantæ civilitatis & fortitudinis, ut omnibus præcedentibus Principibus meritò præferatur; nam quum alii Imperium defendissent, iste nobiliter ampliavit. Nam Asiâ & Babyloniâ captâ usque ad Indiæ fines accessit. De Dacis & Scythis triumphavit. Hymbrios, Sauromatas, Arabas, & Bossotanos in fidem accepit. In mari Rubro classem instituit, ut fines Indiæ subjugaret. Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam subjugavit, & provincias fecit. Nil elegit injustum ad augendum Fiscum. Sed persecutor fuit Christianorum. Nam quum Plinius cujusdam provinciæ Procurator eum consuluisset, si Christianos occideret, quum nil mali in eis reperiret, præter obstinationem non sacrificandi, & antelucanos cœtus ad canendum cuidam Christo, ut Deo; respondit, quòd nullus Christianus inquireretur: Si quis tamen incidenter præveniretur, puniri oporteret. Demum Trajanus apud Seleuciam Isauriæ, ut dicitur, mortuus est, cujus ossa in urna aurea in Foro delata super columnam sunt. Solus omnium intra Urbem in Foro sepultus est. In his diebus Anacletus Papa Romæ sedit. Post eum successit Evaristus Papa Romæ.

De Adriano Imperatore.

ANno ab Incarnatione Domini CXX. Adrianus regnavit apud Romanos ann. XXI. Hic cognominatus est Ælius. Facundissimus fuit, & diligentissimus circa ærarium, & militum disciplinam. In utraque Lingua peritus. Pater Patriæ dictus. Tributa Urbis relaxavit. Alexandriam à Romanis subversam publicis instauravit expensis; & ad instaurandam civitatem Nicomediæ, quæ in terræmotu corruerat, de publico dedit expensas Atheniensibus sibi petentibus de Libris Draconis & Solonis jura composuit. Contra Sarmatas bellum gessit. Judæos secundò Romano Imperio rebellantes anno secundo Imperii sui cepit. Sixtus Papa Romæ sedit. Sixto successit Telesphorus.

De Tito Antonino Imperatore.

ANno ab Incarnatione Domini CXLII. Titus Antoninus regnavit apud Romanos ann. XXII. & mens. III. qui Pius propter clementiam dictus est; Pater Patriæ, quia accusationibus incensis debita relaxavit. Ærarium opulentum servavit, Regibus amicis non minus venerabilis. Eodem tempore Galenus Medicus claruit, qui Pergami natus claruit. Eodem tempore sedit Romæ Hyginus Papa. Post eum successit Anicius: Post eum successit Pius in Episcopatu. His temporibus Hygini Papæ, Valentinus, & Cerdo, & Marcion hæretici Romam venerunt. Valentinus dicebat, duo esse principia, profundum, & silentium, & ex his triginta secula. Cerdo & Marcion, duo principia, bonum & malum. Ambo resurrectionem carnis negabant, animæ tamen salutem promittebant. In Alexandria verò

verò Basilides suam doctrinam evomuit, dicens CCCLXV. Cœlos secundùm numerum dierum anni: Hoc autem nomen *Abrasas* commendabat, quia numerum istum contineat. Cujus discipuli se Gnosticos nominabant ad præsumtionem excellentioris scientiæ. Sed ab aliis dicebantur Bothonitæ, idest Cœnosi, à turpitudine, quam in mysteriis exercebant: contra quem scripsit doctus Agrippa.

De Marco Antonino Vero, cum fratre Lucio Aurelio Imperatoribus.

ANno ab Incarnatione Domini CLXV. Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio Aurelio regnavit apud Romanos ann. XIX. & mens. I. Usque ad hoc tempus singulares fuerunt Augusti. Hinc primùm bini. Hi Seleuciam ceperunt; de Parthis triumphaverunt. Contra Germanos, & Sarmatas, Marcomannos, Quados, Dacos, Vandalos, Suevos, Pannonios dimicarunt. Et cùm suus exercitus æstuaret, quibusdam militibus Christianis, qui sub eo militabant, orantibus, contra spem largissimus imber effusus est in exercitu, sed in hostes fulgur & ignis. Marcus, defuncto fratre, filium suum Commodum Regni consortem fecit, & multis multa largitus est, ita quòd ærarium exhauserit; pecuniam, quæ debebatur, tabulis incensis remisit. Et ne quid bonitati deesset, seniores Leges novis Constitutionibus temperavit. Adeò magnificus fuit, ut centum simul Leones exhibuerit. Quumque Smyrna civitas Asiæ corruerit terræmotu, per decennium ad ipsius instaurationem tributa remisit. Octavo anno Marci Antonini Soter Romæ fit Papa.

De Commodo Marci filio Imperatore.

ANno ab Incarnatione Domini CLXXXIV. Commodus Marci filius regnavit apud Romanos ann. XIII. Nihil paternum habuit, nisi quòd contra Germanos dimicavit. Septembrem à suo nomine Commodum nominari voluit. Thermas Romæ fecit. Uxoris poculo est occisus. Adeò nequam fuit, quòd etiam mortuus humani generis diceretur inimicus, quia multos Nobiles interfecit. Victor Eleutherio in Apostolica Sede successit. Hisque temporibus fuerunt Cataphrygæ, à Phrygia dicti hæretici, qui secundas nuptias condemnabant, quorum auctor fuit Montanus, qui se Paracletum nominabat, habens secum duas mulieres, Priscam, & Maximillam insani spiritus, quæ se Prophetissas esse jactabant.

De Helvio Pertinace Imperatore.

ANno ab Incarnatione Domini CXCVII. Helvius Pertinax regnavit apud Romanos mensibus VI. Hic septuagenario major quum Præfecturam Urbis ageret, ex Senatus Consulto imperare jussus est; & quia pertinaciter resistebat, Pertinax dictus est: quem quum Senatus rogaret, quòd uxorem suam vocaret Augustam, respondit; *quòd sufficeret, quòd regnaret invitus*. Pertinax Juliani scelere occiditur.

De Juliano Imperatore.

ANno ab Incarnatione Domini CXCVII. Julianus apud Romanos regnavit mensibus VII. quem apud Pontem Milvium Severus occidit. Post dictum Helvium Pertinacem fuit.

De Severo Imperatore.

ANno ab Incarnatione Domini CXCVIII. Severus regnavit apud Romanos ann. XVII. Hic fuit oriundus ex Africa; Philosophus; civilibus studiis clarus; sed parcus. Multa bella feliciter gessit, nam Parthos, Arabas, Britannos superavit; & quemdam Claudium Albinum, qui fuerat in morte Pertinacis, & se Cæsarem in Gallia fecit, apud Lugdunum occidit. Receptas Provincias vallo cingi fecit à mare ad mare per CXXII. millia passuū, & mansiones fecit. Christianos persequutus est. Demum Eboraci moritur in Britannia.

De Antonino Severi filio Imperatore.

ANno ab Incarnatione Domini CCXVII. Antoninus Severi filius, proprio nomine Bassianus, regnavit apud Romanos ann. VII. mens. VI. dictus cognomento Caracalla à genere vestis, qua utebatur, & ejus nomine vocata est. Thermas Romæ fecit, quæ dictæ sunt Antonianæ. Impatiens libidinis fuit usque adeò, quòd novercam duxit uxorem. Nihil memorabile præter quod diximus fecit. Hujus temporibus fuit Zephyrinus Papa, cui successit Calixtus Papa. Et Antonini Severi filii hujus tempore Quinta Editio inventa est Hierosolymis, cujus auctor non apparuit. Ammonius Alexandrinus Canones Evangeliorum composuit. Hierosolymis Alexander, adhuc vivente Narcisso Episcopo ordinatur propter ætatem; habebat enim CXVI. annos, & cum eo pariter Ecclesiam rexit. Sed Tertullianus sanctam impugnavit Ecclesiam; & persequutio magna fuit Christianorum.

De Macrino Imperatore.

ANno ab Incarnatione Domini CCXXIII. quidam Imperator nomine Macrinus regnavit apud Romanos ann. I. mens. II. Nihil dignum memoriæ fecit.

De Marco Aurelio Antonino Imperatore.

ANno ab Incarnatione Domini CCXXIV. Marcus Aurelius Antoninus regnavit apud Romanos ann. IV. Hic extitit impudicus, quòd nullum genus obscœnitatis omisit.

De Alexandro Aurelio Imperatore.

ANno Domini CCXXVIII. Alexander Aurelius regnavit apud Romanos ann. XIII. Hic Xersem Regem Persarum vicit, & disciplinæ militaris tam severus corrector fuit, ut quasdam Legiones tumultuantes exauctoraverit. Ulpianum, Paulum, Papinianum Juris peritos assessores habuit. Thermas ædificavit. Eunuchos reprobavit, dicens esse tertium genus hominum, nec videndum, nec usu habendum. Et demum apud Maguntiam decollatus est.

est. Eodem tempore Romæ sedit Urbanus Papa.

De Maximino Imperatore.

ANno Domini CCXLI. Maximinus regnavit apud Romanos ann. III. Hic ex corpore militari primus, & ab exercitu sinè Senatus auctoritate Imperator electus est; qui fuit persequutor Ecclesiarum, sub quo Pontianus Romanus Pontifex in Sardinia deportatus martyrio coronatur. Hic à Pupieno occiditur, quo tempore regnum usurpans occiditur. Pontiano successit Anterus Papa. Tempore Pontiani Papæ, & Maximini Berillus hæreticus Ecclesiam impugnavit. Sabellus hæreticus desipuit, cujus discipuli Sabelliani, & Patripassiani dicti sunt, quia identitatem, & Trinitatem dogmatizantes Patri etiam passionem adscribebant.

De Gordiano Imperatore.

ANno Domini CCXLIV. Gordianus regnavit apud Romanos ann. VII. quo Romam ingresso Pupienum & Albinum, qui Imperium arripuerant, interfecit. Hic Parthos, Persas, & Medos superavit. Fraude Philippi occisus est. Post Gordianum Philippus cum filio suo imperavit ann. XII. Hic Philippus Christianus per Origenem efficitur. Ambos Decius occîdit. Eodem tempore sedit Romæ Fabianus Papa, qui per columbam Spiritus Sancti electus est; qui statuit singulis annis Chrisma renovari, & vetus comburi. Hic martyrio coronatur. Eodem tempore supervênit Novatus ex Africa, & separavit de Ecclesia Novatianum, & quosdam Confessores, postquam Moyses in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses XI. & sic multi fugerunt. His temporibus fuerunt Hæretici dicentes, animas cum corporibus interire simul, & cum corporibus iterum suscitandas. Item & alii nomine Elcesaitæ, qui licèt de Novo & Veteri Testamento, quibus voluerant, testimoniis uterentur, tamen multa refutabant, ut Apostolum; & dicebant se habere Librum de cœlo lapsum.

De Philippo Imperatore.

ANno Domini CCL. Philippus apud Romanos regnavit annis XII. Qui filium suum sibi æquivocum Regni consortem effecit, & Urbem sui nominis in Thracia constituit; & primus omnium de Romanis Imperatoribus in Christum credidit, &, ut dicitur, Christianus effectus est. Cui, quum vellet in Paschali solemnitate communicare, rogavit Episcopus, donec peccata confessus esset, staret inter pœnitentes; quod patienter fecit. Hic thesauros Beato Sixto donavit. Philippus severus fuit; & à Decio ambo occisi sunt.

De Decio Imperatore.

ANno Domini CCLVII. Decius apud Romanos, regnavit ann. I. mens. III. Hic de Pannonia natus fuit. Civile bellum compressit. Filium Cæsarem fecit: & quum Philippos patrem & filium occidisset, in odium eorum Christianos persequutus est, & Beatos Laurentium & Hippolytum interfecit. Decius à Diabolo & ab hostibus interficitur.

De Gallo cum filio suo Volusiano.

ANno ab Incarnatione Domini CCLVIII. Gallus cum filio suo Volusiano, regnavit apud Romanos ann. II. mens. IV. His temporibus fuit pestis, quæ penè genus humanum extinxit. Ab Ejula occiditur. His temporibus fuit Novatus Romanus Presbyter hæreticus, à quo Novatiani dicti sunt; sed se ipsos non Novatianos, sed Catharos appellabant, idest mundos, propter mundiciem; secundas nuptias non admittebant: reconciliationem pœnitentibus denegabant. Hoc tempore Lucius Papa Romæ sedit.

De Æmiliano Imperatore.

ANno Domini CCLVIII. Æmilianus natione Maurus, regnavit apud Romanos mens. II. tertio namque mense luit pœnam tyrannidis occupatæ.

De Valeriano & Gallieno.

ANno Domini CCLVIII. Valerianus, & Gallienus Valeriani filius, regnavit apud Romanos ann. XV. Valerianus in Rhætia electus est ab exercitu. Gallienus Romæ à Senatu. Valerianus persequutus est Christianos, sed non diu, quia dum bellum gereret in Mesopotamia, captus est à Sapore Rege Persarum, & apud Parthos ignobili servitute consenuit. Nam Sapor equum ascensurus, pedem ejus cervicibus imponebat. Gallienus verò priùs feliciter, demum perniciosè gessit Imperium. Nam eo in omnem lasciviam dissoluto, Germani venerunt usque ad Ravennam. Alamanni vastatis Galliis transierunt in Italiam. Dacia perditur. Græcia, Macedonia, Pontus, & Asia per Gothos depopulantur. Pannonias occupant Parthi, Mesopotamiam, & Assyriam. Germani obtinuerunt Hispanias, ceperuntque Cetetonem civitatem. Horum igitur Imperium Romano fuit nomini perniciosum. Illorum ignavia seu infelicitate Galliæ demum per Posthumum, qui in Gallia purpuram accepit, receptæ sunt. Demum Gallienus Mediolani moritur. Dionysius Papa Parochias divisit, & in singulis propter pœnitentes singulos instituit Sacerdotes. Et post eum Felix Papa. Sub hoc Gallieno septem Tyranni regnaverunt: primus Geminus apud Nursam: secundus Posthumus decem annis in Gallia regnans occiditur; tertius Æmilianus Maguntiæ occiditur: quartus Marius ibidem interficitur: quintus Victorinus Galliæ creatur, & occiditur: sextus Tetricus à militibus occiditur: septimus Maurus in Syria ab uxore occiditur.

De Claudio Imperatore.

ANno Domini CCLXXIV. Claudius regnavit apud Romanos ann. I. mens. IX. Hic parcus fuit, modestus, justus, & regendæ Reipublicæ idoneus; qui Gothos Illyricum & Macedoniam vastantes prœlio vicit; Alamannos apud Lacum Benacum superavit. Ob quæ clypeus aureus & aurea statua fuit ei in Capitolio collocata, & post mortem Divus appellatus est. Eodem tempore Dionysii Papæ, Claudii, & Valeriani, & Gallieni ejus filii

filii Paulus Samosatenus hæreticus exstitit, qui Christum solum hominem confitebatur. Et Manes, à quo Manichæi, qui fuit de Perside, qui nunc dicebat se Christum, nunc Paraclitum: & fecit duodecim discipulos ad instar Christi. Et prædictus Claudius morbo obiit. Post Quintilius frater Claudii Imperator eligitur.

De Quintilio fratre Claudii.

ANno Domini CCLXXVI. Quintilius frater Claudii à Senatu Imperator eligitur; sed XVI. die sui Imperii apud Aquilegiam occiditur.

De Aureliano Imperatore.

ANno Domini CCLXXVI. Aurelianus regnavit apud Romanos ann. V. mens. VI. Vir in bello potens, haud dissimilis Alexandro; qui tribus prœliis in Italia, scilicet apud Placentiam, & Ticinum victor exstitit. Tetricum, qui adhuc Galliam tenebat, superavit; & Aurelianis civitatem ædificavit, & Zenobiam uxorem quondam Odenati, quæ mortuo viro adhuc Orientis tenebat Imperium, superavit apud Inmas non longè ab Antiochia. Quum itaque triennio Romanum Orbem ab invasoribus liberasset, ingrediens Romam triumphum habuit, quasi receptor Orientis, præcedentibus eum Tetrico, & Zenobia. Hic primus apud Romanos diadema capiti suo imposuit, & aurata veste usus est. Hic Romam firmioribus muris cinxit. Templum Soli ædificavit. Populo usum porcinæ carnis instituit. Demum quum Græciam introisset, inter Constantinopolim & Heracleam fulmen juxta ipsum cecidit, & non multò post occisus est, & inter Deos annumeratus est.

De Floriano.

ANno Domini CCLXXXII. Florianus regnavit apud Romanos mens. II. diebus XXIII. Nil egit memoria dignum. In Tharso occiditur.

De Tacito Imperatore.

ANno Domini CCLXXXII. Tacitus regnavit apud Romanos mens. VI. Vir egregius. Sed nihil potuit, morte præventus.

De Probo.

ANno Domini CCLXXXIII. Probus regnavit apud Romanos ann. VI. mens. III. Vir militaris & civilis, qui Gallias à Barbaris occupatas recepit. Et quum bella innumera peregisset, pacem Orbi recuperavit, dicens, milites in brevi necessarios non futuros. Iste Probus à militibus occiditur. Ipse Tyrannos occîdit, Saturnum, Proculum, & Bonosum. Cujus temporibus Felix Romæ sedit Episcopus, cui successit Eutychianus Romæ Episcopus. Et his temporibus invaluit hæresis Manichæorum, dogmatizans duo principia, bonum & malum, purgationem per sua sacramenta promittens, non recipiebat. Vetus Testamentum, & Novum corrumpebat; quæ usque in hodiernum diem venenum effudit.

De Caro cum filiis suis Numeriano & Carino.

ANno Domini CCLXXXIX. Carus apud Romanos regnavit ann. II. cum filiis Numeriano & Carino, quos Cæsares instituit. Carus verò quum Parthos & Persas vicisset, super Tigridem fulmine percussus interiit. Numerianus per insidias, Carinus in prœlio brevi tempore occiduntur. Quorum tempore Cajus Romæ sedit Episcopus, qui fuit de genere Diocletiani Imperatoris.

De Diocletiano.

ANno Domini CCXC. Diocletianus regnavit apud Romanos ann. XX. Hic Herculium Maximianum Cæsarem fecit, qui pacem Galliæ reformavit, ideoque ex Cæsare fecit Augustum, assumens eum consortem Imperii, & regnavit ann. XVI. Et quia Britannia, Africa, & Ægyptus, & Oriens occupabantur, Constantium quoque & Galerium Cæsares fecit. Constantio privignam Herculii dedit uxorem, nomine Theodoram: Galerio suam dedit nomine Valeriam. Cum his igitur, & per hos Britanniam recepit, & Galliam, & Africam, & Ægyptum. Cùm itaque Diocletianus victis hostibus tam gloriosè regnaret, primus se ut Deum adorari præcepit, & gemmas in vestibus inseri fecit & in calceamentis: priùs enim Imperatores salutabantur ut Judices, & solâ purpurâ privatum habitum exercebant. Thermas Romæ fecerunt Diocletianus & Maximianus; Romæ triumphum habuerunt, præcedentibus victis hostibus, & præda virorum. Demum Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt, & privatam vitam elegerunt, dicentes, se propter ætatem minus idoneos regimini Reipublicæ: quod à tempore non fuit auditum. His temporibus Marcellinus Romæ fit Episcopus, cui successit Marcellus, cui, quum fuisset per XXX. dies corpus Martyris inhumatum, Beatus Petrus Apostolus apparuit in visione dicens: *Marcelle sepeli corpus fratris mei Marcellini juxta me, ut quos non separavit martyrium, quosque justificavit Dei gratia, non separet sepultura*; quod factum est, quia secus pedes Apostoli sepultus est.

De Constantio & Galerio.

ANno Domini CCCX. Constantius & Galerius, qui priùs Cæsares erant, creantur Augusti, & diviserunt Orbem; & Constantius Italiam, Gallias, & Africam, Galerius verò Illyricum, Orientem, & Asiam obtinent. Sed Constantius vir egregius & civilis Fisco divitias non accumulans, dicens, publicas opes meliùs à privatis haberi, quàm intra unum claustrum servari, solùm Galliis voluit esse contentus. Amicus fuit Christianorum, quos in sua religione vivere concessit. Obiit autem Eboraci, & inter Divos relatus est. Reliquit verò tres notandos filios, scilicet Constantium de Helena concubina, & Constantium, & Dalmatium de Theodora uxore legitima. Dalmatius genuit alium Dalmatium. Constantius verò Gallum & Julianum. Et Constantius concubinæ filius successit

sit ei, Rex in Britannia factus. Galerius vir militaris Illyrico moratus, duos Cæsares fecit, Maximinum, quem præfecit Orienti, & Severum, cui dedit Italiam. Sed interim Maxentius filius Herculii Maximiani Romæ apud Romanos Augustus appellatur. Veniens ergo Severus in Italia à Galerio missus, Urbem obsedit; sed à militibus desertus est, & fugiens Ravennam, interfectus est. Adspiravit Herculius Maximianus ad resumendum fastigium, intendens nudare filium; & profectus est ad Constantinum, cui Faustam filiam suam dederat in uxorem; sed & quum eum interficere vellet, detectis insidiis per filiam, quæ viro detexit, fugit Herculius Massiliam, ubi & mortuus est. Per idem tempus Galerius fecit Licinium Imperatorem Imperii sui consortem. Sicque Galerio defuncto Respublica à quatuor Imperatoribus regebatur, Constantino, Maxentio, Licinio, & Maximino. Maximinus persequutionem in Christianos molitus, moritur apud Tharsum; sicque Licinius solus obtinuit Orientem. Constantinus autem quum jam regnasset quinque annis, affectavit totius Orbis Imperium; & quum sollicitus esset, quòd Romam haberet civitatem, in sexto anno Regni sui, congregata multitudine Barbarorum supra Danubium contra eum, vidit in somno Crucis figuram in Cœlo splendere, & audivit dici sibi Græcè *en to auto nica*, quod Latinè sonat: *In hoc vince*. Jussit igitur hoc signum ex auro & pretiosis lapidibus fabricari in vexillo & armis suis. Igitur hoc signo, & Sacerdotum consilio, qui dicebant, quòd Christus in hoc signo vicit mortem, & Diabolum, & Infernum, & victoriosus Cœlos ascendit, audacter ingressus est bellum, & obtinuit: veniensque Romam movit bellum adversùs Maxentium, & vicit eum, & occîdit apud Pontem Milvium; & ita Constantinus Romæ positus est in solio, ut ille. Adhuc Diocletianus vivebat, & in Villa sua moritur; & solus privatorum inter Deos refertur. Licinius Orientis Imperator Christianos persequitur, sub quo Basilius Ponti Episcopus martyrio coronatur; sed demum Thessalonicæ à privatis occiditur. Constantinus ergo Monarcha effectus est, qui tres filios habebat, scilicet Constantinum, Constantium, & Constantem, & Cæsares instituit, qui præessent Galliæ, Orienti, & Italiæ. De Gothis, Cimbris, & multis aliis triumphavit. Multas leges composuit, sed uxorem Faustam occîdit.

Constantini temporibus Eusebius Romæ sedit Episcopus, sub quo, ut quidam ajunt, inventa est Crux Domini nostri Jesu Christi, & baptizatus est Judas frater Beati Stephani, & Quiriacus vocabatur. Eusebius Constantinum catechizavit. Eusebio successit Melchiades. Timotheus Romæ pro Christo patitur, cujus martyrium Sanctus Papa Melchiades dedicavit. Sed & hic Melchiades martyrio coronatus est. Omnes Pontifices præter ...... hucusque martyrio coronati exstiterunt. Post hunc Romæ Silvester fit Episcopus, qui propter persequutionem in monte Soracte latebat, quo latente, Constantinus, qui variis curis implicitus distulerat baptizari, lepra percussus est. Qui quum ei consultum fuisset, ut in puerorum sanguine lavaretur, audiens maternos fletus, ait: *Dignitas Romani Imperii de fonte nascitur pietatis*. Et sic pietas Imperatoris pii jussit matribus filios reddi; propter quam pietatem proxima nocte misit Dominus Jesus Apostolos suos Petrum & Paulum ad eum, qui suaserunt, ut per Silvestrum baptismum acciperet, & per Orbem Ecclesias restauraret. Citatus ergo Silvester ad eum veniens monuit, ut per hebdomadam jejunaret, templa Idolorum clauderet, incarceratos relaxaret, eleemosynas faceret. Quibus peractis baptizavit eum. Coram quo, & Cratone Philosopho, Zenone Philosopho, & illustribus Judicibus superavit undecim Judæos, de Fidei nostræ articulis disputantes, probans, quòd tres sunt Personæ, & unus Deus, & quòd Christus Deus est, & quòd ipse sit, qui à Prophetis prænuntiatus est. Duodecimum verò indocilem superavit, vivificando Taurum, quem verbo Judæi occiderunt.

Ad hæc igitur Helena mater Augusti, quæ judaizare incœperat, ad Fidem conversa est, & ad majorem nostræ Fidei affectationem cujusdam Draconis ora conclusit. Proinde Christiana Religio brevi tempore multiplicata est, & per Orbem usquequaque diffusa; & quæ hactenus in latebris convênit, ex nunc auctoritate Principum res publica fuit, uti & Christus, & Ecclesiæ sacramenta. Nam edicto Constantini templa Gentilium subvertuntur, Ecclesiæ constituuntur. Nam & ipse Ecclesiam Sancti Petri, terram ipsemet fodiens, & alias Patriarchales, & alias Romæ construxit. Refugientibus ad Ecclesiam impunitatem permisit. Decimas ad dedicationem Ecclesiarum censuit offerendas, & per Judices exigendas. Dominicæ diei vacationem indixit. Crucis patibulum prohibuit. Signum Crucis in numismate figurari præcepit. Possessiones Ecclesiis concessit. Nam & Regalia Silvestro dedit; & statuit, ut omnes Episcopi subsint Romano Pontifici; & ut Ecclesia in tranquillitate maneret, Byzantium secessit, quam fabricis & honoribus ad tantum fastigium provehere molitus est, ut Romæ faceret æmulam, & secunda Roma diceretur, quæ à Constantino Constantinopolis appellatur.

Silvester itaque Romæ sedens auctoritate Pontificali publicè usus est, qui statuit, ne Romanus Præsul ab aliquo judicetur, & ne Presbyter nisi XL. testibus condemnetur, & ne major à minore accusetur, & ne Clericus ante Laicum judicetur. Præterea nomina dierum in ferias commutavit, & in quarta, & sexta feria, & Sabbato jejunium diffinivit propter Dominicam sepulturam. In Dominica verò die solemnizatum propter Resurrectionem, & in quinta feria propter Ascensionem. Qui quoque statuit, quòd Presbyter chrismate liniat baptizatum in vertice. Et præcepit in Ecclesia uti Dalmatica semiplena, quæ potiùs Collobii nomine est appellanda. His temporibus Arius Presbyter Alexandrinus multos suæ associavit impietati, dogmatizans, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum non esse unius Essentiæ; contra quem Nicæna fuit Synodus congregata CCCXVIII. Episcoporum, ubi quum de Fide tractaretur, Imperator ait ad Sacerdotes: *Deus dedit vobis potestatem de nobis judicandi. Vos autem non potestis ab hominibus judicari. Item, vos estis Dii. Non est conveniens, ut homo judicet Deos; sed ille solus, de quo dicitur: Deus stetit in synagoga Deorum*. Ubi Symbolum Apostolorum Fidei est exaratum, & multa præterea per Episcopos

pos constituta. Donatus quoque impiè dogmatizavit, baptizatos rebaptizans, & Filium minorem Patre, & Spiritum Sanctum minorem Filio docens. Ajunt quidam, ut in Tripartita Historia legitur, quòd Constantinus ultimo suæ ætatis anno baptizatus sit ab Eusebio Nicomediensi Episcopo. Distulerat enim tanto tempore baptizari, desiderans hoc in Jordane fluvio promereri. Alii, quòd baptizatus à Silvestro, rebaptizatus ab isto Ariano, eo quòd in dogma declinaverat Arianum. Quod si verum est, usus bono principio, malo concluditur fine. Sed abhorret à vero, ut Catholica indubitanter credit Ecclesia. Demum quum Constantinus bellum pararet in Persas, juxta Nicomediam mortuus est, anno ætatis suæ LVI. Regni XXXI. cujus mortem crinita stella prænuntiavit. Cujus temporibus Alexander Alexandriæ fit Episcopus, fortissimus Evangelii prædicator. Paphnucius Confessor & Ægypti Episcopus. Quirinus Episcopus, & Sisinius martyrio coronatur. Methodius Episcopus, qui fuit Tyri Episcopus, multa composuit, qui ad extremum temporibus Constantini, vel, ut quidam ajunt, Decii, & Valeriani, martyrio coronatus est. Juventius Presbyter Hispanus Evangelia versibus dictavit heroicis. Spiridion Cyprorum fuit Episcopus. Cujus caulibus cùm adhuc essent fures accedentes, nullo ligante subitò ligabantur. Cui filia defuncta de quodam deposito interroganti respondit. Cujus horreum quum fideliter in victualibus occurreret plenum, cuidam fraudatori exinanitum apparuit. Qui quoque cibis aliis deficientibus, cuidam peregrino defecto carnes porcinas obtulit in Quadragesima comedendas, & ne peregrinus comedere vereretur, ipse priùs comêdit. Helena Constantini mater pergens Hierusalem, locum Dominicæ Passionis ubi erectum erat simulacrum Veneris, expurgavit, ubi tres Cruces invênit; quarum una fuit Dominica; quæ orante Macario Episcopo sic discernitur; quia tactu ejus mortuus suscitatur, mulier ab ægritudine liberatur. Præterea clavos invênit, partem quorum in galea filii, partem in freno posuit. Sicque adimpletum est illud Zachariæ: *erit quod in freno est equi sanctum Domino*. Ligni quoque pars est in thiara Sacerdotali. Pars dicitur in statua Constantini.

De Constantino, Constantio, & Constante.

ANno Domini CCCXLI. Constantinus, & Constantius, & Constans filii Constantini, quos prædictus pater eorum Cæsares instituit, regnaverunt apud Romanos ann. XXIV. Jusserat autem Constantinus pater supradictorum, quòd Dalmatianus nepos, Dalmatii fratris filius, cum filiis imperaret. Sed factione interemtus est. Constantinus apud Aquilegiam occisus est. Constans aliquando consultè regnavit, qui Francos domuit; sed Arrianus effectus est: militibus intolerabilis, factione Magnentii Tyranni, non longè ab Hispaniæ partibus interfectus est. Constantii fuit diversa fortuna. Nam à Persis multa perpessus est, Sapore Rege Persarum Mesopotamiam vastante, & Nisibi civitatem obsidente. Magnentium Tyrannum, qui Gallias, Hispaniam, Africam, & Italiam obtinuerat, vicit, qui apud Lugdunum se propria manu occîdit; & Decentius frater ejus, quem ad tuendas Gallias Cæsarem miserat, audita morte fratris, Senonis laqueo se suspendit. Cuidam quoque Veternioni circa Illyricum electo Regium insigne detraxit. Ad hæc Gallum filium patrui Cæsarem fecit, & Orienti præfecit. Gallus autem Judæos oppressit, & multos nobiles Antiochiæ interfecit. Demum à Constantio propter invidiam occisus est. Silvanus etiam, qui res novas in Galliis moliebatur, extinctus est. Solus ergo Constantius Princeps & Augustus in Romano fuit Imperio. Qui Julianum Galli fratrem Cæsarem fecit, & Constantiam sororem sibi dedit in uxorem, eumque ad Gallias misit, ubi multa per ipsum egregia facta sunt. Demum Julianus Barbaris fugatis, à militibus Augustus appellatus est. Cùmque adversùs Constantium arma levaret, Constantius nimia cogitatione inter Asiam & Cappadociam mortuus est. Eisdem temporibus Marcus Silvestro successit, Marco Julius, & post Julium Liberius Romæ sedit Episcopus. Successit Felix Papa.

De Juliano Monacho & Apostata.

ANno Domini CCLXIV. Julianus Monachus & Apostata regnavit apud Romanos ann. II. mens. VIII. Hic liberalibus disciplinis exstitit eruditus, & utraque Lingua peritus. Hic coquos, tonsores, & eunuchos exosos habuit. Coquos, quia cibis simplicibus utebatur, ut Philosophus; tonsores, quia unus multitudini sufficiebat: eunuchos, quia uxor ejus obierat. Scriptores verò antiquæ fortunæ restituit, eisque salarium instituit. Et ut sinè contradictione obtineret Imperium, simulata religione jussit Episcopos de vinculis Constantii penitus relaxari. Sed quum fuerit ab initio Christianus, & ut dicitur, Monachus, factus Imperator, ad Idola rursus reversus, factus est Christianorum proditor, & persequutor. Qui Galilæos, idest Christianos (sic enim priùs nominabantur) Poëtarum & Philosophorum prohibuit legere disciplinas; dicens: *nostris telis vulneramur; quia Christiani nostris scriptis armati contra nos bella suscipiunt*. Qui dum in odium Christi Judæis Templum Hierosolymitanum reparandi licentiam tribuisset, eis repurgationem facientibus terra de valle crescebat, eisque reparantibus subitò fit terræmotus, saxa discutiuntur, & igneo globo ab interiori Templo egresso ædificatores prosternuntur incendio. Sed ne crederetur hoc casu factum, in vestibus cunctorum Crucis apparuit signum. Qui quoque signum de publicis imaginibus jussit auferri; & Jovis & Martis, & similium formas imprimi. Ut ubicumque ritus Paganorum & sacrificia devotiùs servarentur, præcepit ut Sacerdotes Paganismi ritus imitarentur Christianorum, & sanctimoniam Sacerdotum. Denique Julianus de Parthis victor remeans, in Persas profectus, conto ilia perfossus interiit, & à Paganis inter Divos relatus est. Utrum verò ab homine, vel ab Angelo sit occisus penitus ignoratur; cujus mortem præsens spiritu, sed absens corpore quidam Religiosus agnovit. Post dictum Julianum successit Jovianus Imperator.

His temporibus Liberii Papæ & Juliani fuit Hilarion Monachus: & multi Martyres pro Christo passi sunt, ut Gordianus & Epimachus; Romæ Johannes, & Paulus, & Donatus. Theo-

Theodulus in Phrygia, qui dum cremaretur, ait ad carnificem: *altera latera igni suppone: ne dum comburere cœperis, semicrustas invenias.* Basilius Presbyter vitam martyrio finivit. Ossa Beati Johannis Baptistæ combusta, & in pulverem dispersa. Athanasius, Eusebius Vercellensis, Osius Cordubensis Concilium Alexandriæ celebrant, ubi Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum *Trinitatem* nominaverunt, & his nominibus *substantia* & *subsistentia* utendi licentiam tribuerunt contra eos, qui dicebant non esse utendum, quia substantia diffinitur, Deus verò diffiniri non potest; & Evagrius ait: *quod ineffabile est, ratione taciturnitatis adoretur.* Nota, quòd prædicti Papæ Liberii, & Constantii filii quondam Constantini tempore fuit Maximianus Treverorum Episcopus, qui Athanasium cum honore suscepit; sed postmodum Athanasius Alexandriam ad literas Constantii reversus est. Eusebius quoque Vercellensis Episcopus Martyr & Episcopus natione Sardus, & Dionysius Mediolanensis Episcopus, & Romanus Presbyter nomine Pancratius, damnantur exilio, qui contradicebant Ario. Serapion multa conscripsit. Johannes cognomento Sappes Persarum Episcopus, & Eusebius Presbyter Romanus Confessor & Martyr, Martinus Presbyter, & Archelaus Diaconus claruerunt, cujus corpus Cremonam Episcopus Lando portavit. Hilarius verò Pictaviensis multa de Christiana Religione composuit, qui fuit lucifer Romanorum, lucerna Ecclesiarum, lapis pretiosus, qui ad quæcumque sermone pulchro ascendit, aureoque ore loquutus est. Sed Synodus apud Seleuciam, Ariminum, & Mediolanum celebratur, in quibus damnatur Fides nostra, quia omnes toto Orbe polluebantur Ecclesiæ Ariana impietate. Sed quidam Audeus, à quo Audiani, qui & Anthropophormitæ dicti fuerunt, Deum conformem humanæ imagini dogmatizabant, quia dixit: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Macedonius etiam auctor erroris, Spiritum Sanctum creaturam esse docebat, unde ejus discipuli Macedoniani, vel Pneumatici, vel Semiariani, quia ex parte consentiebant eis, dicebantur. Photinus præterea negabat, Christum ante secula natum. Acacius fuit novi erroris inventor, seu veriùs imitator. Aëtius verò pro suis categoriis, & syllogisticis prælectionibus ab Ecclesia pellitur. Apostoli namque nos Fidem, non Dialecticam docuerunt. Cujus discipuli non dicebantur Aëtiani: sed vocati sunt Eunomiani ab Eunomio discipulo ejus. Eudoxius etiam Patrem dixit *Asebis*, & Filium *Eusebis*, quæ vocabula quum activè & passivè ponantur, ab Ecclesia cum auctore sunt repudiata. *Asebis* enim *non colens* vel *non cultus*; *Eusebis bene colens*, vel *bene cultus* interpretantur. His temporibus Sapor Rex Persarum in Christianos sæviens Antiochiam vênit. Sed orationibus Jacobi Episcopi prævalere non potuit, cujus precibus ciniphes & culices exercitum confuderunt, ejus animalia violantes, & fugere compellentes. Macarius discipulus Antonii eremiticam vitam duxit. Plures autem fuerunt Macarii sanctimonia commendandi. Donatus Magister Hieronymi Grammaticam docuit. Victorinus Rhetor statuam in Foro promeruit. Reliquiæ Timothei discipuli Apostoli Constantinopoli inveniuntur. Ossa Beati Andreæ Apostoli, & Lucæ Evangelistæ, qui obierat in Bethania, à Constantinopolitanis miro favore de Achaja translata suscipiuntur.

De Joviano Imperatore.

ANno Domini CCCLXVII. Jovianus regnavit apud Romanos mens. VIII. Hic quum ab exercitu fuit electus, ait, se Christianum non posse præesse Paganis. Cui exercitus: *& nos per Julianum Christi nomen abjecimus: Christiani tecum esse volumus*: quibus auditis Imperii sceptra suscepit. Qui cum Sapore Rege Persarum rerum necessitate compulsus pacem fecit, sed ignobilem; quia Nisibin; & magnam partem Mesopotamiæ sub certis finibus ei tradidit: quod ad Urbe condita numquam accidit, ut licèt Legiones Romanæ sub jugo immitterentur, sicut accidit in Numidia, & Numantia, & Hispania: nihil tamen finium tradiderunt. Demum repentè mortuus est, & inter Deos relatus est. Cujus tempore Synodus Antiochiæ celebratur, qua Macedonius damnatus est. Et quidem res Ecclesiastica sub eo disposita bene fuisset, nisi mors talem Principem hominibus abstulisset. Eodem tempore prædicti Joviani fuit Beatus Geminianus Episcopus Mutinensis; & eodem tempore fuit Liberius Papa, & Beatus Severus Archiepiscopus Ravennæ, qui electus fuit per Columbam Spiritus Sancti.

De Imperatoribus Valentiniano, & Valente.

ANno Domini CCCLXVIII. Valentinianus & Valens frater ejus regnavit apud Romanos ann. XIV. & mens. V. Pater horum fuit quidam Gratianus genere Pannonicus, officio Funarius, cui venalitium funem portanti filio Valentiniano quinque milites nequierunt extorquere; quo merito adlectus est ad militiam, & inde ad Præfecturam millenariam. Quum sub Juliano militaret, & Christianam Fidem gereret, jussus ab Imperatore, aut Idolis immolare, aut à militia discedat, discessit. Sed mortuis Juliano, & Joviano, qui in Christo Millenarium perdiderat Tribunitium, in locum persequutionis accepit Imperium. Qui fratrem Valentem in Regni consortium assumit, sed & filium germanum de uxore Severa genitum, nec dum puberem fecit Augustum. Valentinianus Saxones oppressit, & Burgundionum plusquam octuaginta millia, qui non multo post tempore Christiani effecti sunt. Demum quum bellum contra Sarmatas pararet, apud Burguionem apoplexia mortuus est. Anno secundo Valentiniani Damasus, & paulò post Ursinus Diaconus Romæ fuerunt Episcopi, sed prævaluit Damasus. Valens Imperator fautor Arianorum Ecclesiam quamdam à Catholicis abstulit, & Arianis dedit. Ad quem accedens Basilius ait: *Imperator, scriptum est: honor Regis judicium diligit*: & iterum: *judicium Regis justitia. Et cur cor tuum imperavit, ut Catholici de Ecclesia ejicerentur, & Arianis daretur?* Cui Imperator: *iterum ad contumelias reverteris, ò Basili. Non decet te.* Et ille: *Decet me pro justitia etiam mori.* Tunc Demosthenes Præfectus epularum Imperatoris, fautor Arianorum, & loquens pro eis, fecit barbarismum; cui ait Basilius: *Tuum est de pulmentariis Regis cogitare, non dogmata divina decoquere.* Qui mox confusus tacuit. Dixit Imperator Basi-

Basilio: *vade, & judica inter eos, sed non secundum immoderatum amorem populi*. Abiens ergo dixit coram Catholicis & Arianis, ut fores Ecclesiæ clauderentur, & utriusque partis sigillo munirentur; & ad quorum orationes aperirentur, sua esset. Quod quum omnibus placuisset, orantibus Arianis tribus diebus & noctibus, & venientibus ad fores Ecclesiæ, non sunt apertæ. Tunc Basilius processione ordinata vênit ad Ecclesiam, & facta oratione, levi ictu de baculo Pastorali fores tetigit, dicens: *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. Et continuò sunt apertæ. Et intrantes, Deo gratias reddiderunt, & reddita est Ecclesia Catholicis. Fecit autem Imperator promitti multa Basilio, si sibi consentiret. *Pueris*, ille respondit, *ista conveniunt, nam qui divinis saginantur eloquiis, corrumpere de divinis dogmatibus, nec unam syllabam patiuntur*. Tunc Imperator indignatus dum de ejus exilio sententiam vellet scribere, primus, secundus, tertius calamus fractus est, unde indignatus chartam fregit. Tum temporis Romæ sedebat Felix Papa. Post eum successit Liberius secundo.

De Gratiano Imperatore.

ANno Domini CCCLXXXII. Gratianus post mortem Valentis regnavit apud Romanos ann. VI. Hic fuit literis mediocriter instructus, parcus libidinis, cibi, & somni, Imperii sui; qui Templa Domino dedicavit: qui ut Orthodoxos Pastores exulantes ad ovilia redirent, procuravit. Hic Valentinianum fratrem parvulum socium assumsit Imperii, quem pater de Justina genuerat. Nam Severam uxorem legitimam matrem Gratiani repudians, pulchritudine captus cujusdam Justinæ virginis, Valentinianus eam duxit uxorem, de qua genuit Valentinianum: genuit, & Justam, & Gallam. Gratianus præterea Theodosium filium Theodosii in consortem assumsit Imperii, sibique tenens Hispaniam, Theodosio Regnum tradidit Orientis. Vidit in somnis, quòd Meletius Antiochensis Episcopus se chlamydem vestiret Episcopalem, corona caput ornaret. Veniens Constantinopolim, præcipiensque, ut congregarentur Episcopi, Meletium ex præcedenti visione cognovit. Gratianus quum videret sibi hostes in Galliis imminere, fretus Christi patrocinio, impari numero se in hostem dedit, quos incredibili felicitate confecit. Sed quidam Maximus in Britannia Imperator efficitur, contra quem quum ad Gallias venisset, Gratianus accessit; sed fugiens, Lugduni captus, & occisus est. Maximus ultra procedens Valentinianum Augustum de Italia expulit, & Victorem filium suum Regni consortem effecit. Valentinianus igitur in Orientem ad Theodosium fugit. Interim Theodosius omnem suam fiduciam ad opem Christi conferens, Alanos, Hunnos, Gothos incunctanter aggressus vicit, & cum Athalarico Rege Gothorum fœdus iniit. Athalaricus ergo Constantinopolim veniens, & videns magnalia Imperatoris & Urbis, ait: *Imperator, es Deus terrenus*. Quumque apud Constantinopolim naturæ concesserit, Theodosius condignæ tradidit sepulturæ. Unde Gothi benignitatem Theodosii considerantes, se Romano dederunt Imperio. Parthi quoque, ceteræque barbaræ nationes, priùs Romanis inimicæ, ultro Legatos ad Theodosium miserunt, & cum eo fœdus inierunt. His temporibus Damasus Papa, & post Damasum Syricius Papa.

De Theodosio, & Valentiniano.

ANno Domini CCCLXXXVIII. Theodosius, & Valentinianus regnaverunt apud Romanos ann. VII. & postea solus ann. III. Theodosius ergo quum Thracias liberasset ab hoste, Arcadium filium suum, quem fecit Augustum, Constantinopoli derelinquens, contra Maximum se armavit, eumque major fide, sed longè minor bellico apparatu, apud Aquilejam cepit & occîdit. Filium quoque Victorem interfecit. Theodosius Romam veniens, Valentinianum restituit, & Constantinopolim remeavit. Valentinianus itaque restitutus Italiæ potitur Imperio. Sed quum in Galliam transisset, dolo Arbogastis Comitis, & Eugenii Grammatici eloquentissimi, apud Viennam strangulatus est. Arbogastes igitur Eugenium elegit Imperatorem nomine, ipse actu Imperator. Theodosius hoc audiens, fultus prophetia cujusdam Johannis Monachi, immo auxilio Dei, Arbogasti, & Eugenio, qui quum Mediolanum exirent, dixerunt, quòd si victores redirent, in Ecclesia stabularent, & Clericos sub armis ponerent, bellum intulit. Sed à suis quasi destitutus, signo Crucis & oratione obtinuit. Ventus enim flavit ex parte Theodosii, qui spicula hostium repellebat, & sua fixiùs infigebat. Captus est igitur Eugenius, & occisus. Arbogastes se ipsum occîdit: unde

„ *O nimium dilecte Dei! tibi militat æther;*
„ *Et conjurati veniunt ad classica venti.*

Quum itaque Theodosius in pace regeret solus, Templa Gentilium omnino destruxit: leges instituit: lascivias in commessationibus prohibuit: consobrinarum nuptias interdixit. Hujus quanta fuerit apud Dominum & homines devotio, præsenti patet exemplo. Nam quum apud Mediolanum Ecclesiam vellet intrare, prohibitus est ab Ambrosio, nisi publicè pœniteret, quia multa millia hominum Thessalonicæ fecit occidi. Qui prohibitionem humiliter pertulit, satisfactionem non erubuit. Rursus quum inter cancellos post oblationem moram faceret, ait Ambrosius: *egredere, quia purpura Imperatores efficit, non Sacerdotes*. Imperator patiens obedivit. Hujus uxor fuit Placidia, quæ curam habebat pauperum, visitans Xenodochia, ollas eorum propriis manibus tergens, jus degustans & offerens, & similia faciens, quæ mos est famulis operari; quæ marito dicebat: *Cogita, quid fuisti, & quid sis, & Creatori non eris ingratus*. Quæ precibus obtinuit, ne Imperator cum Eunomio sermonem haberet; timebat enim, ne calliditate ipsius in ejus errorem incurreret. De hac genuit Theodosius Arcadium & Honorium. Qua defuncta, Gallam filiam Valentiniani senioris & Justinæ duxit uxorem, de qua genuit Placidiam, cui postea matris nomen accessit. Mortuus est Theodosius apud Mediolanum, cujus corpus Constantinopolim translatum est. Utramque Rempublicam filiis Arcadio & Honorio quietam reliquit. Regnavit autem Theodosius partim cum Valentiniano, partim solus cum filiis ann. XVII.

De

De Arcadio, & Honorio.

ANno Domini CCCXCVIII. Arcadius quum jam cum patre regnasset ann. XII. post mortem patris regnavit cum fratre Honorio ann. XIII. Arcadius in Oriente, Honorius in Occidente. Interea Gildo Comes Africæ Africam usurpavit, cujus frater Maselzer perfidiam perhorrescens in Italiam vênit. Gildo filios duos occîdit. Maselzer sciens per Theodosium, quantum valeat oratio pro Fide Christi, dies aliquot cum Sanctis in jejuniis continuavit. Vidit itaque noctu Beatum Ambrosium, paulò ante defunctum, sibi victoriam & modum, diem & locum indicantem. Pergens ergo cum quinque millibus, octuaginta millia hostium sinè bello in deditionem accepit. Gildo in Africam rediens strangulatus interiit. Maselzer superbiâ tumens Ecclesiam Dei temerare ausus est; nam quosdam inde extraxit: de quo sacrilegio punitus est. Radagaysus Rex Gothorum cum ducentis millibus Gothis repentino Italiam inundavit impetu. Invadit illico Romam. Clamatur à cunctis, se hæc ideo perpeti, quòd neglexerint sacra Deorum. Blasphematur Christus. Sed non sinit Deus suam potentiam minorem infidelium virtute videri. Capitur Radagaysus, & tanta Gothorum multitudo in monte Fæsulano, quòd singuli singulis aureis venderentur. Arcadius autem quum à Roma rediret, Theodosium filium relinquens Constantinopoli, moritur. Cujus temporibus Anastasius Papa; post Anastasium Innocentius Papa. Anastasius Acacium hæreticum voluit occultè revocare, & percussus ab Angelo interiit.

De Honorio cum Theodosio filio fratris sui Arcadii.

ANno Domini CCCCX. Honorius cum Theodosio filio fratris sui Arcadii regnavit apud Romanos ann. XV. Honorius circa initia Imperii sui Romanis bellum gladiatorum interdixit. Contra quem Gothi armantur, & Alarico Duce anno ab Urbe Condita MCLXIV. Romam invadunt; ex parte incendunt, & à sexto die quo ingressi fuerant, deprædata Urbe fuerunt egressi. Ecce igitur altera Babylon. Sicut enim Babylon post MCLXIV. annos à sui conditione vastata est à Medis, & ab Arbace Rege ipsorum, sic post totidem annos à sui conditione Roma vastatur à Gothis, & ab Alarico Rege ipsorum: præcepto priùs dato, ut quantum possent, à sanguine temperarent, & si quis in sacra loca, præsertim Sanctorum Petri & Pauli Basilicas, intraret, securus maneret. Tunc Alarico defuncto, Athaulphum Regem constituentes Gothi Romam redeunt, ut si quid residui fuerat, more locustarum erodant, auferentes inde Placidiam, quam sibi Athaulphus duxit uxorem. Interea Stilico, qui fuerat tutor Honorii, ut filium substitueret Imperio, Suevos, Alanos, Wandalos, Burgundiones ad arma commovit. Quo cognito, pater & filius occiduntur. Constantinus etiam Tyrannus in Britannia Imperator electus, misit in Hispaniam filium Constantem nomine. Contra quem Honorius Constantium Comitem strenuum & bellicosum misit ad Gallias, qui Constantinum apud Arelatem occîdit. Filius etiam Constans apud Viennam peremtus est. Athaulphus præterea Gothorum Imperator effectus à Constantio capitur. Hos & multos alios Tyrannos Honorius industria Constantii superavit. Itaque Walia Rex Gothorum effectus Placidiam honestè servatam fratri restituit, & pacem cum eo fecit; quam Honorius Constantio dedit uxorem, de qua genuit Valentinianum. Præterea illum in consortem suscepit Imperii. Sed evolutis sex mensibus mortuus est. Post hæc Honorius exercitum in Britanniam misit, ad defendendum eam à Scotis, & Pictis. Similiter & in Hispanias ad defendendum eas à Wandalis & Alanis. Placidia verò vidua à fratre Honorio repulsa ivit in Orientem cum filiis Honorio & Valentiniano, qui à Theodosio Arcadii filio honestè recepta est. Honorius autem quum regnasset cum patre annis duobus, & cum fratre annis XIII. & cum nepote XV. pacatam relinquens Urbem, apud Romam moritur, & juxta martyrium Petri Apostoli sepelitur, cui soboles nulla remansit. Licèt enim duas Stiliconis filias, unam post alteram, habuisset, Dei tamen judicio virgines decesserunt. Quo mortuo quidam Johannes invasit Imperium fultus auxilio Casticii Magistri militiæ & Aëtii. Cujus tempore sedit Romæ Zosimus; post eum successit Bonifacius Papa. Post Bonifacium Cœlestinus Papa.

De Theodosio II. Imperatore.

ANno Domini CCCCXXVI. Theodosius apud Romanos regnavit ann. XXV. Hic usque adeò fuit sapiens, quòd inter confabulantes experimentum omnium videretur habere causarum; usque adeò patiens & clemens, ut nullum se lædentium morti subjiceret, dicens: *utinam ad vitam possem mortuos revocare*. Quarta & Sexta feria Christianitatis studio jejunabat. Sacris literis eruditus Philosophiam operibus exercebat. Regalia ejus sicut Monasterium erant; iram, tristitiam, & libidinem sicut inimicos superabat. Cujus uxor Eudocia Christianissima plurimùm literata. Theodosius itaque Valentinianum filium amitæ suæ, scilicet Augustæ Placidiæ, Cæsarem facit, & cum militibus & matre mittit eum contra Johannem ad recipiendum Imperium. Venientes igitur mira felicitate Johannem opprimunt, & Regnum victores accipiunt. Et quia Ravennates Johanni faverant, eos depopulati sunt. Quibus, sicut mare Rubrum patuit Moysi, sic terra paludosa & invia, adibilis & pervia facta est. Castinum exilio damnaverunt, Aëtio veniâ datâ, quia ejus studio Hunni ad propria remearunt. Ad hæc Valentinianus de Cæsare fit Augustus. Post hæc Bonifacius intra Africam rebellis efficitur, quia ad auxilium suum Wandalos & Alanos intromisit, Africam, rapinis, & ferro, flammaque vastantes. Sed pace facta vênit Bonifacius ad Italiam, ubi morbo extinctus est. In pace illa data est Wandalis in Africa portio ad inhabitandum; ubi Gensericus Rex eorum, volens Catholicam Fidem Ariana impietate subvertere, quosdam Episcopos de civitatibus suis ejecit, suæque hæresi constituit; nolentes diversis suppliciis afflictos occîdit. Postea dolo pacis Carthaginem cepit, & loca divini cultus in habitacula privata convertit. Est autem Carthago à Wandalis capta Anno Domini DLXXXV. postquam cœpit Romanæ ditioni pa-

parêre. Item Gensericus Siciliam graviter affligit. Theodosius Imperator contra Wandalos exercitum cum magna classe direxit; sed magis fuere Siciliæ oneri, quàm præsidio. Genserico Carthaginem reverso, Hunnis Illyricum & Thracias devastantibus, exercitus Theodosii ad defensionem Orientalium revertitur Provinciarum. Postmodum inter Valentinianum & Gensericum pax firmata est, & Africa inter eos certis spatiis divisa est. Interim Aëtius Patritius effectus est. Gundicarium Burgundionum Regem bello contrivit. Interim Gothi quoque Narbonenses infestant; contra quos Hunnis auxiliantibus bellum geritur, cum quibus etiam pax facta est humilius quàm ante prœlium poposcissent. Wandalis & Gothis ita furentibus, Theodosius ad Valentinianum Constantinopolim vadit, & filiam ejus nomine Eudoxiam in uxorem accepit. Rursus Britannia incursionibus Scotorum & Pictorum premitur. Piratæ partem Insulæ invaserunt, quibus Angli societatem promittunt; sed ex adjutoribus impugnatores fiunt. Piratæ quoque Siciliam vastaverunt. Demum Theodosius Constantinopoli moritur, & sepelitur; qui dicitur habuisse Cursorem nomine Palladium, qui terminos Romani pertransibat Imperii; unde quidam ait de ipso: *Iste vir, quum sit lata Romana Respublica, eam parvulam sua velocitate demonstrat*. Eodem tempore Romæ sedit supradictus Cœlestinus, & post eum Sixtus Papa, & post eum successit Leo Papa.

De Martiano Imperatore.

ANno Domini CCCCLII. Martianus regnavit apud Romanos ann. VII. Valentiniano adhuc in Occidente regnante. Fuit autem Martianus vir gravissimus, non solùm Reipublicæ, sed & Ecclesiæ necessarius: contra quem, & Valentinianum, gravissimum oritur bellum. Nam Attila Rex Hunnorum, qui Blenda fratrem suum Regni consortem occiderat, Thracias, & Macedoniam, Pannonias, & Daciam, Turcos, & Rugos, & ceteras nationes, Aquilonis in finibus commanentes, cum suis Regulis sibi parêre coëgit. Ad demoliendum etiam Occidentale Imperium aspiravit. Igitur non minori fultus sagacitate, quàm armorum fortitudine, amicitiam petebat Gothorum contra Romanos, & Romanorum contra Gothos, ut si hos divideret, utrosque faciliùs subjugaret. Cujus astutias Aëtius prævidens, cum Theoderico Rege Gothorum fœdera fecit. Occurrit igitur Aëtius Attilæ, fueruntque Aëtio in auxilio Gundicarius Rex Burgundionum, & Theodoricus Rex Gothorum, Franci, Saxones, & Alani, & alii multi. Convenere ex utraque parte in campos Catalaunicos: congrediuntur, & CCLXXX. millia hominum occiduntur. Ibi Rex Gothorum occubuit. Utrique parti fuit lacrymabilis pugna. Neuter cessit exercitus; sed tamen Attila superatur. Torismundus Theodorici filius de paterno funere dolens, statuit Attilam obsidione coarctare usque ad internecionem. Sed Aëtius timens, si Attila occideretur, ne Romani à Gothis opprimerentur, suasit Torismundo redire domum, ut susciperet Regnum. Quo reverso Attila reintegratis viribus, & majori collecto exercitu, Italiam furibundus per Pannonias introivit, Aquilejam aggressus, quam obsedit triennio. Demum quum ciconiæ uno impetu ex urbe volarent, & pullos rostris forinsecus exportarent, hoc augurio fultus Attila urbem expugnavit & cepit.

De Leone Imperatore.

ANno Domini CCCCLIX. Leo Major regnavit apud Constantinopolim ann. XV. apud Romam verò quidam Avitus Imperator efficitur. Quo defuncto Majorianus apud Ravennam invadit Imperium: quo juxta Tarraconam occiso, quidam Severus apud Ravennam eligitur. Cujus tempore Sogor Rex Alanorum in Italiam vênit, sed à Ricimere Præside Liguriæ superatus, & juxta Pergamum occisus est. Severo successit Anthemius; cujus temporibus Gensericus rediens in Italiam, navali certamine superatus est. Servandus Præfectus Galliarum, & Romanus Patritius aspirantes ad Imperium, capti sunt. Ricimer, qui Mediolani morabatur, insidias paravit Anthemio; & licèt sanctitate pollens Epiphanius Episcopus Ticinensis pacem composuisset, Ricimer tamen fœdus violans, Urbem invadit. Roma dividitur: pars illum, pars sequitur istum. Bilimer Rector Galliarum veniens in auxilium Anthemii, à Ricimere superatur & occiditur. At post mensem tertium languoribus cruciatus interiit. Quidam quoque Olybrius Regiam dignitatem adeptus est septem menses, & occubuit.

De Zenone Imperatore.

ANno Domini CCCCLXIV. Zeno apud Constantinopolim regnavit ann. XVIII. Mater autem pueri Leonis, timens impetum Zenonis, puerum occultè Clericum fecit, qui in clericatu permansit usque ad tempora Justiniani. Zenone puerum exigente, mater alium similem obtulit. Apud Romam quidam Augustulus in Italiam veniens, fugato Nepote Patritio, qui Regnum invaserat, Imperium invasit & obtinuit. Mox Odoacer cum multitudine Herulorum & Thuringorum ab extremis Pannoniæ finibus in Italiam venire contendit, qui transiens per rura Noricorum, auditâ famâ Severini servi Dei, ad eum petiturus benedictionem accessit. Cui benedictione data Severinus ait: *Vade nunc ad Italiam Odoacer, vilissimis pellibus indutus, multis citò plura largiturus*. Ingresso Italiam Patritius Orestes occurrit, sed intra Ticinum recepit se. Odoacer verò Civitatem fortiter expugnatam ingreditur: gladius sævit: omnia ignis assumsit: Orestes capitur, & apud Placentiam detruncatur. Ad hæc Odoacer multas Civitates solo æquavit; totam Italiam subjecit; Regiam dignitatem arripuit; adimpleta est Severini prophetia. Augustulus videns universam Italiam subdi viribus Odoacris, quum Rempublicam vix undecim mensibus tenuisset, Imperialem deposuit majestatem: & ita venerabile Romanorum Imperium, & Augustalis illa sublimitas, quæ ab Augusto, scilicet Octaviano, incœpit apud Romam, cum hoc Augustulo periit. Anno ab Incarnatione Domini CCCCLXXV. Odoacer Romam ingressus per XIV. annos quietè possedit Regnum Italiæ. Sed post Theodoricus filius Theodemir Regis, Rex & ipse Ostrogothorum, qui gratiam Zenonis Imperatoris habebat in tantum, quòd eum Consularibus apud

apud Constantinopolim fascibus sublimasset, eique statuam æream equestrem ante Palatium erexisset, conquerentibus Ostrogothis, quòd Imperialia sibi stipendia non sufficerent, ad Imperatorem accedens suorumque penuriam exponens, Italiam sibi petiit. Annuit Imperator, & Italiam ei concessit, Populumque Romanum commendavit. Proficiscens, primò Gepidorum Regem, & Regem Bulgarorum prostravit. Demum juxta Sontium flumen Aquilejæ castrametatus est; ubi Odoacer sibi occurrens fugatus est. Exinde quum Theodoricus Veronam accederet, Veronæ Odoacer occurrit, cujus exercitus in fugam conversus ex magna parte in Athesi mergitur. Theodericus Veronam invadit. Odoacer Romam redit, sed obseratis portis exclusus, Ravennam reversus est, cujus munitionum obstacula fecit. Theodoricus verò pertransiens Mediolanum accessit, ubi multitudo militum ad eum pervênit. Sed Odoacris exercitus crevit, ideoque Theodoricus se apud Ticinum munivit. Interim Gundubaldus Rex Burgundionum Liguriam ingressus multa diripuit, & captivos abduxit. Theodoricus Ravennam accessit, & penè per triennium obsedit. Tamdem Odoacrem in fide susceptum occîdit. Post Beatissimum Epiphanium ad Gundubaldum pro redimendis captivis nuntium misit, cui, exceptis illis, pro quibus pretium dedit, sex millia captivorum concessa sunt. Igitur Theodoricus Romam profectus, à Romanis magno gaudio suscipitur, quibus singulis annis ad subsidium concessit centum viginti millia tritici modiorum. Et sic tertio anno sui ingressus in Italiam, totius Italiæ adeptus est ditionem; nisi quòd Gothis Ticinum ingressis, mox Rugi Civitatem invadunt, & per biennium depopulantur. Theodoricus iste, licèt illiteratus, fuit tamen sapientissimus, qui dicebat, quòd *qui habet aurum, & dæmonem, celare non potest*. Hic cuidam sponsæ metu sponsi filium proprium deneganti ait: *non habebis virum, nisi hunc, quem tu negas filium*: quo audito statim confessa est, suum esse filium. Et ecce alius Salomon. Hic Veronæ, Ravennæ, Ticini palatia fecit, cujus tempore felicitas maxima fuit, pax, & abundantia magna. Hic ut sui Regni vires stabiliret, Chlodovici Regis Francorum filiam accepit uxorem. Sorores suas & neptes tradidit, unam Regi Wandalorum, aliam Regi Thuringorum, aliam Regi Wisigothorum, alios aliis, ita ut gens non prætermitteretur, quæ Theodorico vel pactionis fœdere, vel affinitate non fuerit sociata. Dum hæc apud Italiam aguntur, apud Britanniam Saxones, & Britones hinc inde confligunt; & nunc hi, nunc illi palmam habuerunt. Sed tamdem Saxones potiores totum per longum Insula potiuntur. Apud Africam Hunnericus successit Genserico Arianus. CCC. & ultra capit Episcopos Catholicos; multis manus & linguas abscidit, nec tamen Catholicæ confessionis loquelam eripuit. Ecclesias clausit; sed Zenone Imperatore supplicante reserantur, & Episcopi reconciliantur. Apud Orientem Thracia à Bulgaris devastatur. Constantinopolis incenditur. Cujus temporibus Simplicius Papa sedit. Post eum successit Felix Papa; & post eum successit Gelasius Papa.

A

De Anastasio Imperatore.

ANno Domini CCCCXCII. Anastasius regnavit apud Constantinopolim an. XXVI. qui Eutychianam sapuit hæresim, dicens in Christo duas naturas Deitatis & Humanitatis. Hujus temporibus sedit Anastasius Papa Romæ, à cujus communione multi Clerici discesserunt, eo quòd communicasset Fotino, qui communicaverat Acacio. Post quem duo Papæ fuerunt electi, Symmachus, & Laurentius. Unde post multa facta homicidia Symmachus obtinuit, & firmavit, in Festis cantari *Gloria in excelsis Deo* &c. & habitacula pauperibus instituit.

B

De Justino Imperatore Seniore.

ANno Domini DXIX. Justinus Senior regnavit apud Constantinopolim annos IX. Ad hunc quoque misit Hormisda Papa virum sanctitate præcipuum Germanum Capuanum Episcopum pro Fidei reintegratione, qui dignè susceptus est, & Fidem consolidavit. Hoc tempore apud Africam Catholica reformatur Ecclesia. Nam defuncto Thrasimundo Ariano successit Hildericus filius ejus ex captiva filia Valentiniani Principis ortus, quem pater moriens voluit adstringere, ne Catholicæ faveret Ecclesiæ; at ipse priusquam Regni jura susciperet, universos Episcopos in exilium missos restituit, & Catholicam Ecclesiam in Africa reformavit, quæ LXXIV. annis fuerat destituta. Justinus similiter apud Orientem cœpit sævire, ut Hæreticorum nomen extingueretur. Quod quum Theodoricus Rex adhuc in Italia vivus, Ariana labe pollutus, audivit, Johannem Papam, qui Hormisdæ successerat, ad Justinum dirigit, intimans, quòd nisi Hæreticis suas redderet Ecclesias, universos Italiæ populos occideret. Johannes Constantinopolim ingrediens, turbis occurrentibus ei, in conspectu populi cœco lumen reddit supplicanti. Hic itaque de sua suorumque salute sollicitus, magnis fletibus Justino supplicat, ut suæ legationis seriem, licèt injustæ, accipiat, ut Italiæ perituræ consulat. Annuit Imperator.

C

D

De Justiniano Imperatore.

ANno Domini DXXVII. Justinianus apud Constantinopolim regnavit an. XXXVIII. Justinianus ab Augusto quinquagesimus primus sumsit Imperium, regnantibus in Francia adhuc filiis Clodoici. Iste Christianissimus Imperium quasi jam mortuum prudentissimè suscitavit; Rempublicam reparavit. De Persis per Belisarium Patritium magnificè triumphavit. Leges ante editas nimietate diffusas in compendium conformavit, atque correxit; nam omnes Constitutiones Principum, quæ utique in multis voluminibus habebantur, intra duodecim Libros coarctavit, idemque volumen *Codicem Justiniani* appellari præcepit; cursumque singulorum Magistratuum, sive Judicum Leges, quæ usque ad duo millia penè Libros erant extensæ, intra quinquaginta Librorum numerum redegit, eumque Codicem *Digestum*, sive *Pandectarum* vocabulo nuncupavit. Quatuor etiam *Institutionum* Libros, in quibus breviter universarum Legum textus

E

comprehenditur, noviter exposuit. Novas quoque Leges, quas ipse statuerat, in unum volumen redactas eumdem Codicem *Novella* nuncupari sancivit. Nam per Belisarium Wandalorum gentem, capto eorum Rege Legismero, usque ad internecionem delevit, Africamque totam post annos nonaginta & sex Romano Imperio restituit. Rursumque Belisarii viribus Gothorum in Italia gentem, capto Witige eorum Rege, superavit. Mauros quoque post hæc Africam infestantes, eorumque Regem Amtalam per Johannem Exconsulem mirabili virtute protrivit. Pari etiam modo & alias gentes belli jure compressit. Quam ob causam propter horum omnium victorias ut Alamannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Alanicus, Wandalicus, Africanusque diceretur, habere agnomina meruit. Exstruxit quoque idem Princeps intra urbem Constantinopolim Ecclesiam Sanctæ Sophiæ, idest Sapientiæ Divinæ, quæ est Christus Filius Dei; insuper alia infinita Ecclesiarum beneficia miro opere & ornamento construxit. Regem Erulorum nomine Craten convertit, & baptizavit. Tunc etiam Rex Hunnorum nomine Garda, & cum eo quædam mulier vidua ex Principibus Hunnorum, & alii gentis illius, centum millia baptismi gratiam receperunt. Rex itaque Atalaricus cum matre sua Eudossia in tuitionem Justiniani Imperatoris suscipitur. Atalarico post pauca à suis occiso, mater ejus Theodatum in Regnum suscipit, qui postea ingratus & perfidus eam in balneo strangulavit. Justinianus, Wandalis ab Africa eliminatis, Africam in Romanam provinciam reformavit. Theodatus traditor & strangulator uxoris, pœnas Justiniani metuens, Agapitum Papam ad Imperatorem pro petenda indulgentia & pace transmittit; qua impetrata, fecit se ab ipso Pontifice ad Fidem Catholicam revocari. Ubi & ipse Pontifex diem suum functus, dum per Portam Regiæ Urbis feretrum portaretur, cœcus quidam tacto feretro fuit illuminatus. Post hæc Belisarius Patritius Theodatum ob commissum in uxorem scelus occidit; & Witegisium post Theodatum Regnum invadentem captum ad Imperatorem transmisit; atque totum Regnum Gothorum, quod Jordanis Auctor eorum per duo millia annorum & ampliùs stetisse commemorat, tunc finivit, atque per eum sub Justiniano tam Wandalis ab Africa, quàm Gothis ab Italia exstirpatis, utrasque Provincias in pristinam Romanorum subjectionem reduxit. Hucusque Jordanis Episcopus natione Gothus, ut ipse testatur sua Chronica, Gothorum Historias protelavit. Belisarius Patritius cum Theodeberto filio Chlodovici fratre Lotharii, qui cum ducentis millibus Italiam invaserat, bellum commisit, & rogantibus Francis pacem concessit. Interea Parthi totam Syriam, & urbem Antiochiam invadunt & depopulantur, quibus occurrens Belisarius Patritius, Wandalorum & Gothorum triumphator, vicit, & à terminis Romanorum repressit. His diebus Gothi cum Rege suo Totila tumultuantes in Italiam deferuntur. Eisdem tempotibus gens Langobardorum, quæ ab Insula Scantia, quam alii vocant Scatinaviam, à qua etiam primi Gothi egressi fuerunt, cum Alboino Rege suo in Pannonia habitabant; qui non multò post Italiam occupaverunt. Belisarius Patritius in Italia manens, præcepto Theodoræ Augustæ Silverium Papam invitus in exilium misit. Vigilio quoque successori suo similiter fecit. His quoque temporibus sedit Sanctus Agapitus Papa; & post eum Silverius Papa; & post Silverium Vigilius Papa; cui successit Pelagius Papa, & post eum Johannes Papa.

De Regibus Longobardorum & gestis eorum, quæ fecerunt, & fuerunt suis temporibus.

PRimus Rex Longobardorum vocabatur Agelmundus filius Agionis, & regnavit annis XXXIII. & gubernavit, & rexit Longobardos per idem tempus, & adoptavit in suum filium, qui postea fuit secundus Rex Longobardorum.

Secundus Rex Longobardorum fuit Lamissio post Agelmundum, & regnavit annis XL.

Tertius Rex Gildeoth filius Letech regnavit XXIV. annis.

Quartus Rex Gildeothot Rex Longobardorum regnavit & rexit XXI. annis.

Quintus Rex Gedeus, sub quo in Ruglanda Provincia Rugorum temporibus Odoacri, de quo prædiximus, habitabant, in quam multis bellis & laboribus venerant fatigati.

Sextus Rex Classo filius Gedeonis regnavit XXVIII. annis.

Septimus Rex Walterus regnavit annis VII.

Octavus Rex Vacco Dux super aliquantis Longobardicæ gentis Principatus est, & ex filia filium suscipiens, eum Walterium nominavit.

Nonus Rex Andolin, qui Longobardos in Pannoniam duxit, & fuit pater Alboin. Rodelindam in matrimonium habuit, quæ ei Alboin, virum bellis aptum & per omnia strenuum, peperit. Mortuus est itaque Andolin, & regnavit annis XXI. Ac deinde in Regnum jam decimus Alboin ad regendam patriam cunctorum votis accessit.

Alboinus Decimus Rex Longobardorum sedes proprias, hoc est Pannoniam, amicis suis Hunnis contribuit, eo scilicet ordine, ut si quo tempore Longobardis necesse esset reverti, sua rursus arva repeterent. Igitur Longobardi, relictâ Pannoniâ, cum uxoribus, & natis, omnique suppelectile Italiam properant possessuri. Habitaverunt autem in Pannonia annis XLII. de qua egressi mense Aprili per Indictionem Primam alio die post Sanctum Pascha, cujus festivitas eo anno juxta calculi rationem ipsis Kalendis Aprilis fuit, quum jam Anni à Domini Incarnatione Quingentisexagintaocto essent evoluti.

Clepus Undecimus Rex, nobilissimus vir, quē Liguriæ Provinciæ Regem statuerunt & fecerunt, regnavit duobus annis & mensibus sex. Post mortem ipsius Regis sub Judicibus fuerunt per decem annos. Postea elegerunt alium Regem.

De Justino minore Imperatore, nepote Justiniani.

ANno Domini DLXVII. Justinus minor apud Constantinopolim regnavit ann. XII. Hic fuit nepos Justiniani. Vir in omni avaritia deditus, contemtor pauperum, Senatorum spoliator; cui tanta fuit cupiditas, & rabies, ut

ut arcas juberet ferreas fieri, in quibus ea, quæ rapiebat, auri talenta congereret. Quem etiam ferunt in hæresim Pelagianam delapsum. Hic quum à divinis mandatis aurem cordis averteret, justo Dei judicio amisso rationis intellectu, amens effectus est. Hic Tiberium Cæsarem adscivit, qui ejus Palatium, vel singulas Provincias gubernaret.

De Tiberio Imperatore.

ANno Domini DLXXVIII. Tiberius Constantinus regnavit apud Romanos annis VIII. Huic Sophia Augusta paravit insidias, volens Justinianum filium suum sublimare. Sed spe sua cassata est. Hic Persas debellavit & vicit, & magnam prædam cum XX. pariter elephantis adduxit. Demum Mauritium virum strenuum unà cum filio Sophiæ elegit in Imperium, filiamque suam sibi tradidit dicens: *Sit tibi Imperium cum hac puella concessum: utere eo felix, memor semper, ut æquitate & justitia delecteris.* Iste Tiberius fuit homo justus, utilis, & strenuus, eleemosynarius, in judiciis æquus, in victoriis clarus, & quod his omnibus superavit, verissimus Christianus. Eodem tempore fuit Benedictus Papa primus, & post eum Pelagius Papa secundus.

De Mauritio Imperatore.

ANno Domini DLXXXV. Mauritius Cappadox primus ex Græcorum genere in Imperium confirmatur; regnavit annis XX. Hic quinquaginta millia soldorum misit Oldeberto Regi Francorum, ut Lombardos impugnaret, & de Italia exterminaret.

Autharum filium Delfonis Longobardi elegerunt in Regem, & fuit duodecimus Rex Longobardorum, qui regnavit annis VII. & destruxit civitatem Birsiliæ positam super ripam fluminis Padi, & modò dicitur Bersellus.

Agiluf tertius decimus Rex Longobardorum, qui sicut Authari assumsit Regiam dignitatem, sic & in matrimonium Theodolindam ejus uxorem, cujus supplicatione Rex Fidem Catholicam tenuit, & possessiones Ecclesiæ ampliavit. Cui Reginæ Gregorius Papa Primus multa scripsit.

De Phoca Imperatore.

ANno Domini DCVI. Phocas regnum invasit apud Constantinopolim, qui regnavit annis VIII. Cujus anno secundo Beatus Gregorius quum sedisset annis XIII. & mensibus VI. & diebus X. migravit ad Christum. Eodem tempore Prasini & Veneti per Orientem & Ægyptum bella moverunt. Agiluf pacem cum Phocate composuit annualem. Persæ Romanis Hierosolymam & multas provincias abstulerunt, & sancta profanantes, etiam vexillum Dominicæ Crucis abducunt. Contra Phocatem Heraclianus, qui tunc Africam regebat, bellum movit, eumque regno & vita privavit, tradens regnum Heraclio filio suo. Eodem tempore sedebat Romæ Beatus Gregorius Papa Primus; & post eum successit Sabinianus Papa Primus; & post eum successit Bonifacius Papa Tertius; cui successit Bonifacius Papa Quartus, qui impetravit à Phocate Imperatore Templum, quod Pantheon vocabatur, quod

A idem Imperator eidem Bonifacio dedit & concessit. Et ibi dictus Papa fecit Ecclesiam in honorem Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum in Kalendis Novembris. Et tempore prædicti Bonifacii Papæ fuit Maumeth.

De Heraclio Heracliani filio.

ANno Domini DCXIV. Heraclius Heracliani filius apud Constantinopolim regnavit annis XXXII. alii dicunt annis XLVIII. Hic fuit Christianissimus, qui Crucem Domini Hierosolymas reportavit. Hic duos filios habuit, Heracleonem, & Constantinum. Agiluf cum Heraclio, & cum Francis pacem compo-
B suit. Sed Avares Forum-Julii capiunt ad proditionẽ Romildæ uxoris Gisulfi Ducis Fori-juliani, quam Rex Avarum promisit accipere in matrimonium. Sed Longobardis peremtis & captis, Rex una nocte habuit eam in matrimonio; alia nocte tradidit duodecim Avaribus, qui sibi succedentes eam libidine satiarent. Novissimè jussit eam ligari ad palum, inquiens: *Talem te dignum est habere virum in maritum, quæ potiùs libidini, quàm civium & consanguineorum saluti prospicere voluisti.* Hujus Ducissæ duæ filiæ, ne Avaribus contaminarentur, carnes pullorum crudorum mammillis fasciis alligaverunt, ut putrefactæ fœterent. Quum igitur Avares eas
C contingerent, putantes eas naturaliter fœtere, dicebant omnes Lombardas fœtidas. Quarum postea nupsit una Regi Alamannorum, alia Principi Bajoariorum. Ad hæc quum regnasset Agiluf XXV. annis, diem clausit extremum, cujus filius fuit Adaloald Rex.

Adaloald filius Agiluf quartus decimus Rex Longobardorum cum Theodelinda matre sua successit, & tunc fuerunt Ecclesiæ restitutæ. Quumque regnasset Adaloald annis X. & mente insaniret, à Langobardis ejectus est.

Arioald substitutus est Rex quintusdecimus Longobardorum, & regnavit annis XII.

Rotharus sextusdecimus Rex Longobardorum, qui fuit fortis & justus, sed Arianus; &
D tunc ferè in qualibet civitate Longobardorum erant duo Episcopi, unus Catholicus & alter Arianus. In civitate Ticinensi apud Basilicam Sancti Eusebii Anastasius Arianus Episcopus resedit, sed postea ad Fidem Catholicam est conversus, & tunc erat alter Episcopus Catholicus. Codicem composuit Rotharus Legum, quæ Longobardæ vocantur, Anno LXVII. ab introitu Longobardorum in Italiam. Multa subjugavit, & quum regnasset annis XVI. Regnum Longobardorum Rodoaldo filio suo reliquit.

Rodoaldus decimusseptimus Rex Longobardorum regnavit annis V. Cujus uxor Godiperga Ecclesiam apud Ticinum Sancti Johan-
E nis construxit. Interim Simsebinus Princeps Gothorum multas in Hispania urbes sibi subjecit, & Judæos sui Regni ad Fidem convertit. Heraclio successit Heracleonus filius, qui regnavit annis II. deinde frater ejus Constantinus, qui regnavit mensibus VI. Cui successit filius æquivocus, Constans etiam nominatus. Hisque temporibus fuit Romæ Papa Deusdedit; cui successit Bonifacius Papa Quintus. Post eum successit Honorius Papa Primus; post quem successit Severinus Papa; & post eum Johannes Papa Quartus; & post eum Theodorus Papa Primus.

De Constantino, qui & Constans.

ANno Domini DCXLIX. Constantinus, qui & Constans, apud Constantinopolim regnavit ann. XXVIII. qui fuit hæreticus. Cujus temporibus Martinus Papa fuit Primus, quem, quando Missarum solemnia celebrabat, Spatarius quidam occidere voluit, sed percussus aorasia eum non vidit. Demum Constantinus eum misit in exilium, ubi migravit ad Dominum, & miraculis coruscavit. Cui successit Eugenius Papa Primus, Canonum scientia plurimùm eruditus. Et post eum Vitalianus, qui cantum composuit, quo hodie Romani utuntur. Hujus Constantini temporibus Regina Persarum nomine Cæsara privato habitu Constantinopolim vênit, & baptismum, quem desiderabat, accepit, quam Augusta de fonte levavit. Quod audiens Rex Persarum, Legatos ad Augustum pro uxore direxit. Legati Reginam petunt. Imperator se Reginam ignorare fatetur; sed mulierem noviter baptizatam ostendit. Quam Legati cognoscentes venerantur: supplicant, ut revertatur; quæ respondit: *Nuntiate Regi vestro, nisi crediderit in Christum, me ulteriùs consortem habere non poterit*. Quid plura? Rex cum sexaginta millibus hominum Constantinopolim vênit, & cum omnibus baptizatur, ab Augusto de fonte levatus. Cum uxore remittitur honoratus.

Aripertus decimus octavus Rex Longobardorum, qui successit Rodoaldo, & condidit Oraculum Sancti Salvatoris apud Ticinum; & quum regnasset annis novem, Regnum duobus filiis Bertarith & Gondiperto reliquit. Gondipertus Ticini, Bertarith sedit Mediolani. Sed Grimoald Dux Beneventanus Gondipertum fraudulenter occîdit; quo audito fugit Bertarith Mediolanensis, & stetit in exilio.

Grimoaldus decimusnonus Rex Longobardorum regnavit; qui Francos in Italiam venientes multa cæde prostravit juxta civitatem Astensem. Constantinus igitur, ut Italiam à Longobardorum manibus eriperet, Athenas vênit, & mare transiens, Tarentum applicuit, & quemdam Eremitam consuluit, si gentem Longobardorum posset viriliter superare. Qui respondit, quòd gens Longobardorum modò superari non posset, quia Beatus Johannes Baptista pro eis continuè intercedit, eo quòd Regina Basilicam ejus in Moëdicia construxit. Progrediens inde, Nuceriam civitatem destruxit. Ageruntiam civitatem sanè capere nequivit. Beneventum obsedit, ubi Romoald Grimoaldi Regis filius Ducatum habebat. Romoaldus itaque Grimoaldo patri suo nuntium direxit: auxilium petiit. Rex festinavit. Imperator Neapolim se recepit, & inde bello cum suo damno peracto, Romam perrexit. Cui Papa Vitalianus cum Clero devotè occurrit & populo. Imperator Beato Petro pallium obtulit auro contextum; & quum mansisset Romæ diebus XII. ornamenta Civitatis & Ecclesiarum, & Sanctæ Mariæ, ubi fuerat Pantheon, & tecta ænea deposuit, & Civitatem auro exspoliavit. In Siciliam regressus est, & ibi per quinquennium mansit; & tales Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ afflictiones indixit, quòd nulli spes vitæ remaneret. Sed in balneo apud Syracusas occiditur.

De Constantino, Constantini vel Constantis Augusti filio.

ANno Domini DCLXXVII. Constantinus, Constantini vel Constantis Augusti filius apud Constantinopolim regnavit annis XVII. Cujus temporibus Theodorus Archiepiscopus, & Adrianus Abbas à Vitaliano Papa missi sunt ad informationem Ecclesiarum. Ad quod Theodorus iste, ut quidam ajunt, Librum Pœnitentialem composuit. Vitaliano successit Adeodatus Papa; post quem Donus Papa, qui Paradisum ante Basilicam Beati Petri candidis marmoribus mirificè statuit. Post Dono Papæ successit Agatho Papa, qui causâ componendæ pacis inter Imperatorem & Longobardos, Constantinopolim ivit, & osculum in Porta Civitatis quum cuidam leproso dedisset, illico sanatus est. Apud Longobardos quoque Grimoald quum regnasset ann. IX. in Basilica Sancti Ambrosii mortuus & sepultus est, quam apud Ticinum construxit.

Bertarith vigesimus Rex Longobardorum tunc profugus, ut redeat in Italiam voce divina monetur. Reversus in Regem sublimatur; cujus uxor Rodelinda Basilicam Sanctæ Mariæ ad Perticas ædificavit. Ipse verò Ecclesiam Sanctæ Agathæ, & Portam Palatinam apud Ticinum construxit, & Martyrum Primi & Feliciani corpora condidit. Quumque regnasset XV. annis, Cuniperto filio suo Regnum reliquit, quem Alachis Dux Tridentinus contra fidelitatem, adnitentibus ei Aldone & Agrasone Brixianis civibus, Regno & palatio Ticinensi privavit. Hic Alachis Clericos odio habuit; qui quodam Thoma Diacono ad se veniente ait: *Veniat, si habet femoralia munda*. Ad quem Diaconus ait; *dicite illi, quia Deus potest in meis causis reprehensionem invenire: ipse non potest*. Sed per Dei gratiam misit in auxilium Regis. Rex de Alachis & exercitu ejus victoriam habuit. Hic Cunipertus uxorem suam audiens Theodotem puellam de pulchritudine commendare, eam cognovit; & in Monasterio, quod ejus nomine appellatur, apud Ticinum collocavit. Franci ante venerabile Corpus Beati Benedicti pernoctare simulantes, in castro Cassini ossa Beati Benedicti & Sanctæ Scholasticæ furati sunt, & in suam patriam portaverunt. Agathoni successit Leo Papa Secundus; & post eum successit Benedictus Papa Secundus; & post eum successit Johannes Papa Quintus, qui composuit Librum de Pallii dignitate tempore infrascripti Justiniani minoris filii Constantini.

De Justiniano minore Constantini filio.

ANno Domini DCXCVII. Justinianus Constantini filius apud Constantinopolim regnavit annis X. Hic Africam à Sarracenis recuperavit, & cum eis pacem fecit terra marique. Similiter provincia Africa redacta est sub Romano Imperio. Hujus tempore fuit supradictus Johannes Papa; cui succesit Sergius Papa, quem misso Zacharia Spatario suo jussit Constantinus Imperator deportari, quia Synodo, quam Constantinopoli fecerat, subscribere nolebat. Sed militia Ravennæ, vicinarumque partium, Zachariam contumeliosè re-

repulit. Hunc Justinianum Leo Regno privavit, & in Ponto in exilio reposuit. Et regnavit is cum Tiberio annis septem. His diebus facta est Synodus Aquilejæ. Justinianus post Imperium recuperatum Leonem & Tiberium occîdit; & quando reuma de naso tergebat, unum de Leonis fautoribus jugulari præcipiebat. Gallicinum quoque Patriarcham Constantinopolitanum, qui ei contrarius fuerat, erutis oculis Romam misit. Cyrum Abbatem, qui eum in Ponto aluerat, Patriarcham fecit.

A

Cunipertus vigesimusprimus Rex Longobardorum, quum regnasset ann. XII. Regnum Liuperto filio suo reliquit, eique tutorem Asprandum instituit. Sed Ariperth puerum occîdit, tutorem fugavit, Regnum invasit, Laudum & Pergamum cepit. Hic Ariperth, hac illac pergens, quid de se diceretur, & qualem justitiam Judices facerent, privato habitu explorabat. Hic Ariperth Alpes Cotias Ecclesiæ Romanæ donavit, vel restituit. Sed Gisulphus Dux Beneventi Campaniam invasit. His temporibus Benedictus Mediolanensis Archiepiscopus Romæ causam habuit pro Ecclesia Ticinensi, sed victus est. Johanni Papæ successit Sisinnius, & Sisinnio Constantinus; quem Constantinum Papam Justinianus Augustus ad se Constantinopolim venire fecit, & in platea Civitatis ejus pedibus advolutus veniam impetravit; eumque honorificè suscepit, & remisit, & privilegia renovavit. Cujus Constantini temporibus duo Saxonum Reges Romam orationis causâ venere, & ambo mortui sunt. Demum Justiniani exercitus in Pontum contra Philippicum missus, eum fecit Imperatorem, qui Constantinopolim veniens, Justinianum occîdit. Cujus temporibus in Urbe Roma fames facta est magna per annos tres, post quos tanta fuit ubertas, ut fertilitas inoptata oblivioni mandaretur.

B

C

De Philippico Imperatore.

ANno Domini DCCXVII. Philippicus apud Constantinopolim regnavit ann. I. mens. VI. qui Cyrum ad Monasterium suum remisit; Constantino Papæ literas pravi dogmatis direxit; quas Papa respuit, & hujus rei causa gesta VI. Synodorum in Porticu Sancti Petri fecit pingi; statuitque Populus Romanus, ne charta, vel effigies, aut nomen Imperatoris reciperetur hæretici, nec pro eo ad Missarum solemnia oratio fieret specialis. Hunc Philippicum Anastasius, qui Anthemius dictus, oculis & Regno privavit.

D

De Anastasio Imperatore.

ANno Domini DCCXVIII. Anastasius apud Constantinopolim regnavit ann. III. Constantino Papæ literas direxit, quibus se fautorem Catholicæ Fidei declaravit. Hic classem contra Sarracenos in Alexandriam misit; sed Urbem reversus exercitus Theodosium Imperatorem elegit, & coactum Imperio confirmavit.

E

Aripertus vigesimussecundus Rex Longobardorum, quum regnasset ann. XII. & fugeret à facie hostium suorum, in Ticino flumine suffocatus est. Regnavit Asprandus mens. III. vigesimus tertius Rex Longobardorum, cui successit Liutprandus filius ejus. His temporibus claruit Beatus Leonardus Monachus.

De Theodosio Imperatore.

ANno Domini DCCXXI. Theodosius apud Constantinopolim regnavit ann. V. qui Anastasium fecit ordinari Presbyterum. His temporibus conversi sunt Germani ad Christum per Bonifacium Episcopum.

De Leone Imperatore.

ANno Domini DCCXXII. Leo apud Constantinopolim regnavit ann. XXV. Hic apud Constantinopolim imagines Sanctorum incendit, & mandavit Gregorio III. ut idem Romæ faceret. Sed Pontifex hoc contemsit, & Imperatorem excommunicavit. Exercitus quoque Ravennæ, Venetiarumque unanimiter elegissent alium Imperatorem, nisi Pontifex restitisset. Augustus ad pejora progreditur, quia Salvatoris & Genitricis ejus imagines concremari fecit; & quia plerique Constantinopoli resistebant, aliqui sunt capite truncati, alii aliter mutilati. Et tunc passa est Sancta Theodosia. Patriarcha sceleri non consentiens, propria sede expulsus est. His quoque temporibus Sarraceni Constantinopolim per continuum triennium obsederunt; sed fame & pestilentia confusi sunt; & revertentes subita tempestate contritis navibus perierunt. Intus Constantinopolim CCC. millia pestilentia interierunt.

Liutprandus vigesimustertius Rex Longobardorum, qui fuit tantæ audaciæ, quia quum jurassent aliqui eum occidere, cum eis silvam ingrediens, evaginato gladio dicebat: *facite, quæ cogitatis*. Et tantæ fuit pietatis, quòd eis cuncta confessis protinus dimittebat. Et quum Liutprandus Regnum obtineret Longobardorum, & equitaret per districtum Mediolani, homines illarum partium ad ejus præsentiam accedentes conquerebantur, ei, quòd non habebant mensuram, & quòd unus alterum in mensura decipiebat. Qui posuit pedem super quemdam lapidem magnum & spatiosum, volens in eo signum fieri ad modum pedis sui, ad quod emere & vendere deberent. Sed Dei potentia signum pedis ejus in ipso lapide fuit sculptum signo, & signatum, quod usque in præsentem diem ibi apparet, & dicitur *Pes Liutprandus*; ad cujus mensuram usque in hodiernum diem vendunt & emunt. Tantæ fuit potentiæ, quòd Bononiam, Auximum, Subtriam, Spoletum, & alia plurima subjugavit. Ravennam obsedit, & Classem destruxit. Sed & contra Romanos multa prœlia gessit. Quum Romam obsideret, misit Gregorius III. Carolo Martello Claves Confessionis Sancti Petri, rogans, ut Urbem liberaret, & Ecclesiam defenderet à Langobardis. Sed tantæ fuit devotionis, quòd Alpes Cotias Romanæ confirmavit Ecclesiæ. Ossa Beati Augustini, quum Sarraceni fuissent Sardiniam depopulati, transtulit in Ticinum, & collocavit ea in Ecclesia Sancti Petri ad Cœlum aureum, quam ipse construxit. Ædificavit præterea in monte Bardonis Ecclesiam Berceti. In Olonna Ecclesiam Sancti Anastasii. In Palatio Ecclesiam Sancti Salvatoris, ubi Clericos instituit; & sic per singula quæque loca, in quibus degere volebat. Tantæ fuit sapientiæ, quòd magìs confidebat in orationibus, quàm in armis. Pacis fuit amator; qui Fran-

Francorum pacem & Avarum custodivit; castus, largus, sed literarum ignarus; qui quum regnasset annis XXXI. & mensibus VI. mortuus est.

Hildeprandus vigesimusquartus Rex Longobardorum successit Liutprando Regi. Hildeprandus regnavit mensibus VI.

Ratchius vigesimusquintus Rex Longobardorum regnavit annis IV. mensibus IX. His temporibus Gregorio successit Zacharias in Apostolica Sede, Græca, Latinaque Lingua peritus. Qui pacem cum Longobardis fecit, & filios compatrum in matrimonio copulari prohibuit. Bonifacius Maguntinus Archiepiscopus, qui Werdensem Ecclesiam fecit, & Beda Presbyter venerabilis, qui multa conscripsit, & Petrus Episcopus Ticinensis claruerunt. Leonis anno primo mortuus est Carolus Martellus, qui apud Francos Major in Regia Domo erat. Hic Regnum Francorum à longis retro temporibus intueamur.

Post Trojæ destructionem multa millia Trojanorum sub Priamo & Antenore Ravennam applicuerunt, & Paduam ædificaverunt, ubi sepultus est Antenor. Postea verò in Scythica regione civitatem Sicambriam constituerunt. Deinde occupaverunt Germaniam, & dicti sunt Germani. Sed quia tempore Valentiniani Imperatoris, ejus mandato vicerunt Alanos, vocavit eos Francos, idest feroces. Post transierunt in Thuringiam sub Principibus Marcomede, & Simone. Sed Simone defuncto, Marcomedis filium Faramundum Regem fecerunt, & Leges per quemdam Sapientem nomine Salagustum habere cœperunt, à quo Lex Salica dicta est, qua Franci utuntur. Hinc Roma decrevit, & Francia crevit. Nam transito Rheno cœperunt fugare Romanos, qui habitabant ibi; & cepere Agrippinam, quæ nunc Colonia dicitur ex novo incolatu eorum, & Tornacum, & Cameracum, & Rhemis, & Treverim, & Suessonam, Aurelianis, & penè totam Galliam & Germaniam ab Aquitania usque Baguciam vendicaverunt. Inter Reges Francorum fuerunt Miroveus, à quo postea Reges nominati sunt Mirovei; & Chlodoveus, qui Glodosindam filiam Regis Burgundionum Christianam accepit uxorem; ad cujus orationes & exhortationes baptizatus est à Sancto Rhemigio, Angelo de cœlis oleum ministrante, quo adhuc Franci Reges unguntur. Iste Chlodoveus vovit, equum suum se Beato Martino daturum, si triumpharet in Gothos. Triumphavit, solvit votum; sed redimere volens centum solidos transmisit; sed equus stetit immobilis; ideoque misit alios centum solidos, & sic equus sequutus est. unde Chlodoveus ait: *Sanctus Martinus est bonus auxiliator, sed carus negotiator*. Hujus Chlodovei filii, nepotes, & pronepotes postea regnaverunt, scilicet Lotharius filius ejus, & filii ejus Lotharii, qui Regnum diviserunt. Aribertus Parisius, Guntramus Aurelianis, Hilpericus Senonis, Sichipertus Metis obtinuit. Sed ad tantam imbecillitatem Reges devenere Francorum, quia Regibus adhuc nomine solo manentibus, Major in Domo Regia, Regni erat administrator, ut venerabilis Arnulfus Metensis Episcopus vitæ sanctitate perspicuus, & post Anchisus filius ejus ab Anchise Trojano denominatus, post quem Pippinus Grossus. Post hunc Carolus Martellus Pippini Grossi filius ex concubinatu Alpheidæ Ducissæ. Qui Bagueram, Sueviam, Guasconiam, Saxoniam, Frisiam vicit, CCCLXXXV. millia Sarracenorum in Hispania interfecit, eosque, bellum Narbonæ committens, maxima cæde prostravit. Et post quum Sarraceni Arelate cepissent, Legatos cum muneribus mittens ad Liutprandum Regem Longobardorum, contra Sarracenos auxilium postulavit. Quo in adjutorium properante, Sarraceni fugerunt. Illam quoque Provinciam subjugavit, in qua est Parisius, quæ tunc Gaudiana vocabatur. Et vocavit eam Franciam Lingua Latina, Theotonicè Karlinguiam. Terra verò, quæ Franconia dicitur, à quodam Francone Duce, ut quidam asserunt, appellata est. Primus consensu decimas Zachariæ Papæ Militibus dedit in feudum pro Ecclesiarum necessitate. Quum itaque Regnum Francorum tam feliciter per XXVII. annos administrasset, sicut præmisimus, anno primo Leonis diem clausit extremum, tribus relictis filiis, Carlomanno, Pippino Nano, & Graffone, qui Regni diviserunt administrationem. Sed Graffo iniquus à fratribus ejectus apud Averniam in quodam Castello permansit. Carlomannus habuit Theotoniam: Pippinus Franciam. Sed post annos quatuor Carlomannus per Zachariam Papam factus est Monachus in Monte Syrath: postea transivit ad Montem Casinum, ubi etiam porcos aliquando custodivit. Pippinus itaque Nanus solus exstitit Regni administrator, Hyldrico Rege nomine solo manente. Sed quia Rex erat ignavus & inutilis, auctoritate Zachariæ Papæ Pippinus in Regem à Bonifacio Maguntino, aliisque Principibus electus est, & Hylárico in Monte Casino Monacho facto auctoritate Stephani Papæ, qui Zachariæ successit, à fidelitate Hylarici cum omnibus Principibus est absolutus, & in Regem unctus, ubi Regnum Merovingorum finem accepit, & Regnum Carolorum incœpit.

De Constantino Leonis filio.

ANno Domini DCCXLII. Constantinus Leonis filius apud Constantinopolim regnavit an. XXXV. qui fuit patre pejor, quia sacrificia Dæmonibus immolavit.

Astulphus vigesimussextus Rex Longobardorum regnavit annis VIII. qui Dei Ecclesiam molestavit, & Civitates ad jus Beati Petri pertinentes invasit; unde Pippinus Nanus Rex Francorum rogatu Stephani Papæ in Italiam venit, & Astulphum jurare coëgit, quòd Ecclesiam Romanam ulteriùs non molestaret. Deinde Pippinus Romam veniens honorificè susceptus est. Et eo in Franciam reverso, Astulphus nihil promissorum servavit. Unde Pippinus rediens, Ravennam & quasdam alias Civitates numero viginti cepit, & Ecclesiæ Romanæ donavit, & Astulphum arctiùs obligavit. Mortuus est anno XIV. Regni sui, duos derelinquens filios, scilicet Carolum Magnum, & Carlomannum, qui Regnum diviserunt. Stephano Papæ successit Paulus, qui sæpe monuit Constantinum pro Imaginibus restaurandis; post quem Constantinus adhuc Laicus Sedem invasit Apostolicam: post alius Stephanus, & postmodum Adrianus. Post Astulphum Regem Longobardorum successit Desiderius Rex Longobardorum.

Iste Desiderius Ecclesiam Romanam impugnans, primò cepit Faventiam, & Ferrariam, seu

seu Comachium de Ravennate abstulit Exarchatu.

Anno Domini DCCLV. tempore Astulphi Regis & VIII. anno Domni & Silvestri Papæ primi translatum est Corpus Beati Silvestri Nonantulam.

Anno Domini DCCLXXIV. Regnum Longobardorum à Carolo Rege subjugatum est, per quos regnatum fuerat, postquam Italiam intraverant, annis CCVI. Deinde Carolus reversus in Franciam subjugavit Saxoniam.

Additamentum ad Chronicon Sicardi secundùm Codicem Estensem.

„ Reperitur in Legenda Beatæ Juliæ Virginis & Martyris de Desiderio Rege Longobardorum: Postea autem tempore præcedente quidam nobilis vir civitatis Brixiæ fidelis & devotus Desiderius nomine, quum quodam tempore apud Ticinum Barones & Potentiores Longobardorum Regem creaturi essent, Desiderius alloquitur Ansam uxorem suam dicens: Proficiscar Ticinum, ubi Principes Longobardorum convenerunt, ut faciant sibi Regem. Uxor verò ejus subridens ait: Vade: fortè eligent te in suum Regem. Proficiscens devênit igitur prima die in quemdam locum, qui usque in hodiernum diem appellatur Lenum, & ponens ibi se ad quiescendum sub quadam arbore, quum obdormisset, ecce quidam serpens, qui surrexit subitò, & vênit ad caput ejus, & adstringens caudam cum capite, fecit in modum serti coronam in capite ejus. Serviens autem suus hæc videns, noluit eum excitare, timens ne serpens læderet eum. Et dum hæc agerentur in somnis, videbatur Desiderio, quòd diadema Regis Longobardorum poneretur super caput ejus. Excitatus autem, & serpente recedente, nullâ molestiâ illatâ sibi, dixit servienti suo; Surge: eamus, quia vidi somnium, per quod puto me Regem futurum. Et dum essent in via, famulus suus confessus est ei quod sibi acciderat de serpente. Intrans autem Aulam, in qua erat multitudo, atque exspectans, & scire volens, quem Electores eligerent in Regem, quum plurimis diebus instassent electioni, & nulla ratione convenire possent in unum: qui in Aula exspectabant Desiderio dixerunt: Vade Desideri; intra ad eos, & dic ad eos, quia omnes tœdio afficimur, exspectantes tanto electionem eorum. Qui ingressus securè ad eos, narravit murmurationem omnium exspectantium Regis electionem. Illi autem videntes Desiderium, de quo nulla mentio apud eos facta fuerat, dixit unus ex eis coram omnibus: Ecce Desiderius vir nobilis est, quamvis non multum in rebus dives, strenuus in armis. Eligamus ipsum in Regem. Breviter Dei nutu omnes concordant in eum. Et adimpletum est in eo, quod dictum est: Insuspicabile portabit diadema. Et vocato eo in Conclavi, insignia Regalia imposuerunt super eum. Quod quum divulgatum esset in Aula, omnes lætari cœperunt. Ipse autem non immemor de loco illo, ubi serpens cinxerat ejus caput, & ubi etiam fixerat signum, ad honorem Domini nostri Jesu, & Sancti Benedicti Confessoris construxit Monasterium ingens & nobile, ubi copiosa Monachorum multitudo in sancta religione Domino devotissimè deservivit, quod etiam privilegiis, villis, & terris plurimis dotavit. Ansa verò uxor ejus devotissima Regina, vestigia sequens mariti, intra Civitatem Monasterium æquè nobile locuples de suo peculio fecit fieri, quod dotavit magnificè villis, terris, pratis, molendinis, fontibus, servis, mancipiis tam in Episcopatu Brixiæ, quàm Cremonæ, & Placentiæ, & Regii, & pluribus aliis locis. Dona etiam largissima contulit Ecclesiæ dicti Monasterii, aurum, argentum, lapides pretiosos, thuribula, phialas, cruces, textus Evangelia, & alia pallia samita, & sericas vestes, sicut decebat Reginam Longobardorum, & tanto plus quanto ex magno affectu, & pia devotione hoc agebat. Et constituit, ut de his, quæ donaverat Monasterio, conventus magnus haberetur Sanctimonialium, & Virginum, quæ die ac nocte devotum obsequium Domino exhiberent. Post hæc misit devota Regina gentis Longobardorum nuntios solemnes & fide dignos, ac devotos in Insulam Corsicam, & mandavit, ut Corpus Beatissimæ Martyris Juliæ cum omni sollicitudine deferretur ad Monasterium, quod ipsa construxerat; qui fideliter & devotè mandata complentes, Corpus dictæ Virginis ad civitatem Brixiæ detulerunt, & in prædicti Monasterii Ecclesia honorabiliter locaverunt, ubi per ejus merita & orationes multis multa beneficia conferuntur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto vivit & regnat in secula seculorum: Amen. Iste Rex Desiderius fuit ultimus Rex Longobardorum.

De Leone Imperatore.

Anno Domini DCCLXXVII. Leo apud Constantinopolim regnavit annis VI. Post vênit Imperium in manus uxoris Leonis nomine Irene.

De Irene uxore Leonis.

Anno Domini DCCLXXXIII. Irene regnavit apud Constantinopolim cum filio suo Constantino ann. X. Cujus temporibus, scilicet Anno Domini DCCLXXXVI. Crucis signum repentè in vestibus apparuit, & sanguis de cœlo profluxit. Hanc Irenem, quia Carolo nubere voluit, Græci Monasterio intruserunt, & Nicephorum elegerunt.

De Nicephoro Imperatore, & filio ejus Stauratio.

Anno Domini DCCXCIV. Nicephorus apud Constantinopolim regnavit ann. VIII. post quem Stauratius filius ejus regnavit mensibus IV. Apud Romam his temporibus fuit Adrianus Papa I. cui successit Leo Papa III. Hic Leo Papa Synodum celebravit, in qua damnavit Hæreticos dicentes Christum Dei filium adoptivum.

Quæ

Quæ sequuntur, desumta sunt ex MSto Codice Augustæ Cæsareæ Vindobonensis Bibliothecæ, simulque ex MSto Cod. Bibliothecæ Estensis. Variantia inter eos, aut in ipso textu, aut in suppositis Notis, indicabuntur.

De Karolo Magno Imperatore.

A Anno Domini DCC. Anno ab Urbe condita Millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, Karolus quum jam regnasset in Francia annis XXXIII. à Leone Papa III. unctus est in Imperatorem Romanorum, & imperavit annis XIV. mense uno, diebus XIII. Hic confirmavit Ecclesiæ Romanæ quæ donaverat ei Pipinus pater suus, & adjunxit ei Ducatum Spoletanum, & Beneventum, & alias etiam Ecclesias possessionibus ampliavit. Hic cum Michaële, qui post Stauratium apud Constantinopolim regnavit annis duobus, & post cum Leone successore, B pacem perpetuam hoc modo firmavit, ut alter alterius frater nominetur, & alter ab altero semper juvetur. Græcus Imperator habeat Orientem & Constantinopolim, & Karolus & successores habeant Romam & Occidentem. Ab hinc igitur gesta Orientalium Græcis Chronographis relinquentes, quæ apud nos gesta sunt, Occidentalia prosequamur. His in pace compositis, Karolus Hierusalem causâ orationis per Constantinopolim ivit, & per Siciliam, & Calabriam, & Apuliam Romam rediit, & Aquisgranis reversus est, ubi sedem Regni constituit, & finem vitæ suscepit Anno Domini DCCCXIV. Anno Regni C sui & Imperii XLVI. subactæ Italiæ XLIV. ætatis suæ LXXII. Cujus duodecim fuerunt præcipui pugnatores, Ronlandus (1), & Volmarius cum sociis suis. Duos reliquit filios Ludovicum Regem Aquitaniæ, & Pipinum (2) Secundum Regem Italiæ. Hujus temporibus claruerunt Alcuinus Karoli Capellanus, Stephanus venerabilis vitæ Cremonæ Episcopus, qui cum Pipino Rege Italiæ transtulit corpus Sancti Zenonis ad Ecclesiam, quam ædificaverunt, & multis possessionibus dotaverunt.

De Ludovico filio Karoli.

D Anno Domini DCCCXIV. Ludovicus Karoli filius apnd Romanos cum Lothario filio suo regnavit annis XXV. Auditaque (3) morte patris de Aquitania veniens, Aquisgrani per consensum Principum adeptus est Imperii Principatum. Apud quem Leo Papa de impositis criminibus per Nuntios se purgavit. Apud Constantinopolim verò quum Leo regnasset annis VIII. & mensibus VI. successit alius Michaël, qui regnavit annis VIII. & mensibus IX. Cui substitutus est Theophilus filius ejus, qui post mortem patris regnavit annis XIV. & mensibus III. Leoni Papæ successit Stephanus, qui Ludovicum, ut quidam dicunt, inunxit. Huic Ludovico Italiam ingresso Beatus Johannes Baptista in visione apparuit in territorio Sabinensi, præcepitque, ut ædificaret ei Ecclesiam, quam fecit, ubi dicitur Argentilla. Hic Regnum potenter obtinuit usque ad Pharum. Hic tres filios habuit, Lotharium, quem consortem fecit Imperii, Karolum, quem Ducem fecit Aquitaniæ, Ludovicum, quem Ducem instituit Bavariæ. Hic Ludovicus Augustus, ut Nobiles alliceret ad Clericatum, Clericis licentiam dedit vestibus pretiosis indui; uti & divisas domos habendi. Hujus temporibus Heroldus Rex Danorum cum suo Populo vênit ad Fidem. Ejusque temporibus, scilicet Anno Domini DCCCXXIII. corpus Beati Marci translatum est de Alexandria Venetias. Stephano Papa successit Paschalis, qui (4) potestatem Lothario, quum in Italiam venisset, super Romanum Populum vivente patre concessit. Post Paschalem Eugenius, qui Librum Pœnitentiarum composuit, & in Franciam misit. Post Eugenium Valentinus. Post quem Gregorius, qui Ecclesiam Beati Marci, quam tempore sui Sacerdotii regendam habuit, tempore sui Pontificatus à fundamentis renovavit. Hujus Ludovici temporibus Episcopus Cremonensis fuit Atto.

De Helena Imperatrice, & Niceto, Lothario, & Michaële Curipale.

Hisque temporibus Constantinopoli Helena sola imperavit annis V. Nicetus imperavit annis IX. Romæ Lotarius annis X. Constantinopoli Michaël Curipale Imperavit annis II.

De Lothario Ludovici filio.

Anno Domini DCCCXL. Lotharius Ludovici filius apud Romanos regnavit annis XV. Ad hunc Theophilus Imperator Constantinopolitanus Legatos misit, promittens dare filiam suam Ludovico filio suo; sed dum ista geruntur, naturæ Theophilus iste concessit. Lotharius autem ab Imperiali benedictione Roma reversus, à fratribus, scilicet Karolo Aquitaniæ, & Ludovico Bavariæ Ducibus, regnare volentibus, impugnatus est. Divisit igitur cum eis Imperium: Karolo cessit Francia,

(1) *Ex Codice Estensi*. Rolandus, Uliverius, & Turpinus Archiepiscopus cum sociis suis.
(2) *Ex Codice Estensi*, & Pippinum Regem Italiæ.
(3) *Ex Codice Estensi*, audita namque morte patris.
(4) *Qui potestatem* usque ad *concessit*, desiderantur in Codice Estensi.

cia, Britannia, Ludovico Bavaria, Alamannia. Lothario verò Italia, Provincia, & Lotharingia, à quo etiam sic denominata est. Ecce magnus defectus Imperii. Quum enim Karolus quasi per medium cum Græco divisisset Imperium, hic Lotharius nepos Karoli tertiam dumtaxat partem habuit medietatis Imperii. Qui quum tres filios habuerit, Ludovicum, Lotharium, & Karolum, quibus Regnum concesserat (5), eis divisit. Ludovico Italiam cum nomine Imperatoris, Lothario Lotharingiam, Karolo Provinciam. Et ecce major defectus Imperii, quia devênit ad tertiam partem dumtaxat tertiæ partis (6). Demum Lotharius Imperator factus est Monachus. His temporibus Gregorio successit Sergius in Apostolatu; cujus temporibus Sarraceni vastaverunt Italiam. Cremonæ verò Quemcroardus sedit Episcopus Attonis prædicti successor.

De Ludovico Lotharii filio.

ANno Domini DCCCLV. Ludovicus Lotharii filius apud Romanos regnavit annis XVIII. Hunc Papa Sergius coronavit. Sergio successit Leo, qui ædificavit Civitatem, quæ suo nomine Leoniana dicitur, & Ciborium Sancti Petri, & Ecclesiam, quæ dicitur Sancta Maria Nova. Post quem Benedictus (7). Postea Nicolaus, qui duos Reges excommunicavit, Michaëlem propter Patriarchæ depositionem, & Lotharium propter pellicis copulationem. Hic enim Papa Nicolaus de matrimonio Lothario juniori, Regi scilicet Lotharingiæ, cum Gualdrada & Teuberga rescripsit. His temporibus Sarraceni Beneventum invadunt, ideoque Ludovicus fratrem suum Lotharium in suum auxilium invitavit: sed is apud Placentiam mortuus est; unde Regnum ejus Lotharingiam Karolus patruus Rex Galliarum invasit. Sed adveniens Imperator Ludovicus ipsum Regnum Lotharingiæ cum Karolo patruo Rege Galliarum Regna Franciæ & Britanniæ ita divisit, quòd sedem sibi Aquisgrani retinuit. Ad hæc Beneventanus Dux Adalgisus Ludovico Imperatori fit rebellis, ideoque Imperator in Italiam rediens, Campaniam, Lucaniam, & omnes Civitates Samnii cepit. His temporibus Nicolao successit Adrianus, & Adriano Johannes. Cremonæ verò fuit Episcopus Benedictus.

De Karolo Ludovici Senioris filio, & patruo junioris, agnomine Calvus.

ANno Domini DCCCLXXIV. Karolus Ludovici senioris filius, & patruus junioris, regnavit anno uno, & mensibus IX. Hic enim, quum esset Rex Franciæ, Romam vênit, & Imperium, per Johannem Papam inunctus, obtinuit. His diebus frater ejus Ludovicus Rex Bavariæ & Alamanniæ apud Francofurt mortuus tres filios dereliquit, Karlomannum, Ludovicum, & Karolum, qui diviserunt inter se Regnum Theotonicum. Karlomannus filium habuit Arnolphum nomine de nobili fœmina, sed non legitimum.

De Karolo Juniore.

ANno Domini DCCCLXXV. Karolus Junior (8) Lotharii filius apud Romanos regnavit annis VII. Hic, quum esset Rex Provinciæ, Romam vênit, & à Johanne Papa coronatus est. Coronatus igitur Privilegium fecit (9) Clericorum & Ecclesiarum. His temporibus Normanni Franciam invadunt, & usque Aquisgrani, Coloniamque devastant. Contra quos Karolus Imperator armavit. Et tunc Godefredus Rex Normannorum Christianus effectus est, Imperatore eum de sacro Fonte levante. Paulò post, omnibus de Karolorum genere deficientibus, solus Karolus Monarcha extitit. Sed quum propter ægritudinem imbecillis haberetur, Arnolphus ad Imperium electus est. His temporibus tres fuerunt in Lombardia Episcopi gloriosi; Paulus, qui Placentinam Ecclesiam per Suffredum destructam reparavit, & Guibodus Parmensis, qui Canonicam Parmensem instituit, & Lando Cremonensis, qui corpus Martyris Archelai de Roma Cremonam portavit, & Archarium instituit; qui pro luminaribus beneficium assignavit. Hisque temporibus Johanni Papæ successit Martinus. Post Martinum Adrianus.

De Arnolpho.

ANno Domini DCCCLXXXII. Arnolphus Karlomanni filius non legitimus, quum esset Rex tertiæ partis Theutoniæ, regnavit apud Romanos annis XII. His temporibus Adriano successit Stephanus. Postea Formosus. Arnolphus igitur à Formoso coronatus & Imperator effectus est; qui Pergamum cepit, & totam Italiam subjugavit. His temporibus Franci perdiderunt Imperium, quod apud eos fuerat circiter CXII. annis. Fuit enim Imperium à pluribus, multis annis, multipliciter usurpatum, de quorum successionis ordine prosequamur. Papæ verò Formoso successerunt sequentes ordine dispositi: Bonifacius, Stephanus, Romanus, Theodorus, Johannes, Benedictus, Leo, Christophorus, qui de Papa factus est Monachus.

De Lodovico filio Arnulphi.

ANno Domini DCCCCII. Ludovicus regnavit annis IV. apud Theutonicos. Post Ludovicum regnavit Henricus Saxo, sed diadema capiti non imposuit. His temporibus Hungari depopulantur Italiam, scilicet Anno Domini DCCCCVI. octavo Kalend. Octobris: posteaque de anno in annum sæpe reversi sunt & deprædati.

Ludovico successit Conradus nequissimus fortunatorum, & Ecclesiarum devastator. Ideoque sustulit eum Deus. Cui successit Henricus Saxoniæ Dux ad Regnum vocatus.

De Berengario Primo.

ANno Domini DCCCCVII. Berengarius Primus regnavit annis VI. Cujus tempore se-

(5) *Ex Codice Estensi*, quod sibi cessit, eis divisit, scilicet.
(6) *Ex Codice Estensi*, tertiæ partis medietatis.
(7) *Ex Codice Estensi*. Benedictus, cui successit Paulus Papa II. Post Paulum Stephanus Papa V. Cui successit Nicolaus Papa I. Post eum Adrianus.
(8) *Ex Codice Estensi*. Karolus minor, Ludovici filius.
(9) *Ex Codice Estensi*, fecit de libertate Clericorum.

sedit (10) Anastasius in Papam; cui successit Lando. Landoni Johannes, qui filius Sergii Papæ. Apud Theutonicos regnavit Primus Conradus. Hujus Berengarii Cancellarius nomine Johannes fuit Cremonæ Episcopus, qui Comitatum extra Civitatem per quinque milliaria impetravit. Cujus tempore sedit Sergius Papa, qui Christophoro fuerat substitutus.

De Berengario Secundo.

ANno Domini DCCCCXIII. Berengarius Secundus regnavit annis VI.

De Hugone.

ANno Domini DCCCCXXIII. Hugo regnavit annis VI. Apud Theutonicos regnavit Henricus. His temporibus Dalbertus Cremonæ fuit Episcopus.

De Berengario Tertio.

ANno Domini DCCCCXXXI. Berengarius Tertius regnavit annis VIII. His temporibus Johanni successerunt hoc ordine Leo, Stephanus, Johannes. Item Leo. Item Stephanus. Postea Marinus, & Agapitus.

De Lothario.

ANno Domini DCCCCXLIV. Lotharius regnavit annis duobus.

De Berengario Quarto.

ANno Domini DCCCCXLVII. Berengarius regnavit annis XI. Qui Regnum Italiæ cum Imperio adeptus est, & regnavit cum Adelberto filio suo. Apud Theutonicos regnavit Primus Otto Henrici filius. His temporibus Sarraceni Capuam invaserunt, scilicet Anno Domini DCCCCXLIX. Romani quoque Patriciatus sibi tyrannidem usurpaverunt. Agapito verò successerunt Johannes, Benedictus, & Leo. Quum has inter persequutiones & præter has à tyrannide Berengarii maximam pateretur Ecclesia persequutionem, ad Ottonem Regem Theutonicorum à Sede Apostolica Legati mittuntur, de tyrannide Berengarii conquerentes. Tum hic primus Otto filium suum nomine similiter Ottonem in Italiam misit, qui de Berengario triumphavit; totam Italiam subjugavit. Adelbertus in Corsicam fugit. Proinde Rex Otto à Johanne coronatus Imperatoris nomen acquisivit. Et sic Imperium ad Theutonicos pro gloriosa & victoriosa Ecclesiæ defensione transivit.

De Primo Ottone Imperatore.

ANno Domini DCCCCLXI. Primus Otto apud Romanos regnavit annis VI. qui Johanni Papæ Leonem substituit, eo quòd cum Adelberto convênit. Ejecto Leone Johannes à Romanis restituitur, cui defuncto Benedictus substituitur. Sed Imperator Benedictum deposuit, & Leonem restituit, & filium suum sibi æquivocum ab eo coronari obtinuit. Hic Leo Papa donationes factas à Justiniano Imperatore, Ariberto Rege, Pipino, & Karolo Ecclesiæ Romanæ, de consensu Cardinalium, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & totius Cleri & Populi Romani, Imperatori Ottoni remisit, & sibi suisque successoribus concessit & largitus est, ut Regnum Italicum ab invasionibus liberarent, & perpetuò tuerentur. Hujus majoris Ottonis temporibus Luyso Cremonæ fuit Episcopus, qui corpus Beati Hymerii de Oppido Sancti Flaviani sito in Episcopatu Immeliensi Cremonam transtulit.

De Ottone Secundo Imperatore.

ANno Domini DCCCCLXVI. Secundus Otto apud Romanos regnavit an. XXVIII. Hujus temporibus Leoni Papæ successit Johannes, qui à Præfecto Urbis captus, & in Campaniam in exilium missus fuit. Sed Imperator de persecutoribus supplicium sumens, & Apostolicum restituens vindicavit. Johanni successit Benedictus, qui quoque à Thuicio Theodori filio captus in Castro Sancti Angeli retrusus, & strangulatus est. Benedicto successerunt Donus, & Benedictus, & Johannes, qui in Castro Sancti Angeli fame afflictus mortuus est. Rursus Johannes, itemque Johannes, Silvester, Johannes, aliusque Johannes. Hisque temporibus Liutprandus Cremonæ fuit Episcopus.

De Tertio Ottone Imperatore.

ANno Domini DCCCCXCIV. Tertius Otto apud Romanos regnavit annis VI. Cujus temporibus terræmotus per decem dies totam Italiam agitavit. Ejusque temporibus Venerabilis Odericus Cremonæ fuit Episcopus, qui arcam Beato Himerio fabricavit, & corpus Sancti Gregorii Martyris Cremonam de Spoleto portavit, & Ecclesiam Sancti Laurentii quondam Capellam foris muros Civitatis ædificans in Monasterium etiam ditavit.

De Henrico Claudo Duce Noricorum.

ANno Domini MI. defunctis Ottonibus absque hæredibus Heinricus Claudus Dux Noricorum, idest Baguariorum, eligitur à Principibus. Qui regnavit annis XXIV. Imperavit autem annis XI. qui (11) multa prœlia vicit. Cujus temporibus Johanni Papæ successerunt hoc ordine Sergius, Benedictus, Johannes, & Benedictus, qui ejectus fuit de Papatu, & Silvester substitutus. Sed & hoc dejecto Benedictus restituitur, quo rursus ejecto Gregorius substitutus est, quem Imperator Heinricus deposuit, & ultra montes transportavit, & Clementem substituit. Hujus temporibus Heinrici, Capellanus ejus nomine Landolphus Cremonæ fuit Episcopus, qui Monasterii Sancti Laurentii, & Cremonensis populi fuit acerrimus persequutor. Quocirca populus ipsum de civitate ejecit, & palatium turribus & duplici muro munitum destruxit. Proinde licèt Episcopio multa conquisierit, tamen multa per

(10) *Ex Codice Estensi*. Cujus tempore sedit Sergius Papa III. qui Christophoro fuerat substitutus, & in Papam electus. Cui successit Anastasius Papa III. in Papatu: cui successit Lando I. Post eum successit Johannes Papa, qui filius fuit Sergii Papæ.

(11) *Cod. Estensis*, qui anno MXIV. Imperator factus est, qui multa prœlia vicit, qui apud Babembergam catalogo Sanctorum adnumeratus est.

per superbiam, multa per inertiam perdidit. Hujus etiam Heinrici temporibus Luna tribus diebus sanguinea facta est. Sol defecit, & fames valida fuit. Ejusque temporibus, scilicet anno Domini MV. Simeon Eremita migravit ad Dominum, cujus corpus jacet ad Sanctum Benedictum inter Padum & Lironem.

De Conrado.

ANno Domini MXXVI. Conradus (12) apud Romanos regnavit annis XVI. cujus temporibus successit Clementi Damasus in Papatu. Aribertus Mediolanensis fuit Archiepiscopus, & Baldus Cremonæ fuit Episcopus; qui quoque Monasterium Sancti Laurentii persequutus est, & apud Lacum Obscurum impugnatus est. Defuncto Conrado vacavit Imperium.

De Heinrico Secundo.

ANno Domini MXL. Heinricus Conradi filius apud Romanos regnavit XVII. annis; cujus temporibus in Papatu sederunt Leo, qui cum Normannis in Apulea dimicavit, Victor, Stephanus, cujus tempore Pathera Mediolani exorta est. Post Benedictus, Nicolaus. Ejusque temporibus, scilicet Anno Domini MLII. Bonifacius Marchio sagittâ in Spineta est occisus; & quidem ubi sagittarius pedes & genua fixit, radix omnis aruit, & herba cum germine in circuitu sibi ulteriùs non germinavit, ut divinitus apparerent latentis vestigia occisoris (13).

De Heinrico Tertio.

ANno Domini MLXIII. Heinricus apud Romanos regnavit annis XVI. quem filius ejus usque adeò persequutus est, quòd ei Regalia resignavit. His temporibus Robertus Guiscardus invasit Apuliam, & etiam Romam impugnare præsumsit. Hierusalem à Paganis capitur. Nicolao successerunt Alexander, qui cum Cadulo Parmense Episcopo sub contentione fuit electus, sed obtinuit; & Gregorius, qui captus est à quibusdam Romanis apud sanctum Altare nocte Natalis Domini. Sed eodem die dimissus, & in suo statu receptus (14) est. Arnolphus autem Cremonæ fuit Episcopus. His quoque temporibus, scilicet Anno Domini MLXX. civitas Astensis capta fuit ab Adalasia. Demum sequentibus temporibus sequentia provenerunt. Anno Domini MLXXXIII. Nonantulam obsedit Comitissa Mathildis. Anno Domini MLXXXIV. valida fames Italiam occupavit. Anno Domini MXCVI. multitudo peregrinorum per Cremonam transeuntium mare transivit, qui transactis annis tribus Hierusalem Dei gratiâ recuperaverunt. Anno Domini MXCVIII. primo cœpit guerra de Cremona, frixorium Cremonensium. Anno Domini MC. Paschalis Papa creatur, quem quidam ex Romano Clero adeò persequuti sunt, quòd tres Papalia insignia induentes eos in Summos Pontifices eligere præsumserint. Sed demum ab eodem Paschali confusi & prostrati sunt. Anno Domini MCII. Ferrariam obsedit Comitissa Mathildis. Anno MCVII. Cremonenses, Laudenses, Papienses incenderunt Burgum Terdonæ in mense Augusto.

Quæ sequuntur, habet Codex Estensis, usque ad Cap. de Heinrico Quarto. *Paucula verò ex his subinde repetuntur in Codice Bibliothecæ Cæsareæ, ut infra perspicies.*

„ ANno Domini MLXXXIV. His temporibus sancta civitate Hierusalem „ tamdiu à gentibus possessa, quum Mercatores Christiani venirent ad eam, & aurum „ pro tributo in Porta persolverent, sed non „ haberent, nisi cum Gentilibus, ubi caput „ reclinarent, Mercatores Amelphitani plateam vacuam ante portam Ecclesiæ dicti „ Sepulcri à Civitatis Principe impetrantes, „ asylum de suo communi ædificant juxta „ Monasterium eorumdem, quod usque hodie Sancta Maria de Latina vocatur, in „ quo

(12) *Codex Estensis*. Conradus quidam Dux Francorum successit Henrico Secundo, qui neptem Sancti Henrici duxit uxorem, & regnavit apud Romanos annos XIII. qui eodem anno intravit Italiam. Cujus temporibus Clementi II. successit Damasus II. Anno Domini MXXXIII. apud Constantinopolim Michael successit in Imperium, & regnavit annos IV. nam evulsis oculis de Regno à Theodora Imperatrice ejectus est. Successitque Constantinus, qui Monomachus factus est, & regnavit annos III. Anno Domini MCXXXIX. Conradus moritur, & Henricus filius substituitur.

(13) *Codex Estensis*. Ejusque temporibus Anno Domini MXLV. ædificata est Hierosolymis Ecclesia Sanctæ Resurrectionis; & Anno Domini MLIV. Luprandus Apostolicæ Sedis Legatus Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham excommunicavit, quòd damnaret Latinos Azymitas. Anno Domini MLVI. defuncto Constantino Monomacho Theodora Imperatrix per biennium Constantinopolitanum rexit Imperium; cui successit Michael Onricas, qui regnavit annos II. & ejectus ab Isachio factus est Monachus. Successitque Isachius, qui regnavit annos II. Anno Domini MLVI. Henricus moritur, cujus corpus ultra montes translatum est. Et permansit vacuum Regnum annos XXVI.

(14) *Codex Estensis*. Sed fugiens Imperatoris insidias, quem de electionibus arguebat Episcoporum, in Apuliam pervênit, ubi à Roberto Guiscardo honorificè receptus est, sed apud Salernum sepultus est. Anno Domini MLXXXVIII. imperante Henrico, his temporibus Robertus Guiscardus invasit Apuliam, & etiam Romam impugnare præsumsit. Hierusalem à Paganis & Turcis capitur. Quidam etiam Turcomanni Orientalia Regna ceperunt, qui sic dicti à Turcho Duce ipsorum. Homines agrestes sunt, non habentes manentem civitatem, migrantes, omnia sua bona secum portantes de loco ad locum. Anno Domini MLXX. civitas Astensis capta fuit ab Adleida. Constantinopoli verò Constantinus Ducas contemporaneus regnavit annis VIII. & post obitum ejus Esidechia uxor ejus VI. menses rexit Imperium, & nupsit Diogeni Romano, qui regnavit annis IV. mensibus III. & captus est à Turchis in prœlio in Oriente. Cujus postmodum oculis evulsis à Græcis per consensum Michaelis Imperatoris, & Ducas prædicti filii Constantini, regnavit Michael per annos VI. quem Nicephorus nominatus à Græco dejecit Imperio, & eo Monacho facto, sponsam ejus duxit uxorem, & regnavit annis III. Sed & hunc Alexius Regno privavit, & monachicum habitum induere fecit. Anno Dom. MLXXXIII. eodem tempore Gregorii Papæ VII. prædictus Henricus regnabat apud Romanos. Apud Constantinopolim regnavit Alexius tum solus, tum cum filio suo Kalojanno, annis XXXVII. mensibus V. Eodem anno obsessa fuit Nonantula à Comitissa Mathilde.

„ quo possent Christiani manere, quum contingeret eos accedere. Posueruntque custodes, qui deberent Christianos recipere. Venientibus itaque multis peregrinis causâ devotionis, vênit quidam Sacerdos Francigena nomine Petrus, officio Eremita, qui videns Sancta profanari, festinus rediens Christianis suasit, ut ad liberandum Sanctam Civitatem ab Infidelibus festinarent. Concurrunt itaque peregrini; sed plusquam centum millia Christianorum, per Constantinopolim transeuntium, quia in Dominum peccaverunt, à Turcomannis miserabiliter occiduntur. Rediens itaque Petrus, nihilominus viriliter agens, ad Papam accessit Urbanum Secundum.

De obsidione civitatis Antiochenæ.

„ ANno Domini MXCVIII. Franci Antiochiam mense Octobris obsessam, in Junio feliciter obtinuerunt, Francis per chordarum scalas super muri apicem intromissis, operante quodam Turcho, cui per somnium imperavit Christus dicens: *quid dormis? redde Antiochiam Christianis*. Et apparente eis Sancto Georgio milite super equum album sedente, aliis vestibus induto, totaque nocte clamante: *Venite post me: intremus Civitatem*, obsederunt eam; Sarraceni verò tanta inopia famis confecti sunt, quòd equos, asinos, & camelos, canes, & mures, & grana in stercoribus reperta comederent. De hac victoria dictum est

„ *Quum fuit Urbs capta tam nobilis Antiochena,*
„ *Undecies centum si subtrahis inde bis unum,*
„ *Tunc tot erunt Anni Domini de Virgine nati.*

„ Deinde Soldanus de Perside cum ingenti exercitu Civitatem obsedit, & usque adeò Francos arctavit, quòd multi fugerent. Sed cuidam Clerico fugienti Dominus ait: *Revertere, & dic populo, ut pœniteat, & salvi fient*. Commiscuerunt enim se cum mulieribus Turchorum. Quum itaque pœnitentiam egissent, civitatem in Julio exierunt, & timore Domini misso in hostes, eos viriliter fugaverunt. Fugit ipse Soldanus cum XXX. Principibus; fugit & Corogath nimis ferus, & nimium tœdiosus. Antiochiam itaque Boamundus, cujus machinatione civitas fuerat acquisita, Princeps obtinuit. Eodem anno fuit prima guerra de Crema, quæ est usque in hodiernum diem, non solùm Cremonensium, sed etiam aliorum frixorium Longobardorum.

De captione per Phœnicem, Sidonem, & Tyrum, Acon, Capham, & Cæsaream, & Hierusalem.

„ ANno Domini MXCIX. Franci progressi per Phœnicem, Sidonem, & Tyrum, Acon, Capham, Cæsaream, & Hierusalem pervenerunt, & circum circa quotidie processionem nudis pedibus facientes, eam virtute magna ceperunt.

„ *Anno Milleno centeno quo minus uno*
„ *Virginis à partu, Domini qui claruit ortu,*
„ *Hierusalem Franci capiunt virtute potenti,*
„ *Quindecies Julio jam Phœbi lumine tacto.*
„ *QuippeGodefredo patre, mox Principe facto,*
„ *Post quadringentos viginti circiter annos*

„ est recuperata, ex quo sub Heraclio secunda vice à Sarracenis capta fuit, & deinde possessa. Capta quidem urbe quamdam Crucis particulam in secreto loco repositam invenerunt, quam ad Sepulcrum Domini retulerunt. Audiens hæc Rex Babylonis, ut Francos in Hierusalem caperet, acceleravit. Sed Franci usque ad Ascalonam viriliter obviantes, eum viriliter impugnarunt, de quorum divitiis Franci ditati gloriosè Hierusalem rediere. Sed Robertus Normanniæ Comes, & Robertus Flandriæ Comes per Constantinopolim ad propria remearunt. Raymundus Comes Laudiciam accessit. Dux autem Godefredus, Tancredo secum retento, Hierosolymitanum obtinuit Principatum. Audientes Boamundus Princeps Antiochiæ, & Balduinus frater Godefredi prædicti Princeps Edissæ, victoriam sociorum, maximo cum labore Hierusalem pervenerunt, & Daiberto Pisano Archiepiscopo in Patriarcham constituto, ad suos Principatus perfecto peregrinationis itinere feliciter redierunt. Et fuit tempore Urbani Papæ Secundi.

De Boamundo.

„ ANno Domini MC. Boamundus à Turchis captus est, & Godefredus Balduini frater electus est: qui Edissam Balduino Comiti cognato suo committens, Hierusalem per multos labores pervênit, & modico tempore terram ultra Ascaloniam & partes Arabiæ, ut suæ ditioni subjiceret, perlustravit. Eodem anno Papa Paschalis creatur, quem quidam ex Romano Clero usque adeò persequuti sunt, quòd tres Papalia insignia induentes eos in Summos Pontifices erigere præsumerent. Sed demum ab eodem Paschali confusi prostrati sunt.

De Balduino.

„ ANno Domini MCI. Balduinus in Bethlehem coronatur in Regem, quòd frater ejus recusaverat dicens, neminem debere coronari in Regno, vel de Regno Regis Christi. Sed consultius sapientibus visum est, ut quod Christo fecerunt ad ignominiam, Christiani faciant ad honorem & gloriam. Simile est de rasura Petri, & nostra. Nondum Christiani plusquam CCC. milites habebant, & tot de peditibus, qui Hierusalem, Joppem, Ramulam, & castrum Caphæ custodirent, nullumque Portum præter Joppem. Cetera Sarraceni. Tunc temporis Januensium stolus advênit, convênitque inter Regem, & eos, ut quicumque civitatem Sarracenorum caperent, tertiam partem haberent. Primò itaque ceperunt Oppidum Assur; deinde urbem Cæsaream Palatinæ, ubi Archiepiscopum constituunt. Tempore procedente Rex cum paucis contra Ducem Babylonensis militiæ prope Ascalonam dimicavit, eumque & immensum illius exercitum superavit.

De

De captione Tortosæ, & obsidione Ferrariæ.

ANno Domini MCII. alius Francorum exercitus superveniens labores multos & damna perpessus est, sed postmodum Tortosam ceperunt; inter quos fuit Comes Pictaviensis, & Comes Burgundiæ, & Comes Blesensis, cum quibus, & vix CC. militibus Rex viginti Sarracenorum millia expugnavit infra Ramulam; aliaque vice Joppem, quam prehendiderant, gratiâ Salvatoris adjutoris obtinuit. Eodem anno in Italia Ferrariam civitatem obsedit Comitissa Mathildis.

B

De Boamundo, qui liberatus fuit à carcere.

ANno Domini MCIII. Boamundus à Turchorum carcere liberatus est, & sicut Princeps Antiochiæ receptus est, qui & Laudiciam à Tancredo, qui eam Constantinopolitani Imperatoris hominibus abstulerat, acquisivit.

De obsidione Acon.

ANno Domini MCIV. Rex obsedit Acon, & auxilio Januensium impugnavit, eamque per deditionem obtinuit. Eodem anno Boamundus juxta Charram, quæ est prope Eufratem, contra Turchos pugnavit magna strage suorum. Dein Franciam properans filiam Regis Philippi Constantiam accepit uxorem, Principatu Tancredo relicto.

C

De Tancredo Principe Antiochiæ. De expugnatione, quam fecit contra Sarracenos.

ANno Domini MCV. pugnavit Tancredus Antiochiæ Princeps contra Sarracenos, eosque viriliter expugnavit. Rex quoque Balduinus inter Joppem & Ramulam cum quingentis militibus, & duobus millibus peditum, quindecim millia Turchorum, Æthiopum, & Arabum superavit. Eodem anno in Vigilia Nativitatis Domini Hierosolymis magnus exstitit terræmotus.

D

De Cometa, & duobus Solibus, & Stellis.

ANno Domini MCVI. Cometa magnus, rutilus, & niveus, incipiens in Februario L. diebus apparuit Mundo. Et duo quoque Soles apparuerunt, & Stellæ de Cœlo pluries visæ sunt. Ugo Magnus, qui Tiberiadi præsidebat, Damascenos superavit; sed in alia expeditione interiit.

E

De militibus Joppitis, & Boamundo.

ANno Domini MCVII. milites Joppitæ quingentos milites, & M. pedites inter Joppem, & Hierusalem latitantes in latibulis superarunt. Eodem anno Boamundus, qui de Francia in Apuliam venerat cum quinq; millibus militum, & quadraginta millibus peditum, Duratium

A

obsedit, eo quòd Alexius Constantinopolitanus peregrinis erat infestus.

De pace Boamundi cum Alexio.

ANno Domini MCVIII. Boamundus pacem cum Alexio fecit, & rediit in Apuliam.

De Rege, qui Tripolim cepit.

ANno Domini MCIX. Rex Tripolim auxilio Januensium cum Bertramo Comite cepit, & Bertramum eumdem Comitem investivit.

De captione civitatis Beryti, & obsidione à Balduino Rege.

ANno Domini MCX. Rex Balduinus Berytum civitatem obsedit, & cepit; & Edissenis, qui à Sarracenis obsidebantur, cum Tancredo Principe Antiocheno illuc adiens, annonæ auxilium dedit. Deinde Hierusalem reversus, auxilio Gernani Regis Norvegensium, qui cum LX. navibus venerat peregrinis, Sidonem civitatem obsedit & cepit. Eodem anno civitas Novariæ destructa est.

De obsidione Tyri, & destructione civitatis Laudæ.

ANno Domini MCXI. Rex Balduinus adivit Principatum Antiochenum, & Tancredo contra Persas tulit auxilium. Deinde regressus Tyrum obsedit, sed non cepit. Eodem anno civitas Laudensis in Italia capta & destructa fuit à Mediolanensibus.

De morte Tancredi.

ANno Domini MCXII. Tancredus moritur, successitque Rogerius cognatus ipsius.

De Eclypsi Solis, & Terræmotu, & Comitissa Siciliæ, & de Concilio.

ANno Domini MCXIII. Sol passus est Eclypsim, & Terræmotus in Hierosolymitano Regno in illo bis exstitit anno. In quo Sarraceni Christianos suo proposito penitus destructuri, in Insula, quæ est inter Jordanem, congregati sunt. Contra quos Rex Balduinus cum suo damno pugnavit; & interim Ascalonitæ circa Hierusalem segetes dissiparunt. Eodem anno Comitissa Siciliæ Adalaida, uxor Comitis fratris Roberti Guiscardi, Acon causâ peregrinationis applicuit. Eodem anno Concilium Apostolicus in Lateranensi Basilica celebravit, in quo cassatum est illud Privilegium, potiùs Pravilegium appellandum, à Patribus per violentiam extortum. Eodem anno civitas Cremonæ crematur incendio.

De multitudine locustarum.

ANno Domini MCXIV. multitudo locustarum, ab Arabiæ partibus advolans,

„ lans, Hieroſolymitanas ſegetes diſſipave- A
„ runt. Maximus terræmotus in Antiochenis
„ partibus fuit; domos, & munimina multa
„ ſubvertit, ante quem muſcæ tecta non in-
„ troibant.

De caſtrametatione, quam fecerunt Turchi inter Antiochiam, & Damaſcum. Et de ſubverſione Civitatis à terræmotu. Et de obitu Comitiſſæ Mathildis.

„ ANno Domini MCXV. caſtrametati
„ ſunt Turchi inter Antiochiam & Da-
„ maſcum. Doldequinus itaque Rex Dama-
„ ſcenorum pacem cum Rege Balduino, & B
„ Principe Rogerio compoſuit. Convene-
„ runtque ſimul adversùs eos. Interim Aſca-
„ lonitæ Joppem obſederunt. Regibus igitur
„ ad ſua reverſis, ſoli Antiocheni Turchos
„ animoſitate valida ſuperarunt. Eodem an-
„ no ſubverſa eſt Mamiſtria terræmotu. Eo-
„ dem anno Rex Balduinus in quodam monte
„ Arabiæ, qui eſt inter montem Abarim, in
„ quo Dominus Moyſem ſepelivit, Jor, &
„ Synai, caſtrum ædificavit, & Montem no-
„ minari præcepit. Et eodem anno Comitiſſa
„ Mathildis obiit.

De Rege Balduino, & Comitiſſa Adelaide. C

„ ANno Domini MCXVI. Rex Balduinus
„ dimiſit Adelaidam, Comitiſſam quon-
„ dam Siciliæ, quam ſua vivente apud
„ Ediſſam injuſtè duxerat in uxorem.

De multitudine locuſtarum.

„ ANno Domini MCXVII. In Hieroſolymi-
„ tanis partibus multitudo locuſtarum ſe-
„ getes & arbores devoravit. Et Luna priùs
„ rubore, poſtmodum tota nigredine perfuſa
„ eſt. Eodem anno Rex Balduinus caſtrum
„ ædificavit juxta Tyrum, quod Scandileon,
„ ideſt Caput Leonis, conſtituit nominandum. D

De morte Regis Balduini, & Alexii.

„ ANno Domini MCXVIII. Rex Balduinus
„ univerſæ carnis debitum ſolvit, quum
„ regnaſſet annis XVIII. Cui tributa dederunt
„ Cæder, & Ægyptus, Dan, & Damaſcus.
„ Et ſepultus in Golgota juxta fratrem ſuum
„ Ducem Gotefredum. Cui, ſobole nulla re-
„ licta, ſucceſſit alius Balduinus Comes Ediſſe-
„ nus, cognatus ipſius, qui multitudini Tur-
„ chorum juxta Aſcalonem viriliter reſtitit; ſed
„ neutra pars alteram aſſilivit. Eodem anno
„ Alexius Conſtantinopolitanus viam univerſæ
„ carnis ingreſſus eſt. Regnavit pro eo Ca- E
„ lojannes filius ejus.

De Gelaſio Papa II. & de peſtilentia Principis, & de militia & exordio Militum Templi.

„ ANno Domini MCXIX. Gelaſius Papa II.
„ qui Paſchali Papæ ſucceſſit, quum in
„ Urbe concorditer fuiſet electus, & in ſede
„ locatus, fugiens Imperatoris Henrici feſti-
„ num adventum, apud Capuam conſecra-
„ tionis benedictionem accepit. Imperator
„ autem Mauritium Bracharum Archiepiſco-
„ pum immiſit, quem Populus Romanus Bur-
„ dinum vocavit. Gelaſius verò per Piſas
„ & Januam tranſiens, apud Sanctum Ægi-
„ dium applicuit, & Cluniacum uſque per-
„ veniens, ibi viam univerſæ carnis ingreſsus
„ eſt, & ſepultus. Eodem anno Antiocheno-
„ rum contra Turchos prope Arteſium Oppi-
„ dum, quod eſt prope Antiochiam, dimi-
„ cantium ſeptem millia occiderunt propter
„ luxuriam Principis, & Magnatum ſuorum.
„ Sed poſt quum Rex Balduinus acceſſiſset
„ ibidem prope, juxta Oppidum Sardonis,
„ vel Sardarium, eſt dimicatum, in qua pu-
„ gna, licèt ſanguinolenta, Chriſtiani conſe-
„ quuti ſunt victoriam. Eodem anno Militia
„ Templi ſumſit exordium.

De Calixto Papa II. & aliis geſtis, quæ ſuo tempore fuerunt, & maximè in Lombardia, & ultra mare & Antiochia.

„ ANno Domini MCXX. Calixtus Papa II.
„ creatur, apud Cluniacum electus, qui
„ quum eſset ex patre Burgundiæ Comite na-
„ tus, ſicut inter Seculares clariſſimus, ſic in-
„ ter Eccleſiaſticos fuit eximius. Qui quum
„ Urbem & Sedem Apoſtolicam feſtinaret,
„ Eccleſiam Piſanam conſecravit; Sutriumque
„ accedens, Burdinum cepit intruſum, qui
„ pro palafredo camelo inſidiens in tranſver-
„ ſo, & pro freno caudam manibus tenens,
„ & pro pallio rubeo piloſa pelle veſtitus,
„ Urbem rediens in comitatu Pontificis præ-
„ cedebat; & ſic multipliciter illuſus, in
„ Cavenſi Monaſterio intruſus vitam finivit.
„ Eodem anno Rex Hieruſalem & Antio-
„ chiam viſitavit, & Turchis viriliter reſtitit
„ prope Caliptum, & remiſit omnem exa-
„ ctionem omnibus Sarracenis, Hieruſalem
„ cauſâ vendendi triticum & hordeum & le-
„ gumina ingreſsuris. Eodem anno fuit in
„ Italia inter Cremonenſes & Parmenſes cla-
„ des bellica, qua Cremonenſes cum Par-
„ menſibus in Parmenſi glarea conflixerunt.

De Rege Balduino, qui deſtruxit caſtrum Jaret.

„ ANno Domini MCXXI. Rex Balduinus
„ caſtrum, quod Doldequinus Rex Da-
„ maſci XVI. milliario juxta Jordanem con-
„ ſtruxerat, obſedit, & obtinuit, & ad ſo-
„ lum uſque deſtruxit. Cujus nomen Jartam
„ incolæ nominabant. Fuit olim civitas Ge-
„ raſa in Arabia ſita.

De Rege Hieruſalem.

„ ANno Domini MCXXII. Rex Hieruſa-
„ lem Antiochiam ivit, & gentem Par-
„ thicam ab infeſtatione compeſcuit.

De Rege Henrico.

„ ANno Domini MCXXII. videns Impe-
„ rator Henricus, quia non eſt ſcien-
„ tia, non eſt potentia contra Domi-
„ num, rediit ad pacem Eccleſiæ, remittens
„ omnem inveſtituram, & quidquid ſpiritua-
„ lium Privilegio violento extorſerat, & con-
„ cedens canonicam fieri electionem & con-
„ ſecrationem, ſic ait: *In nomine Sanctæ &*
„ *individuæ Trinitatis. Ego Enricus* &c.

De

De captione Balduini à Turchis.

EOdem anno Turchi Balduinum ceperunt, pro quo Eustachius, qui Cæsaream possidebat, Terræ custos præficitur. Ad hæc Joppem obsederunt; sed demum juxta Azotum gens perfida fugatur, & trucidatur, & vincitur, & Dei potentiâ superatur. Ad hæc Venetica potentissima classis, quæ iter ad Terræ Sanctæ subventionem arripuerat, inde propitiante Domino acceleravit, & immensam Turchorum classem, quæ ad obsidionem venerat, apprehendit. Ad hæc Gonselinus Comes Edissenus, qui diu inibi fuerat, de carcere liberatur: quod etsi callidè factum fuerit, nec calliditatem scribimus, nec calliditati adscribimus, sed misericordiæ & potentiæ Dei.

De Christicolis Veneticis, qui Tyrum obsederunt.

ANno Domini MCXXIV. Christicolæ Hierosolymitani Tyrum cum Veneticis obsederunt. Sed iterum Ascalonitæ cum sua jactura Hierusalem infestant; & Balach cum innumerabili exercitu Antiochenos invadit, quem Gonselinus Edissenus Comes viriliter expugnavit, eique caput abscidit. Et sic adimpletum est somnium ejus, quod viderat, quòd sibi oculos Gonselinus erueret. Igitur in mense Junio Tyrus capitur à Christianis, & in Dei nomine possidetur. Ubi ut quondam Archiflamen, sic & nunc instructus est Archiepiscopus, qui Patriarchæ Hierosolymitano constat de facto subesse, quamvis submurmuret Antiochenus, antiquo jure Græcorum munimine fultus. Ad hæc tertia pars Tyri Venetis hereditario jure conceditur, duabus sub Regia potestate relictis. Eodem anno fuit Honorius Papa III. & sedit annis VI. mens. I. diebus XXVIII.

De liberatione Balduini de carceribus.

ANno Domini MCXXV. Rex Balduinus, quum ferè duobus annis vinculis compeditus fuisset, de carcere liberatus Hierosolymam vênit, & festinanter Antiochiam rediit. Veneti redeuntes Tondum, & Mothonem, & Samum, & Chium, Imperatoris Græci Insulas, invadentes pro velle mœnia destruxerunt, personas captivarunt, res omnimodas abstulerunt. Rex autem Balduinus habens milites mille, & duo millia peditum, quindecim millia militum Borsequini & Regis Damasci fugavit juxta castrum Hasar, & occîdit, apprehendit, & sauciavit. Post hæc ædificavit castrum juxta Berytum in monte Graviano, sic dicto quasi à gladiando, quod ibi rei gladiabantur, idest damnandi judicabantur. Deinde versùs Damascum duxit exercitum, ubi prædam maximam conquisivit. Postmodum contra Ascalonem, ubi hostes impulit, & intrusit.

Sequitur Codex MStus Vindobonensis.

De Heinrico Quarto.

ANno Domini MCX. Heinricus Heinrici filius apud Romanos regnavit annis XV. qui Romam hoc anno, scilicet MCX. pro sua consecratione veniens Paschalem Papam cepit, & in vinculis duobus mensibus & ultra tenuit, eo quòd patrem prohibuerat sepeliri, ita quòd per quinque annos jacuit in feretro. Et quia nolebat consecrare, nisi juramento firmaret quod de Investituris Ecclesiarum, Episcoporum, & Abbatum se ulteriùs non intromitteret. Demum reconciliatione facta coronatus est. Modus autem reconciliationis hic fuit, scilicet: quòd Apostolicus invitus & coactus Privilegium Imperatori de Investituris dedit Ecclesiarum, Episcoporum, & Abbatum; & quòd Electus non consecretur, nisi priùs à Rege laudetur & investiatur. Sed post idem Papa Synodum in Lateranensi Basilica celebravit, in qua cassatum est id Privilegium, potiùs Pravilegium appellandum, per violentiam Regis extortum. Hujus Heinrici temporibus Gualterus Cremonæ fuit Episcopus, cui Hugo successit electus. Ejusque temporibus, scilicet anno Domini MCX. fuit bellum inter Mediolanenses & Cremonenses apud Brixianorum, Cremonensibus perniciosum. Eodem anno civitas Laudensis capta est à Mediolanensibus, & destructa. Anno Domini MCXIII. prædicta fuit Synodus celebrata, & Cremona incendio concremata. Anno Domini MCXV. Comitissa Mathildis moritur, & apud Ecclesiam Sancti Benedicti inter Padum & Lironem, quam ditaverat, sepelitur; quam Teudaldus avus construxerat, & Bonifacius pater ejus possessionibus ampliaverat. Anno Domini MCXVI. terræmotus magnus in Januario fuit, propter quem Ecclesia major Cremonensis corruit, & corpus Confessoris Himerii diu latuit sub ruina. Anno Domini MCXIX. Gelasius Paschali successit, qui quum in Urbe concorditer fuisset electus, & in sede locatus, fugiens Imperatoris Henrici festinum adventum, apud Capuam consecrationis benedictionem accepit. Imperator autem Mauritium Bracharum Archiepiscopum intrusit, quem Populus Romanus Burdinum vocavit. Gelasius verò per Pisas & Januam transiens, apud Sanctum Ægidium applicuit, & Cluniacum usque perveniens, ibi viam universæ carnis ingressus, & sepultus est. Anno Domini MCXX. Calixtus Papa creatur, apud Cluniacum electus, qui quum esset ex patre Burgundiæ Comite natus, sicut inter Seculares clarissimus fuerat, sic inter Ecclesiasticos fuit eximius. Qui quum ad Urbem & Sedem Apostolicam festinaret, Pisanam Ecclesiam consecravit; Sutriumque accedens, Burdinum cepit intrusum, qui pro palafredo camelo insidiens in transverso, & pro freno caudam manibus tenens, & pallio rubeo pilosa pelle vestitus, Urbem rediens in comitatu Pontificis præcedebat, & sic multipliciter illusus in Cavensi Monasterio vitam finiit intrusus. Videns igitur Imperator, quia non est scientia, non est potentia contra Dominum, rediit ad pacem Ecclesiæ, remittens omnem Investituram, & quidquid spiritualium privilegio violenter extorserat, & concedens

cedens Canonicam fieri Electionem, & consecrationem sic ait: *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis ego Heinricus* &c. Anno quoque Domini MCXX. fuit prima guerra de Parma, qua Cremonenses cum Parmensibus in Parmensi glarea confixerunt.

De Lothario.

ANno Domini MCXXVI. Lotharius apud Romanos regnavit annis XII., qui progeniem Henricorum nimis acriter persequebatur. Contra eum Conradus electus est, sed eo per compositionem cessante, Lotharius confirmatus est.

Hæc adduntur in Codice Estensi.

„ HOc anno MCXXVI. Rex Balduinus „ versùs Damascum direxit expeditio„ nem, & pervenerunt Tiberiadem; deinde „ Jordano transito pervenerunt Caveam Roob, „ & ultra Meddam Turrim quamdam præci„ pitaverunt. Deinde ad castrum Solome, & „ inde ad prataria Sophar (ubi Paulus Apo„ stolus colaphum accepit à Domino, per „ tres dies visione privatus), audaci fortitu„ dine processerunt. Post cum filio Dolde„ quini Regis pugnantes, victoriam adepti „ sunt, & Hierusalem cum triumpho reversi, „ duabus turribus in reversione destructis. „ Postea invitatus à Comite Tripolitano Ra„ phaneam civitatem obsedit, ubi Sabbati„ cus fluvius sex diebus siccum exhibet al„ veum, à septimo fluit abundanter. Quum„ que cepissent eam, Comiti tradidit præsi„ dendam. Ad hæc quum contra Turchos An„ tiochiam properasset, Babylonii Portus no„ stros navali certamine tentaverunt, sed ni„ hil proficientes, damna perpessi sunt. Et „ ecce post multos labores, multaque peri„ cula Bojamundus adolescens, filius quon„ dam Bojamundi majoris, de Apulia vênit „ in Antiochiam, ubi Rex eum honorificè „ recepit, & unam ei de filiabus suis tradidit „ in uxorem, & cum filia Regnum sibi here„ ditario jure tradendum. Eodem anno visus „ est in partibus Orientis inter Orientem, & „ Septemtrionem Cometa, qui nascens ante „ lucanum, versùs Nonam, radium emitte„ bat.

Eodem anno MCXXVI. civitas Cumana capta est à Mediolanensibus in Augusto: eodemque anno ita gelavit Eridanus, ut super glaciem currus & equi discurrerent. Lotharii temporibus sedit Honorius in Papatu, qui quum fuisset electus sub contentione Theobaldi Presbyteri Cardinalis, humiliter mantum deposuit. Fratres itaque videntes humilitatem ipsius, unanimiter ei obedientiam præstiterunt. Hic quum descenderet in Apuliam, ut cum Rogerio dimicaret, investigans fraudem Baronum, saniori consilio Rogerium de Ducatu Apuliæ investivit. Hic per Petrum Presbyterum Cardinalem, Patriarcham Aquilejensem, & Venetum deposuit. Huic Innocentius Papa successit, qui quoque sub contentione cum Petro Petri Leonis Presbytero Cardinali, cui Anacletus nomen imponitur, fuit electus. Innocentio Clerus, sed Anacleto præter Fragepanos Romanum vulgus adhæsit. Anacletus Crucifixum aureum, aureasque coronas, & Ecclesiarum thesauros accipiens,

A in Apuliam se recepit, & Rogerium Regem esse concessit. Innocentius verò navigio Pisas pervênit, & inter Pisanos & Januenses treugas posuit; inde proficiscens apud Sanctum Ægidium Concilium celebravit. Transiens in Franciam à Ludovico Rege Francorum, & Henrico Rege Anglorum honorificè susceptus est. Progrediens in Lotharingiam, à Rege Lothario promissionem accepit, quòd eum ad Beati Petri Sedem reduceret. Rediens itaque Rhemis secundum, & apud Placentiam tertium Concilium celebravit. Reversus Pisas inter Pisanos & Januenses pacem composuit, & recolens beneficia sibi à Pisanis & Januen-

B sibus collata, Pisanæ concessit Ecclesiæ Primatum Sardiniæ, & tres Episcopatus in Provincia Corsicæ. Januensem verò exemit à subjectione Ecclesiæ Mediolanensis, eamque Metropolim faciens, subjecit ei Bobiensem, & quosdam Corsicanos Episcopos. Dum hæc agerentur, ecce Rex Lotharius festinus promissor advênit. Rex igitur & Pontifex Urbem pariter adierunt, ubi Pontifex sedem Lateranensis Ecclesiæ, & Rex Imperiale obtinuit diadema. Post hæc Imperator in Alamanniam, & Pontifex revertitur ad civitatem Pisanam, ubi quartum Concilium celebravit. Et quoniam Rogerius Petrum Hæresiarcham agnomine Anacletum adhuc in errore fovebat,

C Christianissimus Imperator, Ecclesiæ Catholicæ Advocatus, de Alamannia rediens, cum Summo Pontifice Apuliæ fines invasit, & totam potentis fortitudinis brachio subjugavit. Rogerius autem in Siciliam fugit. Pontifex igitur & Imperator Rainonem Ducem fecerunt Apuliæ. Sicque Pontifex ad Urbem, & Imperator in Theutoniam cum gloria remearunt. Petrus verò Hæresiarcha in errore computruit, & defunctus est; cujus sectatores alium elegerunt, quem Romani Carnicorvum nominabant. Demum ad pedes Summi Pontificis veniam postulantes, misericorditer recepti sunt. Auctoritate hujus Summi Pontificis Compostellana Ecclesia facta est Metro-

D polis. Hic Pontifex Tiburtum cum Romanis obsedit; sed multi capti sunt, & occisi; demum reversi Romani de Tiburtinis cum victoria triumpharunt. Lotharii temporibus Obertus Cremonæ fuit Episcopus, qui Sancti Himerii, quod diu latuerat, corpus invênit, & Anno Domini MCXXIX. in scrineo serrato recondidit. Hic Lotharius Anno Domini MCXXXII. Cremam cum Cremonensibus per mensem obsedit. Sequenti Anno, scilicet MCXXXIII. constructum est castrum Vicecomitum, seu Viscontonum. Demum Cremonenses Imperialem defenderunt majestatem. Anno Domini MCXXXV. idem victoriosus Imperator Bassianum, ceterasque Terras cir-

E cùm depopulatus invasit, & Legem de Feudis condidit edictalem.

Hæc adduntur ex Codice Estensi.

De multitudine Soricorum.

„ ANno Domini MCXXVII. in regione „ Palæstinorum multitudo Soricorum „ ebullivit, quæ boves & alia animalia devo„ rabat, & sata penitus devastabat; quibus „ in vallestribus Tyriorum cataclysmo depul„ sis, regio illa putore corrupta est.

De

De Boamundo & de gestis, quæ fuerunt suo tempore.

„ EOdem anno Boamundus Antiochenus „ Oppidum Caphardam, quod est prope Apalmiam, vel Eusemiam, obsedit, & habitatores licèt se multo redimere volentes occîdit. Sed orta est inter eum, & Gonselinum Comitem Edissenum, immensa discordia, ut usque ad Antiochiæ muros diriperet universa.

De destructione Syracusæ.

„ EOdem anno Barbari Syracusam civitatem invadunt, comburunt, & cuncta diripiunt.

De Rege Balduino, & de celebratione Concilii, & confirmatione Militiæ, Ordinis, & Regulæ Templi, & de gestis quæ fuerunt eodem tempore.

„ ANno Domini MCXXVIII. Rex Balduinus Oppidum Blahasam, quod à Sidone quatuor milliariis in arduis ædificatum fuerat, obsedit, & cepit. Eodem anno apud Trecas Archiepiscoporum, & Episcoporum, & Abbatum, inter quos Sanctus Bernardus affuit Claraevallensis, Concilium est celebratum. In quo fuit Templi Militia corroborata, & Regula Sancti Militaris Ordinis instituta. Lotharii temporibus sedit Honorius in Papatu, qui quum fuisset electus sub contentione Theobaldi Cardinalis & Presbyteri, humiliter mantum deposuit. Fratres itaque videntes humilitatem ipsius unanimiter ei obedientiam præstiterunt. Hic quum descenderet in Apuliam, ut cum Rogerio dimicaret, investigans fraudem Baronum, saniori consilio Rogerium de Ducatu Apuliæ investivit. Hic per Petrum &c. *ut supra usque ad illa verba* Compostellana Ecclesia facta est Metropolis. *Sequitur autem*. Lotharii quoque temporibus Regi Balduino successit Fulco Andegavensis Comes. Iste Fulco filiam Regis Angliæ habuerat in uxorem, qua defuncta filiis ex ea susceptis, accersitus est, ut Melisendam primogenitam Balduini duceret uxorem. Balduinus enim filium non reliquerat, sed quatuor filias. Accessit itaque Fulco, &

A „ Reginam accepit, & Regnum; ex qua genuit Balduinum, & Aimericum, qui fuerunt fratres Regis Angliæ. Alia sororum Principi nupsit Antiocheno. Tertia Comiti Tripolitano. Quarta Deo in Bethania, Abbatissæ functa officio.

De Conrado Rege.

ANno Domini MCXXXIX. Conradus apud Romanos regnavit annis XII. Hic est Conradus, qui cum Lothario successit electus (15): Cujus temporibus in Papatu sederunt Cœlestinus Papa II. & Lucius Papa II. B qui armata manu ascendit Capitolium; sed Romani inde ejecerunt eum. Tum successit Eugenius, qui quum esset Abbas Sancti Anastasii, ex insperato concorditer electus est. Qui Papa metu civium fugit in Arcem Monticelli, & inde ad Monasterium Farfense, ubi gratiam consecrationis accepit. Verùm quamvis ab initio fuissent ei cives infesti, tamen auctore Deo, qui spirat ubi vult, quia potens erat in opere & sermone, conversi sunt ad Pastorem & Episcopum animarum suarum, & eum cum gaudio magno & solemni processione receperunt in Urbe. Conradi Regis temporibus, scilicet anno Domini MCXXXIX. magna pars Cremonensium à Mediolanensibus C apud Cremam capta carceralibus est vinculis mancipata (16). Anno Domini MCXLII. Innocentius, quem prædiximus, Tiburtum obsedit. Anno MCXLVI. pestis erucarum invaluit super terram, & bona terræ consumsit: unde sequenti anno fames nonnullos maceravit egentes. Tamen eodem anno MCXLVII. Rex Conradus zelo Dei accensus insignitus Crucis munimine transmeavit, & cum eo pariter Ludovicus Rex Galliarum (17), in quo exercitu Fredericus Frederici Ducis Suevorum filius super omnes exstitit strenuus & gloriosus; id quod ei fuit occasio, ut postmodum à Principibus vocaretur ad Regnum. Anno verò Domini MCXLIX. Placentini apud Thabianum D capti fuerunt.

De Frederico Imperatore.

ANno Domini MCLII. Fredericus apud Romanos regnavit annis XXXVII. qui fuit miles strenuus, & magnanimus, mitis, affabilis, illiteratus, sed morali experientia doctus;

Qui mores hominum multorum vidit, & Urbes.

Cujus

(15) *Codex Estensis*. Cujus soror Marchioni Guilielmo de Monte-ferrato, nomine Julitta, fuit matrimonio copulata, ex qua quinque filios genuit eximiis meritis, hac serie rescribendos, scilicet Guilielmum, Conradum, Bonifacium, Fredericum, & Raynerium, quorum diversa fuere dona fortunæ, sicut inferiùs calamus declarabit.

(16) *Codex Estensis*. Anno Domini MCXLII. Innocentius cum Romanis Tiburtum obsedit, de quibus multi capti sunt & occisi. Sed demum reversi Romani victoriam triumpharunt.

(17) *Codex Estensis*. Et Comes Provincialium, qui apud Constantinopolim pertransierunt. Et tunc Manuel, qui patri successerat, licèt Conradus neptem haberet uxorem, eos tamen perdidit, faciens per loca deserta & inaquosa deduci, ubi maxima parte fame gladioque peremta Satelliam vix reliquiæ pervenerunt; quæ quum navigio Ptolemaidem applicuissent, scutariis salutatis unà cum Rege Balduino Fulconis primogenito, qui patri successerat in Regno, Templiotis pariter & Hospitaliotis, contra Damascum animantur acies, & diriguntur, & proficiscuntur. Rege itaque Balduino cum Templariis & Hospitalariis in Jordane Damasci castrametato, adveniens magna nimis & fortis E .... fontibus obturatis, aquarum penuriam videns, in multitudinem, quæ civitatem exierat, Sarracenorum invehitur. Quumque pedestris in propria persona duos ferocissimos singulari certamine occidisset, ceteris terga vertentibus, ante Portam Damasci fluminis in ripa castrametatus est. Potuit ea tempestate civitas illa facillimè capi, si venatores suis laqueis non illaqueasset iniquitas. Nam Rex Balduinus, & prædicti Collegæ aut invidia stimulati, aut pecunia corrupti, socios falsos defraudantes, redierunt, meritò & ipsi falsa pecunia defraudati. In hoc exercitu Fredericus Frederici Ducis Suevorum fratris Regis filius præ cunctis exstitit strenuus & gloriosus, quod fuit demum Regni occasio adipiscendi.

A Cujus temporibus multa & varia sequentia evenerunt. Nam eodem anno, scilicet Domini MCLII. Medexena capta est à Cremonensibus & Placentinis, penitus & destructa.

Hæc addit Codex Estensis.

„ ANno Domini MCLIII. Ascalona capta est à Christianis, eam Balduino Rege, qui quasi alter exstitit Machabæus, viriliter expugnante. Cui, tempore procedente, proh dolor! viam universæ carnis ingresso, & sobolem non relinquenti, quum frater Aimericus succedere debuisset, dilatum est, eo quòd propter incestas nuptias excommu- B nicatum non decebat inungi. Igitur affine uxore dimissa, ex qua tamen genuit filium & filiam, Balduinum videlicet, & Sibillam, coronatur in Regem, & aliam ducens uxorem, genuit ex ea filiam nomine Isabellam. Hic Aimericus Ægyptios subjugavit, Damascenos sæpe contrivit. Qui demum Balduinus suscepit Regnum, qui licèt ab infantia lepra percussus, fines tamen Regni Hierosolymitani viriliter conservavit, & Saladinum Christi Fidei inimicum apud montem Gizardum mirabiliter contrivit; & dum vixit, magnificè triumphavit. Sed dum hæc felicia in Hierosolymitano Regno per multorum sequentium curricula annorum C fiunt, multa infelicia, odibilia Deo, & ab hominibus improbanda in Italico Imperio committuntur.

Anno Domini MCLIV. Rex Fredericus primò in Italiam vênit, qui civitatem cepit Astensem, turres & muros destruens civitatis. Anno Domini MCLIII. Anastasius Papa IV. creatur. Arnoldus Hæreticus auctoritate Frederici Regis comburitur. Terdonam Rex idem & Spoletum cepit, & funditus destruxit. Deinde Romam festinans multos subjugavit hostes. Anno Domini MCLIV. Adrianus Papa IV. creatur, qui Regem Fredericum inunxit, & Imperiali diademate coronavit. Imperator autem Romanos impugnavit, nolentes ei fide- D litatem & jus debitum exhibere, in quorum acrimoniam & Imperialem ultionem Tiburtinum censuit municipium restaurari. Post hæc in Alamanniam cum triumpho rediit Imperiali, & hospitatus est super fluvium Rheni. Anno Domini MCLVII. Mediolanenses castrum Papiensium nomine Vegevalum destruxerunt, & Terdonam Civitatem reædificaverunt. Anno Domini MCLVIII. Imperator in Italiam rediens, Brixienses impugnavit, Laudam Civitatem fundavit, Mediolanum obsedit; sed fœdere facto discessit, & Regalibus resignatis, pacem cum Lombardis composuit, & legem in Ronchalibus condidit. Anno Domini MCLIX. Turres Placentinorum & munimina urbis destruxit. Eodem anno Cremam cum E Cremonensibus obsedit, & VI. Kalend. Februarii dissipavit. Eodem quoque anno Obertus Cremonensis Episcopus corpus Sancti Gregorii Martyris transtulit in Ecclesiam Sancti Michaëlis. His temporibus Alexander Papa creatur, qui sub contentione fuit electus cum Octaviano, qui cognominatus est Victor. Quo schismatis in errore defuncto, Guido de Crema Paschalis nominatus accessit; cui similiter in errore defuncto Johannes de Struma, Calixtus agnominatus, in schismate fuit similiter substitutus. Hos tres Hæresiarchas Imperator manutenuit, & schisma per XVII. annos in Ecclesia fovit. Et quia dignum est, quòd qui in sordibus est, sordescat adhuc, medio tempore multa mala intulit, multa quoque perpessus est. Anno Domini MCLX. cum Mediolanensibus apud Carcanum pugnavit, & utrisque fuit adversa fortuna. Sed anno Domini MCLXII. Mediolanum cepit, & destruxit, inquilinis in quatuor Burgis partiens incolatum. Demum in omnibus Lombardiæ civitatibus pro sua voluntate constituit Potestates. His itaque victoriosè peractis in Alamanniam rediit Imperator victoriis gloriosus. Tempore procedente Romanis Tusculanum impugnantibus, & Cancellariis in fortitudinis brachio eam defendentibus, quum Romanorum multa millia cecidissent (18), Anno Domini MCLXVII. festinus Imperator vênit ad Urbem, & Paschalem Hæresiarcham apud Sanctum Petrum in Sedem Apostolicam inthronizavit. Et quum Romani Sancti Petri Ecclesiam incastellassent, non perferens patienter, Atrium profanando combussit. Propterea nutu Dei, qui nullum malum præterit impunitum, omnes penè suos mortalitate pestilentiæ perdidit. Sed contra eum eodem anno MCLXVII. civitates Italiæ conspirarunt, Mediolanum reædificantes. Proh dolor! Etiam illa non fuit exspers conjurationis, quam in summo constituerat aliarum. In se vertit manum, quum pestiferum sibi malleum proprio malleo reincudit. Sed divina ultio (19), & ultionis augmentum, ut filius patrem, libertus patronum, famulus Dominum, aut quivis, de quo fuerat meritus, præsumendo jam jam hostis improvisus feriat venerandum amicum. Redeuntem igitur Fredericum in patriam, itinere per planiciem intercluso, per abrupta & invia montium transire oportuit, quousque ad Alamannica Regna pervênit.

His temporibus fuit Presbyter nomine Cremonensis Electus, qui licèt aliis meritis, & scientia dignus, tamen propter schisma dejectus est. Et ut adimpleatur, quod vulgò in proverbiis dicitur: ***Cui accidit una, non erit illa sola.***

Adduntur hæc in Codice Estensi.

De Manuele Imperatore.

„ EOdem anno Imperator Manuel Constantinopolitanus maximam Venetorum multitudinem per totam Græciam dispersorum in unius diei spatio cepit, sicut aves ab absconso venatorio laqueo capiuntur. Eo quòd in ceteros Latinos in Imperatoris gratiam constitutos insultum zelo invidiæ fecerunt, & plagis affectos reliquerant

(18) *Codex Estensis*. Infra quod tempus Theotonici, qui apud Tusculanum pro Imperatore morabantur Romæ apud Montem-Portum invadunt, & tot à Nona usque ad Vesperas occiderunt, ut numquam ex Romanis tot millia sint cæsi, licèt tempore Annibalis tot occisi sint, ut tres cophinos anulorum, quos de digitis procerum occisorum idem Annibal extrahi fecit, Carthaginem destinarit. Quorum multi apud Sanctum Stephanum sepulti sunt, & habent hoc epitaphium.

Mille decem decies & sex decies quoque seni.

(19) *Cod. Estens.* Sed ultione divina plasmatus malleus adversùs plasmantem jam improvisus hostis ferit.

„ rant semivivos. Quocirca Veneti cum multitudine magna virorum, & centum galeis Romaniæ Insulas intrantes quasdam ceperunt. Sed apud Chio hyemantes peste ferè omnes mortui sunt. Qui autem superstites redierunt, Ducem proprium occiderunt.

Sequuntur hæc in utroque Codice MSto.

SEquenti anno scilicet MCLXVIII. Lombardi coloniam, vel novam colonorum habitationem facientes, eam ab Alexandro Papa Alexandriam vocaverunt. Alii Civitatem Novam; Papienses verò Paleam usque in hodiernum diem appellant. Eodem quoque anno Romani vires resumentes Albanum expugnaverunt, & exspoliantes bonis omnibus, incenderunt.

Hæc habet unus tantum Codex Estensis.

De obsidione Anconæ.

„ ANno Domini MCLXXII. Christianus Archicancellarius, qui erat Archiepiscopus Maguntinus, Anconam cum Venetis obsedit, & in tantum obsessos arctavit, ut immundas carnes, & coria condita, ceteraque illicita, vel immunda comederent, & caput asini centum quadraginta denarios venderent. Tamen etiam victi viriliter restiterunt; & refocillatos à Manuele Constantinopolitano pecuniæ thesauris de manibus persecutoris liberavit eos Dominus.

Hæc in utroque Codice.

SEquenti anno MCLXIX. civitas Cremonæ cœpit murorum munimine cingi. Demum rediens Imperator in Italiam anno Domini MCLXXIV. Segusiam destruxit, Paleam obsedit, sed non messuit, nec quidquam in horrea reportavit. Eodem anno ad invocationem Sancti Confessoris Himerii omnipotens Dominus multa mirabilia fecit. Anno Domini MCLXXV. quum Lombardi contra Imperatorem apud Castesium congregati fuissent, eos redditis gladiis subjugavit, & in deditionem Imperio dignam recepit.

Addit Codex Estensis.

„ CIrca hæc tempora victoriis gloriosis magnificus, quamvis leprosus Balduinus Rex Hierosolymitanus Guilielmo primogenito Marchionis Guilielmi de Monteferrato filio sororem suam tradidit in uxorem. Erat enim specie decorus, vir militaris, miles strenuus, virtutibus armatus, viribus approbatus. Cui quum Rex infirmus & elephantiosus coronam vellet imponere, Guilielmus renuit, Joppensem tenens jure successorio Comitatum; sed in custodia Regnum tenuit universum, & filium genuit elegantem nomine Balduinum, qui avunculo Rege patreque defunctis, in Regem postmodum coronatus est, licèt ætate minor; qui in tutela fuit Templariorum. Ad Regni tutelam Raymundus Comes Tripolitanus à Baronibus vocatus est.

Eodem anno fulgur cecidit in Ecclesia Cremonensi. Anno Domini MCLXXVI. apud Lignianum dimicans exercitus Imperatoris à Lombardis vincitur. O rota fortunæ, quæ nunc humiliat, nunc exaltat! Immò non fortuna, sed Dominus, *qui mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat, & sublimat*: Videns igitur Imperator, quia *non in fortitudine sua roborabitur vir*, videns quia *Deus exaltat humiles, & deponit potentes*, & considerans, quòd *Ecclesiam suam fundavit supra firmam petram, ut portæ Inferi non prævaleant adversùs eam*: Anno Domini MCLXXVII. humiliavit se sub potenti manu Dei, & pacem composuit apud Venetias cum Alexandro Summo Pontifice; & quum segregatus fuisset à gremio matris Ecclesiæ, reconciliatus est Ecclesiæ universali. Ubi & cum Lombardis ad VI. annos, & cum Rege Siculo ad XV. annos treugam fecit (20). Quo anno Christiani cum Sarracenis ultra mare pugnaverunt, & obtinuerunt, quia septem millia Christianorum triginta duo millia discumfecerunt Sarracenorum. Imperator igitur in Alamanniam rediit, & Apostolicus Romam adiit, ubi anno Domini MCLXXIX. universale Concilium celebravit, in quo Canones constituit & promulgavit. Et tunc Offredus ordinator meus, vir simplex, mansuetus & Deo devotus Cremonæ fuit Episcopus. Anno Domini MCLXXXI. Lucius Papa creatur, qui pro Tusculano Romanos acriter impugnavit.

Hæc ex Codice Estensi.

„ CIrca tempora ista Constantinopolitanus Imperator Marchioni Guilielmo de Monte-ferrato mandavit, ut unum de suis filiis Constantinopolim mitteret, cui filiam in matrimonio copularet. Tunc temporis Conradus & Bonifacius uxores habebant; Fredericus clericali cingulo militabat, qui postmodum fuit Albensis (*) Episcopus; sed magnaniminiorem effecit prosapia generis, quàm ordo exigeret Episcopalis. Misit igitur Constantinopolim ætate minorem adolescentem Raynerium, specie decorum, & aspectu venustum, cui Manuel filiam suam Kyramariam in uxorem tradidit, eumque Regem Thessalonicæ coronavit.

De Manuele & Alexio.

„ SUccessit Manueli Constantinopolitano puer Alexius filius ejus, quem post Almaton de Principis filia genuit Antiocheni. Hunc, quum duobus regnasset annis, occîdit Andronicus, & regnavit tribus annis; qui quoque initiata iniquitate & Imperatricem matrem pueri, & Raynerium Imperatoris generum cum uxore occîdit. Denique multos Græcos nobiles interfecit, sed & plurimos excœcavit.

De reædificatione Cremæ, & de terræmotu.

„ ANno Domini MCLXXXV. Imperator in Italiam veniens Cremam in odium Cremonensium reædificavit. Et eodem anno Urbanus Papa III. creatur. Eodem anno terræmotus non modicus fuit in Italia; & „ exer-

(20) *Cod. Estens. addit*: & tunc fames in Italia fuit.

(*) Galbensis *habet MStus Estens.*

„ exercitus Guilielmi Regis Siculi contra nequitiam Andronici se armavit; & Duratium „ & Thessalonicam cepit. Sed iis receptis „ capti sunt, vel redierunt confusi. Eodem „ anno nuptiæ Regis Henrici & Constantiæ „ Rogerii quondam Siculi Regis filiæ Mediolani celebratæ fuerunt.

Hæc ex Cæsareo Vindobonensi Codice.

ANno Domini MCLXXXIII. Imperator cum Lombardis pacem apud Constantiam fecit. Anno Domini MCLXXXIV. Papa Lucius Veronam vênit, qui me anno præcedente Subdiaconum ordinaverat, & pro hoc adventu ad Imperatorem direxerat. Anno verò Domini MCLXXXV. Imperator in Italiam rediens Cremam in odium Cremonensium reædificavit. Quo anno ego Sicardus præsentis Operis Compilator & Scriba, Cremonæ, licèt indignè, electus sum ad Episcopale Officium. Eodem quoque Anno Urbanus, Cardinalis, & Mediolanensis Archiepiscopus, Papa creatur. Eodem quoque anno terræmotus modicus in Italia fuit. Anno Domini MCLXXXVI. Imperator quoddam castrum Cremonensium, quod Manfredi nomine vocabatur, omnino destruxit. Sed auctore Domino per meum ministerium facta est inter Imperatorem & cives meos reconciliatio. Anno Domini MCLXXXVII. Hierusalem à Saladino capta est, & Terra Domini ab infidelibus occupata.

Hæc adjiciuntur in Codice Estensi.

„ CAusa hujus invasionis fuit iniquitas „ Christianorum. Quum enim inter Saladinum & Hierosolymitanum Regem pax „ firmata fuisset, eam Christiani jussu Raynaldi Principis Montis-regalis, & Domini Vallis Hebron, caravanas Sarracenorum capientes, nequiter violarunt. Aliâ causâ „ discordia fuit Regis Guidonis & Boamundi „ Comitis Tripolitani. Causa verò discordiæ „ fuit invidia vel indignatio, quia Sibilla Regina, defuncto marito, Guidoni Pictaviensi „ nupserat, &, defuncto filio, coronam dederat peregrino præter ipsius Comitis assensum & aliorum Baronum. Modus occupationis hic fuit. Saladinus Terram ingrediens, primo Tabariam, vel Tiberiadem „ obsedit. Rex Guido in Marscalia castrametatur. Audi præsagium vicinæ cladis indicativum. Quum ea nocte Heraclio Patriarchæ sub tentorio in matutinis lectio legeretur, locus occurrit de Arca Fœderis, „ quæ olim capta fuit à Philistæis. Mane facto pugnavit. Comes Tripolitanus aufugit. „ Rex, & Sancta Crux, & sæpe dictus Marchio Guilielmus Senior de Monteferrato, „ qui causâ peregrinationis, & pro nepotis „ custodia Terram Sanctam adierat, ceterique Barones unanimiter, & populus capiuntur. Christianorum arces superantur: „ deinde Tabaria capitur. Raynaldus prædictus, actor sceleris, Saladini jussu decollatur; sed & multi alii capite detruncantur. „ Ad hæc & Acon, & Sidon, & Berytus, „ & Biblum capiuntur. Interea nutu Dei „ Marchio de Monteferrato Conradus à Constantinopoli Sepulcrum Domini visitaturus „ advênit, & cognoscens Acon ab infidelibus „ occupatum, secundo vento apud Tyrum „ applicuit, quem cives velut acephali gratanter excipiunt, se, & civitatem ejus moderamini supponentes. Saladinus itaque de „ Beryto Tyrum accedens, Marchionem Guilielmum Conradi patrem, quem bello ceperat, secum adduxit, ut pro redemtione „ patris redditionem filii haberet & urbis; „ & per patrem filio significavit, ut pro ipsius „ & quorumdam aliorum liberatione redderet civitatem. Cui Conradus respondit, „ quòd nec unum lapidem civitatis daret. „ Appropians Saladinus minatus & patrem „ spiculis transfigendum. Et Conradus, se „ primùm sagittam in patrem missurum. O „ felix impietas, quæ pro Christianorum salute patrem telis Barbarorum expositum, „ filiali omissa reverentia, se jactat transfixurum! Sed ò memoranda pia impietas, „ quæ amori patris amorem Dei judicat præferendum! Sed ejusdem patris hortatu „ patrem reputat contemtibilem, & quasi senem nullo pretio redimendum. Tyro itaque septem diebus obsessa, rediit Saladinus Aconem; indeque subjugatis Neapoli, „ & Nazaret, Capha, Cæsarea Palæstinæ, „ Joppe, & Azoto, Gaza simul & Ascalone, „ aliisque locis Jerusalem aggregatis, eam „ deditione tributaria subjugavit. Templum „ Domini priùs à Christianis irreverenter „ profanatum, suo more sanctificans, & sanctificatum custodiens; Sepulcrum autem „ Domini, & Bethleem custodiæ Surianorum „ commisit. Ad hæc plus centum Christianorum millia subjugata abire permisit, & illos usque Tripolim perduci. Sed à Tripolitanis, & Antiochenis exspoliati pedestres „ & abjecti Armeniam intraverunt; & usque „ ad Iconium dispersi, fame, frigore, & nuditate justo Dei judicio ad nihilum redacti „ sunt, luentes pœnam, posteaquàm polluerunt Dei hæreditatem. Et vide, quòd per „ Heraclium Imperatorem Crux fuit recuperata; sed sub Heraclio eodem fuit postea „ Hierusalem à Machumetinis invasa; & „ nunc sub Patriarcha Heraclio rursus amissa; „ præterea sub Urbano Papa recuperata, „ nunc sub Urbano per eosdem Barbaros est „ subjugata.

„ Interea magnanimus de Monte-ferrato „ Conradus Tyrensis Dominus navali bello „ bis victoriam obtinuerat, & galêas & naves nonnullas, etiam de Aconensi Portu „ Pisanorum auxilio viriliter eductas, & viriliùs obtentas; & victualia sufficienter civibus conquisierat. Sed & barbacanam „ fortiùs construxerat, exspectans victoriosi „ impetus inimici. Igitur in mense Novembrio Saladinus ad Tyri obsidionem secundam accessit; sed & nocte perveniente „ murorum Barbacanæ quadraginta cubiti „ corruere. Memores itaque Tyrii Hiericho, „ plurimùm timuerunt. Sed Marchio non „ dormiens, viris ac mulieribus arenam, & „ lapides in gremiis etiam asportantibus, die „ proxima per cæmentarios restauravit. Saladinus arcatores præmisit. Marchio Pisanos „ Aconem direxit, faciens mulieres in specie „ virorum muros ascendere, ut civitas populo videretur plena. Redierunt Pisani cum „ victoria, duas naves conducentes onustas. „ Impugnavit itaque Saladinus Urbem terra „ marique, præsertim quia quum crederet „ Marchionem velle pariter & Pisanos aufu„ gere

„ gere, custodiam galêis indixit, ex quibus „ quinque captis, viris nobilibus, & piratis, „ armis, & victualibus onustis, Saladinus „ dolore commotus, terrestri bello Barbaca- „ nam invasit, impugnans eam petrariis, & „ manganis, gattis, spiculis, sagittis, & te- „ lis. Quumque nimium Marchio gravare- „ tur, suis à navali victoria revocatis, terre- „ stri prœlio dimicavit, afficiens Sarracenos „ multiplici damno sinè detrimento suorum. „ Videns itaque Saladinus, quòd navali bel- „ lo nequaquam proficeret, jussit IX. galêas „ deduci Berytum, quas Christiani viriliter „ persequentes, usque adeò coarctarunt, „ quòd octo ex illis igne proprio Saladinus „ comburi fecit agresti, nona litore Sido- „ niensi confracta. Ergo stolio Saladini de- „ structo, cernens, quòd in obsidione profi- „ cere non valeret, machinis universis com- „ bustis, pridie Kalend. Januarii ab obsidione „ recessit; & in signum mœroris caudam „ equo proprio, quem equitabat, fecit ab- „ scindi: ut sic suos ad vindicandum injuriam „ incitaret.

Sequitur uterque Codex.

EOdem anno Portæ civitatis Cremonæ fuerunt ædificatæ. Eodem quoque anno Gregorius apud Ferrariam Papa creatur. Hic vir fuit religiosissimus, cujus Mundus in maligno positus non fuit præsentia dignus; & ideo quum sedisset vix duobus mensibus, sustulit eum Deus. Hic hortabatur plurimum Christianos Crucis signum sumere, & ad recuperandum Civitatem Sanctam Hierusalem, Crucem, & Sepulcrum Domini festinare.

Imperator igitur victoriosus Italiam sibi & inter se pacatam relinquens, in Alamanniam rediens, signaculo Crucis suscepto, honorabiles nuntios magnanimos ad Saladinum direxit, monens & invitans, ut Terram desereret, quam invaserat Christi. Tunc temporis Gregorio successit Clemens in Papatu. Nos autem rogatu civium nostrorum in Theutoniam ivimus, ut ab Imperatore castrum Manfredi reædificandi licentiam impetraremus. Sed spe cassata redeuntes, Anno Domini MCLXXXVIII. Castrum Leonis feliciùs inchoavimus. Anno verò MCLXXXIX. Bursam Cremonæ, quam fecimus fabricari, ultra mare pro Terræ subventione, personis & rebus misimus oneratam.

Codex Estensis sequentia interserit.

De obsidione Azoti.

„ ANno Domini MCLXXXVIII. quum „ Tyrenses lignatum, vel herbulatum „ exire, Sarracenis occursantibus, non aude- „ rent, fame valida coarctati, jussu Mar- „ chionis stolio navali, cui præerat Ugo Ti- „ beriadis, Azotum invadunt, ubi Admiran- „ dum, qui Regem Guidonem ceperat, ca- „ piunt, Christianos quadraginta de carcere „ liberantes, & quingentos captivos milites, „ & pergentes cum immensa pecunia Ty- „ rum, copiam victualium abducunt. Pro „ hujus Admirandi commutatione recuperavit „ Marchio patrem. Ad hæc naves peregrino- „ rum adventare cœperunt: sed & Margari- „ tus Regis Siculorum Admiratus Tyro ap- „ plicuit cum stolio suo, cujus quum Tyrios „ piratæ malè tractarent, Tyrum exire com- „ pulsi, Tripolim applicuerunt, ubi fame pe- „ reuntes pœnas promeritas receperunt. Eo- „ dem anno Saladinus Tripolim accedens, „ videnſque se nihil proficere posse, in An- „ tiochenum Principatum vertit habenas, „ subjiciens Gabulum, & Laudiciam, Sao- „ nam, & Guardiam, Trapesacum, & Guas- „ conum, & alia plura. Postea reversus in „ Galilæam, Belvedere castrum munitissi- „ mum, quod fines Jordanis custodiebat, „ vias Tiberiadis, Neapolim, & Nazaret „ angustabat, per inediam compulit ad de- „ ditionem. Ad hæc duo Comites Gui- „ lielmi Siculi Regis cum quingentis mi- „ litibus, & quinquaginta galêis, Tyrum ap- „ plicuerunt. Advenerunt & alii multi qui- „ dem peregrini cum venerabili G. Archipræ- „ sule Ravennate, Romanæ Sedis Legato. „ Cum his itaque Marchio Sarracenorum Si- „ donis multitudinem forti manu prostravit. „ Eodem anno Comitem Henricum de Deti „ magnanimus Imperator consuetudine Impe- „ riali ad Saladinum direxit, monens & mo- „ nitans, ut Terram desereret, quam invase- „ rat Jesu Christi. Mos enim est Imperii, ut „ inimicis bellum indicat, quia nullum oc- „ cultè bello consuevit invadere.

De peregrinatione Ubaldi Archiepiscopi cum aliis peregrinis ultra mare.

„ ANno Domini MCLXXXIX. Ubaldus „ Pisanus Archiepiscopus, similiter Apo- „ stolicæ Sedis Legatus, & de omni Occi- „ dentali Provincia Peregrini, Tyrum appli- „ cuerunt. Et quum eos Tyrus capere non „ valeret, inter diversos diversa fuere, usque „ adeò quòd de introitu Regis Gaidonis à „ Tripoli venientis in Urbem, & prohibitio- „ ne Marchionis, seditio peperit scandalum „ & civile bellum. Inter Peregrinorum mul- „ tiplicia vota, Acon eligitur obsidenda. In- „ vadunt igitur eam in mense Augusti, & „ obsident. Sed & ipsi à Saladino similiter „ obsidentur. Adeò impugnantur, quòd nulla „ erat eis spes evadendi. Sed ex insperato „ XL. naves applicuerunt, & post eos innu- „ meri milites & Barones. Saladinus itaque „ Christianos diu noctuque sinè intermissione „ affligebat. Propterea Marchio, & Archie- „ piscopus Ravennas, qui nec ad obsidionem „ venerant, nec ad veniendum approbave- „ rant, ab obsessis suppliciter per Nenoren- „ sem Episcopum, & Thuringiæ Langravium, „ ut ad eorum succursum veniant, invitantur. „ Venerunt, sed invito Marchione, qui Tur- „ corum versutias cognoscebat. Francigenæ „ de se præsumentes, ad pugnam approbant „ exeundum. Pugnatur, & Templarii, & „ Peregrinorum circiter septem millia pro- „ sternuntur. Sequenti die Saladinus fecit „ corpora eviscerari, & in fluvium ad .... „ exaggerandum, & ad corruptionem aëris „ & aquæ, demergi. Post hæc Lombardi „ Marchiones, & Comites, & plures quin- „ gentis milites applicuerunt, inter quos Bursa „ Cremonensis, quæ Cremonæ fuit fabricata, „ & ultra mare pro Terræ Sanctæ subventio- „ ne, personis & rebus missis onerata. Ad „ hæc Peregrini consilia inierunt, ut Sarrace- „ nis prohiberent Civitatis ingressum pariter „ &

„ & egressum, qui liberè à Monte Muscardo
„ patebat. Et quum non invenirentur, qui
„ vellent illic castrametari, Marchio ad om-
„ nia promtus & audax ibi castrametatus est;
„ ideoque & à Saladino acriùs impugnatus.
„ Scopulos itaque jussit incidi marinos, ut
„ Portus ibi fieret, vasa Tyrensia recepturus,
„ qui usque in hodiernum diem Portus dici-
„ tur Marchionis. Muniunt se Peregrini fos-
„ satis ab intus, in circuitu & foris effossis,
„ ut in medio constituti se ab alterutrius fa-
„ ciliùs tuerentur incursibus. Duces etiam,
„ sive Rectores, ut omnis amoveretur con-
„ troversia, præfecerunt, ut Francigenæ suis,
„ & qui de Imperio, Imperialibus obedirent.
„ Et ecce XLV. galèæ, quæ veniunt ex
„ Ægypto in festo Sancti Stephani, in Portu
„ applicant Aconensi. Stupefacti ergo Pere-
„ grini, terra marive conclusi, elegerunt po-
„ tiùs pugnando mori, quàm sinè certamine
„ subjugari. Quos Marchio ad prœlia doctus
„ exanimes factos sermonibus animat, uni-
„ versis asserens, quòd galêas Sarracenorum
„ penitus conculcaret. Adiit itaque Tyrum
„ in modico galeone, quamvis illa nocte
„ centies ad mortem cruciatu ventorum af-
„ flictus. Quum itaque Tyriis necessitates
„ exercitus aperuisset, & eos ad armandum
„ galêas animasset, dixerunt: *parati sumus*
„ *tecum vivere, & in mortem ire*. Et ecce
„ Marchio in exitu Februarii cum stolio vi-
„ riliter in Portu exstitit Aconensi, exonerans
„ Sarracenorum vasa victualibus onusta paci-
„ ficè eorumdem: Ad hæc quum civitas ca-
„ stellis capienda proculdubio superaretur, è
„ contrario castella igne à Sarracenis combu-
„ runtur agresti. Sed & duæ Sarracenorum
„ galêæ navali certamine capiuntur.

Pergit uterque Codex, sed non paucis variantibus, additisque ex Cod. Esten.

EOdem anno felicissimus Imperator quinque habens filios, Henricum inter ceteros primogenitum, quem fecerat Cæsarem, Fredericum Suevorum Ducem, Ottonem Comitem, Conradum, & Philippum Ducem, Atheleitam Christo nuptam, se & ceteros cum Regno & Regalibus Cæsari commendavit, & Occidentale relinquens Imperium pacatissimum & ordinatum, partes, his Comitibus, & hoc, ut scribimus ordine, adiit Orientis (21). Exiens de Alamannia intravit in Hungariam, ubi dicitur habuisse nonaginta millia pugnatorum, & ab Hungariæ Rege honorificè receptus Hungariam pertransivit, misitque ad Imperatorem Constantinopolitanum Episcopum Monasteriensem & Comitem Robertum de Nassau, qui eos detinuit, & tres exercitus ad introitum Bulgariæ, ut transitum impedirent, præmisit. Erat autem ibi nemus itineris quatuor dierum, cujus viam arctissimam Præses Bulgariæ dissipavit, & in exitu nemoris munitionem faciens, præparavit se cum exercitibus Cæsarem impugnare. Sed nemore magno cum labore & difficultate pertransito, Dux Suevorum, qui exercitum præcedebat, munitionem destruxit, & magnam illorum multitudinem interfecit (22). Demum Græcus Imperator maximum Græcorum, & Turcorum exercitum contra Romanum Imperatorem direxit, contra quos Dux Suevorum filius ejus acriter dimicans eos superavit, & fugavit, & intra quædam mœnia recipientes se, maxima vi cepit, & omnes occîdit. Duodecim verò Turcos in quadam munitione, ubi se receperant, viriliter resistentes igne cremavit. Tunc Græcus Imperator ad Romanum Imperatorem misit honorabiles nuntios numero XVI. permittens securum transitum & indemnem. Licèt igitur magnanimus Imperator in vindictam prædictorum, quæ nequiter Græcus commiserat Imperator, vellet Constantinopolim impugnare, victus tamen consilio Principum suadentium, ut ad Terram Sanctam ad Christianorum festinaret auxilium, obsides petiit, & obtinuit; qui eum Gallipolim perducentes, transitum navigio procuraverunt. Transivit igitur Augusti exercitus quinque diebus; Dux prior, Pater posterior. Quumque pertransissent (23) venerunt Philadelphiam. Dux Philadelphiæ forum negans, ad pugnandum se armavit: sed demum videns non posse resistere, promisit forum, & Imperatori cum paucis concessit civitatis introitum. Postmodum propter caristiam contentio fit inter Græcos, & Theutonicos. Bellum initur, & absque Imperatoris voluntate per duos dies & noctes continuò decretatur. Demum victi Græci se in Civitatis munitionem recipientes pactum inierunt, & forum tolerabile concesserunt, commercia cum funibus in sportis porrigentes, & eodem modo pretia recipientes. Ad hæc quum Imperator Philadelphiam civitatem exiret, Dux ei nuntium pro ducatu concessit, qui exercitum per devia & invia, montana & nemorosa deduxit, ubi victualia per duos dies nullatenus invenerunt (24). In exitu verò nemoris Græci quidam & Armeni forum eis pro posse pacificè tribuerunt.

Ad

(21) *Cod. Estens.* & in Festo Sancti Georgii arripuit iter. Et exiens de Alamannia, à Ratispona descendit navigio ad partes Austriæ, exercitu per terram cum equis & curribus comitante. Deinde per Pannoniam Hospitali pro pauperibus infirmis instituto, & hospitalariis & necessariis assignatis, introivit in Hungariam, ubi dicitur habuisse XC. millia pugnatorum, in quibus erant XII. millia militum. Et à Bela Hungaro apud Strigonium honorificè receptus, Hungariam pertransiit; præmisitque ad Imperatorem Isachum &c.

(22) *Cod. Estens.* Cum Nisam civitatem appropinquaret, Comites Serviæ gratanter subjici affectarunt; sed Serenissimus Imperator pacem affectans, eos suscipere recusavit. Deinde Nono Kal. Septembris civitatem, quæ Philippis dicitur, impugnantes eam ceperunt. Est autem hæc civitas Metropolis Macedoniæ. Alias nobis innotuit, quòd non Philippis, sed Philippolim adierunt. Ibi certificatus est Imperator de nuntiorum captione suorum, ibique misit literas Imperator Ysachius Imperatori, fastu & arrogantia plenas, dicens: *Ysachius à Deo constitutus Imperator sanctissimus, excellentissimus, potentissimus, sublimis, Romanorum moderator, Augustus, hæres coronæ magni Constantini, dilecto fratri Imperii sui maximo Principi Alamaniæ gratiam suam & fraternam & puram dilectionem*. Tunc erat continentia literarum indignatio de præsumtuoso Imperatoris adventu in Græciam. Deinde Græcus Imperator maximam &c.

(23) *Codex Estensis*. Post multos labores, & ardua multa urbem Tyachitum, & urbem Lyciæ, scilicet Ægeam, ubi Cosmas & Damianus fuere martyrio coronati, deinde Sardos pervenerunt, & Philadelphiam,

(24) *Codex Estensis*. Pertransierunt quoque Hierapolim civitatem, ubi passus est Beatus Philippus.

Ad hæc Turchomanni de Betia (25) homines agrestes, qui nullius domantur Imperio, qui non in mœnibus vel municipiis, sed morantur in agris, infinitum & innumerabilem exercitum (26) congregantes, exercitum Christianum noctu dieque per quatuor hebdomadas impugnarunt, ita quòd Exercitus Christianus semper incedebat armatus. Sed tamen eorum multitudinem interfecit cum quodam Admirato militiæ suæ Magistro. Restanus verò dominus illorum cum magno exercitu in strictura montium transitum prohibebat, dicens, quòd non transirent, nisi centum summarios auro & argento oneratos darent. Imperator autem respondit, se libenter dare, sed non nisi menolatum unum. Interim nuntii Soldani, qui fraudulenter ducebant eum, dicebant, quòd citò intrarent Terram Soldani, in qua gens illa sibi ulteriùs non noceret. Tunc quia Deus non dimittit sperantes in se, quidam Admiratus cœlesti gratia inspiratus (27), Imperatori adeò fraudem detexit, & prœlium manè futurum prædixit; faciensque eum planiciem, in qua intrare cœperat, devitare, eum per montana deduxit. Occurritur in montanis: hinc inde pugnatur; sed cùm relictis sarcinis & alimentis Dux de monte viriliter descendisset, descendit & Imperator, qui victoriosè hostes impugnant, & superant inimicos: in qua pugna Dux petrâ percussus duos dentes amisit. Ab hinc ductores à Soldano delegati fugerunt, timentes ne detectæ fraudis Imperator faceret ultionem. Christianus verò exercitus confisus in Domino, qui deduxit Israël per desertum, quindecim diebus per quamdam planiciem progressus, carnem equinam comederunt. Agrestes verò Turchi, de quibus prædiximus, eos fame defecisse penitus existimantes, rursus in bellum assurgunt prope civitatem Pholomenam magna manu militum peditumve caterva, quos invictissimus Imperator devicit. Et quum maxima multitudo se in quadam clausura coacti recepissent, combusserunt Theutonici universos; & ex tunc Agrestes illi Turchomanni non fuerunt exercitum ulteriùs persequuti (28). Sed altera die Melectinus Soldani filius vênit obviam cum exercitu, & ad Imperatorem misit nuntios, dicens: *Revertere: quid enim facere putas, quum habeam plura vexilla, quam tu milites*. Et quum pervenisset Imperator ad quemdam pontem, Turchi fugerunt ante & retro. Sed Dux anteriores devicit, & Imperator posteriores in parte maxima interfecit; & sic pontem exercitus pertransivit universus. Demum maxima & infinita Turchorum multitudo ex omni parte circuunt exercitum Christianorum, ita quòd eundo per quatuor hebdomadas die noctuque acriter impugnabant, & Christianis præter carnes equinas victualia deficiebant. Quumque non invenissent aquam per diem & noctem, Turcho quodam capto docente, aquam salsam sitibundi & famelici repererunt. Altera verò die castrametati sunt in viridario Iconii civitatis Isauriæ, unde Soldanus Imperatori mandaverat, quòd malè intraverat terram suam. Imperator autem remisit quærens, si forum tribueret, an non. Soldanus respondit, se daturum: sed quum nimis carum offerret, Christiani se ad pugnandum armarunt. Et quum Feria Sexta Quatuor Temporum immineret, Godefredus Herbipolensis Episcopus asseverans se vidisse Beatum Georgium contra hostes pro Christianis fortiter propugnantem, indictâ pugnâ, & carnium edendarum datâ licentiâ, processerunt ad bellum. Et Dux quidem civitatem expugnans, eam viriliter obtinuit, & ferè omnes rebelles occidit. Imperator quoque (29) filium Soldani post terga pugnantem vicit, ac ex eis innumerabilem multitudinem interfecit.

Urbe capta potenter, Soldanus se in munitionem fortissimam, quæ erat in Urbe, recipiens, misit ad Imperatorem dicens, se velle forum dare, & quidquid vellet recipere. Imperator obsides petiit, & propter fœtorem cadaverum (erant enim domus & viæ cadaveribus plenæ) ab Urbe descendens in pomœriis castrametatus est. Dedit itaque Soldanus obsides, dedit & forum & victualia equorum. Sed quoniam equos ipse nimium caros vendere satagebat, equum pro centum Marchis videlicet offerentes, à Theutonicis econtra dolum dolo compensantibus pro Marcha Fertonem recipiebant. Quod audiens Soldanus, misit ad Imperatorem conquerens, quòd sui pretio deciperentur. Cui respondit Imperator: *si bonum forum darent bonam acciperent Marcham*. Constituti sunt igitur hic inde justitiarii taxatores. Ad hæc procedens Christianus exercitus à quibusdam agrestibus Turchomannis, qui non sunt de potestate Soldani, multas pertulit molestias, quousque (30) ad Armeniæ montana per-

(25) *Codex Estensis*. De Becia, qui & Oebeduini vocantur.

(26) *Codex Estensis*. Exercitum plus quàm centum millium.

(27) *Codex Estensis*. Inspiratus, aut quia fortè in nostrorum manus inciderat, metu mortis Imperatorem adiit &c.

(28) *Codex Estensis*. Sed defecerunt à facie Imperatoris sicut pulvis, quem projicit ventus à facie terræ. Anno Domini MCXC. Melichinus Goldani filius venit obviam cum exercitu quingentorum millium equorum, & ad &c.

(29) *Codex Estensis*. In filium Soldani post terga pugnantem victrices Aquilas dirigens, prædicta millia Turchorum & Turchomannorum exterminavit, & ex eis &c.

(30) *Cod, Estens.* quousque ad Laurendam civitatem, quæ dividit Armeniam à Lycaonia, & ad Armeniæ montana pervênit, ubi noctis conticinio auditur ex improviso armorum strepitus & tumultus: qui quum nullus fuisset, inde conjecturatum est vicini augurium infortunii. In montibus autem Armeniæ Græcos & Armenos invenit forum alacriter exhibentes. Quum ad aures Saladini hæ victoriæ pervenissent, expavit; & die Sancto Pentecostes Saladinus cum tanta suorum multitudine montes & colles & planitiem operiente, quanta nusquam simul creditur apparuisse, Christianos potenter invasit, sperans omnia tentoria usurpare, & Christianos miseros captivare. Sed evanuit cogitatio ejus, quia Christiani viriliter resistentes, ei læsionem magnam per balistas non modicam intulerunt. Cedens itaque Saladinus magnam exercitus partem ad resistendum Imperatori transmisit. Sed heu paucis diebus elapsis, & mors Imperatoris innotuit, & rumor superveniens de morte Siculi Regis exercitum Christianum plurimùm conturbavit. De montibus Imperator descendens, Salephy fluvium reperit, per cujus ripam duobus diebus progressus, tertia luce pausavit in locis amœnis.

De morte Imperatoris Frederici Primi.

ET quum esset æstus magnus valde, Imperator descendit in flumen cum duobus militibus, se cupiens balneare. Quumque natare cœpisset impingens in scopulum natando vitam amisit. A militibus igitur apprehensus, ad ripam semivivus ducitur, accepta pœnitentia, & corpore Domini eo die mortuus est.

Proh

pervênit. In montibus autem Armeniæ Græcos & Armenos invênit forum alacriter exhibentes. De montibus verò descendens Calephi flumen reperit, per cujus ripam duobus diebus progressus, tertia luce pausavit in locis amœnis.

Et quum esset æstus magnus valde, Imperator in flumen descendit cum duobus militibus, volens se balneare; quumque natare cœpisset, demersus est. Proh dolor! En humidum suffocat elementum, quem ignea bella nequiverunt vincere: invictus duritiæ ferri, fluidi mollitie vincitur elementi. Portantes igitur eum ad civitatem Salaphim, aromatibus condiderunt. Et Duce super exercitu constituto Domino, pervenerunt Tharsum. Deinde Levoni de Montanis obviantes, ab eo magnificè recepti, & cum triumpho magno ad civitatem Mamistriam sunt deducti; ubi quum Dux infirmaretur, visitavit eum Catholicus Armeniensis. Deinde profecti sunt Thegio; deinde per quamdam Portæ stricturam venerunt ad castrum, quod Gastorium nominatur, quod quum à Saladino detineretur, Christianus exercitus à sagittariis impeditus est. Et tunc Patriarcha, & Princeps Antiochiæ occurrentes, Ducem & exercitum cum triumpho Antiochiam deduxerunt. (31) Ubi de consilio Principis & Patriarchæ moram fecit, quousque Marchionem Conradum de Monteferrato ad se vocaret, qui tunc in Aconensi erat obsidione. Qui vocatione audita, Baronum communicato consilio, Antiochiam festinus adivit, transiens per Tyrum, ubi Comitem Henricum de Campania tunc applicantem maximo suscepit honore. Transiensque per Tripolim viduas & orfanos & nobiles auro & argento sustentavit egenos. Et applicans ad Portam Sancti Simeonis, à Patriarcha & Principe & Duce magno cum triumpho receptus, civitatem ingressus est. Cui se & exercitum Dux omnino commisit, paternis asseverans obedire velle præceptis. Audiens hoc Saladinus, misit exercitum sub Rachaadino fratre & Mirrhalino filio militantem, ut districtum occuparet Baruti. Quod Dux & Marchio percipientes, ad Aconensem obsidionem navigio pervenerunt. Quis fuerit, quantusque Marchio Conradus, retro seriem percurramus. Guilielmus itaque Marchio Montisferrati uxorem accepit Dominam sororem Domini Conradi Regis Romanorum, & Domini Frederici Ducis Suevorum, de qua genuit filios quinque, Guilielmum Spadam-Longam, Conradum, Bonifacium, Fredericum, & Reynerium. Iste fuit ordo nativitatis eorum, quorum diversa fuerunt dona fortunæ. Nam Guilielmum Spendetorem, virum militarem, viribus armatum, virtutibus approbatum, Patriarcha & Rex Hierosolymitanus, & ejus Regni Principes adstruerunt, ut Regis sororem acciperet in uxorem. Et quum Rex infirmus nomine Baldoinus ei coronam vellet imponere, Guilielmus coronam renuit; sed in custodia Regnum tenuit universum; & filium formâ genuit elegantem, qui avunculo Rege, Patreque defunctis, in Regem coronatus est, licèt ætate minor, cujus custodiam mater Regia diligenter observabat. Ad hæc Emanuel Imperator Cõstantinopolitanus majori Guilielmo, scilicet Marchioni, mandavit, ut unum de filiis suis Constantinopolim destinaret, filiam suam, & Regnum Salonich accepturum. Quia ergo Conradus, & Bonifacius uxores habebant, Fredericus Clericali cingulo militabat, Raynerium adolescentem decorum aspectu Constantinopolim misit, qui promissam Imperialem filiam pariter cum Salonicensi corona suscepit. Sed modico tempore diademate Regali fruentes ambo de hoc Seculo migraverunt. Fredericus verò prædicti Marchionis filius Albensis (*) fuit Episcopus, quem magnanimiorem effecit prosapia generis, quàm ordo exigeret Episcopalis. Nunc de Conrado historiam prosequamur.

Subsequuntur hæc in Codice Estensi.

„ ET in Septembrio mense in campo Aconis Theotonici castrametati sunt; tuncque Archiepiscopus Cantuariensis applicuit. Deinde Christiani castra exeuntes dimicantes proposuerunt, & Saladinum, more Lombardorum vexillum in carrocia dedu- „ cen-

Proh dolor! humidum suffocat elementum, quem ignea bella vincere nequiverunt. Invictus duritia ferri, fluidi mollitie vincitur elementi. Adimpleta est eo die Prophetia in Turri circa flumen constructa Chaldaicis literis exarata: scilicet: *melior hominibus, & potentior omnibus in aquis Salephycis suffocabitur.* Propter quam Manuel Imperator Constantinopolitanus inde transiturus fecit inibi pontem ædificari. Portantes igitur eum ad civitatem Selaphim; aromatibus condiderunt. Et Duce super exercitu Domino constituto, pervenerunt Tharsum Ciliciæ civitatem, ubi Imperatoris carnem condiderunt. Deinde Levoni de Montanis obviantes, ab eo magnificè recepti, & cum triumpho magno ad civitatem Mamistriam sunt deducti, ubi fluvius defluit, qui Geon ab incolis appellatur, cujus fons aut potiùs scaturigo in Quadragesima dumtaxat tanta per singulos annos repletur piscium multitudine, quòd ea die religiosi sufficienter reficiantur Armeni, pisces ulteriùs in Quadragesima non comesturi. Ubi quum Dux infirmaretur, visitavit eum Katolicos Arminiensis. Quo proinde Antiochiam navigio perveniente, Christianus exercitus progressus est per Portellam, ubi Darius dicitur esse sepultus, & thesaurus Alexandri absconsus. Deinde per quamdam Portæ structuram pervenit ad Castrum, quod Guasconum ab incolis nominatur, quod cùm à Saladino detineretur, Christianus exercitus à sagittariis impeditus est.

(31) *Codex Estensis*, & carnem Imperatoris honorificè sepelierunt, ubi de consilio Principis & Patriarchæ moram fecit, quousque Marchionem de Monteferrato ad se vocaret, qui tunc in Achonensi erat obsidione. Qua vocatione Baronum, communicato consilio Antiochiam festinus adivit. In cujus absentia quum pedites exercitus Achonensis à nullo refrenarentur, in festo S. Jacobi vagantium plusquam octo Saracenorum impetu occiduntur. Marchio verò transiens per Tyrum, Comitem Henricum de Campania tunc applicantem maximo suscepit honore, qui ad exercitum veniens, Dux est ab omnibus approbatus. Transiens Marchio per Tripolim, viduas, orfanos & nobiles auro & argento sustentavit egenos. Deinde applicuit ad Portum Sancti Simeonis, qui quoque Soldinus ab incolis appellatur: juxta quem est Montanea nigra, quam multitudo inhabitat Eremitarum, diversis linguis & moribus Deum laudantium. Unde Patriarcha Principe & Duce magno cum triumpho receptus ad civitatem usque deductus ingressus est, cui se & exercitum Dux omnino commisit, ei ut paternis asseverans se obedire velle præceptis. Audiens Saladinus hæc misit exercitum sub Rachahadino fratre & Marahalino filio militantem, ut districtum occuparet Bariti. Quod Dux & Marchio percipientes, quum ab Antiochia usque Tripolim pervenissent, à Sarracenis, & Audocras, & aliis multipliciter infestati, à Tripoli Tyrum navigio pervenerunt, ubi ossa Imperatoris arcæ tumulo commendarunt.

(*) *MS. Cæsar. habet* Galbensis.

„ centem, usque Saphoream & Recortanam, „ ubi Aconis fluvius oritur, insequuti sunt; „ quum de loco ad eorum insequutionem castra mutaverint, postmodum ad campum „ illæsi reversi sunt. Adveniente Novembrio „ mense valida fames Christianos invasit, ut „ carnes equinas, carissimis emtas commerciis, edere arctarentur; sicque per totam „ hyemem fame, frigore, gladio macerantur. Tuncque Isabella quondam Regis Aymerici filia Regni hæreditatem, sorore defuncta, jure successorio petens à Sighifredo Turonensi, cui nupsit, Episcoporum sententiâ separata est, quam Barones Marchioni matrimonio copulantes, eum in Regem & Dominum elegerunt. Hic igitur ut „ largus & magnanimus & galêas in mari „ tenuit, & exercitum frumento & hordeo „ refocillavit adveniente, XL. navibus commerciis applicantibus. Modius una die à „ centum Bisanciis ad octo descendit, & in „ contiguo declinavit usque ad annum.

De Philippo Comite Flandriæ, & de Rege Francorum, & Duce Burgundiæ, & Comite de Niverte, & Comite de Baro, & aliis gestis.

„ ANno Domini MCXCI. Philippus Comes „ Flandriæ, & postea Rex Francorum, „ & Dux Burgundiæ, Comes de Nivers, & „ & Comes de Baro venerunt. Rex igitur „ ante Turrim Maledictam castra Regalia „ fixit, & palatium lapideum fabricavit, Malvicinum rationabiliter appellatum, ut Maledicta Turris mali vicinitate palatii lapidum ictibus verum sui nominis sortiretur „ effectum. Mangana erigi fecit, Gattos, & „ Cletas apparari, & propter ignem agrestem laminis plumbeis operiri. Comite verò „ Flandriarum in brevi defuncto, Rex à Flandrensibus fidelitate recepta, Turri Maledictæ frequentiùs Manganis maledixit, & civitatem Acriam acriùs impugnavit. Nam „ instrumentis ejus combustis omnibus, ad „ jussum Regis vehementer irati Peregrini „ scalis appositis ascendunt muros, sed angustiâ caloris & fumi denique depelluntur. „ Albericus autem Marescalcus Regalis intra „ mœnia urbana descendens, sicut leo rugiens sæviebat, & cum bipenni, quæ & „ ascia nominatur, plurimos unus occidens „ occisus est. Cujus caput à Sarracenis ad „ collegas Mangano pro saxo trajicitur. Muro perforato duo Sarraceni civitatem egressi „ postularunt in Christi nomine baptizari, „ qui renati, fideles in operibus inventi sunt. „ Mangana Marchione Præside reparantur, „ qui Regi tradidit Tyrum, observans quod „ promiserat, se scilicet coronato primitus „ venienti de civitate omnifariè redditurum. „ Rex autem suis hominibus communivit. „ Interea Ricardus Rex Anglorum sibi Cyprum Insulam subjugavit, Isaachium, qui „ se Imperatorem nominabat, capiens, & „ immensas divitias & victualia & animalia „ deducens. Qui à Cypro pelago sulcans, „ navem Sarracenorum à Beryto proficiscentem, & Aconem properantem invênit, in „ qua erant septingenti viri ad bella fortissimi cum sufficientia stipendiorum, & omni „ genere armorum, & igne agresti, & ser-

„ pentibus, & cocodrillis, & internecioni „ nequiter deputatis. Hanc igitur cum viginti quatuor galêis, cum quibus in retroguardia suarum navium accedebat, impugnavit ter & quater cum magno detrimento suorum. Post hæc Regis improperiis & „ blandimentis, minis, & præmiis promissis „ armantur, & navem impugnando perforant, & submergunt, duobus è naufragio „ tantùm superstitibus reservatis; quorum „ unum, quum venisset in campum, ad Saladinum, alterum misit in urbem. Ad hæc „ Rex Francorum, licèt Rege Angliæ dissentiente, pugnam indixit. Pugnatur & muri „ securi inciduntur, Sarracenis Saladino mandantibus, ut in eorum succursum studeat „ accelerare. Adveniente nocte Marchioni „ custodia denegatur, à quo Mostubus consensu Regis Franciæ de colloquio datam securitatem accepit. Adveniente die coram „ Regibus, aliisque Baronibus colloquium „ celebratur, in quo Mostubus civitatem reddere cum omnibus rebus, dummodo personæ abire permitterentur illæsæ, promisit. „ Christiani verò Sanctam Crucem, captivos „ omnes, & Regnum repetunt universum. „ Mostubus Saladinum asserit consulendum. „ Obsidibus ergo datis consulitur; qui promisit Crucem reddere pariter & Aconem, „ mille quingentos Christianos, & centum „ Milites, & ducenta millia Byzantiorum.

„ Dum hæc agerentur, Rex Angliæ murum „ aggreditur. Per deditionem civitas obtinetur Quarto Idus Julii, Anno Domini MCXCI. „ positisque à Regibus in Portis custodibus, „ solis Francigenis & Anglicis patebat ingressus, ceteris sive de Romano Imperio, sive „ aliunde, licèt per biennium laborassent, „ opprobriosè rejectis. Nam intrare volentibus, colaphis & verberibus cædebantur. „ Sed & tredecim ex * polinis pede truncati „ sunt. Quum igitur prope quinquaginta „ millia hominum præter mulieres & parvulos & aliorum multitudinem, quæ vix „ numerari poterat, & ampullas ignis agrestis, & galêas cum Salandris, & galeonibus septuaginta, & ceteras divitias, quarum non est numerus, Reges in suis manibus habuissent, inter se omnia diviserunt. „ Judicet Ecclesia, & sequutura posteritas, „ si quæ sanguine ceterorum, & hyemalibus „ fuerant parta laboribus, decuerit culmen „ Regalis honoris ad suas manus omnino devolvere, qui non erubescebant vix tribus „ mensibus insudasse. Non enim sibi victoriam, sed Domino adscribere debuerunt. „ Sed quum sibi adscribere præsumsissent, „ reminisci debuerant aliorum, quorum ossa „ campus sanctus incinerat, vel præsens vita „ libera tolerabat. Nam Archiepiscopus Ravennas, Langravius Thuringiæ, Fredericus „ Dux Suevorum, & multi de Imperio Comites & Barones in Domino mortui fuerunt; „ sed & universitatis defunctorum numerus „ peste, fame, gladio pereuntium est incertus. Haud tantùm dubium est, quòd in „ obsidione fermè præter Principes, ducenta „ millia de hoc Seculo migraverunt. Ad hæc „ Rex Franciæ conabatur Marchionem in „ Regem promovere; Rex Angliæ Guidonem „ restituere. Demum interposita pactione „ Tyrus, Sidon, & Baruth Marchioni cum „ medietate Ascalonis & Joppæ jure succes-

„ sorio pervenerunt. Præterea medietas Aconis & totius Regni acquisiti & acquirendi alia Guidonis; sic tamen in vita alterius, quòd neuter diademate uteretur. Post hæc Rex Franciæ assoldatis pro se quingentis militibus & armis, quæ sibi obvenerant, Templo, & Hospitali, & Marchioni distributis, repatriavit cum opprobrii tamen immenso ubique in faciem acclamato: *vah, qui fugis, & Terram Domini derelinquis*. Rex autem Angliæ, quum pecunia promissa non solveretur, captivos omnes contra fas & licitum interfecit, qui debuerant potiùs servari, & in servitutem redigi, præter Monostobium, & Carcosam, & quosdam alios Milites, quos pro pecunia relaxavit. Verumtamen Saladinus Christianis captivis malum pro malo non reddidit. Rex Angliæ exinde terra marique recuperat Capham, & Cæsaream; & quum accessisset Azotum, Jacobus de Avena occiditur. Deinde Joppem proficiscentes in Rama, Lydda, Turone Militum, & Berthenubilo hyemantes, Ascalonem accedunt, & videntes muros diruptos, fleverunt super illam, muros & turres in brevi reædificantes. Interim inter Regem Angliæ & Ducem Burgundiæ, ceterosque Barones Franciæ, discordia vehemens orta est, eo quòd vilipendit eos. Redeunt ergo Tyrum, progredientes ad Marchionem, & cum eis quingenti electi milites; cum quibus Sarracenorum casalia cursitando plurimùm proficiebant.

Progrediuntur heic ambo Codices.

De Henrico VI. Imperatore.

ANno Domini MCXC. Henricus VI. Frederici I. filius apud Romanos regnavit post patrem annis VII. (32) Hunc Cœlestinus Papa, qui Clementi successerat, unxit Anno MCXCI. & Imperiali diademate coronavit. Eodem anno Imperator Apostolico dedit Tusculanum, & Apostolicus Romanis. Romani verò Civitatem destruxerunt & Arcem, Tusculanos alios excœcantes, & alios deformiter mutilantes. Eodem anno Imperator cum Augusta nomine Constantia, filia quondam Rogerii Regis Siculi (33), in Apuliam descendit, ut Regnum sibi, quod jure successorio (34) debebatur, & quidam Regulus invaserat, obtineret. Sed Augustam quidam pirata nomine Margaritus apud Salernum capiens, eam Regalem ad urbem, Panormum scilicet, usque deducens, honestate Augusta dignissima conservavit. Imperator verò Neapolim obsidens penè suis omnibus pestilentiæ morte peremtis (35), vix in Alamanniam reversus est. Eodem anno fuit infortunium, quod Malamort à Cremonensibus appellatur, eo quòd apud Civitatem Pergamensium tuentes Castrum contra Brixienses cum Pergamensibus congregati, divino judicio in se ruentes alii in Oleo præcipitantes, alii capti, mutilatique, alii mortui sunt. Sed captos rediens de Apulia Imperator è carcere liberavit. Eodem anno Imperator Cremonensibus Cremam concessit, & Privilegio confirmavit. Eodem Anno Rex Franciæ, & Rex Angliæ quum mare transissent, Acharonem ab Infidelibus occupatam, & diu à Christianis obsessam, viriliter impugnando ceperunt. Posteaque Rex Angliæ cum Saladino pugnavit, & Ascalonem destruxit. Qui quoque, quum mare transisset, in Sicilia quasdam Civitates in deditionem receperat, Insulam Cypri triumphaliter obtinuerat, & naves Saladini submerserat plenas serpentibus internecioni Christianorum nequiter deputatis. Eodem quoque anno Conradus Marchio ab assassinis occisus est, vir militaris, & in re militari peritus, cautus, & strenuus, fortis, & audax, superbus, magnanimus, & devotus, humillimus. Anno MCXCII. Imperator Regem Angliæ peregrino habitu redeuntem à Duce Austriæ captum detinuit in custodia, eo quòd contra eum præsconsisse quædam in Regno Siciliæ videretur, & necem Conradi Marchionis credebatur nequiter machinatus.

In Codice Estensi hæc adduntur.

De Rege Angliæ & aliis gestis, quæ fuerunt suo tempore.

„ ANno Domini MCXCII. Rex Angliæ apud Ascalonem de reditu suo & regimine Terræ sollicitus, ab universo quæsivit exercitu, cui Terram committeret conquisitam securiùs, & conquirendam. Post vota diversa quidam namque Guidonem inunctum, quidam Marchionem invictum, quidam Comitem Campaniæ præferebant. Marchio eligitur, & in facie exercitus approbatur. Igitur à Rege citatur, ut properet, Regales infulas accepturus & sceptra. Octavo Kal. Maji literæ præsentantur. Eodem die ab assaxinis occiditur clamantibus: *non eris Marchio; non eris Rex*; quorum unus combustus est; alius, quum decoriaretur, confessus est, se à sene domino suo transmissum hoc fecisse imperio Regis Angliæ. Tertia die Comiti Henrico illuc venienti uxor gravida copulatur invita. Redit festinus Acon, civitatem obtinuit, & ingressum Guidoni prohibuit. Itaque Rex Guidoni Cypricum tradidit Regnum, viginti Byzantiorum millibus emtum. Post hæc Joppem obsedit Saladinus, in qua Patriarcha Rodulphus electus treguas obtinuit à Saladino, qui si usque ad biduum non haberet succursum, redderet municipium; & quum alium non haberet, se ipsum pro ovibus obsidem dedit. Duobus diebus transactis Rex navigio cum Pisanis applicuit, & Sarracenos castrum expugnantes viriliter exterminavit, cui equus à Castellano paratur. Hunc solum militem pedites comitantur, & extra civitatem in Turchorum faciem castrametatur. Stupent Turchi unius militis incursione fugati. Timuerunt plurimùm Turchi, ne Rex tam ferus invadere velit Ægyptum. Igitur utroque exercitu fugato ad triennium treguæ pro induciis componuntur, Ascalone destruenda, & à parte neutra possidenda. Sed & in hoc Rex „ pec-

(32) *Cod. Estens.* Annis VIII.

(33) *Cod. Estens.* Siculi, & soror Guilielmi Regis.

(34) *Cod. Estens.* successorio, fratre defuncto, debebatur, obtineret. Sed Tancredus jam substitutus, apud Panormum fuerat coronatus. Quum itaque Salernum adierit Imperatrix, eam Salernitani cives nequiter capientes, Messanam ad Tancredum Regem miserunt, qui eam in Panormitano Palatio, honestate &c.

(35) *Cod. Estens.* peremtis, sua spe propositove cassatus est, & vix &c.

„ peccavit, quia Patriarcham obsidem compeditum non liberavit. Adeunt igitur Christiani Sepulcrum, & inveniunt ibi Æthiopem nudum in Christianorum ignominiam oblationum libamina colligentem. Rex autem sub manu perfidi constitutum Sepulcrum accedere noluit adoratum, sed festinavit ad reditum. Quum de morte Marchionis suspectus haberetur, sub habitu Ministri Templariorum & Hospitaliorum usque in Austriam, suis aliunde remissis, pervenit incolumis. Ubi, dum gallinas assaret, deprehenditur, capitur, & Duci Austriæ præsentatur. Audiens igitur Imperator Regem Angliæ servili habitu redeuntem à Duce Austriæ captum, eum detinuit in custodia, eo quòd contra eum præsumsisse quædam in Regno Siciliæ videretur, & necem Conradi Marchionis credebatur nequiter machinatus. Denique ipsum pactione sibi placita relaxavit.

Progreditur uterque Codex.

ANno Domini MCXCIV. Imperator in Italiam rediens, & ad inferiora descendens, Apuliam, & Calabriam, & Siciliam subjugavit, & omnia potenter obtinens bona terræ in Alamanniam, thesaurosque Regni portavit, Margaritum (36) excœcans ipsum, & quos voluit captivavit. Anno Domini MCXCVI. corpora Sanctorum Martyris Archelai & Confessoris Himerii in arca lapidea posuimus, altare XVII. Kalend. Julii consecrantes, & processionem solemniter cum CXXX. vexillis Ecclesiasticis facientes. Anno Domini MCXCVII. reversus Imperator in Italiam, in Sicilia mortuus est & sepultus. His temporibus quidam exstitit Joachim Apulus Abbas, qui spiritum habuit prophetandi, & prophetavit de morte Imperatoris Henrici, & futura desolatione Siculi Regni, & defectu Romani Imperii: quod manifestissimè declaratum est. Nam Regnum Siciliæ multo tempore est perturbatum, & Imperium per schisma divisum.

In margine Codicis Cæsarei à recentiore quodam apposita est hæc adnotatio.

Plus dixisset hic Auctor, si vixisset, & vidisset depositionem Frederici, & successus strenuos Regis Karoli in Regno Siciliæ.

EOdem anno castrum Jovis-altæ, quod à primo lapide inchoavimus ad honorem & utilitatem Palatii Cremonensis, feliciter consummavimus.

Anno Domini MCXCVIII. (37) facta est in Regno de Imperatoris electione seditio. Nam Imperator Henricus pupillum de Augusta relinquens, à Principibus obtinuerat de pupillo electionem, & jam pupillo fecerant fidelitatem. Inter Philippum quoque Frederici filium, Henrici fratrem, patruumque pupilli, nec non & Ottonem Ducis quondam Henrici Saxoniæ filium, ad Imperium aspirantes, in Theutonicorum regione certatur; nam & uterque à Principibus electus est. His temporibus Innocentius Papa creatur, qui ut pupillo esset adjutor, & Ecclesiæ jura defenderet, adversùs quemdam Marquoardum, qui se quoque pupilli jura tueri, nescio quo spiritu, fatebatur, utroque gladio dimicans, eum viribus debilitavit. Sed tamen adhuc Apulia, Calabria, & Sicilia vario voto vacillarunt. In Alamannia quoque varietas fuit votorum; sed concertantium nec æqua justitia, nec æqua potestas votorum. His quoque temporibus fuit quidam Cremonæ vir simplex, fidelis plurimum, & devotus, nomine Homobonus, ad cujus obitum, & ejus intercessione Dominus huic Mundo multa miracula declaravit. Ea propter (38) peregrè proficiscens, præsentiam Summi Pontificis adii, & Canonizationem, quam petebam, obtinui. Anno Domini MCXCIX. Mediolanenses & Placentini venerunt ad Burgum Sancti Domnini, & postmodum ad Castrum Novum in faucibus; adversam suam jacturam dolentes reversi sunt. Sed Veronenses Mantuanos discumfecerunt, ex eis innumeram multitudinem captivantes. Anno Domini MCC. Mediolanenses & Brixienses obsederunt castrum Suncini, sed evanuerunt in superbia sua. Nam Papienses discumfecerunt Mediolanensium exercitum ad Rosatum; & Cremonenses Placentinos ad Sanctum Andream juxta Bussetum. Eodem anno facta est inter Cremonenses & Mantuanos, inter quos diu seditio fuit, pax, & concordia, & obsequiorum in osculo pacis vicissitudo. Sed inter Milites Brixienses, & Plebem, quam Bruzellam appellant, civilis discordia orta est, eis plurimum utrisque damnosa. *Nam*, teste Domino, *omne Regnum in se divisum desolabitur, & domus super domum cadet*. Bruzella quippe partem Militum dissipavit. Milites autem cum Cremonensibus confœderati sunt; & Plebejos, quibus Comes Narrisius præerat, arctaverunt. Romani verò Biterviенses in forti brachio subjugarunt.

Anno Domini MCCI. Cremonenses cum Brixiensibus congregati Militibus, Bruzellam Brixiensium captivarunt, eorumque Currum in forum, seu plateam Cremonensium deduxerunt. Deinde facta est pax inter Cremonenses, Pergamenses, Comenses, & Brixienses, inter quos fuerat tanta seditio, quòd nec gladio parcerent, nec incendio. Sicut enim multa mala oriuntur ex bonis nuntiis, sic Deus ex malo elicit aliquod bonum. Eodem anno Mediolanenses ceperunt castrum Papiensium, Regenale dictum. Anno Domini MCCII. inter Cremonenenses & Placentinos pacis fœdera componuntur. Quo anno quasi Jubilæo ferè in

(36) *Codex Estens. addit*: Reginam & filium ejus, qui patri successerat, & quos voluit captivavit. O quam digna retributio Dei, qui nullum malum præterit impunitum! Primates, qui sederunt in insidiis cum divitibus in occultis, mensura, qua mensi fuerant, metiuntur, & judicio, quo judicaverant, judicantur. Philippus autem frater Imperatoris filiam Isachii Imperatoris Constantinopolitani, quæ Rogerio Tancredi filio nupserat primogenito, viduam viro defuncto, in Panormitano invenit Palatio, & inventam sibi in conjugio copulavit legitimo. Sed eumdem Isachium Imperatorem Alexius frater excœcans, & Alexium filium ejusdem incarcerans, Imperium usurpavit.

(37) *Cod. Estens.* Obiit Imperator Henricus, filius quondam Frederici Imperatoris in Festivitate Sancti Michaelis in Regno Siciliæ; & facta est &c.

(38) *Cod. Estens.* Ea propter Romam peregrè proficiscens eodem Anno, scilicet MCXCIX. præsentiam Summi Pontificis, & ut in catalogo Sanctorum adnumeraretur auctoritate Ecclesiastica, per divinam misericordiam feliciter impetravi. Anno &c.

in tota Lombardia treugæ vinculantur in lustro. In quo lustro (39) maximus fuit motus Peregrinorum euntium ultra mare. Inter quos fuere præcipui Balduinus Comes Flandrensis, & Ludovicus Comes Blesensis, & Bonifacius Marchio Montis-ferrati, qui omnes apud Venetias congregati convenientes, Zadram municipium Venetis nimis infestum destruxerunt. Interea filius Imperatoris Isachii de carcere liberatus Philippum cognatum suum Regem Alamanniæ adiit, supplicans, ut sibi auxilium impertiret. Anno (40) Domini MCCIII. Dux Venetorum, ceterique Barones adolescentem Alexium unanimiter assumentes ad Illyricum pervenerunt. Et primo Duratium puero subjugarunt, ceterisque maritimis subjugatis Constantinopolim pervenerunt. Interea in Venetos, ceterosque Latinos Constantinopoli morantes Græcorum & Warangorum desævit atrocitas, eos impugnans, capiens, & occidens. Quum Cives admoniti legitimum Dominum recipere recusarent, irruentes Latini viriliter in urbem ipsam, ceperunt, & Palatium obsederunt, & comprehenderunt (*). Deinde capta urbe & populata ex magna parte, & combusta, Tyrannus effugit Isachius; restituitur & Alexius adolescens, in mense Julio in Ecclesia Sanctæ Sophiæ magnificè coronatur. Postea quum Græci Latinos publicè injuriis multis afficerent, & privatim occiderent, Latini urbem combusserunt, & prædam maximam exportaverunt. Ad hæc quum se Tyrannus Andrinopolim recepisset, Imperator juvenis collecto exercitu cum Baronibus eum fugavit, & Thraciam sibi subjugavit. Sed quum Peregrini magnis remunerandi promissis instarent, beneficiorum ingratus, clam & palàm beneficis adversatur. Igitur inter eum & Latinos zizaniis seminatis, Græci habentes eum exosum, quemdam Constantium (41) Imperatorem efficiunt. Populus autem Alexium Mursuflium coronavit, in qua contentione præpotens fuit Alexius ille Mursuflius. Adolescens verò Alexius quum vix regnasset mensibus VII. (42) suffocatur; pater ejus Isachius moritur. Mursuflius Tyrannus de solutione pecuniale à Peregrinis impetitus, solvere diffitetur. Quapropter Veneti pariter & Peregrini Civitatem unanimiter aggrediuntur, universam regionem in circuitu depopulantur, & Mursuflium quadam die, dum in nemorosis lateret insidiis, effugant, fratrem ejus, & vexillum, & iconam Regiam capientes.

Adduntur & hæc alia in Cod. Esten.

„ E Contra de suis Græci viribus præsumentes, linguæ potiùs contumeliis armati, quàm audacia cordi, rebellant. Eodem anno Rex Armeniæ Antiochiam obsedit., & licèt eam cum exercitu introierit, non tamen obtinuit. Eodem anno Magister Petrus Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus apud . . . . Ciliciæ municipium Armeno Catholico, & XIV. Episcopis mithras & baculum, Me præsente, in præsentia Regis Armeni tribuit Pastoralem, recipiens ab eo debitam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelitatem.

„ Anno Domini MCCIV. Græcorum verbis contumeliosis, & superbia increbrescente, Veneti ad bellum cum Baronibus accinguntur, & urbem aggressi salo soloque viritim excertant; machinis, telis, & spiculis à Græcis resistitur: sed fatiscentibus eis, à militibus impetuosè itur in urbem. Murzuflius in fugam vertitur. Alius ad Imperium, scilicet Ascari, à Civibus infatuatis eligitur. Sed adveniente luce à Latinis Blacherna & Bucca-Leonum Palatia occupantur. Quid plura? Græcorum strage data, gens illa spiritu consilii destituta, quondam prudentiæ filia, nunc sinè prudentia, sicut pulvis disperiit, sicut fumus evanuit, sicut fœnum exaruit; & Latinorum gens urbem Constantinopolitanam in mense Aprili victoriosè obtinuit. Ad hæc Barones Balduinum Flandriæ Comitem in Imperatorem diademate coronarunt, Venetis cum Januensibus votis conniventibus Imperium sortientes. Nam quarta Imperatoriæ Majestati tribuitur, quartarum medietas cessit Venetis, & cetera Peregrinis. Bonifacius verò Marchio, qui Margaritam Imperatricem, quondam Isachii, sororem Aymerici Regis Hungari,

Hæc ita efferuntur in Codice Estensi.

(39) Meritò dixerim Jubilæo, quo & in remissione peccatorum maxima Hierusalem tendentium Peregrinorum accingitur multitudo. Inter quos fuere præcipui Balduinus Comes Flandrensis, Ludovicus Comes Blesensis, nec non & Bonifacius Marchio Montisferrati. Eodem anno fuit terræmotus magnus in Syria, quo civitates & oppida nutaverunt; etiam ipsa Tyrus ferè corruit universa, & stellarum visa est in eadem provincia maxima dimicantium pugna, quarum Septemtrionales de Orientalibus victoriam obtinebant. Quod non est ambiguum futuri excidii præsagium exstitisse. Nam prædicti Peregrini apud Venetias congregati, cum Venetis iter arripientes, primo Zadram municipium Dalmatiæ munitissimum in sinu Adriatico situm, Venetis nimis infestum, auctorante venerabili viro Henrico Dandalo Duce, & stolio Venetorum, invadunt; quod non diu obsessum Veneti destruxerunt. Interea filius Imperatoris Isachii prædictus puer Alexius de carcere liberatus, Philippum cognatum suum adiit Alamanniæ Regem supplicans, ut sibi auxilium impertiret.

(40) *Codex Estens. addit*: Anno Domini MCCIII. tanta fuit locustarum multitudo, quòd germinantia destruxerunt universa.

In Cod. Estens. hæc ita describuntur.

(*) Et quum Palatium Blachernæ obsederunt, oclighita, idest Beatæ Virginis icona, ab Evangelista Luca Virgini conformata, ad confusionem hostium mœnibus superponitur, sed à Latinis reverentiùs adoratur. Deinde Basilographia, idest regalis scriptura cujusdam Prophetæ Danielis Achivi, qui de Imperatorum Constantinopolitanorum successionibus ænigmata scripsit, producitur in medio; ubi quum legeretur, quòd Natio flava cæsarie ventura esset urbis excidio, urbemque gravi expugnatura prœlio, tamen ad ultimum, (quod in ipsos decidat) peritura. Hoc facto confisi Achivi repentè irruunt in Latinos. Demum urbe terra marique viriliter impugnata, & ex magna parte combusta, Tyrannus aufugit. Ad hæc Isachius restituitur, & Alexius Adolescens in mense Julio in Ecclesia Sanctæ Sophiæ magnificè coronatur. Postea quum Græci Latinos publicè injuriis multis afficerent, & privatim occiderent, Latini arma sumentes, rursus urbem combusserunt, & prædam maximam exportarunt. Ad hæc quum Tyrannus se Andrinopolim recepisset, Imperator juvenis eum collecto exercitu cum Baronibus effugavit, & sibi terram subjugavit. Sed quum &c.

(41) *Cod. Estens.* Constantinum.

(42) *Cod. Estens.* mensibus VI.

„ gari, sibi in matrimonio copulavit, Tessalonicam vindicavit. Murzuflius autem Alexium Tyrannum adiens, & intendens bellum blanditiis, & alicujus spei seducere verbis, lumine privatus est; rediensque ad urbem, à Latinis misericordiam impetravit. Sed quum rursus proditionis moliretur insidias, de Columna Tauri per sententiam præcipitatus est, ut sicut præsumserat ascendere in altum, sic de alto rueret in præcipitium. Ascari quoque trans Hellespontum fugato, Latini victoriosi ferè Monarchiam Græcorum obtinebant.

Hæc eadem in Cæsareo Vindobonensi Codice ita describuntur.

ANno Domini MCCLIV. Veneti cum Baronibus ceperunt urbem Constantinopolim. Mursuflius, qui se Imperatorem putabat, fugit de urbe. Alius ad Imperium, scilicet Astari, à Civibus faciliùs eligitur. Sed veniente luce à Latinis Blacherna & Buccaleonum Palatia occupantur. Quare plurima Græcorum strage data multorum, gens Latinorum urbem Constantinianam in mense Aprili victoriosè obtinuit. Ad hæc Barones Balduinum Flandriæ Comitem Imperatorem diademate coronarunt, votis convenientibus Imperium sortientes. Nam quarta cessit Imperatoriæ Majestati, trium quartarum medietas cessit Venetis, & cetera Peregrinis. Marchio verò Bonifacius obtinuit Thessalonicam. Mursuflius autem Alexium Tyrannum adiens, & intendens aliquos seducere, lumine privatus, rediensque in urbem à Latinis veniam impetravit. Sed rursus quum proditionis moliretur insidias, de Columna Tauri præcipitatus est. Astari quoque trans Hellespontum fugato, Latini victores ferè totam Græcorum Monarchiam obtinebant. Eodem anno Græci quoque excitati, Latinis expulsis se in Andrinopolim receperunt.

Quæ sequuntur, habet Estensis Codex.

„ ADimpleta est Prophetia, quam Mathematicus quidam prædixit Achivus: *Gaudete septem montes, sed non mille annos*: nondum enim à Constantino millesimus advenerat annus, quando Septem-solium, idest Constantinopolis, à summo gaudio tristitiæ ruit ad ima. Eodem anno Cometa magna aërem illustravit. Eodem anno Venerabiles Viri Domnus Soffredus, & Magister Petrus, Presbyteri Cardinales, Apostolicæ Sedis Legati, de Syria Constantinopolim adiverunt, ubi ab Imperatore, Civibusque Latinis, & Græcis apud Sanctam Sophiam honorificè recepti fuerunt. Qui ibidem spiritualia negotia tam inter Græcos, quàm Latinos, diffinierunt. Et divina officia, me assistente, solemniter celebrantur. Nam & Ego ad mandatum prædicti Cardinalis Magistri Petri in Sabbato Quatuor Temporum ante Nativitatem Domini in Templo Sanctæ Sophiæ solemniter ordines celebravi. Quia & ipse pro amore Domini Crucifixi peregrinans in Syriam, sicut priùs, ut ei assisterem, in Armeniam, sic & post in Græcia fueram comitatus eumdem. Eodem anno Græci excitati quasi se, Latinis expulsis, in Andrinopolim receperunt.

Pergit uterque Codex.

ANno Domini MCCV. Balduinus Imperator Constantinopolitanus Græcos in Andrinopoli congregatos obsedit. Sed à Blatis forinsecus congregatis & Cumanis ipse Imperator cum quibusdam Baronibus suis captus est & occisus (43). Exercitus autem illæsus reversus est Constantinopolim, cui præfuit Henricus frater Imperatoris, Duce Venetiæ jam mortuo. Marchio quoque Bonifacius, qui regnavit in Thessalonica, à Græcis & Blatis multa passus est. Fuit hoc anno Græcis arridens & blanda, sed Latinis adversa fortuna.

Prosequitur Codex Estensis.

„ QUam Mathematici prædixerunt Achivi. Verumtamen invictus Marchio vinctum, quem ceperat, Alexium, quondam Imperatorem, cum uxore misit in Lombardiam, ut in custodia servaretur, & à tyrannide, quam sæpiùs exercuerat, arceretur.

Sequentia in utroque Codice ita se habent.

ANno MCCVI. & in Orientali & Occidentali Imperio apud Antiochiam prædictis ex causis inter prædictos certatur illustres. Anno MCCVII. Bonifacius Marchio Montisferrati occiditur in prœlio, filios relinquens Guilielmum in Italia, & Demetrium apud Thessalonicam successores. Anno MCCVIII. sopita est seditio Regni de Occidentis Imperio concertantium. Nam Philippo in thalamo nequiter occiso successit feliciter Otto, de quo noctu præviderat in somno se dicentem futura, & his versibus prophetatum, scilicet: *Insufflo: da terræ: Rex Otto: Rex errat Adolfus. Proh dolor! Otto tibi suspice: finit ibi* (44).
Anno MCCIX. Innocentius Papa coronavit Regem Ottonem. Coronatus contra patrem coronatorem suum, & contra Matrem Ecclesiam, & contra Regem Siciliæ pupillum, cui præter Ecclesiam non erat adjutor, se se confestim armavit. Propterea sequenti anno, scilicet MCCX. Papa Innocentius jam dictum Imperatorem excommunicavit. Ipse verò nihilominus Marchionem cum exercitu misit in Apuliam; post verò per Thusciam iter faciens, quædam loca per vim, quædam per deditionem obtinuit. Deinde properans in Capua hyemavit.

Anno

(43) *Cod. Estens. addit*: Ideoque recedens ab obsidione confusus Latinorum exercitus, tamen rediit in urbem Constantinianam illæsus, cui frater Imperatoris, Henrico Venetorum Duce defuncto, præfuit, Henricus nomine, vir audax & exercitio militaris. Marchio quoque Bonifacius, qui Thessalonicæ regnans, circumquaque provincias subjugaverat, à Græcis, & Blactis &c.

(44) *Codex Estensis addit*: Ænigmatis hoc anno sententia declaratur. *Insufflo*: idest *spiro*. *Da terræ*: *dic terrenis*. Quòd *Rex Otto Rex Romæ dolet*. Et qui *errat Adolfus*, electus Coloniensis. *Proh dolor Otto tibi*; expositio est clausulæ præcedentis. *Suspice finit ibi*: ostendit enim visio prævisori temporis determinatum hunc annum in pariete pictum, literis annotatum.

A Anno MCCXI. progrediens per Apuleam civitates & loca per deditionem usque Policornu suscepit. Dum hæc agerentur, Principes Alamanniæ Fredericum Regem Siciliæ, quondam Imperatoris Henrici filium, de quo prædiximus, Imperatorem elegerunt, citantes eum, ut in Alamanniam properaret. Quo audito Imperator festinans rediit, qui apud Laudam Curiam quoque celebravit inanem. Estensis enim Marchio jam cum Papiensibus & Cremonensibus & Veronensibus consensit Summi Pontificis fœdus inire contradictionis. Inglorius igitur Alamanniam intravit.

Anno MCCXII. prædictus Rex Siciliæ Romam veniens, à Summo Pontifice & à Romanis magnificè receptus est. Deinde navigio
B Januam attingens, per eorum manus, & Guilielmi Marchionis Montisferrati usque Papiam ductus est, cui (45) Cremonenses ad Lambrum alacriter occurrentes, eum Cremonam cum tripudio, & hastiludio deduxerunt (46). Inde Mantuam, & Veronam, atque Tridentum feliciter transiens, in similibus urbibus exstitit gloriosus. Exinde per Curiam intravit Alamanniam, & cum Principibus de die in diem solemnem Curiam celebrans, à Rege Bohemiæ, & ab aliis multis Principibus fidelitates accepit. Eodem anno scilicet MCCXII. Almeramomeley Rex Mauritanus veniens in Hispanias cum infinita multitudine Sarraceno-
C rum minabatur non solùm Hispaniam, sed & Romam, immo Europam capere universam. Sed auxiliante gratia & virtute Domini nostri Jesu Christi, & Sancti Domini Papæ Innocentii, Reges Aragonum, & Navarræ, & Castellæ occurrerunt Paganis, & eos de finibus ex parte fugaverunt VII. Kalend. Augusti. Eodem anno quidam minus decem annorum infans cum infinita multitudine pauperum vênit da Theutonia, asserens sinè nave transiturum mare, & Hierusalem recuperaturum.

Quæ ita narrantur in Cod. Esten.

„ EOdem anno MCCXII. Sub ductu puerorum quasi duodecim annorum, qui se visionem vidisse dicebant Crucis signaculum assumentium, in partibus Coloniæ pervasit multitudo innumera pauperum utriusque sexus, & puerorum, Theotoniam peregrinantium, & Cruce Signatorum, in Italiam accessit, unanimi corde & una voce dicentium, se per siccum maria transituros, & Terram Sanctam Hierusalem in Dei potentia recuperaturos. Sed demum quasi evanuit universa. Eodem anno fuit fames adeò valida, præcipuè in Apulia, & Sicilia, ut matres etiam pueros devorarent.

Pergit uterque Codex.

ANno MCCXIII. die Sancto Pentecostes, qui fuit eo anno in festo Sanctorum Marcellini & Petri, scilicet secundo die intrante Junio (47), Cremonenses in auxilium Papiensium, quorum multi in transitu Regis de Papia ad Cremonam capti fuerant, apud Castrum Leonis cum Carrocio convenerunt, non habentes in auxilio nisi CCC. milites Brixienses. Et ecce factus est repentè sonitus Mediolanensium cum suo Carrocio velociùs & fortiùs quàm poterant adversùs Cremonenses

(45) *Codex Estensis*: & gloriosè receptus, per eos ad Lambrum usque deducitur.

In Cod. Estens. hæc ita describuntur.

(45) Sed ex Papiensibus militibus dum reverterentur, multi à Mediolanensibus capti sunt. Rex verò Mantuam, & Veronam, atque Tri-
D dentum felicissimè transiens, in singulis civitatibus exstitit gloriosus. Exinde per Curiam introivit in Alamanniam, & à Principibus de die in diem fidelitatem accipiens, apud Magonciam coronatur. Postmodum apud Ratisponam solemnem Curiam celebrans, à Rege Bohemiæ, & ab aliis multis Principibus fidelitates accepit. Eodem anno Almiramomelinus Rex Mauritaniæ veniens in Hispaniam cum infinita multitudine Sarracenorum, minitabatur non solùm Hispanias, sed & Romam, immo Europam capere universam. Sed Innocentius Papa III. Christianorum signaculo Crucis insignitorum fecit contra illos multitudinem congregari. Qui prima facie Malagon Castrum ceperunt, deinde Colatravam, Alarcos, Benaventum, Petrabonam occupantes. Ad Portum Muradal fixere tentoria. Portus autem arctus erat, ut ducenti
E homines quasi toti Mundo transitum prohiberent. Nostris igitur hæsitantibus, ecce duo Christicolæ sub specie venatorum; quibus præcedentibus ex alio montis latere contra spem Sarracenorum totus montem pertransiit Christianorum exercitus, die Sabbati non longè à castris inimicorum Christi tentoria figens. Die Lunæ diluculo, dispositis aciebus in campo XVII. Kalend. Augusti congressi sunt Christiani, & inimici Christi. Et per gratiam Salvatoris, Christianissimis Regibus Aragonum, & Navarræ, & Castellæ trucidantibus hostes terga verterunt; quorum infinita millia Christicolarum gladius devoravit. Nam per quinque leugas fugati sinè numero corruerunt. Deinde nostri habita victoria procedentes Ubendam civitatem viriliter occuparunt, in qua sexaginta millia utriusque sexus Gentilium ceciderunt. Demum Christianus exercitus ad propria remeavit, agens gratias Salvatori, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen. Eodem Anno dicitur, quòd Rex Franciæ cum Comite Montisfortis, & aliis hominibus Cruce-signatis, & * de prœlio & exercitu, qui fuit in Hispania, quando apud Amuradal Imperator Sarracenorum devictus fuit, qui quinquaginta Reges habebat, à tribus Regibus Hispanis, scilicet Castellæ, Navarræ, Aragonense cum adjutorio Portugallensium, de quibus undecim millia prima acie mortui fuerunt, & cum adjutorio Portugallensium, eodem tempore & anno, & mense Novembris Papa Innocentius apud Lateranum celebravit Concilium in Anno MCCXV.

In Cod. Estens. eadem ita narrantur.

(47) Intrantis Junii, Cremonenses in auxilio Papiensium, quorum multi, ut prædiximus, à Mediolanensibus in transitu Regis de Papia ad Cremonam capti fuerunt, apud Castrum Leonis unanimiter cum Carrocio convenerunt, non habentes in auxilio nisi trecentos milites Brixienses. Et ecce factus est repentè sonus Mediolanensium cum suo Carrocio, sicut sagittæ volantes, & sicut fulgur festinantium. In quorum auxilio convenerant Placentini milites & arcarii, Laudenses & Cremonenses milites & pedites, Novarienses & Cumani milites, & de Brixiensibus totidem aut plures, quot in Cremonensium auxilium prædiximus advenisse. Ii omnes unanimiter uno clamore & furore, immo spiritu & impetu Cremonenses, ceterosque milites forinsecos impetunt, & impugnant, fugant, capiunt & expugnant. Sed Cremonenses habuerunt victoriam de dictis Mediolanensibus, & de exercitu, & conduxerunt Carrocium supradictorum Mediolanensium per vim cum magna victoria, & lætitia in civitatem Cremonæ. *Hactenus Codex Estensis*.

ses festinantium, in quorum auxilio convenerant Placentini milites, sagittarii Laudenses, & Cremenses milites, & pedites Novarienses, & Cumani milites, & de Brixiensibus totidem aut plures. Circa horam tertiam incœptum est prœlium. Pugnatur fortiter & viriliter ab utraque parte usque in horam nonam. Circa verò Nonam Cremonenses impetum facientes in eos, straverunt ex eis multitudinem copiosam, & captum est Carrocium eorum, & multa millia pugnatorum introduxerunt in Castrum Leonis.

Additamenta Continuatoris in Cod. Cæsareo.

ANno MCCXV. obiit Præsul Sycardus mense Junii, hujus præsentis Operis compilator. Eodem anno mense Novembris Dominus Innocentius Papa apud Lateranum celebravit Concilium.

Anno MCCXVII. Cremonenses & Parmenses ingressi sunt Episcopatum Placentinorum, multas eorum villas combusserunt; & in eodem reditu soli Cremonenses ceperunt Pontenurum, & fugatis Placentinis usque ad Montale cum multa præda & multis captivis ad Castrum redierunt. Secundo verò die cum Mediolanensibus & Placentinis inter Fontana & Caurcium pugnaverunt; & licèt magna pars Cremonensium & Parmensium jam reversa fuisset domum, tamen postremi, qui remanserant, viriliter pugnantes eis omnino restiterunt, & inimicis pluribus prostratis, denique cùm gaudio & exultatione remearunt. Eodem anno obiit Dominus Innocentius Papa apud Perusium mense Junii, cui Honorius Papa substitutus fuit.

Anno Domini MCCXVIII. Mediolanenses viribus resumtis cum infinita multitudine, Placentinorum videlicet & Papiensium, Vercellensium, Novarensium, Terdonensium, Cumanorum, & Alexandrinorum, Laudensium, atque Cremensium, & aliorum multorum, ad petitionem Placentinorum præsumserunt ire ad Burgum Sancti Damiani, dicentes se velle & posse tradere illud in manibus Placentinorum. Quibus viriliter Cremonenses, & Parmenses cum Reginis & Mutinensibus juxta castrum prædictum castrametati, in manu forti se illis opposuerunt. Et ita sua opinione iniqua Mediolanenses moverunt castra sua, & applicuerunt ea inter castrum quoddam Zubellum & locum, qui dicitur Altisvillis. Cremonenses cum prædictis in eodem loco velociter occurrerunt. Die Jovis sexto intrante Junio commissum est inter eos prœlium, quod duravit à nona hora usque ad Solis occasum, in quo prœlio Mediolanenses cum suis potenter sunt debellati atque fugati, & multis ex eis interfectis, & tactis duobus Carrociis Mediolanensium & Placentinorum vix à periculo ereptis, cum confusione & ignominia magna conversi sunt ad propria. Eodem anno Imperator Otto est mortuus, cui Dominus Fredericus successit, ab omnibus Principibus Alamanniæ concorditer electus.

Anno MCCXXI. primò coronatur Dominus Fredericus in Romanum Imperatorem Romæ apud Sanctum Petrum.

Mille Ducentis atque Viginti Christe duobus,
Postquam sumsisti carnem, currentibus Annis,
Talia fecisti miracula Rex benedicte.
Stella comis variis Augusti fine refulsit.
Septembris lubia vites submersit & uvas.
Destruxitque Deus fluvii de monte rapacis.
Lunaque passa fuit eclipsin mense Novembri.
Christi Natali media quoque luce diei
Terra dedit gemitus rugiens, fremuitque frequenter,
Tecta cadunt, Urbes quassantur, Templa ruerunt:
Exanimes dominos fecerunt mœnia multos.
Brissia præcipuè pressit ruinosa colonos.
Flumina mutarunt cursum, repetentia fontes.

Sit laus tibi Christe quia finis est hujus Libri.

CHRONICON
BREVE
CREMONENSE

Ab Anno 1096. *usque ad Annum* 1232.

AUCTORE ANONYMO

NUNC PRIMUM PRODIT

EX MANUSCRIPTO CODICE
CREMONENSE.

IN BREVE CHRONICON CREMONENSE

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

JAm publici juris factum est in hoc ipso Tomo Sicardi Cremonensis Episcopi Chronicon, ubi sparsim atque obiter quaedam a Cremonensi Populo gesta traduntur. Exigua sane supellex ad tantae Urbis dignitatem, atque ad ejus memoriam in amplissimo hoc theatro exhibendam, ac posteris commendandam. Proinde maximopere contendi, ut si qua vetus illius Civitatis Historia superesset, Collectioni huic adjungeretur; atque ea de re per plures literas monui ac solicitavi Franciscum Arisium, virum antiqua mihi necessitudine junctum, & celebrem *Cremonae Literatae*, aliorumque Librorum Scriptorem, quo nemo in rebus Patriae suae peritior, nemo ad ejus gloriam augendam aeque pronus atque animatus. Sed frustra hactenus egi; nihil enim illi post longam inquisitionem innotuit, aut occurrit, unde consilio meo, amborumque votis fieret satis: adeo temporis edacitas in illius Urbis monumenta desaeviit. Unum igitur quod possum, breve *Chronicon Cremonense* proferam ab Anonymo Auctore conscriptum, cujus edendi copiam facultatemque debeo nobili & doctissimo Viro Philippo Garbello Brixiensi Pontisvici Abbati, qui pro singulari suo in literas ac in literarum amatores, & in me praesertim studio, illud invenit, inventumque ac descriptum ex vetere MSto Codice ad me liberalissime misit. Sunt heic nonnulla, quae ad contexendam Historiam Cremonensis Urbis utilia in primis fateare, ac praesertim, quibus Consulibus, aut Potestatibus per annos multos commissum fuerit Cremonensium regimen.

Vulgaribus tamen ingeniis equidem novi, minuta haec nullum saporem reddere posse. Et quid nostra interest, fortassis inquient, Consulum ac Potestatum nomina ediscere? Sterilem ejusmodi eruditionem si quis appellet, non injuria appellet. Ita forsitan illi, quorum tamen imperitiae facile ignoscendum; neque enim intelligunt, quam longe lateque omnigenae eruditionis amatorem excurrere delectet, & porro eidem, ut antiqua Secula probe teneat, sit excurrendum. Ipsa haec nomina Potestatum & Consulum, quibus ultra duo secula usae sunt liberae Civitates sub Italico Coelo, eo nos deducunt, ut non solum invecta sensim Cognomina Familiarum agnoscamus, sed etiam palam fiat, quae olim Civium Familiae in honore essent, ac inter Magnates numerarentur. Hinc autem Nobilium veterumque Familiarum Genealogiae non modicum illustrentur, neque illius dumtaxat Urbis, cujus Historia profertur, sed & reliquarum conjacentium ac longe positarum. Quum enim ea olim consuetudo obtineret, ut Potestates, hoc est supremus Rerum publicarum Magistratus, non suis ex Civibus, sed ex alienis Urbibus peterentur, atque ad id muneris eos tantum accire mos esset, qui ceteris nobilitate generis, & virtutibus, & dexteritate in rebus gerendis praecellerent: quicumque nunc contendit, Majores suos ante aliquot secula honoribus functos & auctos, ille, tum in suae tum in aliarum Urbium catalogis antiquos Magistratus inquirat oportet. Praeterea cui factioni addicti essent Majores sui, hoc est Guelphaene, an Ghibellinae, si quis rescire nunc cupiat, dum norit cui parti Civitas faveret, simul etiam intelliget, potestates ibidem jus dicentes, ac armis praefectos, eidem factioni fuisse obnoxios. Quare non solum Opusculo hoc edito rem gratam Eruditis præstitum iri putavi, sed etiam ipsos non aegre laturos spero, si his adjiciam Catalogum alium Cremonensium Magistratuum, licet interruptum, quem supra laudatus Vir Philippus Garbellus à Turricino Cremonense jamdiu efformatum reperit. Turricinus hic idem fortasse fuerit, qui Campio, & Cavitellio Historicis Cremonensibus laudatur, & a Clariss. Arisio Tom. II. pag. 433. Cremon. Literat. appellatur *Johannes Jacobus Turresinus antiquitatum*

Cremonensium diligens scrutator & peritus. Scilicet ille tum ex publicis tum ex privatis tabulis ista excerpsit initio facto ab Anno Christi 1095. ad quem adfert Diploma *Welphonis Ducis*, & *Mathildis* celeberrimae *Comitissae* conjugum, concessum hominibus *Platenae*, ejus nempe Oppidi, quod Donizoni Lib. II. Cap. VI. Vitae Mathildis dicitur in ipsius ditione fuisse, eique fidem inter belli discrimina servasse. Ita ibi subscribit egregius ille Princeps, Azzonis celeberrimi Marchionis Estensis Nepos: *Ego Welphus Dux hanc crucem feci, & hunc brevem confirmavi*. Accedit consueta Mathildis subscriptio *Mathilda gratia Dei si quid est*. Conscripta fuit Charta *Anno ab Incarnatione Domini Millesimo Nonagesimo Quinto, Mense Aprili, Indict. Tertia*. Tum Turricinus praetergressus sicco pede intermedium tempus, ad Annum 1138. transit, atque inde exorditur Catalogum, quem infra Lector accipiet.

CHRO-

CHRONICON CREMONENSE

Ab Anno 1096. usque ad Annum 1232.

In nomine Domini nostri Jesu Christi.

Quando Peregrini iverunt Hierusalem, & Antiochiam, currebant MLXXXXVI. In mense Octobris iverunt, & eo tempore fuerunt Cremonæ.

Quando prima Guerra de Crema fuit, MLXXXXVIII. infra Madium.

Quando Cremonenses, Laudenses, & Papienses incenderunt Burgum Derthonæ, MCVII. in Vigilia Sancti Bartholomæi.

Quando bellum Brixianorum fuit, MCX. infra Junium in Vigilia Sancti Himerii. Et in eodem Anno Henricus Rex filius fuit Romæ: propter quod cepit Paschalem.

Quando civitas Laudensium fuit capta, MCXI. in ultima hebdomada Madii quadam die Mercurii.

Quando Cremona fuit incensa, MCXIII. in Festo Sancti Laurentii.

Quando fuit Terræmotus, MCXVI. in Octava Sancti Johannis Evangelistæ horâ vesperarum.

Quando civitas Cremensium fuit capta, MCXVI. in Sancto Alexandro. Et eodem Anno gelavit Padus in mense Decembris.

Quando prima Guerra de Parma fuit, & quod prœlium factum fuit in Glaro, MCXX. prope Sanctum Johannem.

Quando Mediolanenses fecerunt Regem Conradum, MCXXIX. Et eodem Anno inventum fuit Corpus Sancti Himerii in mense Madii.

Quando secunda Guerra de Crema fuit, Ribaldus, & Anselmus Consules fuerunt, MCXXX. in Kalendis Junii. Et eodem Anno Cremonenses iverunt Bussetum, & magna pars eorum perierunt in Pado: & hoc fuit in mense Octobris.

Quando Loterius Rex fuit Cremæ cum Cremona in obsidio fuit MCXXXIII. & per mensem stetit ibi circa Festum omnium Sanctorum.

Quando Pizeleonus fuit constructus, MCXXXII. circa Festum Sancti Michaëlis.

Quando Loterius Rex fuit Romæ, vel in Roncalia, & fecit Leges, MCXXXVI. in Junio. Et eodem Anno cepit Sanctum Bassianum, & Soncinum; & hoc fuit in mense Octobris.

Quando maxima pars Populi Cremonæ fuit capta ad Cremam, MCXXXVIII. quinta die mensis Junii, & ibi fuerunt Mediolanenses.

Quando tempus rugarum fuit MCXCVII.

Quando Cremonenses, & Parmenses ceperunt apud Trobiam MCXLIX. quadam die Dominica de sero.

Quando Mediolanenses fecerunt prœlium cum Cremonensibus apud Castrum novum, & ibi interfecti fuerunt equi, & plures homines, MCL. Et Mediolanenses turpiter dimiserunt Carrotium suum die quinta Mensis Julii.

Quando Cremonenses emerunt Castrum novum à Placentinis, MCLI. in mense Decembris.

Quando Medisiana fuit capta, MCLII. XIII. intrante Julio. Et ibi steterunt Cremonenses per VII. hebdomadas in die Lunæ . . . . . . Anno civitas Strabonæ, quæ capta fuit in mense Augusti.

Quando Derthona fuit capta à Fedricho Imperatore, MCLV. Et in eodem Anno moneta Cremonæ fuit incœpta; & in die Lunæ in mense Novembris, cùm rediret dictus Imperator, incendit Senigam.

Quando tertia Guerra Cremæ fuit, MCLVII. VIII. exeunte Madio: iverunt priùs in Laudesana.

Quando Mediolanenses, & Brixienses ceperunt Rigevallum, MCLVII. XIII. die exeunte Junio. Et eodem tempore reædificata fuit Derthona à Lombardis.

Quando Imperator Fedrichus fecit concordiam cum Brixiensibus, MCLVIII. in mense Julii. Et eodem anno Fedrichus Imperator cum Cremona Mediolanum obsedit, & ibi steterunt per quinque hebdomadas. Et de mense Augusti dictus Imperator Fedrichus fecit concordiam. Et eo tempore cùm rediret, cepit Tretium.

Quando Cremona cum Fedricho Imperatore cepit Cremam, MCLIX. in Conversione Sancti Pauli. Et ibi steterunt per VII. menses. Et eo tempore Regina stabat in Sancto Baziano.

Quando Imperator Fedrichus cepit Mediolanum, MCLXII. in Kalendis Martii die Jovis.

Quando Baptisterium Cremonæ fuit incœptum, MCLXVII. de mense Martii. Et eodem Anno reædificatum fuit Mediolanum à Lombardis die quinto Mensis Aprilis. Et eodem Anno Imperator Fedrichus ivit Romam, & magna pars exercitus ipsius ibi mortua fuit. Et eodem Anno Lombardi fecerunt concordiam insimul Mense Aprilis.

Quando civitas Alexandriæ fuit constructa à Lombardis, MCLXVIII. in Festo Sancti Georgii.

Quando aqua Padi fuit nigra, MCLXXIV. Et eodem Anno Lombardi adduxerunt Fedrichum Imperatorem ad Tignanum. Et eodem Anno mercatum incœptum fuit ad Mosiam.

Quando Imperator Fedrichus fecit pacem cum Lombardis, MCLXXVII. Et in eodem Anno Papa Alexander fecit pacem cum Imperatore. Nam Girardus de Carpenta primus Potestas Cremonæ extitit, qui naturali interitu moriens, apud Ecclesiam majorem in lavello lapideo fuit sepultus in Festo Sancti Domini Anno Domini MCLXXX.

Post

Post illum Manfredus Fantus de filiis Manfredi Mutinensis, gener ipsius Girardi, fuit Potestas electus, qui tempus ipsius Girardi complevit, & per alium annum Potestas fuit. Hic suo tempore castrum Manfredum ædificavit, & illi nomen suum imposuit MCLXXXI.

Post hunc Guazo de Albrigone de Guazonibus, & Girardus de Dovaria Potestates ad duos annos electi fuerunt. Hic Dominus Girardus à quodam suo scutifero cultello fuit occisus. Et tenuit ipse Guazo Potestariam primo anno. Ejus tempore Imperator Fedrichus vênit Cremonam, & gradu ei in platea majori Communis Cremonæ fabricato, magnificè sedit, Anno Domini MCLXXXII.

Sequenti Anno cùm seditio esset inter Guazonem Potestatem, & Curatores, facta fuit reconciliatio per Cancellarium. Item Guazo de Potestate effectus est Consul, & apud eum Albertus Struesius, & Paganus de Medolato, & Otto Amatus, & alii plures facti Consules. De eorum imperio, & de . . . . Imperator contra Cremonenses . . . . . . indignatus est graviter. Eodem tempore Cremonenses totam terram Cremonensium incendio concremaverunt.

Post ipsos fuerunt Consules Otto Cortisius, & Socii. Eodem tempore Imperator Fedrichus in odium Cremonensium Cremam reædificavit, non solùm Cremonensium gentium, sed aliarum etiam frixorium Longobardiæ. Eodem Anno apud Placentiam idem Imperator Cremonenses banno bannivit Imperii MCLXXXIII.

Post id tempus fuerunt Consules. Albertonus Bocadetorculus factus Consul, qui apud se alios Consules XX. numero elegit, scilicet Lanfrancum de Piscarolo, & Ambrosium Obdoynum, & Palpaterram de Acerbo, & alios, quos numerare longum. Eo tempore ipse Imperator obsedit Castrum Manfredum; loca Guastallæ, & Luzariæ Cremonensium abstulit. Unde reconciliatione facta redditum est Castrum Imperatori, quod jussit destrui; & Cremonenses in plenitudinem gratiæ suæ recepit, & ab Imperiali banno relaxavit MCLXXXV.

Post ipsos Albertus de Sale Brixiensis Civis Potestas Cremonæ exstitit per duos annos, qui portas civitatis muro fieri fecit, & pontes ipsarum portarum, & fossata civitatis sgurari fecit, & Parmenses nobiscum associavit. Et eodem tempore regimen civitatum cepit fieri à Kalendis Julii, quod ante fiebat ante Kalendas Januarii. Et eodem tempore Castrum Robechi fuit . . . . MCLXXXVI. Et eodem tempore Saladinus cepit Hierusalem, & Sol obscuratus est à tertia usque ad nonam. Post ipsum Comes Girardus de Camisano Potestas Cremonæ fuit, qui suò tempore Castrum Leonem ædificavit, & loca Placentinorum, scilicet Castrum novum, & Senem, & Casale Albinum in servitio Parmensium cepit, & destruxit MCLXXXVIII. Et in eodem Anno fuit incœpta Buza, quæ in sequenti anno fuit completa, & ivit ultra mare.

Post hunc Gayferus Isembardus Papiensis Civis in civitate Cremonæ Potestas fuit electus, qui suo tempore civitatem, & districtum Cremonensium pacificè gubernavit. Et eodem tempore Fedrichus Imperator ivit ultra mare contra Saladinum, & in itinere mortuus est. Et Buza completa fuit in Cremona, & galêa apud Casale majus MCLXXXIX.

Post ipsum facti sunt Consules Otto de Comite, & Girardus de Summo, & Presbyter Vetulus, & Peratius Manaria, & Otto Orsonus, qui suo tempore campanam grossam de Credentia, & Schelam militum ad equitandum fieri fecerunt; & civitatem Pergamensium nobiscum associaverunt. Eorum tempore Rex Henricus Cremonam primitus vênit, qui eundo Romam Imperiali diademate à Cœlestino Summo Pontifice coronatus fuit. Eodem tempore Constantia Regina Uxor Henrici Regis vênit Cremonam MCLXXXX.

Post hos Ughino de Boxio Mantuanus Civis fuit in Cremona electus Potestas, qui suo tempore duxerunt exercitum magnum in servitium Pergamensium contra Brixienses; & juxta Civitale Castrum Pergami transversum Lolium infortuitum, quod dicitur Mala Mors, nobis contigit; & multi ex Cremonensibus sinè inimicorum præsentia mortui sunt nutu divino; & multi à Brixiensibus capti, quos dictus Imperator Henricus à Roma rediens jussit relaxari, & pax inde facta est. Eodem Anno nobis Imperator Cremam dedit, sicut suo Privilegio bulla aurea munito continetur; & nobiscum Laudem, & Cumam, & Marchionem de Monteferrato, & Papiam, & Pergamum associavit, sicut in publicis continetur instrumentis, MCLXXXXI.

Post ipsum fuerunt Gulielmus de Belloto, & Gubertus de Multis denariis, & Comes Girardus de Camisano, & Rogerius Biacqua. Eodem tempore Pergamenses, Papienses, & Laudenses uno die terras Mediolanensium intraverunt, & loca plura incendio concremaverunt, MCLXXXXII.

Post ipsos fuerunt electi Consules Albertus de Summo, & Paganus de Burgo, & Leonardus de Gavo, & alii. Eorum tempore fuit exercitus ad Laudem, quando Mediolanenses explanaverunt fossatum, quod Laudenses fecerant à Civitate sua usque ad Lambrum; & plura loca Laudensium combusserunt; & plures milites etiam Laudenses in terra Mediolani, in qua intraverant, ceperunt, MCLXXXXIII.

Post ipsos fuerunt electi Consules Rogerius Advocatus, & Carisendus de Geroldis, & alii, quorum tempore inundatio fluminum adeò crevit, quòd omnia aggera dirupta fuerunt. Eodem tempore dictus Imperator in Apuliam vadens Cremonenses & Laudenses captos fecit de carceribus relaxare. Et eodem anno subjugavit Apuliam & Siciliam, MCLXXXXIV.

Post illos fuit Potestas Pocobellus de Rigello Civis Cumanus, qui & ipse naturali interitu moriens, apud majorem Ecclesiam in lavello lapideo est sepultus, MCLXXXXVI.

Post ejus mortem Chalamanus de Geroldis, & Cremosianus Oldoynus, & Girardus de Zanobonis, & Adam de Clerigninis Consules hinc ad novum annum exstiterunt. Et sic reductum est Regnum ad Kalendas Januarii, sicut ante fuerat. Eodem tempore fuit. . . . . Guadi de Albera inter Mediolanenses, & nostros homines proditos, ex quibus capti fuerunt XXXIII. milites, MCLXXXXV.

Post ipsos fuerunt Consules Anzelinus de Burgo, Bajamons de Ottonibus, Mussus de Medolato, & alii plures. Quorum tempore Venerabilis Sichardus Cremonensis Episcopus corpora Sanctorum Himerii & Archelai in archa lapidea ad Ecclesiam majorem consecravit, & festum magnum & gloriosum fuit fa-

factum. Eodem tempore nostri milites, qui capti fuerant ad Guadum Albaræ, præcepto & mandato dicti Imperatoris relaxantur, MCLXXXXVI.

Post illos fuerunt Otto de Comite, Isac de Dovaria, Maltraversus de Dovaria, & alii plures, quorum tempore castrum Rumenonghi. . . . . & Mastalenghi fuit ædificatum, MCLXXXXVII.

Post ipsos fuerunt Consules Johannes Struxius, & Homobonus de Terzo, & Rogerius Biaqua, & Henricus de Surdo, Johannes de Corrado, & alii plures. Quorum tempore Imperator Henricus viam universæ carnis in Apulia arripuit, & apud Palermum ducitur, & sepelitur. Eodem tempore Leccum Murmuræ factum fuit, & Murmura ducta & tracta fuit Cremonæ, & Murmura dicta est, quia homines murmurabant ex ea, nam ad expensas Civium, & forensium Cremonæ facta fuit. Eodem tempore Populares Cremonæ asperitate temporis in ira commoti, Cremosianum Oldoynum in Potestatem elegerunt, qui regimen cum dictis Consulibus usque ad annum novum exercuit, postea per annum Potestariam obtinuit, MCLXXXXVIII.

Cujus Cremosiani Potestariæ tempore Mediolanenses, & Placentini, cum tota sua gente, & amicorum, Burgum Sancti Donini venerunt, volentes eum capere, & Placentinis dare. Ambo occurrerunt Cremonenses, & Papienses suis Carozolis, & tota sua, & amicorum suorum gente, & eos ibi fugaverunt, acri animo semper cum ipsis prœliantes. Eodem Anno in Festo Sancti Michaëlis ipsi Mediolanenses ad Castrum novum (de Bucca Abdua ad) (*) venerunt, & Cremonenses eis occurrerunt (scurinum vel fossatum deletum) se ibi, nec quicquam in horrea reportaverunt. Eodem Anno Sanctus Homobonus in Cremona migravit, MCLXXXXVIIII.

Post hunc electi sunt Potestates Lanfrancus de Rogerio, & Bertramus de Rivola Cives Pergami, qui per duos Annos Potestariam tenuerunt. Quorum tempore Mediolanenses, & Brixienses cum carrotiis, & tota sua parte obsederunt Soncinum per octo dies duas portas; & Cumanos Mediolani relinquentes pro custodia. Quibus obviavimus apud Jovisaltam. Et tunc Papienses apud Roxatum cum Mediolanensibus, & Cumanis, qui civitatem custodiebant, prœliantes, octo milites ex ipsis ceperunt, & captos Papiam duxerunt. Tunc cum exercitu Mediolanenses, qui erant Soncini, eorum relictis ædificiis redierunt. Et tunc Placentinus Populus ad Sanctum Andream, & Bussetum ivit, contra quos Cremonenses euntes, & nullam moram facientes à Jovisalta usque ad Bussetum ipsum Populum Placentiæ ceperunt, & captum Cremonam duxerunt. Eorumdem tempore multa loca Brixiensium cepimus, & incendio concremavimus. Eorumdem tempore apud Quinzanum LXXVII. milites Brixienses de majoribus cepimus de mense Septembris in Festo Sanctorum Cornelii & Cypriani. Transactis verò quatuor diebus Cremonenses equitaverunt in Episcopatu Placentinorum ad castrum, quod Sancti Laurentii dicitur, & ad castrum Arquatum. Incœpto jam bello inter Placentinos, & Parmenses, fugatis Parmensibus & devictis, & multis ex eis captis à Placentinis, una porta Cremonæ, quæ dicitur porta Pertuxii, Placentinos aggressa, eos vicerunt, & recuperantes quos ceperant de Parmensibus, multos ex Placentinis ceperunt, MCC.

Eodem Anno ipsi Milites Brixienses contra Populum suum nobiscum sunt jurati, & concordati. Eodem Anno Mediolanenses ceperunt Oscasale, & destruxerunt eum. Et eodem Anno pugnavimus cum Brixiensibus apud Calcinatum, & ipsos, & Carrotium suum cepimus, & Cremonam venire fecimus. Eorumdem tempore civitas Mantuæ nobiscum est associata. Et eorumdem tempore sequenti Anno in servitio Mantuanorum potentes ivimus contra Veronensium Potestatem ad Marmirolum, qui Veronenses præcepta Cremonensium Potestatum juraverunt. Eorum tempore obsedimus Florenzolam per mensem unum integrum, MCCI.

Post ipsos fuerunt Consules Otto de Comite, & Girardus de Manariis, & Conradus de Summo, & Jacobus de Surdo, & Aymerius Dodonus, quorum tempore tregua facta fuit undique, & capti inde relaxati, MCCII.

Post ipsos Otto de Noxa Pergami Civis Potestas fuit electus, qui fossatum fieri fecit circa Moxiam Presbyteris civitatis in districtu Cremonæ: & inde fossatum Presbyterorum est appellatum, MCCIII.

Post hunc fuerunt Consules Homobonus de Orsolario, & Mareschotus de Burgo, & alii plures. Quorum tempore Francisci, & Venetiani ceperunt Constantinopolim de mense Aprilis in hebdomada Sancta, & die Jovis. Et eodem Anno ultra mille de hominibus Cremonæ iverunt Constantinopolim causâ retinendi terram, MCCIIII.

Post ipsos fuerunt Consules Ponzinus de Amatis, & Nicolaus de Gadio, & Hilarius Hermenzonus, quorum tempore fuit....... MCCV.

Post ipsos Jacobus de Bernardo Bononiæ Civis exstitit Cremonæ Potestas per annum integrum. Hic Palatium Communis ædificavit ante majorem Ecclesiam, MCVI.

Sequenti anno iterum in Potestatem est electus, qui circa sex menses sui novi regiminis naturali interitu vitæ suæ diem clausit extremum, & apud Ecclesiam majorem in lavello lapideo est reclusus, MCCVII.

Huic successerunt Consules Florerius Bochacius Girardus de summo, Oldofredus de Ardenghis, & Albertus de Dovaria, qui regimen fecerunt per alios sex menses, MCCVII.

Post hos Assagitus de Sancto Nazario Papiæ Civis fuit à Cremonensibus electus. Hic suo tempore cepit Pontevicum, & suo tempore perdidit; & pontes supra Lollium fecit, Grimonum, & ad Bonam novam, MCCVIII.

Post hunc fuerunt Consules Baronus de Burgo, Isach de Dovaria, Johannes Amatus, & Ponzinus Ponzonus. Horum tempore illi de Cittanova conjuraverunt simul, quia populares Civitati veteri favebant, & illi maximè viciniæ Sancti Pantaleonis, MCCIX.

Post hunc Matthæus de Corrigia Parmensis Civis electus est Potestas, & illi de Cittanova elegerunt Guilielmum Mastalium; & sic seditio magna facta est inter illos de Civitate nova, & inter illos de Civitate veteri; & civilia bella plura simul fecerunt, tamdem compositione facta per Episcopum Sichardum. Idem

(*) Verba uncinulis inclusa sunt ex recentiori manu.

Idem Guilielmus in publica concione juravit præcepta ipsius Domini Matthæi Potestatis Cremonæ observare, quæ malè observavit. Eo tempore Otto Imperator vênit Cremonam, & fuit magnificè receptus de mense Maji, qui ante in Festo Sancti Michaëlis præterito fuerat Romæ ab Innocentio Summo Pontifice Imperiali diademate coronatus, MCCX.

Post ipsum Gandolfinus de Castello novo Veronensis in Cremona electus Potestas fuit, cujus tempore civile bellum in Cremona supra Basalarium fuit, & fuit in vicinia Sancti Pantaleonis. Quæ pars favebat Cittanovanis, capta & rebus omnibus denudata. Eodem anno fuit Imperator excommunicatus. Fuit, dico, pro eo excommunicatus, quòd intravit in Apuliam ad persequendum, & exhæredandum Fedrichum Regem filium Henrici Imperatoris, cui præter Romam Ecclesiam nullus erat adjutor. Eodem tempore Cremonenses in servitio Marchionis Estensis navigio perrexerunt Ferrariam, & fugaverunt Ugonem de Guarnasio Potestatem Ferrariæ, & pro ipso Ottone Imperatore MCCXI.

Post ipsum fuerunt Leonardus Cappellanus, & Riboldus de Burgo, & Ravaninus de Bellotis, & Bellingerius de Mastalis, & alii electi Consules. Eodem tempore idem Otto ab eodem Innocentio Papa cassatur, & Alemanni admoniti dictum Fedrichum Regem Siciliæ Imperatorem elegerunt. Eodem tempore idem Fedrichus Rex vênit Cremonam; & cùm veniret juxta Lambrum, Mediolanenses contra Papienses, qui eum duxerunt, venientes, centum milites ex ipsis Papiensibus ceperunt. Eodem tempore idem in Alemanniam est ingressus, MCCXII.

Post ipsos fuerunt Consules Lanfrancus de Oldoynis, Guilielmus de Persico, Henricus Advocatus, & alii eodem tempore fuerunt. Eodem etiam tempore campestre prœlium commissum fuit inter Cremonenses ex una parte, & Mediolanenses, Placentinos, Cumanos, Vercellenses, Novarienses, & Alexandrinos juxta Castrum Leonem ultra Serium; & nostri Cremonenses fugaverunt illos, & Carrotium Mediolanensium, & multos milites & pedites ex ipsis ceperunt, quos cum Carrotio ipsorum captos Cremonam duxerunt, MCCXIII.

Post ipsos fuit Potestas Guido de Regiis Reginus Civis, qui suo tempore terras Placentinas multas incendio concremavit, & multas terras Cremonensibus acquisivit, MCCXIV.

Post ipsum fuerunt Consules Chalamanius de Gaydoldis, & Morinus de Bellotis, Niger Marianus, Berterius Mastellus, Redorus de Ardenghis, & Amatus de Cantù, qui suo tempore multas terras Placentinorum concremaverunt, & Castellum novum Placentinorum per decem dies obsederunt. Eodem anno Episcopus Sichardus obiit, MCCXV.

Post hos Comes Henricus de suspirio, sive de Roversella Civis, electus Cremonæ Potestas. Hic suo tempore totas terras Mediolanensium & Cremensium circa Abduam, & totam terram Placentinorum inter montes, & Padum à Placentia inferiùs, incendio concremavit; & Pontevicum cepit, & destruxit; & militiam Placentinorum juxta Montile inter Pontevicum & Placentiam disconfecit, & ex ipsis milites multos captos Cremonam duxit. Ejusdemque tempore Padus gelavit, ita quòd & equites, & homines per glaciem discurrebant ab una ripa ad aliam, & maxima pars vitium gelavit, MCCXVI.

Post ipsum fuit Raimondus de Ugonibus Brixiensis Civis Potestas Cremonæ electus. Hic suo tempore congregato magno exercitu Cremonensium, Parmensium, Reginorum, & Mutinensium, Mediolanenses fugavit, qui venerant in Carrotiis cum Placentinis, Cumanis, Novariensibus, Vercellensibus, & Alexandrinis ad Azavellum juxta Zovenoltam, MCCXVII.

Post hunc Bernardus de Cornazano Parmensis Civis electus fuit Potestas Cremonæ. Hic suo tempore contra Mediolanenses, Placentinos, & Carrotia eorum, & Laudenses, & Papienses, Cumanos, Novarienses, Vercellenses, & Alexandrinos campestre prœlium commisit apud Zibellum, & eos devicit & fugavit, & ex ipsis multos captos Cremonam adduxit. Ejusdemque tempore Otto quondam Imperator apud Brixiam moritur & sepelitur. Eodem anno pax facta est inter Mediolanenses, & Placentinos, & suam partem, & Cremonenses & Parmenses, & suam partem, per Ugonem Ostiensem, & Veletrinum Episcopum Cardinalem Apostolicæ Sedis, qui postea fuit Papa constitutus, & nomine Gregorius Nonus appellatus MCCXVIII.

Post ipsum fuit Paganus de Alberto Egidii Parmensis Civis in Cremona Potestas electus. Qui suo tempore in servitio Reginorum obsedit Gonzagam per decem dies, & aqua Padi apparuit.......... Eodem anno Fedrichus filius quondam Henrici Imperatoris ab Honorio Papa Imperiali diademate coronatus MCCXX.

Post hunc Redulfus de Noxia Pergamensis Civis fuit Potestas Cremonæ electus. Hic suo tempore associavit nobiscum civitatem Placentiæ MCCXXI.

Post ipsum Gozzo Cogionus Pergamensis Civis factus est Potestas Cremonæ. Ipsius tempore terræmotus magnus agitavit Italiam, pro quo turres, & ædificia multa corruerunt; & fuit in Natale Domini circa tertiam, MCCXXII.

Post ipsum fuit Girardus Trinus Parmensis Civis Potestas electus, MCCXXIII.

Post hunc Rolandus de Ugone Rubeo Parmensis Civis est Potestas constitutus in Cremona MCCXXIV.

Post hunc exstiterunt Potestates in Cremona Ossa de Canova, & Ripaldus Canis Papiensis Civis MCCXXV.

Post ipsum Guilielmus de Lodevaria Veronensis Civis fuit electus Potestas Cremonæ. Ipsius tempore Imperator Fedrichus vênit Cremonam. Eodem tempore conjurationes & societates illicitæ conjuraverunt, & conspiraverunt simul contra Imperatorem, & ad ejus colloquium venire contempserunt: pro quo idem Imperator apud Burgum Sancti Donini ipsos Imperiali banno bannivit, & eos crimine læsæ majestatis reos pronuntiavit; & Judices, & Notarios ipsorum cassavit, & Marchias, & capita eorum deposuit, & omnibus legitimis artibus, & jurisdictionibus illos privavit. Eodem Anno reconciliatione facta, Papæ Honorii precibus apud ipsum Imperatorem, idem Imperator omnia relaxavit; & Lombardæ conjurationis milites per duos annos suis expen-

pensis eidem Imperatori ad succursum Terræ Sanctæ dare promiserunt: quod minimè observaverunt, MCCXXVI.

Post ipsum Bernardus de Pio, Mutinensis Civis, Cremonæ exstitit Potestas, MCCXXVII.

Post ipsum Egidius de Domina Agnete, Parmensis Civis, electus in Cremona Potestas. Cujus tempore Cremonenses in servitio Mutinensium hostiliter corruerunt contra Bononienses, qui obsidebant Bazanum Castrum Mutinensium; & Castrum Bononiensium Plumatium nomine ceperunt, & destruxerunt, & terram Bononiæ usque ad flumen Rheni incendio concremaverunt. Et cùm redirent ad Sanctam Mariam circa stratam, cum ipsis Bononiensibus, & Florentinis, & qui cum eis fuerant, nocte prœliantes, ipsos fugaverunt, & multos captos Cremonam duxerunt, MCCXXVIII.

Post ipsum fuerunt Consules electi ad sex menses Jacobus de Burgo, Ugo Agagnola, Otto de Divitiolis, Albricus de Malabottis, & sic reditum fuit regimen ad . . . .

Quæ sequuntur in Codice hujus parvi Chronici, alio charactere descripta sunt. Additane, an ex eodem Autographo desumta, quis divinet? Sic autem se habent.

Post ipsos fuit Ugo Lupus Marchio, Parmensis Civis, in Potestatem Cremonæ electus. Hic suo tempore contra Bononienses, Romagnolos, & Lombardos societatis, & conjurationis, qui Castrum Sancti Cæsarii Mutinensis obsidebant, in campestri prœlio dimicavit, & usque ad civitatem Bononiæ eos fugavit, MCCXXIX.

Post hunc fuit Bernardus Rubeus Parmensis Cremonæ Potestas. Hic suo tempore inchoavit civitatis Cremonæ murorum munimen, incipiendo à Porta Sancti Guilielmi versùs Portam omnium Sanctorum ex eo faciens brachia CCCCXXIII.

Post eum fuit Ferrarius Canis Papiensis Cremonensium electus Potestas. Hic suo tempore Portam Civitatis super semitam, qua itur Papiam, fecit fieri. Ejus tempore Federicus apud Ravennam curtem celebrans solemnem Imperiali diademate se coronavit MCCXXXI.

Postea fuit Guilielmus de Foyano Reginus Civis, cujus tempore seditio magna est orta in civitate Cremonæ, & civile bellum commissum est. Ejus tempore in servitio Bononiensium intravimus; terras Mantuanorum hostiliter & loca plura combussimus; & pontem super Padum cepimus, & destruximus MCCXXXII.

FINIS.

Laterculi Magistratuum Cremonensium ex Codice Turricini.

Anno 1138. Lanfrancus Struzius, Azo Gazus, Obertus de Medolago, Osbertus Odericus, Oddo Sagittaclericus.	Judices, & Potestates regendæ Justitiæ, & faciendæ omnibus Ecclesiis & omnibus hominibus majoribus, & minoribus civitatis, & sui Episcopatus.
1150. Albertus de Dovaria, Frugerius Faber, Guilielmus de Medolago.	Dati Judices à Curia Cremonæ inter D. Obertum Episcopum Cremonensem, & Platenenses.
1157. Egidius de Dovaria, Lanfrancus Struzius, Tintus Muse de gatte, Albertonus Musa de Torculo Arigonus de Guazonibus, Poncius de Giroldis, Pelegrinus de Pozale, Ambroxius Curtus, Marchixius Maritanus.	Consules.
1158. Albertonus Musa de Torculo, Ambroxocus, & Acerbus de Canture,	Consules.
1159. Gilius de Dovaria, Guazo filius Albrigoni, Gabuttus Baldetionus.	Potestates.
1162. Anselmus de Dovaria, Tinctus Comes de Cremona, Pontius de Giroldis, Otto Bruniolus, Bernardus Sicinus, Marchisius Vetulus, Pizius de Burgo, Jachinus de Persico, Otto de Persico.	Consules, quorum mentio fit in duobus diplomatib. Friderici Imperatoris datis primo Laudæ Nonis Martii ejusdem an. 1162. altero extra portas civitatis Papiensis apud S. Salvatorem Idibus Junii præfati anni 1162.
1163. Acerbus de Canture, Albericus Hermenzonus, Osbertus de Dovaria, Albertus Struzius, Angelerius Biagua.	Consules Communis Cremonæ.
1167. Albertonus, Gherardus Curtesius, Patrichellus, Oldofredus de Oldardengo,	Consules Reipublicæ Cremonensis.
1168. Albertonus Bucca de Torclo Clerusbellus de Antedomum Angelerius de Beagna, Wiscardus de Giraldo.	Consules Reipublicæ Cremonensis.
1170. Blancasola Causidicus, Otto de la Pilla, Albericus de Bernardo de Via nova, Girardus Catena.	Consules Justitiæ.
1171. Blancasola, Obertinus Canis.	Priores Curiæ Cremonæ, & Potestates de placito.
1172. Poncius de Giroldis, Lanfrancus de Ossecasale, Riboldus de Pescarolo, Medius Lombardus, Enricus Malanocte, Marchixius Capra, Bernardus de Sazo, Ottobellus de la Pilla.	Consules Communis Cremonæ.
1176. Otto de Casali Morano, Rhedoldus da Medolato, Homobonus Cazius, Malaterra, Ottobellus de la Pilla.	Consules Justitiæ.
1183. Dominus Homobonus de Trizio, Dominus Riboldus de Piscarolo.	Consules Reipublicæ Cremonensis.
1186. Otto de Comite, Otto Cortise.	Consules Communis Cremonæ.
1188. Dominus Ardericus de Salis.	Potestas Communis Cremonæ.
1189. Dominus Comes Gerardus.	Potestas Cremonæ.
1190. Oddo de Comite, Petracius Manaria, Otto de Ablatico Ursonæ, Presbyter de Marchisio Vetulo.	Consules Communis Cremonæ.
Gaiferius Isembardus.	Potestas Cremonæ.
1191. Dominus Ugutio de Boso,	Potestas Cremonæ.
Dominus Lanfrancus Codeca.	Ejus Consiliarius.
Petracius Manaria, Pisina Judex.	Credentierii Cremonæ intersunt conventioni cum Marchione Montisferrati Bonifacio, & Guilielmo ejus filio.
1192. Comes Girardus, Martinus Marianus, Gubertus de Multis denariis, Willielmus de Bellotto, Rugerius Biagua.	Consules Communis Cremonæ.

1193. Paganus de Burgo, Jacopus de Surdo, Turisendus de Giroldis, Rogerius Advocatus, Leonardus de Babbo.) Consules Reipublicæ, & Cõmunis Cremonæ.

1195. Gerardus de Johanne bono, Talamatius de Gaidoldis, Oddo de Medolago.) Consules Cremonæ recipiunt investituram aperto ore, & cum vexillo, & lancea à Domino Henrico Dei gratia Romanorum Imperatore de Crema, & Insula Folcherii. Actum in civitate Cumana.

Albertonus Babo Potestas pro Justitia Cremonæ.) Cognoscens de placito inter Sycardum Episcopũ Cremonæ, & Botinum Sterzam.

* Addendi sunt huic laterculo anni 1195. ex membrana à Turricino citata Consules: Oddo de Comite, Maltraversus de Madalbertis, Isaacus de Dovaria, & Guido Dodonus.

1196. Pontius de Picenis, Angelarius de Burgo, Henricus de Tincto, Oddo de Persico, Bajamons de Ottonibus, Azo de Ursonibus, Mussus de Medolato.) Consules Communis Cremonæ.

1197. Bravus de Avustis.) Consul Justitiæ Cremonæ.

Homobonus de Trezzo.) Pro Justitia Cremonæ.

1202. Warizo de Michara, Oddo de Comite, Jacobus de Surdo, Conradus de Summo, Aymericus Dothonus.) Potestates Cremonæ.

1203. Otto de Vitalibus de Pergamo.) Potestas Cremonæ.

1204. Lanfrancus de Brodolano.) Potestas placiti pro Justitia Cremonæ.

1206. Johannes de Bernardis Bononiensis.) Potestas Cremonæ.

Albericus de Bordellis, Geroldus de Ustiano.) Potestas pro Justitia.

Belottus Tentor, Medius Villanus de Agiurata.) Potestas placiti appellationis.

1207. Petrus Bottus, Orlandus Ponzonus.) Potestates placiti.

1208. Asaytus Sancti Nazarii.) Potestas Cremonæ.

Leonardus de Babo, Guithottus de Yxe, Odo de Comite, Ubertus Malanocte, Ribaldus de Summo, Conradus de Divitiolis, Johannes Amatus.) Assessores & Consiliarii præfati Domini Asayti pro credentia & Communi Cremonæ.

Lanfrancus de Golferamo, Arduinus de Pilla, Obizo de Ronacore, Ubertus de Yxe.) Potestates pro Justitia Cremonæ.

1209. Isachus de Dovaria, Barotius de Burgo, Poncinus Picenus, Johannes Amatus.) Communis Consules Cremonæ.

Oprandus Boccadevetula, Alarius de Ruboldis.) Massarii Majores Communis.

Anselmus Soxa, Guido de Persico.) Potestas pro Justitia.

1210. Rogerius de Judicibus, Guiciardus Riparius.) Ingroxatores Communis Cremonæ consentiunt cuidam Præposito ementi pro Ecclesia fundum profanum à Laico.

1212. Martinus de Nasellis.) Consul Justitiæ portæ Pertuxii.

Henricus de Surdo, Rodulphus de Johannisbonibus, Ugo de Persico.) Ambaxiatores Communis Cremonæ ad Fridericum Regem Romanorum & Siciliæ.

1214. Conradus de Ghiroldis.) Potestas pro Justitia.

1215. Ugo de Mutina, Albertus de Reghinzo.) Potestates pro Justitia.

1217. Raymondus de Ugonibus.) Potestas Communis Cremonæ.

Oddo de Comite, Belengerius Mastalius, Hospinellus de Summo, Gulielmus de Persico, Ægidius de Burgo, Morigus de Bellottis, Ægidius de Bornacho, Leonardus de Capellina, Ægidius Bozius, Armericus Dodonus, Nicolaus de Casalorico, Guido de Orsolario, Ægidius de Oscasalis.) Consiliarii.

Albertus de Dovaria, Ponzo Amatus.) Ambassatores Communis Cremonæ in Verona.

1219. Tecocius de Manigoldo, Otto ejus Judex.) Potestas Cremonæ.

Isachus de Dovara, Amezonus Ponzonus, Albericus de Pescarolo, Ægidius Bozius.) Oratores Cremonæ ad Fridericum Imperatorem.

Raymondus Hermenzonus, Conradus Michaëlis, Guido de Casa nova, Manfredus de Pignole.) Superstantes Communis ad bona.

1225. Ribaldus Canis,) Potestates Communis Cremonæ.
Osa de Canova.) Uterque eodem tempore & semestri.

Albericus de Rovereto.) Judex & Advocatus D. Potestatis.

Bonifacius de Mathelbertis,
Osbertus de Ducia,
Nicolaus Barazius,
Oldofredus de Casamala.) Judex Consultores D. Albrici.

1226. Gulielmus de Lendenaria) Potestas Cremonæ.

Riprandinus Guidonis de Ronco de Verona,
Johannes della Porta de Verona.) Vicarii D. Potestatis.

1236. Gulielmus de Pescaroli,
Johannes de Raboldis.) Consules Justitiæ.

1239. Jacobus de Gariboldis,
Bonifacius de Ferrarinis.) Consules Justitiæ.

1240. Guilielmus Isembardus.) Ex Imperiali gratia Potestas Cremonæ.

Nicolaus de Pescarolo.) Potestas Clausorum.

Ghirardus Rozius.) Potestas de Ardule.

Johannes bellus Cagavetellus,
Gabriel Ferrarius.) Superstantes, & Inquisitores bonorum Communis.

1244. Ægidius de Cornezano,
Gerardus Zuchellus,
Emanuel de Carsallis.) Consules Justitiæ ad Cantonum.

1245. Oliverius de Natalibus,
Ottonus Orsonus,
Johannes de Fettapegora.) Consules Justitiæ.

1247. Ferrarius Canis.) Imperiali gratia, & mandato Potestas Cremonæ.

Guido de Sancta Mustiola,
Are . . . .
Bax . . .) Ejus Judices, & Assessores.

1248. Jacobus Mardensis.) Judex Communis Cremonæ.

1249. Guizardus de Yxe.) Consul Justitiæ.

1250. Guarinus Pazia.) Consul Justitiæ.

1251. Umbertus Marchio Pelavicinus.) Potestas Cremonæ.

Johannes de Vallonga.) Ejus Judex, & Advocatus.

1252. Ubertus Marchio Pelavicinus.) Potestas.

Bergondius de Portalbara.) Ejus Judex.

1253. Ubertus Marchio Pelavicinus.) Potestas.

Bergondius de Portalbara.) Ejus Judex.

Petrus de Oddonibus,
Otto de Orlenis.) Consules Justitiæ.

1254. Ubertus Marchio Pelavicinus.) Potestas.

Julianus de Sesso.) Vice-Potestas.

Simon de Pecorariis,
Ægidius Osbergherius,
Nigrebonus de Bona.) Consules Justitiæ ad placita.

1255. Ægidius de Casali Morano,
Julianus Cavalerius.) Consules Justitiæ ad placita.

1256. Ubertus Marchio Pelavicinus.) Potestas.
Andreas de Azanello Judex ab eo delegatus ad faciendum jus Ecclesiis, & Clericis Cremonæ, & districtus.

Lanfrancus de Benzonis,
Gerardus de Alegris,
Nicolinus de Fraganesco,
Julianus de Zovenolta.) Consules Populi fabricaverunt Palatium Sanctæ Agathæ.

Petrus de Bella,
Ambrosius Octavianus.) Consules Justitiæ.

Homobonus Panevinus,
Jacobus de Stradivertis.) Consules Justitiæ ad Cantonum.

1257. Ubertus Marchio Pelavicinus.) Potestas.

Andreas de Azanello.) Judex ut supra.

Florius de Dovaria Canonicus Cremonensis,
Guiscardus de Yxe.) Sapientes Consultores.

1258. Petrus de Rubeis.) Consul Justitiæ.

1262. Franciscus de Carsallis.) Consul Justitiæ.

1264. Guido Marchio Pelavicinus) Potestas.

Cayata de Benzonibus,
Guido de Oldizonibus.) Ejus Judices, & Assessores.

Rogerius Corsius Judex,
Johannes de Belcapite Laycus.) Sapientes ad consilia.

1266. Bonvesinus de Vida.) Consul Populi Cremonæ nomine Communis.

Gubertus de Multis denariis,
Bernardus de Sancto Vito,
Geroldus de Picenis,
Andreas de Toregnanis.) Consules Justitiæ ad Cantonum.

Joannes de Odonibus,
Guazzo de multis denariis,
Maphæus de Doxino.) Judices.

A

1267. Raynaldus de Scottis.) Poteſtas.

Jacobus de Garivertis ejus Judex, & Aſſeſſor.

1269. Guilielmus Servidei.) Judex ſuper bonis Bandezatorum.

Bentius de Caſali Morano Judex,) Gabriel de Sonzino Laycus.) Sapientes Conſultores.

Jacobus Robba.) Bandezatus Communis Cremonæ.

B

1270. Otolinus Alemanus.) Conſul Juſtitiæ.

Petrus de Odonibus.) Judex.

1271. Matthæus de Corezzo.) Poteſtas.

Græcus de Zobolis.) Ejus Judex.

Nicolaus de Stephanis,) Nicolaus de Caſalorcio.) Judices.) Florentinus de Picenardis Laycus.) Sapientes Conſultores.

C

Maximus de Sancto Marco,) Gabriel de Piſcarolis.) Conſules Juſtitiæ portæ Natalis.

Jacobus Odonus.) Conſul Juſtitiæ portæ Ariberti.

Alarius de Caſamalla.) Conſul Juſtitiæ ad Cantonum portæ Natalis.

1272. Muxius de Riboldis,) Raymondus de Naſis.) Conſules Juſtitiæ portæ Natalis.

Simon Pecorarius.) Conſul Juſtitiæ.

D

1273. Panxera de Arcis.) Poteſtas.

Bonaccurſius de Citadina.) Ejus Judex.

Federicus Taronus,) Guilielmus de Conſanoneriis.) Judices.) Branchinus de Contis Laycus.) Sapientes Conſultores.

Petrus Greppus.) Conſul Juſtitiæ.

Nicola de Guiſcardis.) Conſul Juſtitiæ portæ Ariberti.

E

1274. Albericus de Andito.) Capitaneus Populi Cremonæ.

Guilielmus de Melaviſa.) Conſul Juſtitiæ.

Simon de Pecorariis,) Guazo de Venerino,) Paganus de Quinzana.) Conſules Juſtitiæ Communis.

Bontempus de Caſali,) Conſul Juſtitiæ ad Cantonum portæ S. Laurentii.

1275. Henricus de Confanoneriis.) Poteſtas Cremonæ.

Franciſcus de Sexto.) Ejus Judex.

Antonius de Petaciis.) Poteſtas Clauſorum.

Angelus de Seccaſenis Judex,) Raphaël de Rociis Laycus.) Sapientes Conſultores.

Thomaſius Pinzonus,) Fredericus de Riboldis.) Conſules Juſtitiæ ad Cantonum portæ Pertuſii.

Bentevolius de Bentevolis,) Gabriel Majavacca.) Conſules Juſtitiæ.

1276. Oldratus de Sancto Paulo,) Ægidius de Bagnarolo,) Simoninus de Cavagnatis,) Conſules Juſtitiæ.

1277. Baldoynus de Ugonibus,) Rebuſatus de Rebuſatis.) Capitaneus Populi Cremonæ.

Anzelerius de Stagnatis.) Conſul Juſtitiæ.

Homobonus de Stephanis.) Conſul Juſtitiæ ad Cantonum portæ S. Laurentii.

Amadeus de Birexelis.) Conſul Juſtitiæ portæ Pertuſii.

1278. Rolandus de Adigheriis.) Poteſtas Cremonæ.

Bernardinus de Medicis.) Ejus Judex.

Pedrecinus de Pedecano.) Conſul Juſtitiæ portæ Natalis.

Box de Roncarolo.) Conſul Juſtitiæ portæ Ariberti.

1279. Jacobus Bezanus.) Conſul Juſtitiæ.

Rumaninus de Belaſo,) Jacobus de Capra.) Conſul Juſtitiæ ad Cantonum portæ Pertuſii ultra aquam.

Gubertus Paniſacus.) Conſul Juſtitiæ portæ S. Laurentii.

1280. Bernardinus della Porta.) Capitaneus Populi Cremonæ.

Jaco-

Jacopinus Ambroxii.	Ejus Judex deputatus ad officium Bandezatorum.
Manuel de Carfallis Judex, Franciscus de Pistoribus Laycus.	Sapientes Consultores.
Daniel de Brexanis.	Consul Justitiæ portæ Pertuxii.
Bertolamæus de Venerinis.	Consul Justitiæ Cremonæ.
1281. Jacobus Bezanus.	Consul Justitiæ portæ Natalis.
1283. Guilielmus de Puteo, Albricus de Manno, Julianus de Multisdenariis.	Consules Justitiæ portarum Cremonæ.
Joanninus de Nuptiis.	Consul Justitiæ portæ Ariberti.
Omnebonum de Soncino.	Consul Justitiæ portæ Pertuxii.
1286. Bertolinus de Castello.	Consul Coblarum portæ Ariberti.
1287. Henricus de Mezovillano.	Potestas Cremonæ.
Fredericus de Summaripa,	Capitaneus Populi Cremonæ.
Henricus della Bonvisina, Homobonus de Macagnis, Simon de la Guratella,	Consules Justitiæ.
Joanninus de Corigiis Notarius & Dictator Communis Cremonæ.	
Antoniolus de Saccha,	Consul Justitiæ ad Cantonum portæ Pertuxii.
1288. Antonius de Rogerio,	Potestas Communis Cremonæ ab anno novo 1287. Incarnationis, usque ad Calendas Julias exclusive anni 1288.
Peverinus de Piperariis Judex, Jacominus de Ciria Laycus,	Consules Justitiæ portæ Natalis.
1288. Lottus de Aleis,	Potestas Communis Cremonæ, à Calendis Juliis usque ad annum novum.
Jacobus de Bezanis Judex, Nicolaus de Portinariis Laycus.	Consules Justitiæ.
Gerardinus de Persico, Gabriel de Alghisiis,	Consules ad placita portæ Natalis.
1289. Henricus de Bonvexino	Consul Justitiæ portæ Sancti Januarii.
Ghirardinus de Guefellis, Amadeus de Barisellis.	Judices.

Asenus de Drizonis,	Laycus in porta Natali.
Jacominus de Veneriis Judex, Antoniolus de Galappis.	Consules ad placita portæ Natalis.
1290. Jacobus Bezanus, Anzelerius Zuchellus.	Consules Coblarum ad placita portæ Natalis.
Ægidius de Casali Butano, Ghirardinus Zuchellus, Judices. Bonus de Amidano Laycus,	Sapientes Consultores.
Martinus de Theboldis,	Consul Justitiæ portæ Sancti Laurentii.
1291. Conradus de Circa,	Consul Justitiæ.
1293. Novelinus de Persico,	Consul Justitiæ.
Julianus de Pistore,	Consul Justitiæ Cremonæ portæ Pertusus ad Cantonum.
1295. Thomaxinus de Saxolo,	Potestas Communis Cremonæ.
Guilielmus Gerla ejus Judex & Assessor.	
1296. Xaus de Quinzano,	Consul Justitiæ Cremonæ.
1297. Lafranchinus de Bumbecariis,	Potestas Cremonæ primi semestris.
Amadeus de Cagalanis	Judex.
Brunettus de Brunaldeschis	Potestas Communis Cremonæ secundi semestris.
Braccius de Guinicellis	Capitaneus Populi Cremonæ.
Thomasius de Persico, Guilielmus de Præzanis, Thomasinus de Cignono,	Consules Justitiæ Cremonæ.
1299. Guizardus de Zazis	Potestas Communis Cremonæ.
Petrus ejus Judex ad bancum maleficiorum.	
Robertinus de Framiza	Consul Justitiæ Cremonæ portæ Riberti.
1300. Jacobus de Laqua,	Potestas Cremonæ.
Cabrinus de Trugnano,	Consul Justitiæ Cremonæ portæ Riberti.
1301. Vannus de Azaris,	Potestas Cremonæ.
Franceschinus de Riparolo Judex, Rugerio de Tentoribus Laycus,	Consules Justitiæ.

Jaco-

Jacominus de Benedictis,) Consul Justitiæ portæ Ariberti. A

Corradinus de Virzolo,) Consul Justitiæ portæ Sancti Laurentii.

1302. Guilielmus Sicherius,) Potestas Communis Cremonæ.

Præcivallus de Brayda,) Consul Justitiæ Cremonæ portæ Pertusii.

1303. Arnulphus de Fisiraga,) Potestas Communis Cremonæ.

Adaminus Scalonus, Paxinus de Gadio,) Consules. B

Miravallus de Cervis,) Consul Justitiæ portæ Pertusii.

1304. Garlus de Gorcis,) Potestas Communis Cremonæ.

Maphæus de Pumonte,) Judex Rationis.

Otto Mazonus,) Judex Maleficiorum.

1306. Otto de Canali,) Potestas Communis Cremonæ. C

1307. Landus de Salamdelis,) Potestas Communis Cremonæ.

Federicus de Casamala,) Consul Justitiæ.

1308. Bertanus de Advocatis,) Potestas primi semestris.

Guilielmus de Vicedominis,) Potestas secundi semestris.

Richelmus de Inverardo,) Consul Justitiæ portæ Natalis. D

Nicolaus de Claro,) Consul Justitiæ ad Cantonum portæ Pertusii.

1309. Gratus de Advocatis de Luca,) Potestas Cremonæ.

Hugolinus de Riparolo Judex, Albertus de Gadio Laycus.) Consules.

1310. Petrus de la Valata de Consanoneriis,) Potestas Cremonæ. E

Franceschinus de Ardolis Judex, Pollinus de Sancto Syllo Laycus,) Consules.

Beneventus de Tadinis,) Potestas) Raynerius de Argojosis,) Capitaneus) Communis & Populi Cremonæ.

1311. Ricardus de Tizonibus,) Imperiali potestate Vicarius Communis Cremonæ.

Assinus Judex Domini Vicarii Domini Imperatoris.

Chegius de Cazago,) Capitaneus centum militum ad soldum Communis Cremonæ.

1312. Gerardinus d'Empoli de Robertis,) Potestas Communis Cremonæ.

Zamboninus de Cavignellis Judex, Petrus de Maldoctis Laycus,) Consules Justitiæ.

1314. Bertolinus dellaTurre,) Vicarius Cremonæ pro Regia Majestate.) Guido de Porenzonibus,) Capitaneus Populi pro eadem Regia Majestate.) Regis Roberti Hierusalem & Siciliæ Domini Cremonæ.

Philippus de Alberico Judex,
Nicolinus de Bonis becariis Exequutor Justitiæ.

1317. Albertinus de Canossa,) Potestas Communis Cremonæ.

1318. Mullus de Cropello,) Potestas Communis Cremonæ.

1323. Boracius,) Capitaneus in civitate Cremonæ pro Magnifico Domino Galeaz Domino generali Civitatis.

1325. Rafaynus de Mezaprilis,) Consul Justitiæ Cremonæ.

1328. Boracius Comes de Gangalando,) Vicarius Civitatis Cremonæ pro Domino Imperatore Ludovico Bavaro.

Betinus de Testis, Petrus de Hofredis,) Consules Justitiæ.

Conradinus de Romponesco,) Consul Justitiæ portæ Ariberti.

1330. Guido de Camilla,) Pro Imperiali Majestate Vicarius Civitatis & Episcopatus Cremonæ.

Franceschinus de Sigillariis de Papia, Albertanus de Albertanis,) Ejus Judices in omnibus portis.

1335. Boracius Comes de Gangalando,) Potestas Cremonæ pro Magnifico Domino Azzone Vicecomite.

1336. Guischardus de Grimelo de Lancis.) Potestas Cremonæ pro Magnifico & excelso D. D. Azzone Vicecomite.

FINIS.

BERNARDI THESAURARII
LIBER
DE ACQUISITIONE TERRÆ SANCTÆ

AB ANNO MXCV. USQUE AD ANNUM CIRCITER MCCXXX.
GALLICE SCRIPTUS,

Tum in Latinam Linguam conversus circiter Annum MCCCXX.

A FRATRE FRANCISCO PIPINO
BONONIENSI
ORDINIS PRÆDICATORUM

Nunc primùm prodit ex MSto Codice
BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

IN BERNARDI THESAURARII HISTORIAM DE ACQUISITIONE ET AMISSIONE TERRAE SANCTAE.

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

NOn Historiae solum Ecclesiasticae, sed etiam Seculari illustre semper ac plane magnificum argumentum praebuit celeberrima illa Expeditio Christianorum ad recuperandam sacram Hierosolymorum Urbem exspirante Seculo Christianae Epochae Undecimo facta. Confluxere ad illud bellum tot magnanimi Principes ab Urbano II. in Synodo Claromontano Anno 1095. excitati; accesserunt ad eos tot armatorum hominum millia ardore incredibili ex Occidente in Orientem convolantia, tot etiam egregia ac varia fortitudinis experimenta illic a Christianis data sunt, ut nullam fere Historiam majori cum voluptate, simulque admiratione legere Christiano homini liceat, si sacros Libros excipias. Post receptam Hierosolymam continuata sunt bella, triumphi multiplicati, vario interdum fortunae eventu; ipsique Imperatores ac Reges, & alii immanes exercitus Christianorum, & classes potentissimae per totum Seculum Duodecimum, & potiorem partem sequentis, aut ad occupandas novas Urbes, aut ad tuendas jam occupatas, mirabili aemulatione in Palaestinam, & conterminas aut Asiae aut AEgypti regiones, se contulerunt. Omnia tamdem pessum iere, ubi pro virtutibus vitia ac simultates succrevere. Sed interim miranda illic gesta ignorare quid aliud foret, quam nobilissimam Historicae eruditionis partem negligere? Et multi quidem, magnique nominis Historici jamdiu argumentum hoc diligentissime excoluerunt, literisque commendarunt, plerique synchroni, rerumque etiam gestarum testes, hoc est *Anonymus*, qui *gesta Francorum* scripsit, *Robertus Monachus*, *Baldricus Archiepiscopus Dolensis*, *Raymundus de Agiles*, *Albertus Aquensis*, *Fulcherius Carnotensis*, *Gauterius Cancellarius*, *Guibertus Abbas*, *Jacobus de Vitriaco*, ac omnium fusissime *Guilielmus Tyrensis Archiepiscopus*. Omnes hosce aliosque pauculos, quorum nomina aut ignota sunt, aut memorare nihil attinet, Jacobus Bongarsius Hanoviae Anno 1611. edidit, & hoc dono Literatorum Rempublicam sibi non parum devinxit. Tum Du-Chesnius Anno 1641. in Tomo IV. Scriptorum Francicor. evulgavit *Petri Tudebodi* Hierosolymitanum iter, & *Gilonis Parisiensis* Historiam Gestorum viae Hierosolymitanae, & auctiorem protulit *Fulcherium Carnotensem*. Clarissimus etiam Dacherius Gesta Dei per Francos a supra memorato *Guiberto Abbate Novigenti* descripta recudit, & post eum celebratissimus Mabillonius alteram belli sacri Historiam tenebris ereptam Musaeo suo Italico inseruit. Novissime vero Clarissimi Martene, & Durand, Monachi & ipsi Benedictini e Congregatione Sancti Mauri, in Tomo III. Thesauri novi Anecdotorum ediderunt Gesta Tancredi *Radulpho Cadomensi* Auctore, quae rursus ego intuli in Tomum V. Rer. Italicarum; ac praeterea *Gilonis* supra memorati Librum dederunt nobis emendatiorem, ac longe quam antea ampliorem. Neque desunt Scriptores alii, videlicet Anglici, ac Germani, qui suorum Principum gesta in Oriente literis consignarunt.

Ea autem opinio mihi insedit, exposcere plane consilium meum, atque Italicae gentis Historiam, ut Lectori etiam Italo exhiberem aliquam tantarum rerum descriptionem, sive editam, sive nondum editam. Nam quamvis in Oriente,

te, atque adeo extra Italiae fines, gesta fuerint hujusmodi bella, & quamquam Gallicis, ac Belgicis Populis, atque Principibus tribuenda praecipue videatur sacra illa expeditio, & continuatio militarium successuum; attamen extra omnem controversiam est, Italicam quoque gentem illuc mirum in modum confluxisse, & ex ejus etiam opibus, fortitudine, ac rebus bene gestis processisse cum Hierosolymae felicem expugnationem, tum per tot annos fixam ibi Christianorum dominationem atque potentiam. Certe duo capita belli fuere *Boamundus* atque *Tancredus*, eorumque virtute potissimum Hierosolymitana expeditio prosperos successus habuit; atqui uterque Italiam matrem habuisse videtur, uti in Praefatione ad Tancredum Radulphi supra disserui. *Tanta vero, multitudo militum* (Guiberti Abbatis utor verbis) ad Boamundum ea causa *confluxit*, ut Amalphitana obsidio soluta, & Rogerius Siciliae Comes cum paucis abire coactus fuerit. Quamplurimas ergo copias Italia Boamundo suppeditavit, cujus exercitum *magnum* temporis illius Scriptores appellant; jamque constat, Antiochiae expugnationem consilio ac fortitudini tanti Herois deberi. Audi etiam Fulconem Tomo IV. pag. 890. Scriptor. Francic. Du-Chesnii, ubi enumerat inter peditum equitumque catervas Cruce signatas reliquos Italicae gentis milites,

Quos Athesis pulcher praeterfluit, Eridanusque,
Quos Tyberis, Macra, Vulturnus, Crustumiumque.
Concurrunt Itali, Galli, pariterque Alemanni &c.
Pisani ac Veneti propulsant aequora remis.

Infra idem Scriptor Gallicus Italicas cohortes in Orientem profectus iterum hisce versibus describit:

At trans aërias divisis tractibus Alpes,
Quas diversimode compellant circa habitantes,
Nam Gothias, Grajas, Penninas, Juliadasque
Appellare solent positi propiusque proculque.
Qui Ligures, Itali, Tusci, pariterque Sabini,
Umbri, Lucani, Calabri simul, atque Sabelli,
Aurunci, Volsci, vel qui memorantur Etrusci;
Quaeque etiam gentes sparguntur in Apula rura,
Queis conferre manus visum est in proelia dura,
Sub juga Tancredi, & Boimundi corripuere,
Et contra fidei refugas patria arma tulere.

In ceteris deinde per Orientem bellorum progressibus magna praestitere Veneti, *Genuenses*, *Pisani*, & *Marchiones Montisferrati*. Uno verbo nemo inficietur, quin Italiae quoque in sacro Bello peragendo conficiendoque suae partes fuerint, neque modicae, ac proinde fatendum, hisce quoque Populis suam esse laudem tribuendam.

Itaque circumspicere coepi, quem inter tot Orientalium bellorum Scriptores seligerem, unde integra haberetur tantae rei descriptio; & denique statutum est mihi reliquis praeferre Historicum unum, & quidem nondum editum, quem mihi suppeditavit Estensis Bibliothecae Codex, ante annos fere quadringentos manu exaratus. Is est *Bernardus Thesaurarius*, ceteroquin Auctor ita mihi, & aliis fortasse, ignotus, ut si nomen excipias & officium (hoc enim potius, quam cognomentum *Thesaurarii* voce expressum puto) nihil aliud ferme mihi de eo dicendum supersit. Attamen monebo Scriptorem hunc Gallicae nationi tribuendum, quum Gallico sermone scripserit, & circiter Annum ejus 1320. Librum in Latinam Linguam transtulerit Italicus vir, de quo infra mihi sermo est futurus. In exordio scribit Latinus iste Interpres: *Incipit Historia de acquisitione Terrae Sanctae, quam Auctor hujus Operis transtulit ex Gallico in Latinum*. Sub finem vero ejusdem Operis addit: *Haec de gestis Regis Johannis scripta sunt ex Historia Bernardi Thesaurarii. Qualis autem fuerit exitus, non inveni, vel quod Historiam non complevit, vel quod Codex, unde scripsi, fuit imperfectus*. Alibi vero agit praelaudatus Interpres de seditione orta in Regno Siciliae sub Henrico inter Imperatores Quinto, inter Reges Sexto, atque in fine subdit: *Haec quae dicta sunt de morte Henrici Imperatoris, & Imperii ac Regni dispositione, nec non & promotione Friderici pueri filii ejus ad Imperium, & seditione orta in Regno Siciliae, scribit Bernardus Thesaurarius in Libro acquisitionis & perditionis Terrae Sanctae*. Auctor ergo sacrae hujus Historiae, quam tenebris ereptam nunc primum in lucem educo, fuit *Bernardus Thesaurarius* Gallus; eamque ille, ab Anno 1095. narrationis ordine coepto, perduxit usque ad Annum 1230. Quantum conjectare possumus, circiter ea ipsa tempora, aut paulo serius,

rius, floruisse videtur hic Scriptor, quum non ultra progrediatur illius oratio. Atque ad conjecturam hanc amplius firmandam accedunt ea, quae habet Du-Cangius in Observation. ad Vitam Sancti Ludovici Franciae Regis a Johanne Joinvillaeo scriptam. De Richardo Anglorum Rege loquens Joinvillaeus haec habet: *Tant qu'ils le doubterent si fort, ainsi qu'il est escript au Liure de l'Istoire du veage de la Sainte Terre, que quand les petiz enfans des Sarrazins crioient, leurs meres leur disoient: Taisez-vous, taisez: veez cy le Roy Richart, qui vient vous querir. Et tantoust ilz se taisoint*. Ad ista Du-Cangius Scriptoribus variis Belli sacri memoratis sic disserit: „Ils ont tout obmis cette circonstance rapportee par le Sire de „Joinville, qui l'avoit tirée, ainsi qu'il temoigne en cet endroit, de l'Histoire „des Guerres Saintes, ecrite en Langue vulgaire, qu'j'ay levë manuscrite, qui „rapporte la meme chose, en ces termes. „ *Dont il avint &c. le Rois Richard fu si cremus en la terre, que quant il i avoit une Sarazine, & ses enfés plouroit, ele disoit a son enfant: Taisies vou: pour le Roy Richard: tant estoit cremu: & redoutez, ke li enfés en luissoit son pleurer*. Haec Du-Cangius, vir ex omnigena eruditione celeberrimus, quo teste intelligimus, exstare adhuc Historiam Belli sacri Gallico sermone conscriptam, ejusque Auctorem ante Joinvillaeum vixisse, quum hic eamdem a se lectam fateatur. Adi nunc Cap. CLXXVII. Chronici, quod nunc sum editurus, ibique haec tibi verba occurrent, ubi de Richardo Rege fit sermo: *tantaeque formidini cunctis habitus est Saracenis propter varia ipsius fortia facta, ut etiam flentibus infantibus in ipsis cunabulis matres sive nutrices eorum per Ricardum Anglorum Regem silentium imperarent*. Itaque non immerito opinari mihi posse videor, non aliam me nunc producere Historiam, quum quae a Duchesnio laudatur, ac proinde illius Auctorem Joinvillaeum aetate & scriptis praecessisse.

Animadvertendum tamen est, *Brocardum*, quem alii appellare maluerunt, & fortassis eo invito, *Burchardum*, religiosum virum Argentoratensem ex Ord. Praedic. hoc in Libro non semel commemorari, videlicet Cap. XLIX. & alibi. Reliquit ille descriptam peregrinationem suam in Terram Sanctam, atque uti Vossius, Caveus, & alii tradidere, haec ille scripsit circiter Annum 1283. Laudatur etiam in hoc eodem Libro *Vincentius Belluacensis* Ord. Praed. qui a nonnullis Anno 1264. diem suum obiisse fertur: quae omnia evincere videntur, serius quam antea statuerim, Bernardum Thesaurarium ad haec literis mandanda se contulisse. Attamen nihil inde sententiae meae officitur; nam ut mittam, Brocardum, teste Bzovio, Hierosolymam profectum Anno 1222. longe antea quam vulgo credatur Descriptionem Terrae Sanctae edere potuisse, simulque Belluacensem multo ante obitum suum Historiae suae finem fecisse, ac proinde ex eorum scriptis Bernardo liberum fortasse fuisse proficere: heic monitum Lectorem velim, quaedam ab Interprete Latino intermixta fuisse narrationi Bernardi, ex aliis nempe Libris excerpta. Nonnulla ego satis patentia ex hisce additamentis charactere diverso notavi, uti constabit ex Cap. LXXXVIII. & CLVII. & CLXVI. & CLXXVI. & aliis ex locis. Obsidionem quoque Damiatae, fuse descriptam, aliunde idem Interpres manifeste accepit. Quare conjecturae justissimae locus est, descriptionem quoque nonnullarum Urbium e Brocardo desumtam, aliaque Vincentii verba heic commemorata, ad unum Interpretem esse referenda, qui licentia consarcinatorum usus, narrationi Bernardi aliena interseruit.

Sed age demum exploremus, quis fuerit Interpres iste Latinus. In Estensi Codice nullum ejus nomen. Attamen solicite rimanti, illud denique mihi patuit. Nam quum praeter hoc Opusculum longe plura ad Historiam spectantia congesserit Chronographus iste, quorum partem nondum editam suo loco Collectio nostra exhibebit, ita ille, post multa de Tartarorum gente, denique subdit: *Haec de Tartarorum gestis & consuetudinibus dicta sufficiant, quae adducta sunt ex scriptis Fratris Simonis de Sancto Quintino Ordinis Praedicatorum, & Fratris Johannis de Monte Carpino Ordinis Minorum* (satius tamen fuisset dicere ex una Historia Vincentii Belluacensis) *& Marchi Pauli Veneti, ut supra positum est. At cum in Libello ejusdem Marchi, per Me hujus Operis Actorem de vulgari in Latinum verso, nonnulli contineantur casus tam notabiles, quam mirabiles, hoc in loco non inutiliter inserendos illos statui*. Idem ergo Auctor fuit, qui e Veneta Dialecto in Latinam Linguam transtulit Historiam Marci Pauli (hanc veteres nostri appellare consueverunt *il Milione*) & qui Chronicon *de Acquisitione Terrae Sanctae* Gallice scriptum, & nunc evulgandum, Latio donavit. Atqui ex Tomo II. Navigationum Johannis Baptistae Ramusii, ubi Liber Marci Pauli rursus e Latino in Italicum sermonem conversus legitur,

explo-

exploratum habemus, *Fratrem Franciscum Pipinum Bononiensem Ordinis Praedicatorum* eum fuisse, qui *Anno MCCCXXX.* (rectius scribendum MCCCXX.) Latinam fecit Marci Pauli Historiam, a Majoribus nostris inter fabulas amandatam, sed seculis hisce postremis vera complecti deprehensam. Et quidem servat adhuc Bibliotheca Estensis vetustissimum Codicem MStum, ubi occurrit eadem Historia, cujus Latinus Interpres in Praefatione se se his verbis delineat: *Librum prudentis, honorabilis, ac fidelis viri Domini Marchi Pauli de Venetiis de conditionibus & consuetudinibus Orientalium regionum, ab eo in vulgari fideliter editum & conscriptum, compellor ego Frater Franciscbinus Pipinus de Bononia Ordinis Fratrum Praedicatorum a pluribus Patribus & Dominis meis veridica & fideli translatione de vulgari ad Latinum reducere* &c. Sed & alterum ejusdem Scriptoris foetum in MSto Codice non minoris antiquitatis adservat eadem Bibliotheca Estensis cum hocce titulo: *Ista sunt loca sacrae venerationis, quae ego Frater Franciscus Pipinus de Bononia Ordinis Fratrum Praedicatorum visitavi in mea peregrinatione, quam feci Anno Domini MCCCXX.* &c. videlicet per Palaestinam, AEgyptum, Syriam, & Constantinopolim. Certum ergo habemus Historiae nunc edendae Interpretem *Franciscum Pipinum Bononiensem ex Ordine Praedicatorum*, uti & minime dubium tempus, quo is floruit, nempe Annum 1320. Quid vero Pipinus idem de suo praestiterit in augmentum Italicae Historiae, tunc edisseram, quum Collectioni nostrae adjungam partem Chronici ab ipso concinnati, & luce adhuc carentis.

Ceterum quod est ad Orientalem hanc Historiam, nullus dubito, quin Bernardus Thesaurarius ante oculos habuerit praecedentes Scriptores, qui Belli sacri Historiam literis tradiderunt. Sed praecipue ante ejus oculos obversatus fere semper est Guilielmus Tyri Archiepiscopus, quem & ubi caespitat, sequi non desinit. Auctor est idem Guilielmus (ut uno exemplo utar) Lib. V. Cap. 21. Hemirfeirum, qui Urbem Antiochenam Boamundo Principi prodidit, ut suum votum compleret, ne ab ipso quidem fratre suo jugulando abstinuisse, quod eum a suo consilio alienum, atque adeo obstiturum praesensisset. Rem secus narrant vetustiores, immo synchroni Scriptores, ita ut heic a rumoribus vulgi deceptum suspicari jure liceat Archiepiscopum Tyrium. Attamen fabulam ambabus manibus excepit, & Historiae suae inseruit Bernardus Thesaurarius. Contra auctor est Guilielmus Lib. VII. Hist. Cap. 18. male cessisse experimentum ignis a Clerico quodam factum pro asserenda veritate Lanceae, ut putabatur, sacrae in Antiochena obsidione inventae. Qua in re cum Guilielmo consentit Fulcherius Carnotensis. Bernardus autem noster experimentum factum narrat, sed successum sinistrum dissimulat, immo mirabilem faustumque eventum eidem tribuit. Nihil tamen horum obstat, quo minus suum pretium huic etiam Libro statuendum sit, tum quod primum prodeat, tum etiam quod integram ferme complectatur Orientalium sacrarum expeditionum seriem, & postremas praecipue persequatur, quarum narrationem rarus nobis Scriptor reliquit. Neminem vero hactenus novi, qui eamdem Historiam, ejusque Auctorem memorarit, nisi Chronicon Imperatorum Ricobaldo Ferrariensi attributum, atque a Matthaeo Maria Bojardo in Italicam Linguam ante annos fere CCL. conversum (si tamen adulterinum Opus minime est) mihi fortassis in Collectionem hanc inferendum. Sed antequam manum e tabula tollam, committere nolo, ut diutius lateant, aut pereant aliquot versus ad Hierosolymitanam Historiam spectantes, quos mihi perantiquus Codex membranaceus Bibliothecae Estensis suppeditavit. Leguntur ibi *Gesta Francorum expugnantium Hierusalem*, jam edita Hannoviae a Pithoeo Part. I. pag. 561. Collectionis ejusmodi Scriptorum. In eo Libro apud Pithoeum pag. 593. desiderantur hi versus non contemnendi, quos Estensis Codex mihi ministrat. Erit eruditi Lectoris decernere, quid in iis *Raverna* significet.

Contigit in vestris quiddam, Raverna, diebus,
Unde Deo laudes immensas reddere debes,
Qui dignando tuos elegit Parrochianos,
Quos Hierosolimae Reges dedit & Patriarchas.
Primo Godefridus, Balduinus vero secundus
Ejusdem frater. Post hunc regnavit uterque
Filius Eustachii Comitis, quos nobilis Ida,
Christe, tuae genti feliciter edidit omni.
Primus Evermatus sedit Patriarcha Sepulcri:
Post hunc Arnulfus oriundus uterque Ciores;

Prae-

Praefuit & Templo tuus Archidiaconus ante,
Vir probus & sapiens & religiosus Arardus.
Inde Potestates alii tenuere minores.
Falkenberga suum dedit Hugonem Dominum, qui
Obtinuit totam regionem Tiberiadis.
Par Belramensis fit Princeps Caesariensis
Eustachius miles notus cognomine gentis.
Fulco Gisnensis Urbem tenuit Baruth, in qua
Antistes sedit Balduinus Boloniensis.
Et Castrum quoddam, quod sancti dicitur Abram,
Hugo Rebeccensis tenuit Miles generosus.
Hi Reges, hi Pontifices, Dominique fuere
In Hierosolima, nec non in finibus ejus,
Quos, Raverna, tuus eduxit Pontificatus.



BERNARDI THESAURARII LIBER DE ACQUISITIONE TERRÆ SANCTÆ

Ab Anno 1095. usque ad Annum circiter 1230.

Incipit Historia de acquisitione Terræ Sanctæ, quam Auctor hujus Operis transtulit ex Gallico in Latinum.

CAPUT PRIMUM.

Qualiter Arabum Rex Civitatem Hierusalem evertit, quam etiam subverterat Rex Persarum.



Eraclio Imperatore Christianissimo Romanum Imperium gubernante, qui cœpit Anno humanatæ Divinitatis DCXI. Mahometus Christianæ Fidei perfidus adversator, se Dei Prophetam mentiens Orientales plagas, & maximè Arabiam, suâ perfidiâ labefecit. Legem enim à Diabolo dictam ministerio Sergii Monachi apostatæ ac hæretici tradidit Saracenis Arabicè scriptam. Ipse quidem vir illiteratus fuit, sicut ipse protestatur in Alcorano suo. Sed quæ Sergius dictabat, ipse Mahometus Populo promulgabat, ea per comminationes statuens observari. Fuit enim luxuriosus & bellicosus, ideoque leges im-

A mundas tulit & varias, quas carnaliter viventes in parte voluptatis firmiter observabant. De victo autem & occiso Cosroë Rege Persarum ab ipso Heraclio, delatoque in Hierusalem vivificæ Crucis Ligno, quod Cosroës ipse inde exportaverat in Persidam, Imperator idem Heraclius virum venerabilem re & nomine Modestum Hierosolymitanum instituit Patriarcham, cujus etiam consilio ac dispositione cunctas Ecclesias, quas idem Cosroës dirui fecerat, profusissimis reparavit expensis.

B Interim Haumarus filius Caraph, Arabiæ Principis à Mahometo tertii, patre jubente cum innumerabili gentium multitudine Palæstinam advenit, captaque ibi Civitate, quæ Gaidres dicitur, Damascum festinavit, eamque vi cepit. His Heraclius Imperator eventibus cognitis, & quòd Haumari exercitui non posset obsistere, suorum consilio discessit è Syria. Quo cognito Arabum Rex lætis sibi successibus in tantum elatus est, ut brevi tempore universam Terram ab Heraclio recuperatam subegerit, cedente etiam sibi ad victoriarum successum, quòd præfatus Cosroës Civitates & oppida Provinciæ ferè cuncta

C subverterat, & grandi strage inflicta populis, multos exinde captivos abduxerat. Hierusalem quoque Sanctam Civitatem evertens, triginta tria millia hominum in ea neci tradide-

rat, auferensque Lignum Crucis Dominicæ, Zachariam Hierosolymitanum Patriarcham vinctum cum reliquis captivis in Persidam duxerat. Causa autem, cur tanta immanitate desævit idem Cosroës, hæc fuit. Mauricio siquidem imperante, qui fuit Beati Gregorii Papæ Magni Doctoris amicissimus, cujusque filium idem Gregorius de sacro Fonte levaverat, idem Mauricius filiam suam Mariam nomine eidem Cosroi Regi dedit uxorem; unde multa inter Romanos & Persas, vivente Mauricio, amicitia viguit, & demum Cosroës hortatu conjugis, ac Romanorum contemplatione, baptismum recepit. Tamdem Mauricio Imperatore à Phoca ejus successore dolo occiso, & ipso Phoca à Romanis ad Imperium sublimato, in tantum doluit Cosroës, maximè quòd homicidam sanguinarium, & proditorem domini sui, & soceri ipsius, tanto sublimaverant fastigio, ut ad tam cruentam vindictam in Christianos desævierit, instigante eum quoque conjuge ad patris ulciscendam injuriam. Quosdam autem Christianos in Hierusalem repertos idem Haumarus sub annuo tributo dimisit.

CAP. II.

De reædificatione Templi, & sævitia Barbarorum Ægypti in Christianos.

EOdem igitur Haumaro in Syria principante Templum Domini ex superna providentia, eodem Haumaro mandante, atque impensas procurante, reædificatum est, ostenso sibi loco à Sophonia successore Modesti Patriarcha Hierosolymitano, in quo Templum ipsum fuerat Tito imperante, qui illud evertit. Deputavit insuper custodibus Templi ejusdem reditus opportunos. Nomen insuper suum, tempus, & sumtus reædificationis, aureis literis in parietibus Templi intus & foris Linguâ Arabicâ scribi mandavit. Fluxerant autem Anni à destructione ipsius Templi usque ad hæc tempora reædificationis fermè D. Mansit quoque Hierosolymitana Civitas sub servitute barbarica, peccatis Populi exigentibus, annis continuis CCCCXC. Quo tempore inter Persas & Ægyptios dominii ambitione contigit oriri dissidium, & in quibusdam de Lege eorum sensere diversè. Tunc & Ægyptii regionem eorum exeuntes, Urbes & loca cuncta usque in fines Antiochiæ occuparunt, inter quas fuit Hierosolimitana Civitas. Quibus in ea dominantibus, Heccan ipsorum Caliph sive Dominus, vir crudelis & nequam, variis persequutionibus Christianos afflixit, & Ecclesiam Sancti Sepulcri solo fecit everti. Quantas autem, quàmque graves pressuras & angustias in hac miserabili Barbarorum servitute perpessi fuerint, quàm prolixum esset singula literis recensere! Quod sequitur, exempli gratia est insertum.

CAP. III.

De illo, qui mori voluit pro cæteris Christianis.

ERat in Hierusalem Barbarus nequam, immani odio persequens Christianos. Hic nequitiam hujusmodi egit, ut perderet Christianos. Templum siquidem Domini, quod Haumarus Princeps reædificari mandaverat, tantâ etiam reverentiâ colebatur, tantâque mundiciâ cum Porticu servabatur, ut ipsi in Templo irreverentes capitali afficerentur supplicio. Barbarus igitur Christianorum insidiator nocte quadam canis putridi cadaver in Porticum Templi latenter projecit. Quod dum oculis visitantium Templum manè apparuisset, subitò una vox omnium fuit, Christianos in improperium Arabum hoc tantum commisisse delictum; decretumque est, ut omnes Christiani, qui in Hierusalem erant, deberent absque respectu misericordiæ trucidari. Sed subitò inter Christianos affuit, qui ductus spiritu se exposuit pro omnium morte, accusans semetipsum illud facinus commisisse. Priùs tamen inter majores Populi Christiani testatus est, se ab objectis innoxium, idemque non dubitare de cæteris. Sed ne tanta cæde in Christianum Populum Barbari desævirent, solus ipse morti pro salute omnium exponebat; precatusque est, ut & pro ipsius salute preces ad Dominum funderent, & pauperrimæ prosapiæ suæ ingrati non essent. Captus itaque à Barbaris, capite punitus est, cæteri liberati. Christiani igitur de eorum salute læti, qui inter ipsas mortis fauces fuerant constituti, devotas preces pro defuncto fuderunt ad Dominum, decreveruntque, ut in memoriam rei hujus perpetuam de stirpe hujus geniti olivam annis singulis deferrent in Hierusalem.

CAP. IV.

De recuperatione Basilicæ Sancti Sepulcri.

POst hæc Ægyptiorum Rege Heccan defuncto, sub cujus servitute Christiani erant, successit ei filius Daher nomine. Hic Christianis concessit Sancti Sepulcri Ecclesiam reædificare, quam pater ejus Heccan solo everterat, rogatus super hac reædificatione ab Romano Heliopolitano Imperatore Constantinopolis, cujus etiam Imperatoris successor Constantinus cognomento Monomachus, quod à Græco in Latinum versum eloquium sonat *bellator intrepidus*, multas eleemosynas Christianis transmisit, ejusque subventione munifica reparationem ejusdem Ecclesiæ Anno Christi MXLVIII. compleverunt. Quo tempore in Patriarchatu Hierosolymitano præsidebat Nicephorus. Fluxerant quoque ab eversione ipsius Ecclesiæ Anni XXXI. Pro hujus autem Ecclesiæ defensione, ne iteratò everteretur, perpessi sunt multa gravamina Christiani. Quandocumque enim nova tributa, seu vectigalia à Præsidibus Provinciæ per Caliph Ægyptiorum transmissis, Christianis imponebantur, mandabatur eis, quatenus sub interminatione eversionis Ecclesiæ imposita sibi termino statuto persolverent. Ex quo timore Christiani ad hujusmodi persolvenda tributa labores & sudores varios impendebant; atque in hujusmodi oppressionum anfractibus, nunc scilicet sub Ægyptiorum, nunc sub Persarum crudeli dominio consistebant. Sed longè graviùs Turchorum potentiam persenserunt. Turchi namque Regna Persarum & Ægyptiorum acquirentes, Sanctam Civitatem Hierusalem adeò crudeliter tractarunt, ut Christiani Ægyptiorum & Persarum dominium reputarent libertatem. Sub ipsorum autem Turchorum servitute mansit Hierusalem civitas annis XXXVIII.

XXXVIII. Exigit verò nunc locus, omisso Historiæ ordine, digressionem facere, pauca de Turchorum Regni exordio huic Historiæ inserendo, à quorum manibus Terram Sanctam eripuit cum multo sanguine Populus Christianus.

CAP. V.

De primis Turchorum moribus, & electione primi eorum Regis Selduch.

Turchi, qui & Turchomanni, sedibus incertis vagantes, de Syriæ partibus prodierunt; homines quidem rudes, pecudum more sibi victum quærentes, nec umquam civitates aut oppida incolentes: passim enim agros inhabitabant; unaquæq; Tribus suo Duci obediebat. Omnia eorum suppellectilia secum deferebant. In pecudibus erat omnis eorum possessio divitiarum. In acquirendis urbibus, aut oppidis nullis ipsorum erat animus. Monetam prorsus ignorabant, sed lacte & butyro pro sibi necessariis commutabant. Deficientibus pascuis sedes eorum mutabant, & dominis sedium tributa persolvebant. Contigit autem, ut dum ipsorum pars maxima Persarum terram intrasset, & pascuorum fertilitate multis inibi annis morati essent, in tantam coaluerint gentium multitudinem, ut Persarum Rex eos de Regno suo excludere decerneret, suspicatus quòd res novas contra ipsum moliri attentarent. Cœpit igitur insolitis tributis & novis exactionibus illos vexare, ut proinde Regnum Persarum cogerentur exire. Secus autem rei contigit exitus; nam quum diu Turchi tributorum & exactionum oppressiones tolerassent, tamdem communi inter se assensu deliberaverunt, à solutione desistere. Quod dum Rex Persarum cognovisset, edixit, ut Turchi omnes egrederentur limina Regni. Quod & factum est. Transierunt enim flumen Chobar, quod Persarum fines contermi-nat; & dum in vastam omnes planiciem convenissent, & innumerabilem eorum populositatem conspicerent, libertatis insolitæ novum spiritum induerunt, decreveruntque super se statuere novum Regem. Hunc autem in Regis electione ordinem servaverunt. Descripserunt enim in singulis cedulis Tribuum nomina singularum, ut ex illa Tribu Rex fieret, cujus cedula ex simul congestis sorte primitus appareret. Apparuit itaque cedula Tribus, quæ dicta est Selducois, ex qua etiam centum circumspectiores elegerunt viros, quorum similiter singula nomina in singulis cedulis sunt descripta, ut cujus nomen primum sors dederit, ille super cunctos eligatur in Regem. Sorte igitur educta est cedula, in qua scriptum erat *Selduch*: vir quidem non solùm in stirpe sua, sed inter cæteros præstantissimus. Erat enim facie decorus, corpore procerus, armis strenuus; qui licèt jam esset ætate prope maturus, virum tamen repræsentabat in arduis circumspectum. Qui mox ut in Regem creatus est, cum omni Turchorum Populo reversus in terram Persarum, brevique tempore non solùm Regnum Persarum, sed universam Arabiam, & ceteras Orientis partes suo dominio subjugavit, & intra annorum XL. terminum in tantam elati sunt arrogantiam, ut nativum sibi Turchomannicum cognomen abhorrentes, se se Turchos insti-

A tuerint appellari. Nunc ad Historiæ ordinem redeatur.

CAP. VI.

De bello inter Persas & Græcos.

Contigit præterea ad afflictionum cumulum Populi Christi, quòd eo tempore ex ultimis Orientis partibus egressus est Rex potentissimus Beleth nomine cum innumerabili Persarum & Syriæ gente, infinitisque copiis, & Imperium Constantinopolitanum tanta invasit potentia, ut obvios sibi aut ad deditionem cogeret, aut, relictis omnibus, ad fugæ præsi-
B dium. Quod audiens Constantinopolitanus Imperator nomine Romanus, cognomento Diogenes, Princeps quidem Christianissimus, coadunatis Imperii viribus, se adversùs Barbarum Imperii sui invasorem paravit ad prœlium. Congredientibus igitur simul ambobus exercitibus, Barbaris videlicet pro suæ Legis exaltatione, & Regni augmento, Christianis verò pro Fidei suæ defensione, ac eorum salute, libertateque servanda, tamdem post stragem ingentem, ac cædem mirabilem utrorumque, Græci diffisi viribus, dispersis agminibus hinc inde palantes sive vagantes, terga hostibus præbuerunt. Barbari verò potiti victoria, per-
C acta cæde multos ex Græcis captivos inde secum duxerunt; inter quos etiam Imperator retentus est. Quem Rex Beleth adeò miserabiliter in ipsa captivitate tractavit, ut quoties ascensurus esset de equo, pedem ejus capiti imponebat; similiter & quum descensurus esset ab equo, asserens hoc facere in detestationem Fidei Jesu Christi, & opprobrium Populi Christiani.

CAP. VII.

De prima transfretatione Petri Eremitæ initiatore Passagii generalis.

D Inter hæc piissimus Dominus noster, afflictionem & humilitatem respiciens Terræ Sanctæ, cuidam pauperi & religioso de Regno Franciæ in Episcopatu Ambianensi, vitam eremiticam degenti, qui & Petrus Eremita dicebatur, nepos Episcopi Damiani, inspiravit, quòd Sepulcrum Dominicum & loca religiosa & reverenda visitaturus, cum multo labore & periculo Hierosolymam adiret. Erat autem vir staturæ pusillus, & formæ despicabilis, sed magni cordis, acuti ingenii, profundi sensus, & optimi intellectus, facundique sermonis. Quum igitur ad Portam civitatis Hierusalem venisset, dato aureo nummo pro ingressu janitoribus, qui à Peregrinis recipiebant tribu-
E tum, videns Loca Sancta Hierusalem ab impiis irreverenter tractari, virum etiam venerabilem Simeonem Hierusalem Patriarcham unà cum subditis suis tamquam vile mancipium cum omni abjectione innumeris oppressionibus affligi, sicut erat vir sanctus, & valde compatiens, & super afflictos pia gestans viscera, cœpit vehementer dolere, & secum anxius cogitare, si quo modo subvenire posset afflictis. Collatione tamdem super his multa cum Patriarcha Simeone habita, *Multa quidem*, inquit Patriarcha ipse, *suspiria, lacrymas, & orationes ad Dominum fudimus, sed nostris adhuc delictis merentibus aditum in conspectu* Do-

Domini minimè meruerunt. Fertur autem apud nos, Francigenas devotissimos existere Christianos, unde creditur Domini regnum ipsum longæva pace servare. Qui si nobis Græcorum strage omni subsidio destitutis succurrere decernerent, confidimus in datore bonorum, quòd solitæ libertatis adhuc solatiis frueremur ad laudem cultus divini. His auditis vir Dei Petrus Eremita respondit: *Bone Pater; vera quidem sunt quæ de Francigenarum Populo protulistis. Certissimè autem credo, quòd si Pater Apostolicus, & Occidentales Principes Populi Christiani statum agnoscerent miserandæ servitutis, qua Populus iste opprimitur, ducti compassione spiritus, ei succurrere non tardarent. Operæ pretium igitur foret, ipsi Domno Apostolico, cæterisque Principibus Occidentis, Populi Christiani hanc miserabilem servitutem, & Sacrorum Locorum irreverentiam intimare per scripta, illorumque pia subsidia suppliciter implorare. Ego verò divini contemplatione nominis, ac in animæ meæ remedium, si parvitatem meam in hoc tanto negotio necessariam ac utilem creditis, illam offero vestris jussionibus parituram*. His auditis Patriarcha lætus effectus est. Tamdem Petrus, divina etiam revelatione confortatus, & zelo caritatis succensus, accepta benedictione ab eodem Patriarcha, cum literis ejusdem & aliorum fidelium Hierosolymis commorantium, ad mare descendit.

CAP. VIII.

De regressu Petri Eremitæ, & Concilio Alvernensi.

NAvigans igitur Petrus ipse Eremita, Portum Bari applicuit, & terrestri itinere devênit ad Urbem. Præsentatus itaque Urbano Papæ hujus nominis Secundo, ab eo benignè receptus est. Cui dum cuncta, quæ viderat & audierat Hierosolymis, retulisset, commisit ei Romanus Pontifex, ut ad Regem & Principes Franciæ ea relaturus accederet, promittens se vita comite ad partes illas brevi tempore hoc promoturum negotium accessurum. Petrus itaque Apostolico lætus responso Italiam transcurrens, & Alpes transiens, tam Principes Occidentales, quàm inferiorem Populum sollicitè admonendo & variis exhortationibus, (sicut erat vir prudens & potens in opere & sermone), modico tempore multorum animos ad suscipiendum peregrinationis Hierosolymitanæ laborem inclinavit, Domino cooperante, & legati sui sermonibus copiosam gratiam largiente. Tantam quippe gratiam in labiis ejus diffudit Omnipotens, ut numquam ejus prædicatio fuerit sinè fructu. Non multo autem tempore post, Anno scilicet Dominicæ Incarnationis MXCV. Henrici verò Imperatoris IV. Anno XLIII. Regni ejus, Imperii quoque XII. Philippi hujus nominis......... Henrici filii Francorum Regis......... Urbanus Papa prædictum Petrum sequutus in Gallia, convocato generali Concilio apud Clarum-Montem Alverniæ Civitatem, calamitates & oppressiones Fidelium in Terra Sancta commorantium, & tam Dominicum Sepulcrum, quàm alia Loca Sancta ab immundis canibus profanari & conculcari diligenter exposuit, omnibus, quos Spiritus Sanctus ad ultionem injuriarum Crucifixi, & ad Terræ Sanctæ liberationem inspiraverit, in remissionem omnium peccatorum tam sanctam peregrinationem & placitam injungens. Semen autem Domini verbum in terram bonam & fertilem cecidit; nam multi, qui in eodem sermone præsentes fuerant, signo salutiferæ Crucis humeris suis affixo, se se peregrinationis voto Domino obligarunt.

CAP. IX.

De nominibus Provinciarum & Principum Cruce signatorum.

SEquenti igitur Anno, qui fuit Incarnati Filii Dei MXCVI. Occidentales Populi dolentes, ut dictum est, Loca Sancta Hierosolymorum à Gentilibus profanari, Turchos etiam Christianorum terminos jam multa ex parte invasisse, innumerabiles una inspiratione moti, & multis signis sibi ostensis, alii ab aliis animati, Duces, Comites, Potentes, Nobiles, & ignobiles, divites, pauperes, liberi, & servi, Episcopi, Clerici, Monachi, senes & juvenes, pueri & puellæ, omnes uno animo, nullum ullo auguriante, undique concurrunt ab Hispania, à Provincia, ab Aquitania, à Britannia, à Scotia, ab Anglia, à Northmandia, à Francia, à Lotharingia, à Burgundia, à Germania, à Lombardia, ab Apulia, & aliis Regnis, virtute Fidei & signo Sanctæ Crucis supra dextrum humerum tunc primò signati & armati, ultum ire parant injurias Dei in hostes nominis Christiani. Et quanto quisq; hactenus ad exercendam Mundi malitiam pronior erat, tanto nunc ad exercendam ultro Dei militiam fit promtior, firmissima pace interim usquequaque composita. Et primò Judæos in Urbibus, in quibus erant, aggressi, eos ad credendum in Christo compellunt. Credere nolentes bonis eorum privant, trucidant, urbibus eliminant. Aliqui Judæorum zelo tenendæ patriæ Legis ducti mutuò se trucidant; alii ad tempus se credere simulantes, post ad Judaismum revertuntur. Eminebant autem in hoc Dei exercitu de Regno Franciæ & Alemanniæ Hugo Magnus frater Philippi Franciæ Regis, Robertus Comes Flandrensis, Robertus Dux Northmandiæ filius Guillielmi Angliæ Regis, Stephanus Carnotensis, & Blesensis Comes, Pater quondam Theobaldi Comitis Senioris, Raymundus Comes Tholosanus, Godefridus de Buglono Dux Lotharingiæ, qui fuit postea Rex Hierosolymitanus, Eustachius, & Baldoinus fratres ejus, Baldoinus de Baroch consanguineus eorum: qui ambo Baldoini post Godefridum successivè Regnum ipsum obtinuerunt; Balduinus Comes de Hannonia, Ysoardus Comes Dye, Raymbaldus Comes Auraxiæ, Willelmus Comes Foresii, Stephanus Comes Albemarlæ, Rotrondus Comes Perticensis, Hugo Comes Sancti Pauli, Bojamundus Dux Apuliæ, sive Princeps Tarentinus, filius quondam Roberti Guiscardi Ducis Apuliæ, Tancredus nepos ejus ex sorore: Et cùm ejus multitudo maxima Militum, & Nobilium, inter quos, ut dictum est, præcipui & præeminentiores exstiterunt prænominati; exceptâ Populorum numerosâ catervâ, quæ Petrum Eremitam sequebatur hujus sancti propositi initiatorem mirabilem. Horum omnium curam suscepit vir eximius Haymarus Podiensis Episcopus, qui ejus & consilio & doctrina usque ad captam Antiochiam

chiam plurimùm fuit proficuus. Numquam tot gentes in unam coiere sententiam. Opinionem hominum vincebat numerus, quamvis æstimaretur sexagies centum millia, qui omnes Hierosolymam pergebant. Excessit autem medicina modum, quia plusquam debuit, in quibusdam voluntas eundi Hierosolymam subrepsit. Nam multi etiam Eremitæ, & Reclusi, & Monachi domiciliis suis non satis sapienter relictis, ire viam perrexerunt. Quidam cùm orationis gratia ab hominibus suis acceptâ licentiâ profecti sunt; plures autem fugiendo se subduxerunt. Multi enim de gente plebeja Crucem Christi sibi divinitus innatam jactitando ostendebant. Quod & idem quædam de mulierculis præsumserunt. Alii verò ferrum calidum instar Crucis sibi adhibuerunt, vel peste jactantiæ, vel bonæ voluntatis ostentatione.

CAP. X.

De transfretatoribus sub primis Ducibus Galtero, & Petro Eremita.

Mense igitur Maji Anno Incarnati Verbi MXCVI. Galterus sinè cognomento, vir quidem egregius, milesque acerrimus, peregrinationis hujus iter omnium primus arripuit, quem maxima Populorum caterva cum paucis tamen equitibus sequuta est. Hic transiens Alemanniam, Hungariæ Regnum intravit; quem Calimannus Hungarorum tunc Rex cum suis honoranter excepit. Post hæc Bulgariam veniens, quorum Dux erat Nicita nomine, multa inibi incommoda perpessi sunt. Nam dum Bulgari in Foro venalium victualium se illis exhiberent difficiles, Peregrini ad eorum armenta rapienda concurrunt, unde Bulgari armis arreptis multos ex eis occiderunt. Deinde Constantinopolim accedentes, Imperator sciscitatus eorum causam adventus, comiter illos suscepit, jussitque in suis necessariis provideri. Inter hæc Petrus Eremita copiosam utriusque sexus secum trahens multitudinem, Theutonicorum similiter Regna, scilicet Lotharingiam, Franconiam, Bajuariam, & Austriam transiens, per partes Hungariæ Constantinopolim pervênit. Multa etiam in illa via à gente Bulgarorum passus incommoda, de exercitu suo ferè decem millia amisit in prœlio; currus etiam plaustra usque ad duo millia cum parvulis & mulieribus, ac divitiis multis, variaque suppellectile ab ipsis Bulgaris detenta sunt, & violenter ablata. Ipsi enim Peregrini, qui cum Petro Eremita erant, quum audivissent, quæ Bulgari Galtero viro generoso, & suis irrogaverant, quoddam Oppidum, quod Mala-Villa dicitur, obsederunt; quo per violentiam capto, quatuor millia ex Oppidanis occisa sunt. Urbem quoque Nizi obsidentes, & præhabitâ victoriâ nimis insolenter gloriantes, victi tamdem succubuerunt, ibique stragem prædictam perpessi sunt.

Interim etiam venerunt ad ipsum Petrum Legati ab Imperatore Constantinopolitano Alexio transmissi, dicentes, quòd Peregrini per Constantinopolitanum transeuntes Imperium, multas Imperii fidelibus molestias inferebant. Unde Imperator mandabat, quòd ultra diem tertiam in aliqua Civitatum Imperii nequaquam itinerantes morari deberent, sed

A gressu concito iter suum Constantinopolim maturarent, ibique Imperiali provisione forum competens, & abundantiam rerum venalium invenirent. His auditis Petrus Eremita cum omni gente sua Legatos Constantinopolim sequutus est, ubi cum Galtero castrametatus est. Vocatus autem Petrus ad Imperatoris præsentiam, multa ab eo super cœpto itinere sciscitatus est Imperator, à quo quum rei seriem didicisset, non solùm ex cognitis admiratus est, verùm etiam in stuporem adductus immensum, quòd homunculus talia, tamque ardua erat aggressus, quòd & tam facundè, tamque disertè ad singula respondebat, quapropter & ipsum Petrum Dei virum

B in suam recepit gratiam, eique contulit Imperialia dona. Paucis post hæc commorati ibi diebus, classe parata Imperatoris edicto, mare, quod Brachium Sancti Georgii dicitur, transierunt. Inde Bithyniam pervenientes, primam Asiæ partem, super mare, loco, qui dicitur Civitot, castrametati sunt. Quanta autem & qualia inibi perpessi sunt, prolixitatis evitandæ gratiâ omittitur. Sed ultimò multi ex contemtu & imprudentia corruerunt, nam prœlio durissimo cum Solimanno Nicææ urbis domino congressis facto, eoque Solimanno victore, tanta fuit Peregrinorum strages, ut ex viginti quinque millibus peditum, & quinque millibus equitum, vix tria reperta fuerint

C manus hostium evasisse. Cæteri cæsi aut capti, inter quos corruit eximius vir Galterus jam dictus.

CAP. XI.

De strage Theutonicorum in Hungaria Duce Gondechaus.

Gondechaus autem Petri Eremitæ imitator, qui & sicut Petrus ipse in Franciam, ita in Theutoniam seminaverat hoc tempore verbum Dei, sequutus est etiam ipsum Petrum cum quindecim millibus Theutonicorum. Qui & Hungariam transiens, ibi

D etiam benignè receptus est. Sed quum Theutonici terram fertilem comperissent, & comessationibus vacarent indebitè, ac potationibus debaccharentur, in tantam elati sunt arrogantiam, ut peregrinationis iter in abusum rapinæ converterent, flagellantes mulieres, & homines occidentes. Quibus Rex Hungarorum commotus, collecto exercitu, ad vindictam in Theutonicos aspirans, illos insequutus est, donec in umbilico sui Regni pervenerunt, apud scilicet Oppidum, quod dicitur Bellegrave. His Theutonici cognitis, de Regis gratia ulteriùs diffidentes, ad arma concurrunt. Rex autem effrenatam ipsorum agnoscens audaciam, & quòd ex desperatio-

E ne, ratione situs locorum, in quo erant constituti, timorem omnem in virtutem converterant, suorum usus consilio, nisus est vires ingenio superare. Depositis enim armis, & bellandi arte rejecta, Legatos ad Gondecahum Hungarica fraude transmisit; qui simulata pace sibi & primoribus exercitus sunt in hæc verba loquuti.

Verba Legatorum Hungariæ.

Grandis quidem, ò præclarissimi viri, & horrenda nimis de vobis infamia ad clemen-

mentissimi Regis nostri aures intonuit, quòd vos & legis nobiscum communi professione uniti, & in Christi mancipio constituti, gratuitæ & obsequiosæ hospitalitatis obliti, contra morem gentium, & vestri nominis professionem, non solùm hospites vobis humanissimos extorsionibus aggravatis, sed quod absurdissimum, stupris, adulteriis, & homicidiis probrosè & immaniter pertractatis. Quid enim ampliùs potest hominibus ignominiæ ac sævitiæ irrogari, quàm filias libidinibus submittere, conjuges maculare, & ipsorum trucidare clientulos? Vox omnium una est, his vos infectos criminibus esse, cunctisque Regnicolis discrimini & pavori. Suntne ista hospitalitatis humanæ commercia, peregrinantium officia, & quod majus est, Christianæ Legis observantia mandatorum? Et quamquam ex vobis vulgaris fama nullos excipiat in delictis hujusmodi, crebroque ex hoc Regias aures offendat, non tamen in ambiguo ab eo ponitur, quin multi ex vobis, moribus pollentes & meritis, talia detestentur, & prorsus abhorreant, quæ ipsum nostrum Dominum ad tantam iracundiam provocarunt. Et quia novit injustum esse, ut ex aliquantorum facinoribus tot punirentur insontes, non decrevit ad ultionem hujusmodi super universos bellicam manum extendere. Operæ pretium itaque fore credimus, ut Regis nostri moderatam clementiam attendentes, armis remissis ad ejus misericordiam & gratiam, nullis adjectis conditionibus, supplices & conciti veniatis. Si autem, quod absit, hortationes nostras, immo salutes vestras, decreveritis obaudire, vires quæsumus vestras in vobis ipsis metiamini, qui quum in ejus Regni umbilico sitis constituti, evitare manus ejus durissimum erit vobis. Facto fine dicendi Gondechaus, cæterique primores exercitus enormium execratores, suasionum verba, non Legatorum intentionem, attendentes, Populum hortati sunt, ne de Regia misericordia diffisus fieret, quam suadebant Legati. Et licèt in hoc essent difficiles, tamdem se se Regiæ misericordiæ submiserunt. Sed ipsorum fidam credulitatem Hungarorum fefellit infida crudelitas. Subitò enim Hungari prosilientes ad arma, nulla facta inter noxios & justos discretione, tanta in ipsorum peregrinorum cæde bacchati sunt, ut ipse occisorum cruor torrentem efficeret. Horror erat, tam immanem videre stragem, & pietas, tanta occisorum prostrata corpora intueri. Pauci à cæde liberi infidelitatem Hungarorum sibi obviis nuntiarunt.

CAP. XII.

De peregrinis Duce carentibus ab Hungaris profligatis.

NOn multò post coadunata est multitudo maxima Populorum, qui peregrinationis similis cœpto itinere, Duce carentes multas terrarum incolis injurias irrogabant, in tantam prorumpentes vesaniam, ut omnes Judæos, quos invenire potuerunt, maximè in Colonia, & Magancia, crudeli nece mulctarent. Quumque per Franconiam, & Bavatiam transeuntes ad Hungaros pervenissent, Cives Mesebroch, ne transirent, obices habuerunt. Ipsi verò Nuntios miserunt ad Regem Hungariæ, postulantes transitum sibi concedi. Sed Rex quum agnovisset populosam illorum multitudinem (erant enim ferè ducenta millia peditum, & tria millia equitum) timens in Regno insidias propter stragem, quam Regnicolæ in Theutonicos exercuerant, respondit se nullatenus transitum concessurum. Quod audientes Peregrini, furore concitati iracundiæ, ferro & igni quæcumque citra paludes erant submiserunt. Municipium quoque, quo transitus negabatur, invadentes, dum illico tanta expugnassent virtute, ut jam scalis erectis muros ascenderent (incertum adhuc cur quod sequitur contigerit) statim impetu mirabili de scalis, & pontibus, quas fabricaverant ad ascensum, proruentes inferiùs, in fugam omnes conversi sunt. Hungari verò, qui se se jam in ipsis mortis faucibus opinabantur consistere, ex insperata fuga stupefacti, & causæ ignari, de municipio egressi sunt, & fugientes insequuti. Sequutum est tamdem, ut qui ferè semimortui pavore obsidentium fuerant, victores protriverint. Quod ex demeritis Peregrinorum Deum permisisse opinandum est. Qui verò evaserunt, tristes ad propria sunt reversi.

CAP. XIII.

De processu Ducis Godefridi, & aliorum Principum cum eorum copiis per Hungariam.

GOdefridus post hæc de Buglione, Lotharingiæ Dux, vir præclarissimus, eodem etiam Anno, scilicet incarnati Verbi Dei MXCVI. mense Augusti, cum Balduino fratre ejus, & altero Balduino Flandriæ Comite Sancti Pauli, & item Balduino de Borch, aliisque viris illustribus, pio voto peregrinandi etiam iter arripuit. Veniens itaque in Ducatu Austriæ, hospitatusque in civitate, quæ Tayleborc dicitur, juxta quam labitur flumen Litaus nomine, dividens ab Hungaris Alemanniæ Regionem, audivit, quæ Godechao & suis in Hungariæ Regno contigerant, misitque Legatos ad Regem Hungariæ, qui eumdem Regem in hæc verba alloquuti fuere.

Verba Legatorum Ducis Godefridi ad Hungariæ Regem.

SErenissime Princeps, Vir inclytus Godefridus Lotharingiæ Dux cum cæteris viris illustribus, suæ peregrinationis comitibus nos ad tuæ Majestatis præsentiam hac causa direxit. Famâ siquidem multi mœroris nuntiâ ad eos deferente pervênit, quòd Peregrinos, qui sub Ducatu Godechais eos præcesserant, professione quidem & voto confratres ipsorum & socios, dum essent in meditullio Regni tui, omnis timoris expertes, immo, quod plus est, ad tuæ misericordiæ clementiam supplices venientes, hostilis manus immisericorditer trucidavit. Quod si exigente justitia actum sit, qui nos miserunt, id tolerare disponunt. Si verò ex sola iniquitate processit, decreverunt totis ulcisci viribus injuriam Jesu Christi, pro cujus pretiosi Sanguinis ultione solum patrium reliquerunt. Rex autem his auditis in hæc verba respondit.

Responsio ejusdem Regis.

GRatum siquidem nostro profitemur animo pervenisse, quòd vos viros circumspectos &

& providos, facundo sermone loquentes audivimus. Sed longè gratiùs acceptamus, quòd illos comperimus esse sortitos, quibus nostræ gentis innocentiam opportunè possumus intimare. Notorium siquidem est, & Deus nobis in Cœlo testis, quòd Peregrinorum populos, qui sub Ducatu Petri Eremitæ, & Godechais per Regnum nostrum transitum habuerunt, summa hospitalitate recepimus, nec passi sumus quòd aliquos subirent defectus, pro illius reverentia, qui, ut nos redimeret, Sanguinem suum fudit, & pro cujus effusionis vindicta sperabamus illos peregrinandi propositum assumsisse. Sed quod dolenter dicimus, ipsi non Peregrinorum, sed prædonum more serpentinam imitantes versutiam, dum calefacientem in gremio venenato pungit aculeo, pro beneficiis supplicia nostris Regnicolis irrogarunt. Hi enim, qui cum Petro Eremita transibant in Regni nostri finibus positi exeundo, dum nostram humanitatem deberent extollere, converterunt ad impia manus suas. Oppidum quidem Regni nostri, quod Mala-Villa dicitur, hostiliter ceperunt, & trucidatis oppidanis omnem suppellectilem exportarunt. Qui autem cum Godechai fuerunt, in ipso Regni nostri introitu, prædis, rapinis, stupris, adulteriis, homicidiis, oppressionibusque variis, ac incendiis, & depopulationibus multis sævissimè debaccharunt, ut non Peregrini, sed sævissimi barbari apparerent. Nos autem, qui ex Regia dignitate tenemur commissum nobis Populum, Regnumque, quantum nobis ex alto permissum fuerit, à talibus defensare, tolerare nequivimus tam immanem Regni nostri destructionem & gentis. Sicque ultore gladio enormes curavimus injurias propulsare. Illis autem, qui demum subsequi volebant, ingressum negavimus, præterita abhorrentes. Deus autem, qui verba vindicat, & hominum corda videt, scit nos non mentiri. Quæsumus igitur, ut hanc excusationem nostram justissimam deferatis ad vestros. His dictis Rex Legatos ipsos multa hospitalitate susceptos cum suis etiam Legatis remisit ad Ducem, cui in hæc verba loquuti sunt.

Verba Legatorum Regis Hungariæ ad Ducem Godefridum.

Dominus noster Hungariæ Rex felices tibi, inclyte Dux, optans successus, quum te noverit virum gente illustrem, dignitate sublimem, fide legalem, corde prudentem, viribus strenuum, & copiosa virorum illustrium comitiva vallatum, tuis afficitur beneplacitis, & incumbit honoribus. Quapropter tuam requirit generositatem, ut quem diu mentalibus contemplatus est oculis, te illi corporalibus videre concedas, datum sibi desuper judicans, hoc meruisse donum, quòd felici casu hujusmodi te, tuosque præclaros comites & videre contingat, & obsequi, ut eorum beneplacitis se conformet. Facto fine dicendi Dux Godefridus de consilio Procerum, trecentis comitatus equitibus, apud Ciperon oppidum Regni Hungariæ processit ad Regem; quem quum ingenti lætitia recepisset, & Regali honore tractasset, tamdem sibi & suis aditum per limites Regni concessit, nonnullis tamen retentis obsidibus, qui & post Regni exitum restituti reliquos sunt sequuti. Pacificè igitur Godefridus cum omnibus suis Regnum Hungariæ pertransivit; cui Rex munera Regalia largitus est, & ipse obsides secum ducens, secutus usque ad Regni terminos, ubi valedicendo ab invicem discesserunt.

CAP. XIV.

De transitu ejusdem Godefridi in Græciam, & nequitia ac strage Græcorum.

Post hæc Dux Godefridus Bulgariam intrans, apud civitatem, quæ Belgrave dicitur, castrametatus est. Deinde egressi, Græciam intrarunt, & angusta loca Sancti Basilii transeuntes, in vastam planitiem descenderunt, pascuis fertilem, & victualibus copiosam. Inde procedentes, Philopopolim urbem formosissimam, & fertilissimam devenerunt, in qua Hugo Magnus Regis Franciæ Philippi frater cum multis aliis Proceribus, quos Balivus Durachii pro libito solùm compeditos ad Imperatorem miserat, tenebantur inclusi. Ea autem intentione illos Imperator retinebat, ut si contingeret reliquos Latinorum Principes cum potentia subsequi, condonaret eisdem: alioquin in captivitate persisterent. Cognita verò ipsorum detentione statim Godefridus, cæterique Principes pro ipsorum captivorum liberatione Legatos solemnes ad Alexium Constantinopolitanum, ut dictum est, Imperatorem miserunt. Qui eorum preces omnino respuit: erat enim natione Græcus, vir quidem versutus & subdolus. Qui quum esset in statu privato, prædecessoris sui Nicephori familiarissimus, cognomento Botoniath, à quo & Senescalcus & Imperii Primas effectus fuerat, excogitatâ contra ipsum Dominum suum nequitiâ, captivavit eumdem, & Imperium invadens, jam id sex annis tenuerat. Godefridus autem, reliquique Primates exercitus, cognita ejusdem Imperatoris super captivorum liberatione repulsa, populationi & prædæ partes Imperii, quas occupaverant, submiserunt. Quo compulsus Imperator, & deteriora pertimescens, rogavit per nuntios Godefridum, ut suos ab offensionibus desistere cogeret, relaxare promittens captivos. Quod & factum est; sicque restituti sunt detenti pristinæ libertati. Excogitatâ deinde Imperatoris contra Godefridum & ejus exercitum dolosâ malitiâ, rogavit eos per ipsius nuntios, quatenus juxta Palatium ipsius, quod Blachernia dicitur, hospitaturi venirent. Erant enim ibi plurimæ mansiones in litore maris, quod dicitur Brachium Sancti Georgii; quo in loco statuerat illos includere. Cujus quidem loci laberintheas angustias describunt, qui viderunt, hoc modo: Mare namque Venetorum, quod & Hellespontus dicitur, in Septemtrionem se torquens magnis amfractibus, juxta Græcias & Illyricum septem stringitur stadiorum, quos Xerses ponte navibus facto in Græciam commeavit. Distat autem ab Urbe Constantinopolis triginta millia passuum, habens latitudinis mille passus in parte una, in alia triginta millia. Ibi sunt Urbes antiquissimæ Sexton, & Alydos, quarum una in Asia, altera verò in Europa situm habere dignoscitur. Hoc maris brachium aliud intrat mare, quod juxta Acon Urbem transit, ac in parte latiori gurgitem facit, reliquis tamen gurgitibus mitiorem. Ibi prope sita est Constantinopolis Civitas triangulari figura. Primus angulus positus est inter Portum, & jam dictum maris Brachium,

chium, ibique sita est Ecclesia Beati Georgii, à quo proinde Brachium illud maris cognomen accepit, & protenditur usque ad Blacherniæ Palatium. Alius angulus inchoat ab ipsa Ecclesia, & finit in Portu. Tertius à Portu usque ad Blacherniam tendit. Est igitur civitas valde clausa, foveisque, turribus, & barbacanis, maximè à parte Thraciæ, munitissima. In Portu labitur aqua dulcis, hyemalibus imbribus aucta, per cujus pontem transeuntes Peregrini inclusi fuerunt, intra Mare magnum & Brachium hospitati, reliquos exspectantes. Quumque Dux ad Imperatoris preces transire differret, ejus timens versutias, Imperator iracundia & indignatione motus, exercitui ejus varias molestias & injurias irrogavit. Tamdem Dux ponte munito, succensisque ædibus, in quibus exercitus fuerat hospitatus, pontem cum omnibus pertransivit, & in planiciem vastam perveniens, gravi prœlio cum Græcis invitus conflixit inter Ecclesiam Sanctorum Cosmæ & Damiani, quæ modò Palatium Bojamundi dicitur, & Palatium de Blachernia. Denique multis hinc inde cæsis, quum jam advesperasceret, Græci diffisi fugam capescunt, quos Latini usque in Constantinopolim insequuti sunt, eorum plurimos occidentes. Deinde ad campum reversi victores collectis spoliis sua ibidem castra fixerunt. Non solùm autem per hæc patuit Imperatoris erga Latinos versutia, sed & per literas Principis Bojamundi Apuliæ Ducis, qui ipsius Imperatoris fraudulentas astutias reserabat, rogans, ut ipse Godefridus cum suis apud Andrinopolim, vel Philopopolim hibernaret, nuntians quoque ejus ad eum festinum adventum. Quibus Dux lætus effectus, gratiarum ei debitis actionibus assurrexit.

CAP. XV.

Qualiter Imperator Alexius pacificatus cum Godefrido Duce ipsum in filium adoptat.

IMperator autem Alexius intra domesticos super his tristis & anxius, Ducis animum sibi reconciliare procurat. Depopulabatur enim Imperii sui terras, agnoveratque Bojamundi Principis ad eum nuntios advenisse. Quibus animo valde perculsus, Legatos ad Godefridum transmisit, ipsum ad ejus invitaturos præsentiam, oblaturosque Imperatoris ejusdem filium, Johannem nomine, obsidem se daturum. Quibus Dux annuens, missi sunt Conradus de Monte Acuto, & Balduinus de Borch, oblatum obsidem recepturi. Quo habito, & Balduino fratri Godefridi Ducis in custodiam tradito, Dux ipse cum cæteris Principibus Constantinopolim intraverunt. Imperator autem grandi sed simulata honorificentia illos recepit: in singulorum enim amplexus irruens, scire voluit cunctorum nomina, & omnium habere notitiam, benignoque affamine singulos, ut ad hæc erat industris, alloquutus est. Aulici quoque etiam multa familiaritate tractarunt. Demum in solio residens Imperator hæc verba fecit ad Ducem.

Verba Imperatoris Alexii ad Ducem Godefridum.

AUdivimus in hac Urbe, amantissime Godefride, crebra nostrorum relatione fidelium, quòd vir existis prosapia generosus, potentia sublimis, miles acerrimus, fide præclarus, qui & pro Christi Fide sublimanda contra ipsius hostes certare vovisti. Hæc ad te nos afficiunt merito: hæc nostri cordis pro te intima propulsant, ut dotes tuarum virtutum illustremus sublimioris fastigii dignitate. Decernimus itaque communi Principum nostrorum assensu, te, quo nihil majus conferre possumus, in nostrum filium adoptare, nostrum in tua manu Imperium committentes, ut illud tamquam filius noster benemeritus in statu prospero dirigas, & sub amoris integritate gubernes.

His dictis statim jussit, Godefridum Imperialibus vestibus indutum juxta eum in solio residere, cum ingenti cunctorum lætitia & applausu. Ac per hoc fuerunt pacis inter Græcos & Latinos stabilimenta firmata. Post hæc Imperator Imperialibus thesauris expositis, Duci Godefrido in filium adoptato, ejusque comitibus massas auri, & argenti, lapides pretiosos, pannos sericos, vasa varia specie mirifica, & opere sumtuosa, præsentari mandavit. Nec etiam ob hoc à munerum largitione cessavit, sed singulis hebdomadibus à die festo Epiphaniæ usque ad Ascensionem Domini hypperos aureos, quantos duo viri una vice deferre poterant, & insuper nummorum ex cupro modia decem. Hæc omnia verò Dux inter suos secundùm singulorum merita condivisit. Demum restituto Imperatori filio Johanne, quem obsidem dederat, pacificatis omnibus, Martio mense Anni sequentis, qui fuit Annus Domini MXCVII. classe ab Imperatore parata, & ipso Imperatore volente, Dux Godefridus cum omni suo exercitu, Brachium Sancti Georgii pertransivit. Nolebat enim Imperator, ut omnis exercitus Peregrinorum simul hospitaretur in Urbe Constantinopolitana, volens in hoc sibi adversis casibus præcavere. Intrans autem Dux Godefridus Bithyniam, primam Asiæ partem, apud Calcedoniam Urbem castrametatus est. In hac civitate, ut in Chronicis scribitur, tempore Marciani Ramanorum Imperatoris, & Leonis Papæ, celebratum est Concilium CCCCXXXVI. Prælatorum, in quo fuit Euthyciana hæresis condemnata.

CAP. XVI.

De transitu Bojamundi per Bulgariam, & Legatis Imperatoris Alexii ad eum missis.

BOjamundus inter hæc Roberti Guiscardi Tarentini Principis filius, qui transacta hyeme Adriaticum mare transiens, & apud Durachium veniens, Bulgariæ deserta transivit cum nobili & valida militum comitiva, post hæc in Urbe, quæ vulgò Castorre dicitur, Nativitatis Dominicæ celebratis sollemniis, Pelagoniam Urbem fertilissimam adiit, ibique stativa disposuit. Oppidum quoque, quod ab Urbe non longè distabat, in quo se infideles quidam recluserant, cepit, præda inibi opima potitus, qui in eo erant, gladio trucidatis, oppidoque succenso. Imperator autem Alexius, cognito Bojamundi adventu, quem exosum & suspectum habebat, expavit. Dudum siquidem inter ipsum Imperatorem, & dicti Bojamundi patrem, convaluerant simultates, in quibus ut plurimum deterioris conditio-

ditionis exstiterat Imperator. Verumtamen, ut erat in omni re dissimulator astutus, sub pectore antiquum livoris vulnus contegens, fictâ lætitiâ, solemnes ad Bojamundum Legatos direxit. Qui dum ad eum venissent, talia perorarunt.

Verba Legatorum.

Novit certissimè Constantinopolitanus Serenissimus Imperator Alexius, quòd tu virorum optime, Princeps existis egregius, viri excelsi filius multa generis claritate conspicui. His te igitur illustrem virtutibus reputans, gloriosiùs tamen tui nominis famam extollit, quòd intrepidus Christi miles ejus negotium sic viriliter assumsisti, quod omnium in Christo credentium noscatur esse commune. Constans itaque gerit Imperator noster in corde propositum, tuam prorsus sublimare personam, & experimento probabili tibi ostendere gratiæ suæ dulcedinem, quam ad te sola sua benignitate concepit. Duo à te requirit. Unum est, quòd ad ejus festines præsentiam, recepturus ab ipso tuæ visionis avido magnifica profectuum incrementa. Aliud est, ut gentem tuam cohibeas, ne super terras Imperii manus exerceant violentas. Ipse quidem sic cuncta disposuit, ut tuo advenienti exercitui opportuna non desint. Hæc Legati Bojamundo retulerunt, præsentantes etiam Imperiales Epistolas, effectus eximii indicativas. Sed anguis latebat in herba. Quod Bojamundus advertens, ut erat Princeps in arduis multa circumspectione pollens, qui & Imperatoris etiam infidelitatem sæpiùs expertus fuerat, simulata usus lætitia Legatos honorificentiâ magnâ tractavit, & pro sibi oblatis ad gratiarum actiones debitas assurrexit, misitque nuntios & epistolas ad Imperatorem, artem arte deludens. Legati verò, qui ad eum venerant, concomitabantur eumdem. Contigit autem, ut dum pars exercitus Bojamundi Brachium Sancti Georgii jam transisset, quidam è latibulis prosilientes, aggressi sunt eos, qui nondum transierant. Erant autem, qui prosilierant, numero longè plures. Tunc tumultus ortus est ingens. Tancredus autem Bojamundi nepos, qui jam in medio ferè vadi erat, vir quidem acer, ad talia audax & strenuus, hæc audiens, statim accitis secum duobus millibus militum, concito gradu ad suos reversus est, & facto impetu super aggressores, eos convertit in fugam. Ex quibus multi occisi fuere, multique captivi, qui & ad Bojamundi præsentiam adducti sunt: à quo requisiti, cur hanc proditionem in eum & gentem suam commiserant, à quibus, quum essent Imperatoris subditi, nil suspicabatur adversi: *Verè*, inquiunt, *Imperatoris homines sumus, & ejus stipendiis militantes, nos oportet ejus jussionibus obedire*. Bojamundus hoc audiens, dolos patenter advertit; iram tamen dissimulans, hilarem se ostendit, quod multis Principibus erat molestum, tanto excessu non indignè turbatis.

CAP. XVII.

De adventu Bojamundi ad Imperatorem Alexium, & qualiter fecit ei homagium.

Post hæc Bojamundus Macedoniam transiens, Constantinopolim cum universo

A exercitu suo pervênit. Cui Imperator nuntios misit, attentissimè rogans, ut ad eum veniret in comitiva paucorum. Bojamundus autem perplexus quid eligeret ignorabat. Hinc equidem considerabat Imperatoris potentiam, in cujus se advertebat arbitrio constitutum, unde eum offendere timor incutiebat. Illinc falsitates & deceptiones ejusdem considerans, quas certissimo experimento compererat, illius præsentiam horrescebat. Quumque in hac constitutus ambage, nodum ignoraret dissolvere, Godefridus Lotharingiæ Dux, qui, ut dictum est, apud Calcedoniam præcedens castrametatus erat, advênit. Hanc enim Urbem B à Constantinopoli Brachium Sancti Georgii intersecat. Rogaverat enim Imperator ipsum Ducem Godefridum, ut veniens Bojamundo suggereret, quòd præsentiam ejus adiret. Suspicabatur enim Imperator, ne Bojamundus ad eum venire timeret, nec immeritò quidem. Missus igitur ab Imperatore Dux Godefridus ad Bojamundum, post mutuæ visionis & colloquii gratulationem jucundam, ad Imperatorem ambo pariter accesserunt. Quos Imperator in osculo pacis recipiens, magno eos honore tractavit, tantisque apud eos precibus atque promissionibus institit, quòd Bojamundus Godefridi consilio Imperatori fecit homagium, & fidelitatis exhibuit juramentum, quem Imperator muneribus eximiis honora- C vit. Tancredus verò Bojamundi nepos Imperatorem videre non curans, cum suis Brachium Sancti Georgii trajiciens, in Bithynia prope Calcedoniam cum aliis Principibus, qui jam transierant, posuit castra sua. Ex quo Imperator se turbatum ostendit, simulans illius præsentiam affectare.

CAP. XVIII.

De adventu Flandriæ Comitis ad eumdem Imperatorem.

Robertus inter hæc Flandriæ Comes, qui ante hyemem appulerat Barensem ur- D bem Apuliæ, in qua Corpus Beati Nicolai quiescit, indeque mare transiens, & Durachium veniens, amœno & frugifero loco hibernaverat, dum sequi alios festinaret, in ipso itinere nuntios Imperatoris recepit, requirentes eum, ut cum paucis veniret ad ipsum. Præscius autem eorum, quæ Godefridus & Bojamundus cum ipso Imperatore egerant, vênit ad eum, à quo multo honore receptus, tandem cum cæteris Comitibus eidem Imperatori homagium fecit, & fidelitatem juravit, donis receptis immensis. Post hæc processit ad alios apud Calcedoniam consistentes, qui moram eorum, qui sequebantur, E molestè ferebant.

CAP. XIX.

De adventu Tholosani Comitis ad urbem Constantinopolitanam, ubi erat Imperator.

Non multis post hæc diebus nuntii Tholosani Comitis, & Podiensis Episcopi, Constantinopolim advenerunt, referentes, ipsos Comitem & Episcopum cum multa illustrium comitiva virorum citò venturos. Hi enim Lombardiam intrantes juxta Aquilegiam transie-

transierunt. Deinde in terram Istriæ venientes, Dalmatiam, quæ est inter Hungariam, & Adriaticum mare, provinciam maximam intraverunt. In hac sunt Archiepiscopatus Jadrensis, Ragusiensis, Spaletanus, & Antibarensis. Populi has terras inhabitant natura feroces, sanguinis & prædæ avidi. Ibi sunt montes excelsi, paludes copiosæ, & aquæ profundo cursu rapidissimæ, quæ fertiles reddunt agros: pecudibus abundant. Nonnulli eorum idioma Romanum, alii loquuntur Sclavonicum. Ad hos quum Tholosanus Comes advenisset, duritiâ hyemis multa incommoda perpessus est ejus exercitus. Incolæ quoque Latinorum timore cum eorum suppellectili in montana conscenderant. Quammultos ex imbellibus, qui sequebantur exercitum, occiderunt; unde Comes postmodum hujusmodi homines præcedere jussit exercitum. Ipsi etiam Sclavi & Dalmatæ Latinos locorum ignaros crebriùs offenderunt, prædando & occidendo quamplures. Nonnulli autem capti sunt, quorum manus & pedes mutilari faciens Comes, malè vivos dimisit. Quum autem Comes ipse cum exercitu Durachium pervenisset, Imperator Alexius ejus adventum suspectum habuit. Erat enim Comes Princeps prudentissimus, corde magnanimus, & Nobilium comitiva stipatus. Quapropter misit ad eum Imperator nuntios & epistolas, ut veniret ad civitatem Constantinopolis cum paucis, visurus eumdem. Mandavit etiam per terras Imperii sui, ut exercitui Comitis rerum venalium forum accommodum exhiberent. His Comes lætus effectus, quum penuria angeretur, per nemora & montana transiens, Pelagoniam bonis cunctis refertam applicuit, in qua castra locavit. Ea nocte Podiensis Episcopus, qui tentoria sua paululum longè à castris exercitus posuerat, à nonnullis Pelagoniæ incolis captus est; sed Deo volente, qui illum Populo suo necessarium præservabat, dum captores iter contenderent, audito rumore, qui in castris erant, subitò accurrentes eripuerunt eum de manibus prædatorum. Sequenti die discedentes inde, Salonichum, & Macedoniam peragrarunt: deinde immensis laboribus & multis dietis ad Urbem, quæ Redost dicitur in litore Brachii Sancti Georgii, quæ Urbs distat à Constantinopoli dietis quatuor, ibi etiam Imperatoris nuntii Comiti occurrerunt, iterum eum rogantes, ut cum paucis iret ad eum. Affuerunt etiam & alii nuntii Principum exercituum Latinorum, suadentes, ut Imperatoris votis obtemperaret. His victus Comes, cum paucis comitibus Constantinopolim accessit, ab Imperatore magno honore receptus.

CAP. XX.

De proditione Imperatoris Alexii erga Comitem Tholosanum.

DUm autem idem Tholosanus Comes Constantinopoli moraretur, & Imperator per se & alios multis suasionibus Comitem ipsum inducere niteretur, ut ei, sicut & cæteri, præstaret homagium, & hoc facere Comes negaret expressè, indignatus Imperator jussit armatos equites in abditis ordinari, qui ex insperato super exercitum Comitis impetum facientes, cunctos gladiis trucidarent.

A Sperabat enim Imperator eos, qui ultra Brachium Sancti Georgii castrametati erant, Comitis exercitui non posse succurrere, nec etiam arma levaturos contra gentem suam, quum homines ligii ejus essent. Inhibuerat quoque navium omnium regressum, quibus fuerant evecti Latini. Hæc & alia simultates & dolos Græcorum Imperatoris indicabant, quos hilaritate vultus & donorum collatione munifica contegebat. Nec attendebant in his Francigenæ, quòd etiam antiquis temporibus Romanis & Græcis Francorum fuit suspecta potentia, unde & illud Græcum exstat proverbium: *Francon philon echis, chitona uc echis*, ut scribit Eginardus in Vita Caroli
B Magni. Juxta igitur Imperatoris dolosum & dolorosum mandatum, Græci nocte aggressi sunt exercitum Comitis Tholosani, in quem immaniter desævientes plurimos occiderunt. Clamore itaque & ingenti tumultu inde suborto, agnoverunt exercitus Principes proditionem fore intentatam à Græcis; sicque armis arreptis fugientes suos à fuga revocant, & Græcos proditores cædunt, ac in fugam probrosam convertunt. Mane facto stupefacti animo, & corde timidi Latini, Græcorum proditione, & nocturno prœlio lassati, adeò à peregrinationis cœptæ proposito refrigescere cœperunt, ut nonnulli Nobiles & plebeji regredi vellent ad propria. Sed viri venerabiles
C Podiensis, & Auraxiensis Episcopi, aliique plures Religiosi & Literati viri, gratia cooperante divina, suis monitis & hortationibus à conceptis eos, difficulter tamen, revocarunt. Comes verò Tholosanus, & qui cum eo in Constantinopoli erant, his etiam cognitis, amaricatis cordibus condolentes, significaverunt Imperatori se se fuisse proditos sub hospitalitatis specie, suosque à Græcis occisos. Id etiam cæteris Principibus, qui ultra Brachium Sancti Georgii transierant, nuntiarunt, requirentes & invitantes eos tamquam fratres & socios, quorum suasu ad Imperatorem venerant, quòd ad ulciscendam hujus proditionis injuriam eis deberent assistere. Erat enim
D Comes corde magnanimus injuriarum tenacis memoriæ, proprii quoque capitis in agendis. Imperatorem autem nefandi excessus pœnituit, & accitis ad se Principibus Bojamundo, & Flandriæ Comite, rogavit eos, ut Comitis Tholosani & complicium ejus animos pacificare curarent. Ipsi verò, communis & pii propositi zelatores, qui ex hujus controversiis retardari posse videbant, suâ industriâ inter Imperatorem seu Græcos & Latinos pacem firmarunt. Comes quoque illorum instinctu homagium Imperatori fecit fidelitate jurata. Imperator his ita compositis, sic profusè manus laxavit ad munera, ut obstupescerent intuentes. Comes, sicut & cæteri Principes,
E discedentibus Bojamundo, & Comite Flandriæ ab eo, Imperatorem affectione multa rogavit, ut & ipse Christi negotium assumens, se peregrinantium omnium ductorem ac gubernatorē efficeret. Precibus autem ipsis, à quarum effectu erat Imperatoris animus alienus, verba dedit, prætendens se pro Imperii tuitione tunc esse occupatum in multis. Comes itaque Imperatori vale dicto, Bojamundum & Flandriæ Comitem, qui præcesserant, in Bithyniam est sequutus.

CAP.

CAP. XXI.

De adventu Ducum in Bithynia.

INter hæc Godefridus Dux Lotharingiæ, Bojamundus Tarentini Principis filius, Robertus Comes Flandriæ, Episcopus Podiensis, cæterique Nobiles cum exercitibus suis, qui Brachium Sancti Georgii transierant, apud Calcedonem urbem Bithyniæ castrametati, iter versùs Nicæam Bithyniæ cum omnibus eorum copiis direxerunt, ut ibi venturos reliquos expectarent. Consistentibus autem apud civitatem Nicomediæ Bithyniæ antiquiorem, supervênit Petrus Eremita cum pauca tamen gente. Qui dum suos & suorum casus Principibus retulisset, compatientes illis, multa impenderunt suffragia caritatis. Afficiebantur siquidem ad ipsum Petrum propensiùs, quia sancti propositi initiator exstiterat. Non multò post sequutus est Tholosanus Comes, qui apud Constantinopolim cum Imperatore remanserat. Vênit & Dux Northmannorum Robertus cum multis Proceribus & gente copiosa. Hi hyeme præcedenti in Apulia & Calabria hibernaverant, unoque tempore navigantes, Durachium venerant. Inde Macedoniam, & ambas Thracias magnis sudoribus transeuntes, applicuerant Constantinopolim, & ab Imperatore, sicut & cæteri recepti, factoque homagio, magnisque honorati muneribus, Brachium Sancti Georgii transierant. Quorum adventum multo desiderio exspectatum cum magno reliqui gaudio exceperunt.

CAP. XXII.

De obsidione Nicææ urbis, & prœlio cum Solimanno.

COngregatus est igitur apud Nicæam Bithyniæ, cujus dominium Solimannus obtinebat, omnis exercitus Latinorum, cunctarum scilicet nationum Occidentis, inventique sunt, prout dinumerari & computari potuerunt, in universo sexcenta millia peditum, & centum millia armatorum, qui ad tam sanctum propositum omnes erant unanimes & conformes. Castrametati autem sunt circa civitatem ipsam Anno Incarnationis Dominicæ MXCVIII. Quintodecimo Maji, quo die civitatem ipsam obsidere cœperunt. Consideratione autem situs inexpugnabilis urbis stupefacti sunt Christiani. Est enim excelsis montibus ad instar mœniorum undique vallata, & in medio planities frugum feracissima: nemora ibi densa consistunt. Ab occiduo lacum habet amplissimum, vehendis mercibus frugibusque Urbi accommodum. Fovea lata, profundaque, aquis plena. A parte alia cingitur turribus, mœnisque excelsis vallatur in girum. Habitatores ejus strenui & armis assueti erant. Solimannus autem, qui hujus civitatis principatum tenebat, vir consilio prudens, armisque strenuus, nepos Belfet Persarum Soldani potentissimi atque ditissimi, qui universam terram, quæ dicitur Brachium Sancti Georgii, usque in Syriam longitudinis dierum XXX. occupaverat, cujusque partem majorem ipsi nepoti suo concesserat, audito Latinorum adventu, suas eduxit copias, & in montibus longè ab exercitu Christianorum ad

A decem millia passuum castra fixit. Dubitans autem de civitatis amissione, quam undecumque Latini obsidione arctaverant, lacus parte dumtaxat excepta, (carebant enim navigio) nuntios misit obsessis, significans se velle sequenti die cum Latinis confligere, & quòd tunc portis erumperent, victoriæ suæ particepes effecturus. Sed nuntii à Latinis intercepti sunt, ex quorum relatibus Solimanni tractatus agnoverunt. Orta luce Solimannus dispositis aciebus Latinorum exercitum aggressus est, gravissimèque cum eis confligens per integram horam, tamdem in fugam conversi sunt Turchi, montium petentes cacumina. Cæsi ex eis B fuere quatuor millia; nonnulli capti. Latini de victoria læti, occisorum capita, & ipsos captivos in urbem machinis projecerunt. Mille tamen capita ex eis Romano Diogeni Imperatori Constantinopolim ad victoriæ gaudium transmiserunt, qui quidem Imperator exercitui Latinorum classem magnam direxit, cum qua à lacus parte civitas obsideretur. Hanc classem curribus per septem millia passuum perduxerunt ad lacum sumtibus Imperatoris.

CAP. XXIII.

Deditio urbis Nicææ.

C PErseverante itaque obsidione quum diris & variis diurnisque prœliis, hinc inde cædes, strages, & captivitates subsequutæ forent, muros quoque & turres Urbis machinis & tormentis plurimum impetiissent, & Solimanni conjugem, quæ cum duobus filiis Latinorum aggressibus consternata per lacum à Civitate secedebat, cepissent: tamdem obsessi, fracti longa obsidionis molestia, turbati quoque plurimum de captione conjugis, & filiorum Domini sui Solimanni, Nuntios Principibus Latinorum miserunt, offerrentes sibi, reservatis eorum personis ad vitam, Civitatem contradere. Quod Latini audientes, læ- D ti significaverunt Imperatori Constantinopolis Alexio, oblatam sibi Civitatis deditionem, ad quam recipiendam mitteret suarum gentium copiam. Decreverant enim Civitatem ipsam ejus submittere imperio, & in hoc ipsum Imperatorem cunctis præferre Principibus. Quod & factum est. Tradita siquidem fuit genti suæ Civitas cum omni suppellectili & captivis, & Constantinopolim cuncta perducta. Ex quo inter Latinorum plebejos diu murmur invaluit * silentibus majoribus ab Imperatore magnis honorati muneribus. Capta est igitur deditaque Nicæa urbs MXCVIII. vigesima Junii. Reginam verò Solimanni conjugem cum filiis, quos Latini obsidionis tempore, cepe- E rant, Imperator post modicum restituit Solimanno.

CAP. XXIV.

De secundo prœlio cum Solimanno, & afflictione Latinorum propter æstum & pulverem.

POst hæc Solimannus ipse turbatus valde super deditione Nicææ civitatis, quum Latini inde discedentes jam dierum duorum iter peragrassent, se ad prœlium disposuit contra eos. Habebat autem Solimannus ingen-

tem equitum copiam, qui æstimabantur ducenta millia armatorum. Latini verò quinquaginta millia computabantur in equis armati. Confligentibus itaque atroci prœlio, cæsa sunt ex Latinis peditum & equitum duo millia, ex Turchis tria millia. In eo quoque prœlio Tancredus, & Bojamundus, spectatæ virtutis Principes, strenuè dimicarunt. Tamdem Latini ejus fulti præsidio, cujus sanguinem vindicabant, Turchos quoque pugnacissimos coëgerunt in fugam. Conversi quoque ad prædam thesauri, & camelorum, asinorum, & aliorum animalium, prædam opulentissimam rapuerunt. Prœliati verò sunt ab hora prima usque ad horam nonam. Discedentes inde Latini Bithyniam transierunt. Est autem Bithynia Minoris Asiæ pars, quam Romaniam dicunt. Hanc Turchi jam XL. annis possederant. Hujus Bithiniæ, ut dictum est, tunc Dominus erat Solimannus Soldanus. Abjectis autem arcubus tribus diebus fugerunt Turchi. Soldanus autem apud Persas est, qui apud Romanos hodie Augustus, totius Orientis omnium Saracenorum Rector. Horum autem Turchorum & Persarum Imperium, id ut existimari potest, tamdiu durat, quòd gens illa parum bellicosa, & vivacis sanguinis inops, *semel acceptum dediscere nescit servitium, ignorans*, ut ait Lucanus, *ideo datos, ne quisquam serviat, enses*.

Post hæc terram Persidis intraverunt Latini; gravissima tamen perpessi sunt in ipso itinere æstu Solis, & pulveris incommoda, ita ut ex eis quingenti & ampliùs utriusque sexus miserabundè corruerint. Viri enim præcordiis angustia oris hiantibus spiritus exhalabant; prægnantes immaturo partu enixæ deficiebant. Animalia velut morbida in ipsis itineribus deperibant. Horrendum erat illud intuentibus spectaculum pariter & miserabundum. Sed non multò post in terram fertilem & amœnam non longè à minori Antiochia, quæ Metropolis est Persidis, castrametati sunt, ibique curandis corporibus vacaverunt. Tunc Balduini conjux ex Anglorum illustri stirpe genita, mulier admodum præclarissima moribus, Guture nomine, rebus excessit humanis.

CAP. XXV.

De Civitatibus, quas Princeps Tancredus obtinuit.

Tancredus inter hæc Roberti Guiscardi Ducis Apuliæ nepos, vir magnanimus, consistentibus ibi Latinis, cum comitiva præstabilium equitum Ciliciam intrans, Tharsum applicuit. Habet autem ab Oriente Syriam & Isauriam, à Meridionali parte mare. In ea duæ Metropolitanæ Urbes, Carsidonia, in qua ortus est Paulus Apostolus, alia Anavarze. Tharsum fundavit unus ex filiis Japhet filii Japhet filii Noë, & ductus est fundator ipse Tharsis, licèt scribat Solinus de Mirabilibus Mundi, quòd Perseus ipsum Tharsum ædificavit. Fortè tamen unus ædificavit, alius reparavit. Tancredus hanc Urbem obsedit, & tamdem hoc eam pacto obtinuit. Promissum est enim à Tancredo, urbem servare immunem, nilque innovare usque ad adventum exercitus Latinorum. In hac Civitate tunc dominabantur Turchi, quam Erminii & Græci etiam incolebant. Aliam quoque civitatem Tancredus idem armis obtinuit nomine Mamistre, mœnibus & situ fortissimam, frugum feracissimam, & aëre salubrem, quam Turchi etiam occuparant. Ibi pingui præda potitus est, quam inter socios divisit.

CAP. XXVI.

Qualiter Balduinus Ragensem Urbem obtinuit, & ibi factus est Rex.

Balduinus interea suasu cujusdam Erminii, qui Pancratius dicebatur, assumtis secum MCC. equitibus, multoque Populo, in plagam septemtrionalem profectus, urbes & oppida reperit referta divitiis, frugibusque fertilia. Ibi Christiani degebant sub Turchorum positi servitute; qui audito Balduini adventu, statim se sibi suaque omnia dediderunt; oderant enim Turchos. Fuit autem in brevi Turchis tantæ formidini Balduinus, ut eis fugientibus ipse universam terram usque ad flumen Euphratis breviter possideret. Hinc autem fama factorum Ragenses delectati, ut Turchorum ejus virtute servitutis intolerandæ jugum abjicerent, Legatos ad eum miserunt, rogantes suppliciter, ut copias suas ad eorum Urbem festinanter deduceret. Hæc est civitas dicta Rages, ad quam Tobias filium suum exacturum argentum direxit à Gabelo consanguineo, in quo sibi chirographo tenebatur, à quo puer & argentum habuit, & filiam suscepit uxorem. Hæc etiam Civitas Medorum fuisse legitur. Prædicatione Thaddæi Apostoli fratris Simonis fuit ad Christi fidem conversa, ut testatur in Chronicis Eusebius Cæsariensis, qui & usque ad illa tempora in ea fide permanserant; & eam solam Christiani possidebant, expulsis ab ea infidelibus universis. Turchi tamen Civitatem ipsam eorum potentiâ gravissimis tributis & angariis affligebant, depopulantes eam, quum à solutionibus hujusmodi desistebant Ragenses. Erat autem in Civitate ipsa Princeps quidam natione Græcus, ætate longævus, liberis carens, quem Constantinopolitanus Imperator tempore, quo Civitas ipsa feudalis ejus erat, ibi Ducem transmiserat. Sed quum Turchi regionem ipsam, ut dictum est, occupassent, remanere coactus dominium tenuerat Civitatis. Vir quidem iners, & Domini tantùm umbram gerens. Veniens autem Balduinus ad Urbem, susceptus est cum ingenti lætitia, occurrentibus sibi processione solemni Clericis & Laicis Civitatis. Dux verò ex hac honorificentia turbatus invidiæ spiritu pœnituit pactionum, quæ actæ fuerant eo conscio cum Balduino prædicto, cogitabatque causas confingere, ut eas infringeret. Erant autem hujusmodi. Balduinus enim dimidiam omnium redditutum & proventuum Urbis percepturus erat Duce vivente; sublato verò Duce de medio, erat omnia cum pleno Urbis dominio possessurus. Allegabat igitur Dux, has conventiones Reipublicæ fore damnosas, & in ipsius detrimentum honoris. Quumque novas pactiones decerneret, easque graviter ferens Balduinus vellet Civitate abire, tamdem Cives armis furibundè assumtis, expugnato in arce Duce, sagitta interemtus est. In cujus cadaver cives ipsi vacantes ludibriis, truncato capite per Urbem traxerunt. Sequenti die Balduinum, quamquam renitentem, in Regem elegerunt, &

& præstito sibi fidelitatis juramento, thesauros & munitiones cunctas Urbis & Ducis tradiderunt eidem. Balduch quoque Samosatæ urbis antiquissimæ Princeps, his cognitis, Nuntios ad eum misit, dicens, quòd licèt Urbs ejus munitissima foret, tamen ejus eximia delectatus probitate, offerebat eam sibi, dum tamen sibi persolveret decem mille Bysantios; quod & factum est. Sicque Balduinus ipsarum Civitatum Rex effectus tanta liberalitate enituit, ut à cunctis amaretur, non ut dominus, sed ut pater.

CAP. XXVII.

De obsidione Urbis Antiochiæ à Latinorum exercitu.

GOdefridus interea Lotharingiæ Dux cum reliquo Christianorum exercitu diversa & ardua peragratus itinera, civitatem Marasæ nomine pervênit. Hanc Christiani Latini incolebant & Græci: dominium verò obtinebant Turchi, qui audito Christianorum adventu, clam nocte de Civitate ipsa fugientes, Christianis incolis reliquerunt; à quo exercitus mercatum accomodum habuerunt. Post hæc versùs Antiochiam processit exercitus, Robertus Northmandiæ Dux cum nonnullis nobilibus ipsum præcedebat exercitum, exploraturus itinera. Vênit autem ad pontem supra flumen Tarfax, quod Lingua Gallica dicitur *Lofer*, antiquitus verò dictus est *Orous*. De hoc flumine etiam Hieronymus loquitur. In capitibus pontis hujus de versùs Latinos erant excelsæ fortissimæque turres, armatis munitæ. A parte verò Civitatis septingenti consistebant armati equites. Distabat ab Urbe duodecim millia passuum. Fluvius quoque juxta Civitatem labitur, & Cæsaream urbem præterfluit. Oritur juxta Civitatem ipsam dictam Heliopolim, nunc Maubech, & mare influit fluentis rapacibus, & ipso impetu frigidioribus, salubris auræ temperie Civitati medetur, commeatum navium oppidanis invehens, perseverantiam obsidentium quantolibet tempore deridens. Hoc ponte viriliter oppugnato, victisque & occisis custodibus Turchis, Latinorum exercitus transivit illæsus, & prope Antiochenam Urbem castra confixit. Exigit autem nunc locus, antequam ad alia progrediatur Historiæ series, nonnulla rememorare de præcellentia hujus Urbis, & ejusdem situ mirabili.

CAP. XXVIII.

De excellentia Urbis Antiochiæ.

ANtiochia Urbium nobilissima post Romam, Constantinopolim, & Alexandriam, quarto in loco cunctis per orbem Civitatibus prælata est, ejusque Patriarcha quartum obtinet locum à Sede Romana. Hæc antiquitus dicta est Rablatha, quam octogintaquinque Reges eam constituendo sublimaverunt & nobilitaverunt. Quorum maximus & primus Antiochus, à quo dicta est Antiochia. In hac Nabuchus Babyloniæ Rex Sedeciam Hierusalem Regem captivum adduxit, & in ejus conspectu filios occidens, eum privavit luminibus. Mortuo verò Alexandro Magno, Antiochus, ut dictum est, ex Principibus ejus Urbem ipsam fortitus est partem, eamque muniens, Regnique caput instituens, nomine suo denominavit. Petrus Apostolus in ea Urbe primus fuit, & primus Episcopus annis VII. constituens Ecclesiam domum Theophili viri præcipui. Lucas Evangelista in ea Urbe Actus Apostolorum conscripsit, qui fuit in ea Episcopus ordine VII. Ibi post Domini passionem primum in Christo credentium Concilium celebratum est. Ibi primùm fideles vocati sunt Christiani, priùs dicti Nazaræi, dicti à Nazareth Civitate, quam primùm sua prædicatione Apostolorum Claviger convertit ad fidem; unde dicta fuit *Theopolis*, idest *Dei Civitas*. Urbes viginti nominatissimæ, atque magnæ Antiochiæ subsunt, quarum quatuordecim Metropolitanæ Archiepiscopatibus decorantur: reliquæ sex duos habent Primates, quos Catholicos nominant, quorum unus est in civitate Gallicè dicta *Aniene*, alius in Civitate dicta *Baudas*, & hoc totum Oriens appellatur.

CAP. XXIX.

De situ ejus.

SIta est autem Antiochia in Syria, ejusque provinciæ Metropolis inclyta. Locus ejus amœnus atque salubris. Est ibi vallis amplissima, feracissimos habens agros, fontibus atque rivulis jucundissima. Cingitur autem ab Oriente montanis protendentibus millia passuum XL. In latitudine habet vallis ipsa sex millia passuum, vel paulò minus. Est & lacus ex influentia fontium ortus piscibus copiosis. Ex ipso lacu defluit rivus, qui juxta labitur & influit in Orontem. Est præterea & mons præexcelsus in parte ima Urbem concludens, in quo Civitates agris fertiles & aquis abundantes. Dictus est autem mons ille Orons, ficut & fluvius, ut testatur Hieronymus; cujus montis pars usque ad mare protendit, estque ibi excelsus nimis; ideoque & inde suum sortitur nomen, quod est Gallicè *plier*. Quidam autumantur, quòd sit mons Parnassus, de quo legitur in scripturis; eo quòd foris in pede ejus oritur, quod Gallicè dicitur *l'esciele Bojamunt*. Sed à vero discrepant. Est enim Parnassus in Thessalia regione. Est & alius mons à Septentrione Niger vocatus, abundans nemoribus, pascuis, rivis, & fontibus, qui antiquitus fuit Sanctorum Patrum mansio eremum inhabitantium. Per vallem jam dictam Orontis flumen in mare decurrit. Est præterea Urbs ipsa mœnibus tuta valde; nam à monte Meridiano usque in flumen Orontem mœnia ipsa protenduntur. Sunt autem muri geminati ab invicem latè distantes, quorum eminentior quadris lapidibus compactus, turres CCCL. inexpugnabiles, & venustas continet. Inter muros est vallis profunda, & angusta valde, in qua rivus fluentis rapacibus Civitatem influens, fertiles etiam agros reddit. Intra Civitatem sunt quatuor montaneæ satìs altæ, in quarum sublimiori est castellum præeminens Urbi, quæ & deorsum residet. Fontes in ea plurimi: sed omnium præstantior fons, qui dicitur Sancti Pauli à Porta Orientali. Ab occiduo labitur Orons juxta Civitatem, supra quem pons situs est lapideus, supra jam dictis muris & Portæ Urbis contiguus, trium millium

lium ferè passuum in longum protensus. Quinque Portis clauditur Civitas in sua planicie: ab Oriente Porta, quæ dicitur Sancti Pauli in montis descensu. Ab Occidente in urbis longitudine Porta Sancti Georgii. A Septentrionis parte Porta Canis, habens ante se Pontem, quo tenditur ad paludes. Porta Ducis, inde distans passibus mille. Porta Pontis ab Orontis ponte sic dicta.

CAP. XXX.

De dispositione castrorum in obsidione Antiochiæ.

CAssianus autem tunc in ea Urbe principabatur, qui fuerat de familia Belset Soldani Persarum. Hic quidem Belphet quum Syriam acquisivisset, Urbem hanc & alias Civitates & oppida provinciæ inter nepotes & familiares distribuit. Solimanno quidem nepoti suo concessit Nicæam urbem Bithyniæ. Ducaro etiam nepoti Damascum tradidit, aliosque vocavit Soldanos. Servo suo Afongur nomen dedit Aleph inclytam Civitatem. Cassiano jam memorato contulit Antiochiæ principatum. Caliph quoque Ægyptiorum usque ad Syriæ limites occupabat. Audiens igitur Cassianus adventum tanti exercitus Latinorum, expavit, statimque nuntiis & epistolis Principum totius Orientis, maximè Caliphi Baldach, & Soldani Persarum potentissimi, quibus loquutus est, subsidia imploravit. Quibus præmissis Urbem Antiochenam omnibus copiis communivit, ne obsidione cedere cogeretur. Habuit autem intra Civitatem, exceptis peditibus, septem millia equitum armatorum. Cœpta est itaque obsideri Civitas à Latinis XVIII. Octobris Anni supradicti, erantque in eorum exercitu quatuor centum millia armatorum. Stupor autem erat intuentibus tantas videre copias, tantos audire clangores. Bojamundus cum suis castrametatus est ante Portam superiorem, quæ dicitur Sancti Pauli. Cui adhæserunt deorsum Robertus Dux Northmandiæ, Robertus Comes Flandriæ, Stephanus Comes Blesensis, & Hugo Magnus Regis Franciæ Frater, cum quibus & Britones aderant. Ante Portam Canis castra fixerunt Raymundus Comes Tholosanus, Episcopus Podiensis cum omnibus suis, nec non & Provincialibus, Wasconibus, & Burgundis. Ante Portam Ducis castrametatus est Godefridus Dux, & Eustachius frater ejus, Balduinus Comes de Haynonia, Raynardus Comes de Thul cum pluribus aliis Principibus, nec non Saxonibus, Suevis, Bavaris, & Franconibus. A parte fluvii classe deficiente non est obsessa. Arboribus ad castrametandum abundabant. Disparilitas gentium, rituum, armorum, & vocum obsidentium plurimùm terrefaciebat obsessos. Qualia autem, quàmque varia in ea obsidione certamina, prœlia, & conflictus fuerint, quàmque multiplices eventus congressuum atque strages, ipsa dicendi copia potiùs silere inducit, quàm loqui pauca de multis.

CAP. XXXI.

De famis penuria in exercitu Latinorum.

QUumque Christiani in obsidione ipsa tertio jam mense commorati essent, tanta victualium penuria, quibus nimis profusè usi fuerant, sunt arctati, ut in ipsorum exercitu panis uno esu homini sufficiens duobus solidis venderetur; vacca quatuor Marchis argenti, quæ à principio dabatur pro solidis quinque. Asellionus vendebatur octo Puratis, qui valent denar. CXX. solidor. Annona equorum unius noctis XVIII. solid. vendebatur; ex quibus quidem equis, qui septuaginta millia computati fuerant, nonnisi duo millia supervixerunt, cæteris fame deficientibus. Qui verò supervixerant, erant etiam in acie impotentes. Papiliones & tentoria imbrium influentia corrupta, ferè cuncta deficiebant. Morbus & lues plurimos mortalium opprimebat, ex quibus omnibus nonnullos corde mobiles accepti propositi pœnitebat. Ad hujusmodi quoque oppressionem augmentum contigit, nonnullos Linguæ Syriæ atque Græcæ gnaros, genere Turchos, sub habitu Syriorum, aut Græcorum, vel Erminiorum, castra discurrere, qui consilia & statum Latinorum obsidentium explorantes, singula referebant obsessis. Sed huic discrimini medelam adhibuit Bojamundus; nam stratagemate usus est tali. Cœnantibus enim cunctis, quosdam captivos ex Turchis jugulari & verubus infigi mandavit, ac demum igne assari. Hoc autem de Principum conscientia fecit. Scifcitantibus autem domesticis, cur hoc fieret, *sic*, inquit, *de cunctis exploratoribus decretum est fieri, & adustos insuper tradi Principibus ad edendum*. Quo spectaculo conterriti exploratores, in urbem confugiunt, narrantes obsessis quæ viderant; asserebantque Latinos obsidentes omni ferro & lapide duriores, qui ad necessitudines quascumque passibiles humanis etiam carnibus vescerentur.

CAP. XXXII.

De prœlio Latinorum cum Turchis, qui obsessis auxilio veniebant.

CAssianus inter hæc Turchorum dominus Christianorum penurias & afflictiones attendens, & in obsidione constantem perseverantiam, nuntiosque & epistolas ad ejus subsidium iteratò amicis Principibus destinavit. Quorum adventu cum magnis copiis Latini cognito, dum non longè ab urbe essent, cum Turchis ipsis, aciebus sex dispositis, confixerunt. Acri tandem prœlio hinc inde commisso Turchi dedere fugam, quos Latini per decem millia passuum insequuti sunt. Occisi sunt autem ex Turchis duo millia; quingenti capti, quorum nonnulla capita hastis infigentes in signum victoriæ ad exercitum detulerunt. Capti sunt & equi mille. Ducenta quoque capita ex ipsis occisis machinis projecerunt in Urbem; trecenta sudibus infixa in Urbis oppositum ad Turchorum ludibrium & terrorem etiam posuerunt. Relatu eorum, qui in ipso prœlio capti sunt, erant venientes ad obsessorum subsidium vigintiocto millia equitum. Acta sunt hæc VII. Februarii Anno Incarnati Verbi Dei MXCVIII. Cognita hac victoria, ingenti mœrore ac pavore consternati sunt in Urbe obsessi. Commissum est & aliud non minus grande prœlium contra alios Turchos, qui auxilio obsessorum etiam veniebant. Latini enim per exploratores suos ipsorum adventu cognito, dispofitis

sitis aciebus prœlio illos aggressi sunt. Quumque durissimè decertarent, Cassianus auxiliares sibi Turchos sic à Latinis armis concuti videns, jubet, suos Urbe ad pugnam egredi, & ne spem in fuga ponerent, portas obserari post eos. Hi Turchis auxiliaribus accurrentes, jam in fuga versis, ad reassumendam pugnam hortantur. Sed dum cernerent Latinos viribus ad prœlium coalescere, & marte terribili Turchos persequi, trepidantes, quòd ex Urbe prodierant, se se fugientibus immiscuerunt. Tantus ibi erat pugnantium strepitus, tantus armorum sonitus, & equorum hinnitus, ut tonare crederes ipsum Cœlum. Tanta denique contigit Turchorum strages, ut vix bellantes Latini transire possent cadaverum acervos corruentium in campo. Quantus etiam erat, qui in Urbe remanserant, senum, & juvenum utriusque sexus ploratus & gemitus, cædem suorum intuentium, & detestantium vitæ suæ. Cassianus tamdem suos videns deficere, portas Urbis aperiri jussit, quibus se se immittentes, qui fugiebant, tanta in Orontis Ponte pressura fugientium erat, ut in ipso flumine sint multi submersi. In hoc prœlio mirabiliter claruit Godefridus: Turchum enim quemdam singularem cum eo pugnam poscentem, medium à lateribus gladio Lotharingo dissecuit, cujus dissecta medietate jam jam in armis palpitante, reliquam tulit equus, cui insederat, adeò firmè, ut eam portaret in Urbem. Alium quoque Turchum in ea obsidione equo congressum, vibrato in caput ense, à vertice usque ad inguen discidit, & ex eodem ictu sellam & spinam equi secuit. Alium militem in eadem obsidione pabulatum congressum à leone invasum, & clypeo se defendentem, tamdem occisum, adeò indoluit, ut venabulo feram transfoderit, quæ saucia & dolore acriùs sæviens, in eum irruit, ita ut ex ferro, quod exstabat ex vulnere, ejus tibiam sauciavit. Mox ipse bestiam gladio evisceravit. Hoc de eo Vincentius à Wilielmo traducens. Cæsa sunt in eo prœlio Turchorum duo millia, inter quos Admirati duodecim. Balduinus Rex Ragensium eo tempore victualium magna transmisit subsidia Christianis, & Bysantiorum millia quinquaginta.

CAP. XXXIII.

Qualiter Emirferus Turchorum Admiratus fœdus clam cum Bojamundo firmavit.

ERant autem in Antiochena Urbe, hac etiam obsidione durante, & longè anteactis temporibus fuerat Christianorum maxima multitudo, solùm artibus mechanicis, & negotiationibus vacantium; nullo tamen Urbis potiebantur dominio, sed erant Turchis subjecti per omnia, quorum dominii jugum gravissimum permolestè ferebant. Ex eis multi ex illustribus erant orti prosapiis. Nonnulli autem Erminiorum genere erant, quod eorum idiomate *Benizeira* dicitur, idest Obsergerii filii, unde stirps illa descenderat. Hi turrim munitissimam & excelsam habebant, quæ *Duarum Sororum* nuncupabatur. In ea stirpe Erminiorum dicta gemini fratres præeminebant, quorum major natu *Emirferus*, secundùm alios Pyrrhus, Turchorum Admiratus, vir circumspectus & prudens Cassiano

A amicissimus, ejusque Secretarius, & in Palatio Scriba. Hic Bojamundi Ducis allectus fama per fideles internuntios amicitiæ fœdus cum eo sanxit. Septimo autem obsidionis mense, quum Bojamundus sæpiùs ipsum Emirferum amicum suum de tradenda Christianis Urbe per filium internuntium pertentasset, tamdem in hæc verba respondit: *Amantissime Princeps, tuus Emirferus nequaquam ambigit, quin sancitum inter te & ipsum amicitiæ fœdus ab illo descenderit, qui bonorum dator est omnium. Continuatione postmodum namque dierum continuatus est, & amoris augmentum. Quumque sibi sit tua grata notitia, amorque gratior, sperandum est, ut gratissimus subse-* B *quatur effectus. Confidit autem, quòd eo cooperante, cujus negotium agitur, per vestram industriam gens sua eripietur de barbara servitute, & sublimabitur cornu Christi sui. Dudum autem vestra illum salubris, sed timenda petitio multa illius animum perplexitate detinuit. Hinc enim ad actum pium pulsant & Christianæ Fidei sublimatio, & sævæ tyrannidis exemtio, & sibi retributionis acquisitio sempiternæ. Illinc timor & tremor animum ejus concutiunt, ne si res tanti discriminis in propatulo veniat, non tantùm ipse inexcogitatis subjiciatur tormentis, sed universa ejus prosapia à sævissimis Barbaris deleatur. Verùm quum soleant interdum mortales eventibus quam-* C *quam discriminosis se se fortunæ committere, ut temporalia consequantur, nedum pro æternis sint temporalia exponenda, statuit tibi confœderatus amicus his conditionibus modisque Christianis tradere Civitatem. Si Principes quidem exercitus Christiani communi voto decreverint, atque fidei verbo promiserint, obtenta Civitate non ad spolia inhiare de more bellorum, sed deletis hostibus, ad Christi cultum Civitatem ipsam servare, & ex suis colonos ibidem eligere semper mansuros, pollicetur vobis Urbis introitum, daturum munitissimam turrim, quam supra mœnia possidet. Sed maturè opus est facto. Continuant enim nuntii, & deferuntur epistolæ, quòd subsidiarii equi-* D *tes ad Urbem festinantes jam Orontem fluvium intraverunt numero ducenta millia armatorum. Quos si venire contingat, tantis copiis resistere nequeuntes, captivati & mortui trademini universi.*

CAP. XXXIV.

De colloquio Bojamundi cum Principibus super his, quæ de Urbe tractabat.

BOjamundus amici sui voluntate comperta, tacito eam corde servans, cœpit priùs Principum vota scrutari sagaciter, quid de Urbe fiendum esset, si eam capi contingeret E armorum virtute. Sed dum nonnullorum vota petitioni amici dissona cerneret, tamdem accitis Godefrido Lotharingiæ, Roberto Northmandiæ Ducibus, Hugone Magno Regis Franciæ germano, & Roberto Flandriæ Comite, *Si Civitas*, inquit, *Antiochena à nobis cæterisque hujus exercitus Principibus mihi possidenda concederetur, spero posse ipsam in brevi, Domino annuente, acquirere.* Hæc verba quum ad aures Tholosani Comitis deducta fuissent, adeò ea graviter pertulit, ut conceptum negotium ferè fuerit in janüis perturbandi. Inter hæc rumor insonuit de subsidiariorum equitum

tum

tum obsessis adventu. Quumque Christiani per exploratores suos cognovissent, subsidiarios ipsos à Persarum Soldano transmitti, quibus Admiratum præfecerat nomine Corberanum; essentque exercitus Principes animis perculsi, & in multis colloquiis per diversas sententias traherentur, Bojamundus Princeps, vir magni consilii, advertens illos in tam repentino nuntio pavidos & stupidos, ad eos in his verbis loquutus est: *Carissimi Principes & Confratres, si perplexitate multiplici nostra in pendulo corda consistunt, nec est irrationabile nec mirandum, dum hostium multitudinem atque potentiam attendimus, ad nostra festinantium detrimenta, præcipuè in tam insigni negotio, quod nostræ respicit Fidei culmen. Sed quod discriminosius est, non video nos in ullam salutis sententiam esse concordes, qua & venientibus hostibus resistere, & obsessos superare possimus. Est nonnullorum ex nobis sententia, ut pars exercitus venientibus hostibus procedat obviam, pars reliqua in obsidione persistat. Sed illud utique circumspectiùs considerandum est, quòd si hanc sequimur sententiam, armis interim & victualibus subvenietur obsessis. Quod etiam ne fiat, universus cohibere nequit exercitus. Operæ pretium itaque foret, ante hostium occursum ad Urbem vias exquirere, quibus nobis hæc Civitas traderetur. Quòd si modum quæritis, paucis vobis aperiam. Est in hac Urbe Vir Christiana professione, aliisque spectatus virtutibus, fœdere amicitiæ mihi conjunctus, qui pro Fidei nostræ exaltatione, meique amoris intuitu unam ex turribus Civitatis, quam munitissimam possidet, se daturum spopondit, si mihi à vobis, quòd Urbi præsideam, concedatur. In cujus præmii recompensam & magnam æris quantitatem, & sibi, suoque generi liberam immunitatem pollicitus sum daturum. Advertite igitur, quæso, quid reserata vobis importent. Decernite celeriùs quid eliciatur utilius. Et si mavultis alium ad hæc præfici, quod in me est, in eum transfundo, qui præficietur à vobis. Deus scit, solùm mihi curæ esse, quòd Christi negotium feliciter dirigatur.*

CAP. XXXV.

De assensu Principum, & quæ Emirfero contigerunt.

His dictis universi Principes, qui adstabant, quasi divinitus inspirati, Tholosano Comite dumtaxat excepto, communi sententia omnem potestatem Bojamundo super his, quæ retulerat, tradiderunt, promittentes rem ad tempus silentio occultare. Excusabat autem se Comes Tholosanus ideo sui juris ex Urbe portionem non concedere, quia maximis erat debitis obligatus. Hæc autem omnia Bojamundus per internuntium reseravit amico. Accidit quoque eo die casus in urbe Antiochia valde horrendus, sed expeditioni negotii valde accommodus. Dum Emirferus amicus Bojamundi in Palatio Cassiani publicis negotiis superesset, & filium casu quodam remisisset in domum, comperit unum ex Admiratis Turchorum se cum Emirferi conjuge commiscentem. Qui quum rediens scelus patri narrasset, ille corde turbato & animo tumido ait: *Fili, quàm sævissimi hi Barbari nos jugo diræ servitutis opprimunt, & nostris nos nudant substantiis, non contenti etiam legitima matrimonia nostra commaculant. Deus autem, ut spero, nostras in brevi injurias ulciscetur, cujus, ut nosti, sancta procuro negotia.* Rem autem silentio tegens, iramque dissimulans, misit filium Bojamundo insinuans, ut horâ Nonæ assumtis armis per acies disponeretur exercitus, ac si obviam vellet progredi Corberano. Et quum processissent itinere modico, horâ primi galli cantus, nullo strepitu facto redirent, intenti, quod deliberaverat, prosequi. Quod & factum est. Dispofuit hæc enim omnia Bojamundus, cui cuncti Principes negotium illud commiserant. Reliqui tamen, qui in exercitu erant, ignorabant, quid Bojamundus foret acturus.

CAP. XXXVI.

Qualiter Emirferus fratre occiso Latinos recipit in Urbem.

Inter hæc Emirferus Bojamundo confœderatus, quum germanum fratrem, ut dictum est haberet, indagare volens, qualem in his haberet affectum, sic alloquutus est eum: *Compatior frater, nobis, & nostris oppressis, & illorum imminenti discrimini, qui licèt Urbem hanc obsideant, nobiscum tamen sunt professionis ejusdem.* At germanus in hæc verba respondit: *Bone frater, tua mihi videtur stulta compassio, & te dementem intueor. Opto potiùs eos trucidari à Turchis, quàm de eorum cogitare salute. Ex quo enim malo illorum omine ad obsidendum hanc Urbem venerunt, nec nobis jucunda, nec quies corporum ulla fuit.* His auditis Emirferus conticuit. Nacto verò sibi tempore, iterum filium Bojamundo direxit, ut cum paucis clam propinquaret ad turrim. Ipse verò verborum fratris non immemor, quanto Christianorum negotium zelaret fervore, stupendo declaravit indicio. Arrepto enim gladio transfodit ejusdem fratris sui latera dormientis. Post hæc per fenestram turris Bojamundum respiciens, demisso fune indicavit ascensum. Cunctis verò, qui cum Bojamundo erant, diffidentibus ad ascensum, solus Bojamundus fœderis fide fultus per funem ascendit. Emirferus autem diu optatum amicum recipiens, in amplexus illius & oscula ruit, Deoque gratias agens, fratrem interemtum ostendit, & cur eum occiderat, patefecit. Bojamundus verò tam fideli fervore, tamque forti constantia stupefactus & lætus, invitat reliquos ad ascensum, quibus iterum ascendere diffidentibus, Bojamundus se per funem demisit ad illos, & quum de fratris nece illis indicasset, certatim conantur ascendere. Comes Flandriæ, Bojamundus, & Tancredus primi ascenderunt: munita turre statim discurrunt ad alias, quas interfectis custodibus occuparunt. Aperta est quoque posticus juxta turrem Emirferi vi disjectis repagulis, per quam Latinorum exercitus multitudo maxima introivit. Post hæc unam ex Portis Urbis feris confractis aperuerunt, per quam etiam ingens discurrit Populus. Unus è servis Bojamundi super turrim excelsam juxta Urbis Palatium Bojamundi vexillum erexit.

CAP.

CAP. XXXVII.

De strage Turchorum in Urbe Antiochena.

EXpergefacti autem Turchi, & consternati armorum fragore, tubarum, lituum, & buccinarum concentu, & immensæ multitudinis Latinorum per Urbem discurrentium tumultu atque clamore, fugam arripiunt. Latebrarum quærunt præsidia. Sed Christiani adjunctis pariter secum reliquis, qui in Urbe obsessa erant, Syris, & Armenis, magnam in Turchos cædem exercent, & thesauros illorum evacuant. Stupor erat cadaverum acervos cernere, cruoris torrentem conspicere, ploratus & lamenta miserorum audire. Gladius Latinorum nulli parcebat sexui, nulli miserebatur ætati. Cæsa sunt eo die Turchorum plusquam decem millia.

CAP. XXXVIII.

De morte Cassiani.

CAssianus porrò his cognitis, viribus destitutus & animo, clam per posticum velut amens, & quò delitescendo fugeret inscius, Urbem exivit. Tamdem per agros hinc inde discurrens, à quibusdam Armenis deprehensus est, & abscisso capite detulerunt illud in Urbem. Victualia ferè nulla in Urbe comperta sunt; præda verò tam opima, ut & ditati sint pauperes. Quingenti dextrerii, exiles tamen, ibi sunt inventi. Capta est autem civitas Antiochena ab exercitu Latinorum decimo obsidionis mense, die III. Junii, Anno Incarnationis Filii Dei MCXVIII.

CAP. XXXIX.

Qualiter Christiani obtentâ Antiochiâ obsessi fuerunt à Corberano.

COrberanus interea Turchorum Admiratus, quem Persarum Soldanus in auxilium obsessorum in Urbem mittebat, acceptâ licentiâ à Calipha, suæ gentis Apostolico, cum tantis advênit copiis, quantas nulla ætas meminerat. Qui die tertia post captam à Latinis Urbem castrametatus est inter Orontem & lacum. Deinde propiùs accedens, à Porta Orientis usque ad Portam Occidentis, & Colles meridianos, Urbem obsedit. Sic igitur casus alternante fortuna, quæ actus deludens humanos, nunc hunc, nunc illum humiliat & exaltat, nunc qui obsederant, obsidentur, & qui in victoria quietem sperabant, nunc ad defensionis molimina coguntur accingi. Suberat eis & aliud, videlicet familiare discrimen. Castellum enim, sive Municipium, in Urbe excelsiori montana consitum, adhuc tenebatur à Turchis, per quod in Urbem habebant aditum & egressum. Quo metu Latinorum plurimi terrefacti, sacramenti sui immemores, demissis per murum clam funibus fugiebant; quorum nonnulli manus Turchorum incurrentes trucidabantur, alii negotiantibus obvii, atque Peregrinantibus fugere suadebant. Inter hos fugientes notati sunt Wilielmus de Grantemaisnil Northmandus Cognatus Bojamundi, Albericus frater ejus, Vido Truissellus, & Lambertus Pauper, perpetuo opprobrio appellati. Sed ne reliqui fugerent, jussit Bojamundus adhiberi custodias.

CAP. XL.

De peste famis, quam Christiani passi sunt in Antiochia.

OBsessis igitur in Urbe Latinis, horrenda adeò fames invaluit, ut equinæ & asininæ carnes Latini obsessi pro Imperialibus deliciis computarent. Gallina quindecim solid. ovum duobus solid. nux, vel glans uno appretiabantur denario. Panis paximaxius & permodicus Bysanteo vendebatur. Nobiles, qui consueverant splendidè convivari, postposito rubore se edentibus ingerebant, crebròque confusionis patiebantur repulsam. Plurimi utriusque sexus generositatem prosapiarum, & genealogias eorum inclytas, dignitatumque præeminentias contemplantes, victi pudore intra ædes, immo veriùs intra fauces, seu claustra se se angustiosæ mortis includentes, fame crudelissima occumbebant. Ibi strenui milites, impugnatores invictissimi, ibi bellatores imperterriti, præ angustia famis vix baculis innixi, artus imbecilles sustinentes, capitibus demissis victum perquirebant in Urbe. Matres lactentes filios ab uberibus succidis amovebant, eos in locis publicis exponentes. Nonnulli ad earum pendentes ubera inter amplexus morientium oscitabant. Filius juxta patrem, vel è contra, ancilla juxta dominam, vel viceversa, fame deficiens semianimis corruebat. Parvuli panem quæritabant, nec erat qui frangeret. Delicati divites deficientibus cibis, in quibus erant nutriti, pepones, & alia, cepas, & olera frustra desiderantes, fame peribant. Multitudo vulgi contracta, vel oris molestia fatigata diutiùs deficiens arescebat. Difficillimum erat, immo impossibile in tanto Populo hominem invenire cui vitæ necessaria suppetiissent. Aurum & argentum nullius erat pretii apud illos. Rarò ullis in historiis legitur, tot viros illustres tot Populorum exercitus, tantam tamque sævissimam famis penuriam tolerasse. Interdum nonnulli nocte Urbe egredientes, à negotiatoribus Armenis & Græcis victualia mercabantur, & ad Urbem deferebant. Turchi autem crebrò Latinos infestantes obsessos, ut magis peste famis arctarentur, nec esset qui eis victualia ministraret, missis ad mare duobus millibus militum, nautas & negotiatores ibi repertos occiderunt, & naves incendio consumserunt. Quod audientes, qui de Insulis Cypri, Rhodos, Ciliciæ, Ysauriæ, Pamphiliæ cum victualibus etiam veniebant, retrocesserunt. Unde qui in Urbe erant, cœperunt tanta desperatione remitti, ut & Principibus obedire contemnerent circa ipsorum & Urbis tutelam.

CAP. XLI.

De probroso discessu quorumdam ex Antiochia, & reversione Imperatoris Constantinopolitani.

INter hæc Willielmus de Grantemaisnil, & qui cum eo de Antiochia demissi funibus per murum effugerant, dum venissent apud Alexandriam minorem, non longè ab Antiochia

chia distantem, invenerunt ibi Stephanum Comitem Blesensem, qui ad Christianorum festinans cum multis exercitum, ibi recreandi causâ diverterat. Hujus adventum Christiani in Antiochia obsessi anxiè exspectabant, quia vir consilii erat. Comes postquam à fugientibus Christianos cognovit obsessos, tantaque famis inopia laborare, suadentibus fugitivis, regressionis ad propria iter accepit. Et dum reverteretur, agnovit Imperatorem Constantinopolitanum cum maximis copiis Christianorum subsidio apud Antiochiam festinare. Et jam applicuerat in Civitatem, quæ dicitur Finemviæ. Erant & cum eo ex Latinis quadraginta mille Peregrini. Nam multi infirmitate, alii propter viarum discrimina remanserant in itinere. Plurimi quoque novo voto aggressi passagium, ipsius Imperatoris exercitum sequebantur, ac etiam exspectabant. Veniens autem Comes Stephanus abolendæ memoriæ ad Imperatorem cum pusillanimis & infidis collegis, & ab ipso Imperatore causæ adventus ignaro lætanter exceptus (erat enim illi notus, eumque Imperator virum spectabilem reputabat) dum percontaretur Imperator de statu exercitus Latinorum, qui transierant, eorumque successibus, deque sui causa recessus, in hunc modum respondit.

CAP. XLII.

Verba suasoria ad Imperatorem, ut à pio voto discedat.

Serenissime Imperator, noverit sublimitas tua, quòd viri spectabiles Duces, & Comites, eorumque exercitus, tui homines ligii, & fideles jurati, quos dum per tui ditionem Imperii transeuntes summâ honorificentiâ tua recepit munifica celsitudo, capta tibique tradita Urbe Nicæa, procedentes ad Urbem Antiochenam, eam obsederunt, & tamdem tractatu illa obtenta, dum ipsius potirentur dominio, municipio dumtaxat excepto, inexpugnabili quidem, tertio captionis die supervénit Corberanus Turchorum Admiratus, à Soldano Persarum missus cum innumerabili armatorum manu, ipsamque Urbem obsedit. Latinos autem in ea obsessos tanta famis oppressit penuria, ut invideant iam defunctis. Nos autem, qui huc ad tuæ Majestatis præsentiam venimus, dum cognovissemus argumentis variis negotium à Latinis inchoatum laudabilem non posse sortiri effectum, essetque verisimile Deo non placitum esse, & sic illius prosequutio foret divinæ reluctatio voluntati; Quumque suaderemus inde discedendum, nec Domino reluctandum, & nonnulli pertinacis propositi, & ad deteriora proclives nostris obaudirent suasionibus, attendentes ipsorum exercitum in faucibus positum diræ mortis, & minimè de salute curantem, vale dicto eis, qui summè indigent, inde discessimus. Constituti autem coram excellentia tua, per illam fidem, qua tui ligii homines, consulimus, & suademus tibi regressum. Licèt enim tuæ Majestatis sublimitas cæteris Orbe præclarior ac potentior, tuus tamen heic tibi assistens exercitus nequaquam posset Corberani copiis prævalere, quæ sicut arena maris dinumerari non possent. Quibus nunc velle resistere, nihil aliud est, quàm te, tuamque gentem cum cæteris obsessis morti probrosæ contradere. Porrò quanto progredieris ulteriùs, tanto probrosiùs inde discedes.

CAP. XLIII.

De recessu Imperatoris Constantinopolitani, qui obsessis Christianis subsidio veniebat.

IMperator Constantinopolitanus, auditis his, quum stupefactus & consternatus efficeretur, statim Guido Bojamundi frater, qui cum suis etiam sequebatur Imperatorem, commotus valde ex verbis Stephani Comitis & sociorum, Imperatorem respexit, & ait: *Non sunt hæc verba vera, invictissime Princeps, nec à constanti & prudenti viro credenda, quæ hi tibi referunt. Sola enim pusillanimitas sic eos fecit esse loquaces.* Vix verba finierat, quum Comes Stephanus in iram excandescens Guidonis sermonem interrumperet, & perventum fuisset ad jurgia, nisi Wilielmus de Grantemaisnil, vir eximiæ prudentiæ, magnæque prosapiæ, licèt cordis parvissimi, qui & Guidonis sororem habebat in conjugem, se inter utrumque mediatorem interposuisset, & Guidonem ipsum ad silentium coëgisset. Porrò Imperator suorum Principum consilio retrocessit, & per Cumaniam rediens cuncta depopulatus est, ut si Turchos contingeret ipsius exercitum insequi, victualium penuriâ regredi cogerentur. Suasionibus igitur, & assertionibus falsidicis Blesensis Comitis, suæ degenerantis tam probrosè inclytæ generositati, super tanto discrimine Populi Christiani, tantoque negotio Jesu Christi à tam laudabili proposito minus providè, minusque constanter resiliit Imperator, occasione data Christianis obsessis incurrendi desperationem extremam. Sed ò admiranda divinæ dispositio majestatis; quàm tua sunt occulta judicia, & investigabiles viæ tuæ! Pusillanimitate quidem Comitis Stephani miraculosam & mirabilem Dei potentiam patefecit. Si enim Constantinopolitanus advenisset cum suis copiis Imperator, subsidiaturus Christianis obsessis, ut jam erat in ipso procinctu itineris constitutus, & Turchorum fuisset innumerabilis multitudo subacta, non sic victoria soli Deo fuisset adscripta, non sic profundis affectibus gratiarum illi exhibitæ exactiones, sed de tantis pressuris Christiani populi Imperator ipse triumphi præconium reportasset. Sola itaque Dei dispositione, & quod dictum est, & in sequentibus dicetur, peractum fuisse credendum est, ut obsessi Christiani consequutâ victoriâ illud Davidicum meritò decantarent: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

CAP. XLIV.

De tristitia obsessorum ex non recessu, & elatione Corberani.

NUntiatis autem rumoribus in Antiochena Urbe de Imperatoris regressu suasionibus perfidis Stephani Comitis, & Willielmi de Grantemaisnil, & sociorum, Christiani tunc ab omni spe & consilio ac præsidio destituti, & supremam desperationem coacti, una omnium voce suasorum perfidiam detestantes, maledictiones illis imprecabantur innumeras, qui tanto eos tamque horrendo discrimini exponebant. Corberanus verò Turchorum Admiratus Antiochiam obsidens, tristitiam de Imperatoris adventu convertit in gaudium, & in arro-

arrogantiam summam elatus, severiùs cœpit aggredi obsessos, & audaciùs oppugnare. Christiani autem, qui obsessi erant, magis ac magìs resistere negligebant, se se tristes & remissi domibus includentes. Quòd dum adverteret Bojamundus, qui tunc illis præerat Civitatis, ut dictum est, Princeps effectus, jussit præconis voce latitantes egredi, seque ad pugnandum accingere. Sed dum nec venirent, nec etiam possent de domibus & latibulis ejici, tamdem perturbatus eorum pertinacia Bojamundus, jussit in nonnullis ædibus locisque ignem immitti; sicque coacti, Principis mandatis obtemperant. Inter hæc quoque crebrescit in Urbe fama, & inter populos murmur resonat, nonnullos ex Principibus, reliquisque Nobilibus Urbem clam egredi communi consilio decrevisse, cæteros in tantis angustiis socios relicturos. Hoc sentiens Godefridus, vocato Podiensi Episcopo, aliisque Principibus, multisque Nobilibus, pedibus eorum supplex collacrymans quasi prostratus rogabat eos, ne famæ hujus relatibus se efficerent noxios, nec suasionis diabolicæ instinctu, aut rerum ulla desperatione à pio sanctoque eorum proposito atque voto resilientes, & omnipotentem Dominum offendentes, præter animarum suarum judicium, & in præsenti seculo perpetuam incurrerent notam infamiæ, successuræ posteritati eorum sempiternum opprobrium cunctorum digitis demonstrandum. His verbis compuncti, qui sua pusillanimitate pia vota mutaverant, constantiam induerunt. Premente tamen famis sævitia, multa erant in Urbe susurra, dum etiam rememorarentur jucunditates & divitiæ in patrio solo relictæ, pro Dei obsequio, ac considerarentur quæ obsessi à Turchis sævissimis exspectabant in detestationem Fidei Christianæ. Sicque prorsus ignorabant quid essent acturi.

CAP. XLV.

De inventione Lanceæ Christi, & ejus miraculo.

DUm in his angustiis sævissimæ famis obsessi consisterent Christiani, quas & difficillimum & longissimum pariter esset recitare per singula, tamdem miserator & misericors Dominus suarum operationum non immemor, servis suis dignatus est adhibere his afflictionis suæ remedia consolationis & spei. Clericus namque quidam Petrus Bartholomæi nomine, vir peregrinus, genere Provincialis, simplicitate ac rusticitate sancta suffultus, die quadam ad Episcopum Podiensem, & Tholosanum Comitem accedens, magno cum timore ac rubore retulit, Beatum Andream Apostolum in somnis tertiò apparuisse dicentem, Lanceam, qua sacrum Christi Latus perforatum exstiterat, sub terra esse ante fores videlicet Basilicæ Antiochenæ Beati Petri Apostoli, & sibi locum, in quo erat, ostendisse patenter. Dicebat etiam, se nequaquam venisse ad eos talia relaturum, nisi idem gloriosus Apostolus Andreas fuisset ei minas gravissimas interminatus, si distulisset hanc visionem referre. Fide igitur verbis adhibita, Principes exercitus ante ipsam Ecclesiam procumbentes cum magnis lacrymis, & humiliato spiritu, cordeque contrito, oratione ad

A Dominum fusa, locum à Peregrino demonstratum suffodi mandaverunt, & Christi Lanceam invenerunt. Quo miraculo læti valde, jurejurando votum denuo innovarunt, se Christi negotium nullatenus deserturos, sed pro ipso, qui ad salutem eorum passus est, se cuncta passuros, ut Terram Sanctam eripiant de spurcissimis manibus Barbarorum. Contigit præterea aliud non minus stupendum miraculum ad Christianorum in pressuris profusam lætitiam. Orta siquidem inter quosdam Principes de Lancea reperta tanta dubitatio est, ut diversi in diversas sententias traherentur. Quidam enim Lanceam esse, quæ ut dictum est, Christi latere perforato, ejus fuerat pretioso Sanguine irrorata, etiam ad consolationem ac confortationem Populi sui repertam dicebant. Nonnulli publicabant, rem hanc illusionem esse, à Tholosano Comite confictam, ut ex ea quæstum faceret, & thesaurum congregaret ex oblationibus Latinorum. Hujus famæ falsidicæ auctor erat Hernoldus Sacerdos, Ducis Northmanniæ Capellanus, atque domesticus, qui licèt vir literatus esset, tamen filius tenebrarum inter Christianos in multis apparuit. His cognitis à simplice viro Dei, cui de Lancea fuerat revelatum, ad Principum intrepidus præsentiam festinans, talia est exorsus: *Non ambigat credulitas pia Fidelium, inclyti Principes, divina revelatione factum, non humana illusione patratum, quod de Christi Lancea cognovistis. Et ut certissimo comprobetis experimento quod Dei fiducia vobis attestor, instruatur in conspectu omnium rogus, & flammis ingentibus accendatur. Quod quum factum fuerit, ego memet ipse Lanceam deferens, flammis ipsis injiciam, à quibus si illæsus evasero, quod confido, sinè percunctatione quæso credite, divino miraculo applaudentes.* His dictis & à cunctis approbatis, statim, ut dixit, paratus est ignis. Erat autem die ipsa non sinè, ut reor, divino mysterio Feria Sexta, ut ejusdem Feriæ antiqua Dominus miracula renovaret. Vir Dei fusa ad Deum oratione, acceptâ Lanceâ, flammas insiliit altitudinis pedum XIII. & transiens illas omnibus intuentibus lætus & illæsus exivit. Tanto stupefacti universi miraculo, magno applausu gratias referunt Salvatori.

CAP. XLVI.

De legatione Petri Eremitæ ad Corberanum.

POst hæc quum jam mense ferè uno Christiani obsessi à Turchis, Duce Corberano, tam infestæ famis angustias tolerassent, refocillati tamen quodammodo tanto miraculo, & in Domino confidentiâ sumtâ, una omnium hæc sententia fuit, eligibilius quidem fore uno fine omnes finire angustias confligendo cum Turchis, ut sic aut victores martyres fierent, quàm inclusi & obsessi miserabundè perire. Missus est itaque Petrus Eremita hujus sanctæ peregrinationis venerandus initiator & auctor, & cum eo alius magnæ religionis vir, & linguæ Saracenicæ, maximè Persicæ, luculenter edoctus, ad Corberanum Admiratum Turchorum, qui, ut dictum est, Antiochiam obsidebat. Hic juxta sibi traditam à Principibus Latinorum informationem, & secundùm sibi datam à Domino gra-

gratiam, quæ ejus in labiis erat diffusa, in opere videlicet & sermone, Civitatem egressus, ad tentoria Corberani accessit, & inter Principes & Collaterales suos pompa eximia residentem, absque salutatione & omni exordio, nulla reverentia aut honore exhibito, in hunc modum alloquutus est: *Sancta & inclyta illa Principum, Populique Christiani Societas in hac Urbe Antiochena consistens tibi mandat, ut ab obsidione hac cum omnibus tuis copiis sinè mora discedas, ipsam aut ejus incolas nullatenus impetiturus de cætero, quam Dei Filius eis tradidit possidendam. Nam Princeps Apostolorum Beatissimus Petrus, super quem stabilitum est nostræ Fidei fundamentum, sua prædicatione atque miraculis illam convertit ad cultum nominis Jesu Christi. Hanc nuper Principes virtuosi, qui in ea sunt, acquisiverunt, eamque possident, tamquam patrimonium Crucifixi. Si autem eorum mandata seu monitiones nunc implere contemseris, scito tibi non minimum imminere discrimen. Decreverunt siquidem communi omnium voto cum tua gente confligere, & litem hanc gladio terminare. Sed ne tam horrenda cædes incurrat, vel solus ad pugnam contra unum ex nostris Principibus congredere, vel quot malueris ex tuis contra totidem ex nostris. Victricis verò partis sint omnia.*

CAP. XLVII.

De responsione Corberani, & præparatione Christianorum ad pugnam.

CORberanus hac Petri legatione valde commotus; *Petre*, inquit, *qui te ad nos miserunt, nondum, ut video, eo potiuntur statu, ut in eis sit, optiones nobis decernere; quos nostra invicta potentia ad id perduxit, ut proprio privatos arbitrio, consistat in manibus nostris mors illorum & vita. Revertere igitur fatue ad fatuos, qui te miserunt, eisque annuntia fatuitatem eorum, qui quum in faucibus mortis consistant, non considerant dementes imminentia sibi fata. Nec etiam latére illos volumus, quòd jam Civitatem uno consumsissemus incendio, nisi decrevissemus, eos velut captivos sæva languentes fame velut morbidas pecudes interire. Quum nobis libuerit, Civitatem ipsis invitis intrabimus, & servituti aptos mares & fœminas reservantes, reliquos velut arbores steriles gladio mandabimus trucidari.* Reversus Petrus in Urbem, remotâ Populorum catervâ certatim currentium, ut eum audirent, quæcumque audierat, proceribus exercitus indicavit. Ut autem populus non contristaretur sed animos reassumeret ad pugnandum, palàm omnibus nuntiavit, Corberanum velle cum eis confligere. Quumque universi altisonis vocibus decertandum clamarent, & in Dei nomine prœlium viriliter assumendum, læti Principes ad hæc diem crastinam, quæ fuit tertia Junii, statuerunt. Edictum quoque est, ut universi summo diluculo ad prœlium sint accincti.

CAP. XLVIII.

De dispositione acierum Christianorum.

IGitur mane sequenti peractis devotissimè Missarum sollemniis, factaque confessione delictorum, ac corde contrito, Dominici Corporis & Sanguinis sacramento recepto, confortati, animis, & viribus resumtis, desideriis summis anhelant Christiani. Episcopi enim & Sacerdotes & universus Clerus sollemni processione laudantes Dominum & Populum benedicentes in remissionem criminum, universos hortabantur ad pugnam. Inter hos eminebat Episcopus Podiensis. Post hæc acies disponuntur. In prima præfuit Hugo Magnus Regis Franciæ frater. In secunda Robertus Flandriæ Comes cum Roberto Frisone. In tertia Robertus Dux Northmanniæ. In quarta Comes Stephanus de Albemariæ. In quinta Episcopus Podiensis, qui depositis monachalibus vestimentis, armis accinctus, Christi Lanceam deferebat, & cum eo erant armigeri Comitis Tholosani invalitudine decumbentis. In sexta Raynaldus Comes de Tul, & Wernherius Comes de Gres. In septima Raymbaldus Auraxiæ Comes. In octava Godefridus Lotharingiæ, strenuissimus Miles, cum Eustachio fratre suo. In nona vir virtute spectabilis Tancredus Ducis Apuliæ nepos. In decima Hugo Comes Sancti Pauli, & cum eo Balduinus de Borch. In undecima Rotrondus Comes Perticensis. In duodecima Isuardus Comes Diensis, & Gerardus de Rossilono. In decima tertia & ultima præfuit Dux Apuliæ Bojamundus. Erant & alii spectatæ virtutis strenui pugnatores in qualibet acie; sed ultima & numero & fortitudine Principum cæteris præeminebat, quæ sola deputata fuit illis aciebus succurrere, quas hostium potentia magis arctaret. Tholosanus Comes ægritudine invalidus in Urbe remansit, adhibitis secum CC. armatis, qui Civitatem tuerentur adversùs Turchos qui municipium detinebant. Decretum est etiam ut nisi peractâ victoriâ nemo spoliis inhiaret.

CAP. XLIX.

De progressu ad pugnam.

ORdinatis igitur aciebus Turchi, qui, ut dictum est, in municipio erant, signo dato, pro ut à Corberanno edocti fuerant, statim præmissi sunt ab ipso Corberano adversùs Pontis introitum, ne Latini possent progredi, duo millia Arcatorum. Reseratis autem portis Civitatis acies suo ordine, militarique disciplina procedunt. Hugo Magnus primæ aciei Dux in Arcatores primus irruens, qui ut Pontis exitum Latinis prohiberent, equis desilierant, virili prœlio convertit in fugam, nec oblitus est gladii. Cassianus etiam Collateralis ejus cognomento de Ribomonte non segniter se habuit inter Turchos, sed velut Miles doctus ad prœlia strenuè pugnans, quum interdum videretur ab hostibus interceptus, viam sibi ferro parabat. Comes Flandriæ, Dux Northmandiæ, & Comes Haynoniæ, pugnacissimi Principes, sunt etiam persequuti fugientes, sicque pauci ex Arcatoribus evaserunt. Porrò interea contigit, quòd dum Latinorum acies egrederentur ab Urbe, cœli desuper rorarunt, Salvatore Domino influente. Quædam enim dulcis pluviola tamquam roscida stilla cecidit super eos, lætificans mirum in modum equos & equites. Erat quippe tam subtilis & modica, ut magis sentiri potuerit quàm videri, velut quædam guttulæ irrorantes. Egressis itaque omnibus aciebus ab Urbe, dispositisque, ut

ut negotii arduitas exigebat, obstupefacti sunt Turchi, & quodammodo consternati, visa tam ingenti, tamque disposita multitudine Latinorum. Inter ipsas acies erant Sacerdotes & Clerici signum Crucis in manibus deferentes, & altisonis vocibus Domino decantantes: *Contere fortitudinem illorum Domine, & disperge illos, ut cognoscant, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster; neque confundantur sperantes in te*. Inter hæc Corberanus suis dispositis aciebus jussit Solimannum, qui præerat aciei præstantiori versùs mare procedere, antequam Latini universam campi planiciem occuparent inter montem & Urbem, ut si Latini succumbentes, se ad mare conferrent, fugam illorum acies illa præriperet. Hortatus est insuper Turchos ad prœlium contra famelicos & languidos pugnatores.

B

CAP. L.

De prœlio terribili, & fuga Turchorum.

POst hæc prœlii hinc inde signo dato, primæ tres acies Latinorum concitatis equis ad pugnam prosiliunt. Quibus strenuè dimicantibus Turchi quoque ipso primo impetu non segniter restiterunt. Francigenæ in eo prœlio optimè pugnaverunt. Flaminghi viriliter decertarunt. Northmandi ferro ferociter pressuram hostium confregerunt. Theutonici vires suas in ensibus demonstrarunt. Et demum unusquisque Latinus Christi pugil apparuit gloriosus. Quumque Turchi pertinacissimè debellarent in acies Latinorum primo progressas, tamdem reliquæ acies, exceptâ ultimâ Bojamundi, accurrunt viriliter. Tunc prœlium durissimum innovatur. Hinc animosi Christiani, illinc sævissimi Turchi quid valeant dexteræ experiri conantur. Tanta erat ibi armatorum concussio, tantusque compugnantium strepitus, ut omnium confunderetur auditus. Dux Godefridus cum acie sua inter confertissimos hostium cuneos se immittens, tantam egit stragem, ut ex corruentibus campo stramentato, reliqui converterentur in fugam. Quod Solimannus advertens, cum acie sua adversùs Bojamundum ultimæ aciei Latinorum Ducem gressum convertit. Emissis jaculis arcus suspendunt in humeris, & tam dirè gladiis decertarunt, ut præ lassitudine illorum equi deficerent. Dux Godefridus, & Tancredus Bojamundi nepos, hoc viso prœlio, accurrunt celeriter Bojamundo, quorum præsidio Solimannus ad fugam compellitur. Quem cum suis Latini insequentes igne stipulis à Turchis immisso ab insequendo desistunt. Quum ecce fugientes Turchi ascenso eminenti colle dederunt suis signa receptui; sed Latini ibi suas acies divertentes, expugnato colle, Turchos fugarunt, se se præcipitiis semianimes immittentes. Sed & Corberanus inter hæc Turchorum Admiratus, qui se à belli principio in vertice cujusdam montis posuerat, ut belli videret exitum, & exitium evitaret, visa suorum strage atque fuga, fugiendi etiam quærit præsidium cum assistentibus sibi paucis. Quumque consternatus & pavidus quò diverteret, & necem effugeret, ignoraret, tamdem Eufratis flumen vadavit. Cujus fugâ cognitâ statim Turchi fractis eorum viribus & animis, Duce & auriga destituti, solam fugam capes-

A cunt. Tantus autem illos timor invasit, ut decem Christiani quingentos fugarunt ex illis. Manifesto quoque experimento ostensum est ibi Fidelibus, nullum esse consilium contra Deum, qui etiam non relinquit sperantes in se. Parvus enim Christianus exercitus comparatione multitudinis hostium, paupertate & fame afflictus, tantis itineribus lassus, tamque severa recentique obsidione arctatus, tam miraculoso Salvatoris sui auxilio tantam subegit Persarum potentiam tantis voluptatibus affluentem.

CAP. LI.

De præda ex castris Turchorum habita, & municipio reddito.

PEractâ igitur hac triumphali victoriâ, dum Latini ad Turchorum castra venissent, tantam prædæ copiam invenerunt, ut ejus pretium æstimatio humana non caperet. Ibi omnis homo ditatus est. Inter cætera farinæ ibi abundantiam, & equos plurimos, quibus duobus summè indigebant, lucrati sunt. Præter quoque auri & argenti, vasorum & vestium spolia, habuerunt etiam papiliones & tentoria pretiosa plurimum illis accommoda. Numquam tam pretiosus tam opulentus visus est exercitus, sicut erat exercitus Corberani. Reductis in Urbem spoliis, inter cætera visu digna, fuit mirabile tentorium Corberani, in Civitatis similitudinem elaboratum, turres, propugnacula, atrium, cœnacula, triclinia, vicos, & plateas in se continens cum singulis officinis. Quæ omnia elaborata erant ex auro, purpura, & bysso opere sumtuoso. In cujus aula discumbere poterant hominum duo millia. Post hæc qui in municipio erant, ex hac consternati victoria, concessa sibi & liberis ac conjugibus vitæ & rerum immunitate, illud statim Christianis victoribus reddiderunt. Pro hac igitur tam læta tamque miraculosa victoria Latini omnes Salvatori Domino gratiarum exsolverunt innumeras actiones. Sed ò quàm stupenda, quamque à Fidelibus dignis extollenda præconiis divinæ operatio Majestatis! quæ servos suos in mortis faucibus & paupertatis ac famis angustiis constitutos, sic mirabiliter ad vitam reservatos tam miris ditavit thesauris, tantisque copiis satiavit. Ut enim de innumerabilium Principum ac Nobilium pudibunda esurie ac paupertate unus sufficiat in exemplum, Godefridus Lotharingiæ Dux tanta in ipsa obsidione paupertatis erat mole depressus, ut quum ad aciem suam progressurus esset, vix equum impetraverit à Comite Tholosano: ipse quidem Princeps & munificus, & in cunctos liberalissimus omnia pro sustentandis suis fuerat elargitus. Multi quoque alii Nobiles, qui consueverant equorum pompam ducere, asinos, & alia jumenta vilia equitarunt. Nonnulli etiam pedes pugnarunt. Numerus occisorum Turchorum in ipso prœlio habetur incertus. Acta sunt hæc Anno Incarnationis Dominicæ MXCVIII. Quarto Kalend. Julii, qui est mensis Junii dies octava vicesima.

C D E

CAP.

CAP. LII.

De restauratione Ecclesiarum Antiochiæ, & Principatu ejus Bojamundo collato.

POst bellicos autem conflictus, requie lassis data corporibus, & rei publicæ Antiochenæ urbis statu disposito, consulentibus ac requirentibus Podiensi Episcopo, cæteris Prælatis & Clericis, qui in urbe ipsa aderant, decreto omnium provisum est, ut singulæ urbis Ecclesiæ à Barbarorum profanatæ sordibus purgarentur, Sanctorumque imagines & alia quæcumque reparatione ac reformatione indigentia deberent ad divini cultus obsequium instaurari, & præcipuè Beati Petri Ecclesia Cathedralis. Quod in brevi factum est affectu devoto Fidelium. Nam & in ipsa Ecclesia cæterisque suffraganeis provisum est, & de Prælatis, & de reditibus, Canonicis, & Clericis Linguæ Latinæ. Johannes quoque tunc Antiochenus Patriarcha, quum esset Græcus, ejusque linguam, sive idioma Latini Nobiles non intelligerent, & etiam Populares, sponte officio resignavit, & in Constantinopolim secessit. In cujus locum subrogatus est Bernardus Torsensis Episcopus, natione Valentinus, qui cum Episcopo Podiensi veniens ejus fuerat Capellanus. Dominium Urbis contradiderunt Duci Bojamundo, juxta quod decretum fuerat, antequam Urbem obtinuissent, ut dictum est supra. Sed Tholosanus Comes, qui decreto huic non assenserat, ut prædictum est, sortitus est Portam Pontis cum turribus aliquibus, quas munitas retinuit. Facto igitur Duce Bojamundo Antiochiæ Principe, Legati ad Imperatorem Constantinopolitanum Alexium diriguntur, rogantes, ut juxta conventiones dudum initas cum Latinis in subsidium Latinorum super negotio Jesu Christi cum omnibus copiis festinaret, maximè pro acquirenda ab impiissimis Barbaris urbe Sancta Hierosolyma, ad quam decreverant proficisci. Si verò recusabat, denuntiabant ei, se nullis promissis aut juramentis sibi præstitis ulteriùs obnoxios esse, nec ea ullatenus servaturos. In hac legatione missi sunt Hugo Magnus Regis Franciæ frater, & Balduinus Haynoniæ Comes, qui quum in manus devenissent Turchorum, Hugo tamen evasit; sed qualis fuerit Balduini exitus ignoratur. Hugo in legatione ipsa sui nominis famam plurimum denigravit. Qui quum esset illustri prosapia genitus, & in exercitu Christianorum munifica liberalitate ac spectata virtute inter cunctos enituisset, nusquam ad exercitum ipsum reversus est, sed ab Imperatore discedens, in Franciam remeavit.

CAP. LIII.

De peste, quæ Christianos invasit in Antiochia.

INterea Latinis in urbe Antiochena adhuc consistentibus contigit & alia pestis, non minus fame crudelior. Lues quidem & morbus sic infecerunt aërem, ut singulis diebus multi morte præventi corruerent. Turmatim ad Ecclesias mortui ferebantur; & quum nulla ferè vivis spes salutis adesset, mortem quisque in januis exspectabat. Vir venerabilis Podiensis Episcopus Hermannus nomine, spectatæ fidei & alti consilii, totius exercitus currus & auriga, hac lue defunctus est, cujus mortem luit & luxit Populus universus. Sepultus est cum magnis exequiis ante fores Ecclesiæ Beati Petri Antiochiæ, loco in quo reperta fuit Lancea Crucifixi. Henricus quoque de Asque tunc occubuit, Princeps quidem magnanimus; & in castro de Torbesel, ad quod hospitandi gratia secesserat, honorificè est sepultus. Raynaldus de Hamelach, stirpis inclytæ, etiam defunctus est, & sub Porticu Ecclesiæ Bati Petri Antiochiæ est humatus. Mulieres quasi omnes hac lue infectæ similiter decesserunt. Inventa sunt diversi sexus & ætatis hac peste durante in ea Urbe mortui ex illo Populo Latinorum plusquam millia quinquaginta. Variæ assertiones hujus pestis vulgabantur in Urbe. Nonnulli dicebant, hoc provenisse ex aëre corrupto, Dei occulto judicio, alii ex immoderata refectione ciborum, quibus famelici abundabant. Hac igitur sæva peste durante, uno omnium clamore popularium maturandum Hierosolymam esse decernunt. Nonnulli tamen Principum usque ad Octobrem propter æstum differendum esse dicebant. Quam sententiam tamdem amplexi, interim Bojamundus in Ciliciam progressus cum armatorum copia, Tharsum, Ardamam, Mamistre, & Anavarze, Civitates obtinuit, easque suis muniens in pace possedit. Multi Euphratem transeuntes, perrexerunt in Ragensem civitatem, cujus erat dominus Balduinus, à quo ingenti lætitia excepti sunt, & muneribus magnis donati. Singula autem, quæ Principes tunc peregerunt, & quas Civitates & Oppida acquisiverunt, hoc omittitur loco, ut sermonis prolixitate vitata, progressus eorum ad Urbem Sanctam Hierusalem exprimatur, ut subsequentia declarabunt.

CAP. LIV.

De primo progressu ad Urbem Hierusalem, Antiochiâ captâ.

VIctoriosus namque Comes Tholosanus, Princeps quidem magnanimus, compassus Christianorum Populo, ducatum quorumdam illum obnixè petentium, qui summo desiderio suæ peregrinationis affectabant vota complere, civitate Marra, quam armis ceperat, incendio consumta, cum trecentis equitibus & decem mille peditibus iter arripuit. In hac autem Civitate morati erant diebus aliquibus, ibique defunctus est Hordensis Episcopus. Et quamquam fuisset opulenta Civitas, tantam nihilominus Christiani perpessi sunt famem, ut etiam carnes Turchorum comederent. Dux Northmandiæ, & cum eo Tancredus Ducis Apuliæ nepos, sequuti sunt Comitem Tholosanum, habentes secum equites mille. Civitates & oppida multa in ipso itinere conquisierunt, felicibus in cunctis prosperari successibus. Inter has Civitates obtinuerunt antiquissimam urbem Archis nomine satis mari contiguam. Est enim in regione Phœnicis in pede montis Libani sita in saxo durissimo, quatuor millia passuum à mari distante; frugibus, pascuis, rivis & fontibus abundat. Hanc, ut legitur, Archeus filius Canahan filii Cham filii Noë fundavit, à quo & Archus denominata est. Captivi ex Christianis,

ſtianis, qui in ea Urbe erant, ac etiam in urbe Tripoli, per ipſos liberati ſunt; nam qui eos in poteſtate habebant, ut exercitus inde diſcederet, dimiſerunt. Tortoſam quoque urbem opulentiſſimam fugientibus incolis habuerunt. Reliquus autem Populus Latinorum, qui adhuc in Antiochia erant, menſe Martio Anno Incarnationis Filii Dei MXCIX. ſub Ducatu Godefridi, & Comitis Flandriæ, arrepto itinere, qui præceſſerant, ſunt ſequuti; quos concomitatus eſt Bojamundus Antiochiæ Princeps uſque in Lichiam urbem Syriæ, ibique compertus eſt univerſus eorum exercitus viginti millia partim peditum, partim equitum armatorum. Deinde reverſus eſt Antiochiam Bojamundus cum ſuis. Eſt autem urbs Lichia antiqua valde in maris litore ſita. In hac Guinemerus, origine Boloninenſis, ſupra maritimam tenebatur incluſus, qui ante Latinorum adventum quum eam voluiſſet ſubjicere, adverſante ſibi fortuna, fuerat à Civibus captivatus. Hæc ſola Urbs in Syria Conſtantinopolitano parebat Imperatori. Precibus autem Ducis Godefridi cum ſuis omnibus libertati reſtitutus, eumdem etiam ſequutus eſt Ducem.

CAP. LV.

De Legatis à Calipha Ægypti tranſmiſſis.

INterea Legati miſſi dudum ad Calipham Ægypti à Principibus Latinorum, dum Antiochiæ obſeſſi eſſent, applicuerunt, cum quibus etiam Legati Caliphæ advenerant. Erat autem legatio à Calipha Ægypti Latinis hac ſecunda vice tranſmiſſa, à prima valde diverſa. Dum enim Latini Antiochiam obſiderent, mandaverat eis ipſe Calipha, quòd ſi contra Soldanum Perſarum viriliter agerent, theſauri & victualium eis copiam miniſtraret. Nunc cùm fortunæ ſucceſſibus animum variaſſet, mandabat, quòd ſi eis concederet, ut ſi CC. aut CCCC. ex ipſis depoſitis armis poſſent Hieruſalem ingredi, grande quid reputarent, ipſum illud eſſe facturum. Quod Chriſtiani audientes commoti ex hoc valde, tale Legatis dedere reſponſum: *Invito Domino veſtro Calipha, omnes ſimul armis accincti, aciebus diſpoſitis, ſigniſque erectis in Dei nomine, ipſiuſque favore viſitaturi intrabimus Sanctam Urbem*. Cauſa enim, quare idem Calipha votum erga Chriſtianos mutaverat, ex hoc prodierat, quòd depreſſâ Perſarum potentiâ ex hac victoria Chriſtianorum contra Corberanum, quidam Admiratus ejuſdem Caliphæ, nomine Emir, eamdem Sanctam Urbem, quam Soldanus Perſarum XXXVIII. annis poſſederat, occupavit. Ex quo Calipha in elationis jactantiam mentem erexerat. Ea quoque tempeſtate Legati Imperatoris Conſtantinopolitani Alexii querelam coram Principibus Latini exercitus de Bojamundo Antiochiæ Principe proponentes, quòd ipſe contra juramentum univerſorum Principum, & ipſius Bojamundi, & pactiones cum eodem Imperatore initas, videlicet ſuper acquiſitione terrarum Sanctæ Terræ, ſuo aſſignandarum Imperio, Antiochenam urbem idem Bojamundus detinens reſtituere contemnebat. Eiſdem autem Legatis reſponſum eſt à Principibus in hæc verba: *Conſtantinopolitanus Imperator Alexius promiſit indiſtanter cum omnibus copiis nobis*

A *adeſſe ſubſidio, & victualia mittere exercitui noſtro opportuna ſub idoneo foro, & quia, neutrum ſervando, fidem infregit, quod ſervare poſſibile ſibi erat, in nullo ad ſibi promiſſa tenemur adſtricti*. Quumque Legati ipſius Imperatoris rogarent Principes exercitus, quòd progredi differentes ejuſdem Imperatoris expectarent adventum, qui maturabatur, aſſuetis ſimulationibus cognitis, eis nullatenus acquieſcere voluerunt.

CAP. LVI.

Caſtrametatio apud Tripolim & Achon. Et de captione urbis Rama.

B PRocedente igitur peregrinorum exercitu, inventaque amœna planicie, quæ ad quinque millia paſſuum à Tripolitana urbe diſtabat, ſua tentoria ibi fixit. Dux verò Tripolitanus, qui pro Calipha Ægypti urbem ipſam tenebat, Nuntios ad Latinorum Principes miſit, ut perceptâ ab eo pecuniæ ſummâ inde diſcederent, indemnatam provinciam relinquentes. Jam enim Calipha humiliatus erat, advertens, quòd Latini ampulloſa ipſius verba nequaquam timebant. Latini autem acceptis quindecim millibus Byzantiis, ac reſtitutis ſibi captivis, quos ex Chriſtianis tenebant Tripolitani, ſumtiſque donis multis in equis, C mulis, pannis ſericis, & vaſis pretioſis, diſceſſerunt inde. Præterea Dux ipſe poſt eos miſit boves, verveces, & victualia multa, ne horum defectu exercitus ipſe pagos regionis offenderet. Inter hæc etiam venerunt ad eos Syrii, quorum exercitus in Monte Libani erat. Ibi quum eſſent ſimiliter Chriſtiani, deſiderio videndi Latinos & aſſiſtendi eis venerunt, oſtendentes eis, quibus itineribus eſſent commodiùs tranſituri. Eorum autem conſilio maritima litora peragrarunt, habentes ſemper non longè ab eis naves victualibus onuſtas, quas Guinemerus, ut dictum eſt, à Latinis libertati reſtitutus, nec non Genuæ, Cypri, D Venetiarum, Rhodi, & multarum Græciæ Inſularum negotiatores per mare ducebant. Habebant quoque à latere lævo Libani montem, & multas urbes, & oppida pertranſibant, à dextris omiſſa urbe Sarepta, in qua fuit Helias, urbem Tyri pevenerunt, & ſupra Fontem, qui dicitur Puteus aquarum viventium, Gallicè verò Fons de Cortilers, caſtra locarunt, amœnis viridariis circumſepti. Deinde per locorum quaſdam anguſtias, inter mare videlicet & montes tranſeuntes, in urbis Achon planiciem deſcenderunt, & in margine cujuſdam fluminis tentoria poſuerunt. Dux Achon ſumma illos hoſpitalitate reci-E piens, victualium copiam & forum illis competens dedit, & cum Principibus exercitus fœdus ſancivit, quòd ſi poſſent Hieruſalem armis ſubjicere, tranſactis inde diebus viginti, Achon eis daret pacificè. Exinde procedens Latinorum exercitus, habens à læva Galilæam, & inter Montem Carmeli ac mare tranſiens, devênit Cæſaream Paleſtinæ ſecundæ Metropolim. Et ibi ſupra rivum caſtrametati Pentecoſtes ſolemnia peregerunt. Poſt hæc applicuerunt urbem Lyddæ, in qua Corpus glorioſi Martyris Georgii requieſcit. In cujus honorem Juſtinianus Imperator Baſilicam ibi mirandi operis fabricavit, quam Turchi audito Peregrinorum adventu igne immiſſo everte-

terunt, ne ipsam Latini munirent; erat enim A foris Civitatem. Interea Flandriæ Comes accitis secum quingentis equitibus in Rama urbe non longè inde perrexit, quam dum à Turchis desolatam comperisset, cunctisque bonis refertam, ascenderant enim Latinorum timore montana, reliquus ibi exercitus properavit. In hac urbe Rama tunc Christiani Episcopum ordinarunt Northmandum quemdam nomine Robertum, in Archiepiscopatu Rothomagensi ortum, eique civitates Lyddam & Rames cum pagis adjacentibus subdiderunt, suæ acquisitionis in eadem regione provincias Beato Georgio offerentes. Tertio post hæc die iter versùs Sanctam Urbem Hierusalem prosequuti sunt cum eorum copiis universis. B

CAP. LVII.

De munitione facta à Turchis causâ tuendi Hierusalem à Christianis.

TUrchi interea, qui Hierusalem habitabant, cognito quòd Latini cum magnis copiis ad Urbem ipsam festinebant, opportunis eam omnibus munierunt. Marram quippe Civitas ferrum, chalybem, & cuncta, quibus obsessi indigent, illis transmisit. Ægypti Calipha, qui noviter ipsam urbem Hierusalem occupaverat, jussit turres, & mœnia reparari, & de novo instrui, & ut eam Turchi inhabitantes strenuè defenderent, immunitatem illis concessit. Unde & multi ex locis adjacentibus ad C inhabitandum eam venerunt. Quumque maligno instigati spiritu omnes Christianos, qui in ea erant, interimere, & Sancti Sepulcri gloriosam Ecclesiam funditus evertere, ac Sepulcrum Dominicum inde auferre decrevissent, ut per hæc Christianis advenientibus spes omnis suæ peregrinationis esset explosa, & numquam devotionis causâ Urbem ipsam visitare curarent, tamdem superna provisio illorum coëgit decreta mutari. Attendentes enim, quòd ex his Christiani adversùs eos implacabile conciperent odium, & in ultionem sumendam ultimum de potentia facerent, crudele D minoraverunt propositum. Præceperunt namque Patriarchæ Hierosolymitano, & reliquis Christianis sub interminatione mortis, & eversioi e cunctarum Ecclesiarum, quòd persolverent quadraginta mille Bysantios. Pro qua quidem pecunia recuperanda quum Christianorum non suppeterent facultates, ad eam persolvendam Patriarcha Cyprum adiit. Quumque soluta fuisset, non contenti adhuc Turchi, sed more ferarum sævientes in Christianos, omnes, exceptis dumtaxat mulieribus & infantibus, ab Urbe ipsa egredi coëgerunt. Inter hæc Christianorum exercitus apud Nicopolim applicuit, sitam in provincia Palestinæ. Est autem Civitas, quam Lucas E Evangelista Emmaus castrum nominat. Ibi Fons oritur, variis infirmitatibus medicinalis, in quo dicitur Christus cum Discipulis advenìens pedes lavasse, & sanctificari Fons ideo meruisse. Tunc Christiani, qui Bethleem Urbem tenebant, nuntios Duci Godefrido miserunt, subsidium implorantes. Timebant enim, ne Turchi, qui ex Civitatibus & oppidis Hierosolymam confluebant, eos invaderent, & Ecclesias eorum everterent. Hæc est Civitas Bethleemitana, veri David ortu insignis, duabus leucis à Hierusalem contra Austrum sita.

Ad hujus Civitatis subsidium tunc missus est Tancredus cum centum equitibus, qui à Clero & Populo processionaliter receptus est, & in Ecclesia, quæ in loco, ubi Virgo Virginum peperit Salvatorem, deductus, & Præsepe ostenso, in quo gloriosus ille puer quievit, Cœli & Terræ Creator. His lætus Tancredus; statim Bethleemitani sub spe firma potiundæ victoriæ vexillum ejus supra Basilicam Beatæ Virginis erexerunt.

CAP. LVIII.

De lætitia Peregrinorum exercitus visa Hierusalem, & de situ ejusdem Civitatis.

INter hæc proficiscens Christianorum exercitus versùs Sanctam illam civitatem Hierusalem, dum eam Peregrini vicinam adesse conspicerent, ò quanta lacrymarum devota effusio, ò quantus præ gaudio gemitus, quantave suspiria pietatis! Omnes enim in spiritu vehementi flexis genibus & corpore prostrato, palmis ad cœlum tensis, discalceati terram deosculabantur, Salvatori gratias agentes, quòd videre meruissent exultationem universæ Terræ, Civitatem Regis magni, in qua sui pretiosi sanguinis effusione dignatus erat Mundum redimere de faucibus diræ mortis. Tunc apparuerunt devotæ peregrinationis insignia, tanto exultantium tripudio, videndo locum gloriæ Salvatoris, ut labores, quos peregrinando subierant, afferrent solatia, & ipsa etiam progrediendi festinatio mora videretur eisdem. Tunc patuit adimpletum, quod dictum fuerat per Prophetam: *Leva Hierusalem oculos tuos, & vide potentiam. Rex enim Salvator tuus vénit solvere vincula.* Quia verò de hac Urbe Sancta dicta sunt & dicuntur quotidie gloriosa, offert se nunc locus de situ ejus, & mirabilibus, quæ in ea facta sunt, aliqua dicere, antequam ad obsidionis initium procedatur.

CAP. LIX.

De situ Hierusalem.

HIerusalem civitas summi Dei, de qua Psalmista loquitur, *fundamenta ejus in montibus sanctis*, sita est in terra montuosa, in circuitu fertilis & bona, præterquam contra Orientem & Jordanem. Est autem in centro Mundi posita, totius Judææ Metropolis. Cui ab Oriente adjacet Arabia, flumenque Jordanis, à Meridie Ægyptus, ab Occidente Mare Magnum, & Philistæorum Terra, à Septemtrione Syria & Mare Cypriacum. Ab antiquis temporibus fuit communis patria nationum, quæ ad Loca sancta colenda illuc de quibuslibet Mundi partibus convenerunt, sicut in Actibus Apostolorum legitur in missione Spiritus Sancti *Parthi, Medi, & Elamitæ* &c. Hæc primò dicta fuit Salem, quam Judæi dicunt Melchisedech in Syria condidisse, & in ea primum Abrahæ panem & vinum in sacrificio obtulisse. Postmodum à Jebusæis dicta est Jebus, quibus tempore David ejectis, qui jam regnaverat in Ebron annis septem, his duobus copulatis nominibus, vocata est Hierusalem. Sed postea à Salomone in melius restaurata, Hierosolyma dicta est, quasi Hierosolyma

rusolomenia, quæ Solona corruptè dicitur à Poëtis. Demum Ælius Adrianus Imperator illam à Tito Vespasiani Imperatoris filio eversam restaurans denominavit Æliam. Fuit à primo in declivi latere montis sita, ab Oriente & Meridie posita ...... Sion & Moriæ montium. Ælius Adrianus Imperator, de quo dictum est, totam Urbem transtulit in verticem montis, sicque locus, in quo crucifixus est Dominus, & Sepulcrum in quo quievit, fuerunt intra mœnia urbis inclusi. *Sed Brocardus, qui Terram Sanctam visitavit annis quindecim, dicit, hoc fabulosum fuisse, asserens, non esse Civitatem alio loco sitam, quàm fuerit tempore Dominicæ Passionis. Tamen dicit in latitudinem fuisse, non in longitudinem ampliatam.*

CAP. LX.

De Vallibus ejus.

Est autem profundissimarum Vallium gyro cincta. Habet enim ab Oriente Josaphat Vallem, in qua est insignis Ecclesia Matris Dei, & ibi creditur fuisse sepulta, ejusque sepulcrum usque in hodiernum diem ostenditur. Desuper est Torrens Cedron, quem Christus Passionis tempore, ut in Johanne legitur, pertransivit. A Meridie est Vallis Hermon, in qua ostenditur ager Alchedemach, quem Judæi XXX. argenteis, quibus Judas Dominum prodiderat, emerunt in Peregrinorum sepulturam. Ab Occidente est Vallis, in qua habetur antiqua Piscina, tempore Regum Juda insignis habita, & protenditur usque ad Stagnum superiorem, qui Lacus hodie dicitur Patriarchæ, juxta vetus Cœmeterium, quod est in loco, qui dicitur Antrum Leonis. A Septemtrione planum iter patet in urbe; ibi locus lapidationis Beati Stephani ostenditur.

CAP. LXI.

De Turri David.

Ut autem jam dictum est, inter duos montes Hierusalem sita, intra mœnia Vallem habet, quæ in duas partes dividit ipsam urbem. Est quoque ab Occidente mons Sion, in cujus vertice est Ecclesia dicta Sion, à qua non procul Turris David habetur. Est autem Turris ipsa in quodam colle præruptæ rupis competenter eminenti, fortè quidem municipium, mœniis scilicet, & barbacanis apparentibus super urbem.

CAP. LXII.

De Ecclesia Sancti Sepulcri.

In descensu verò versus Orientem est Ecclesia Sancti Sepulcri formæ sphericæ, tenens inter cætera Loca Sancta principatum. Est etiam ejusdem fabricæ structura mirabilis. Habet enim per diametrum inter columnas LXXIII. pedes præter absides, quæ habent per circuitum à muro exteriori Ecclesiæ XXX. pedes. Super Sepulcrum Domini, quod est in medio ejusdem Ecclesiæ, est apertura rotunda, ita ut tota crypta Sancti Sepulcri sit sub clivo.

A

CAP. LXIII.

De situ Templi Domini.

Templum Domini in declivo montis Moriæ, qui ad Meridiem respicit, situm est, ubi David Rex porticum emit ad reponendum Arcam Domini, & Salomon mandato Dei Templum ipsum ædificavit, quod Haumarus filius Caraph Principis Arabiæ, ut dictum est supra, restaurari mandavit, à Cosdroë eversum cum ipsa urbe. Circumcingitur autem porticu quadra longitudinis &

B

latitudinis, quantum bis jacere posset arcus, mœniis fortissimis undique septa, & altitudinis mediæ. Ab Occidente duas habet portas, per quas aditus patet ad Templum, quarum una dicitur Speciosa, ubi Beatus Petrus claudum à natura curavit; alio nullo nomine nuncupatur. A Septemtrione etiam est Porta. Similiter & ab Oriente alia, quæ Aurea dicitur. A Meridie sita est Regia, quæ Templum dicitur Salomonis. Super unamquamque Portam super angulos sunt Turres excelsæ, in quibus consueverant Saracenorum Sacerdotes statutis horis ascendere, admonentes Populum, ut oraret. Nunc subversæ sunt, præter aliquas, quæ videntur adhuc. Infra

C

Templi ambitum, sive Atrium, nemini erat licitum habitare, nec non nisi lotis & nudis pedibus introire, quod deputati in singulis Portis custodes diligentissimè observabant. In medio hujus plateæ sive Porticus erat aliud Atrium eminens valde, & per quatuor angulos quadrum, habens aditus ob occiduo & à meridie per gradus. Ab Oriente verò per unam viam ascenditur. In singulis angulis esse consueverunt Saracenorum Oratoria, quorum adhuc quædam apparent. In medio hujus eminentioris Porticus situatum est Templum Domini, octo quadraturis & totidem angulis fabricatum. Muri ejus intus & foris lapidibus marmoreis compacti sunt, mosaico opere mi-

D

rabiliter elaborati. Tectum ejus plumbeum, forma sphericum & artificiosè constructum. Pavimentum platearum, sive porticuum candidis marmoribus stratum. Aqua pluvialis, quæ de Templo descendebat, colligebatur in cisternas, quæ intra mœnia Templi erant. In medio situ Templi, videlicet in platea, quæ intra columnas est, Ara aliquantulum prominet, ubi dicitur, Angelum Domini consedisse, quando propter delictum David dinumerantis gentem suam Populum interemit, nec cessavit à cæde, donec Dominus jussit, ut gladium in vaginam remitteret. Ibi David erexit altare.

E

CAP. LXIV.

De restauratione Templi.

Hoc Templum pro incontinentia Principis & Populi exspoliavit Nabuch per Nabuzardam Principem tempore Regis Sedeciæ. Paulò post Pharao Nechao ipsum Templum delevit, & Urbem. De hujus Templi restauratore, ut nunc est, variæ sunt opiniones. Quidam enim sub Constantino Imperatore ab Helena matre sua reædificatum fuisse perhibent pro reverentia Sanctæ Crucis ab ea repertæ. Alii ab Heraclio Imperatore pro reverentia Ligni Domini, quod de Perside

triumphans tulerat. Alii Justiniano Augusto; alii à quodam Imperatore Memphis Ægypti pro reverentia Aliquibar; idest Summi Dei. Alii, ut supra scriptum est in principio hujus Historiæ, ab Haumaro Principe Ægypti. Et quoniam ipsum colendum ab omni lingua reverenter veneratur, præsens hoc, inquam, Templum tertium prædicatur, cujus in . . . . VIII. die Natalis sui puer Jesus circumcisus est. Ibi à matre sua præsentatus est, & à Sancto Symeone receptus. De eodem ipse vendentes & ementes ejecit. In eo adulteram ab accusantibus liberavit. Ibi laudavit viduæ minuta, quæ totum dederat, quod habebat, in gazophylacium. Ibi dum moraretur in Hierusalem, docebat Judæos, licèt eum æmulantes. Super pinnaculum ipsius Templi statuit eum Diabolus. De ipso fuit præcipitatus Beatus Jacobus primus sub gratia Episcopus in Hierusalem. In eo enuntiata fuit ab Angelo Zachariæ nativitas Beati Johannis Baptistæ. Inter ipsum & altare Zacharias filius Barachiæ Martyr occubuit. Supra altare ipsius sacrificare solebant Judæi turtures & columbas, quod à Saracenis postea mutatum fuit in Horologium, & adhuc videri potest. In hoc autem Templo collocatum erat simulacrum Mahomet, quum Saraceni Sanctam, ut dictum est, Urbem occupassent.

CAP. LXV.

De nomine Terræ Hierosolymitanæ, & fontibus ac piscinis Hierusalem.

Terra autem Hierosolymitana ideo est dicta Judæa, quia dum decem Tribus secesserunt à Roboam filio Salomonis, & Jeroboam adhæserunt, duæ Tribus reliquæ, quæ de Tribu Juda Reges habebant, Judæi sunt dicti; aliæ decem, quæ in Samaria Regis sibi constituerunt, Israël sunt dictæ à populi magnitudine. Fuit quoque priùs dicta Canaam à filio Cham, sive à decem Chananæorum gentibus, quibus expulsis Judæi eam possederunt. Hæc & Palæstina propter Philistæos etiam vocata est. In medio autem Judææ civitas est Hierosolyma, variarum opum dives, unde secundùm electorum gratiam putaverunt Judæi esse promissam fluentem lac & mel. Est quoque velut umbilicus in medio terræ promissionis sita, de quo loquitur Josue Propheta dicens: *A deserto, & Monte Libani, & à magno fluvio Euphrate usque ad mare versus Occasum erunt termini vestri*. Locus, in quo, ut jam dictum est, habetur Civitas, aridissimus est. Caret enim aquis, exceptis pluvialibus. Hiberno enim tempore aqua ipsa colligitur in cisternis, quæ ad usum habitantium per annum sufficit. Legitur tamen quòd extra Urbem fontes esse consueverunt, fluentes in Urbe, sed ab hostibus obstrusi fuerunt. Major ex fontibus fuit Gyon, quem præclusit Rex Ezechias. Gyon autem nunc locus est in Urbe à plaga australi inter Vallem Hermon, ubi est Ecclesia Sancti Purcopæ Martyris, in quo loco Salomon fuit unctus in Regem. Sunt & alii fontes duobus aut tribus millibus passuum ab Urbe distantes, sed pauci & medium fluentes. A plaga etiam meridionali in descensu Vallium est nominatissimus ille fons, Siloë dictus, in quo cœcus à nativitate visum recepit, distans à Civitate passibus mille, qui non jugibus aquis, sed in certis diebus & horis ebullit, & maximè tertia die. Omnis exitus autem fontium & cisternarum circa Urbem usque ad sex millia passuum, Turchi obstruxerunt, audito Peregrinorum adventu, ut aquarum defectu non possent in obsidione morari. Ex quo, ut infra dicetur, gravem aquæ penuriam Christiani perpessi sunt. Qui verò in Urbe erant, ea plurimum abundarunt. Decurrebant enim aquæ subterraneis canalibus in duabus magnis piscinis, quæ in Urbe erant juxta Templum. Ex quibus adhuc videtur, quæ dicta est Piscina Probatica, in qua carnes animalium sacrificii lavabantur; de qua in Evangelio dicitur, quòd quinque porticus habebat, in quibus descendens Angelus movebat aquas; & qui prior post motum Angeli intrabat, sanus efficiebatur. In ea Dominus claudum sanavit. Probatica autem dicta est à *Probaton* Græco, quòd Latinè dicitur *Ovis*. Inde Probatica Piscina ab carnium ovium lotione. Nunc his omissis, redeundum est ad Historiæ seriem, qualiter videlicet Latinorum exercitus Urbem obsedit.

CAP. LXVI.

De initio obsidionis Hierusalem, & dispositione castrorum exercitus Latinorum.

Anno Incarnat. Salvatoris nostri MXCIX. Septima die mensis Junii, Christianorum exercitus ante Urbem Hierusalem castrametatus est. Erant autem numero quadraginta millia sexus utriusque, sed ad prœlium habiles viginti millia peditum, & mille quingentos equites habebant. Reliqui inter imbelles, senes, & debiles, mulieres, & parvuli. Intra Urbem erant electi ad arma quadraginta mille. Multi enim ab Urbibus & oppidis circumstantibus venerant urbis subsidio. Obsidionis itaque initio Christiani consuluerunt quosdam Fideles, qui tunc erant ab Urbe egressi, qua in parte posset Urbs commodiùs obsideri. Advertebant enim, quòd à Meridionali & Orientali plaga profunditate Vallium Urbs inexpugnabilis erat. Communi tamen sententia de creverunt, à Septemtrionis parte castra locare, sic quòd à Porta Sancti Stephani usque ad Portam David locatus est omnis exercitus. Dux Godefridus primum locum obtinuit, post quem Comes Flandriæ fuit, tertium Dux tenuit Northmandiæ, quartum habuit Tancredus juxta Turrim in angulo positam, quæ Turris Tancredi usque hodie dicitur; & cum eo fuerunt multi illustres viri. Ab ipsa Turri quinto loco usque ad occidentalem Portam Tholosanus Comes cum suis campum accepit.

CAP. LXVII.

De Ecclesia Syon.

Tancredus postmodum, quum vidisset se locum non habere ad insultus contra hostes accommodum, supra collem, in quo sita est Urbs, videlicet inter ipsam Urbem & Ecclesiam, quæ Syon dicitur, ab Urbe per jactum lapidis distantem castra mutavit, hac intentione, ut & hostibus sæviùs insultaret, & ab eis Ecclesiam ipsam defenderet multæ devotionis insignem. In ea quippe cum Discipulis Christus cœnavit, & pedes eorum lavit. Ibi

Ibi super Apostolos Spiritus Sanctus descendit igneis linguis. Ibi Dei Genitrix migravit à Mundo, cujus ibi adhuc Sepulcrum ostenditur. Hoc modo castrametato Christianorum exercitu compertum est mediam fermè Urbem obsessam. Quinto verò obsidionis die aggressi sunt Urbem, magnaque virtute pugnantes veluti divini operis pugiles in ipso primo aggressu barbacanas ceperunt, & Turres inter excelsa mœnia everterunt, sic quòd Turchi ex tam virili aggressu destituti animis fuerunt, ut si Christiani instrumenta ad ascensum murorum tunc habuissent, eadem profectò die fuissent Urbem ingressi. Quumque prœlium à mane usque ad meridiem perdurasset, Christiani ad Urbis tunc introitum propter instrumentorum & apparatuum defectum se modicum adverterent posse proficere, signo dato receptui, ad tentoria rediere. Accitis igitur Fabris lignariis, lignorum multâ materiâ præparatâ, festinanter Petrarias, Machinas, Mangana, & alia instrumenta ad expugnandum necessaria fabricari mandarunt. Omnes autem operarii propriis ad hoc opus sumtibus insistebant, pauperibus exceptis, quibus erogabatur merces de proprio. Tholosanus Comes in his & aliis multa largitus est. Nullus ferè operari confundebatur, attendentes se incassum peregrinasse, nisi Sanctam acquirerent Civitatem.

CAP. LXVIII.

De afflictione sitis in exercitu Christianorum, & de adventu Genuensium.

OBsessa igitur, ut dictum est, Urbe Hierusalem, Christianos ex aquæ penuria multa arctari angustia contigit. Turchi enim, ut prædictum est, cognito eorum adventu, fontes, puteos, & cisternas repleverant, quorum tamen nonnullos Bethleemitani eis ostendebant. Non enim fons Siloë illis sufficere poterat, quum nec assiduè scaturiret. Æstus etiam & sitis augmentabat molestias; vehementiùs verò equi & alia jumenta affligebantur ex potus defectu, ita ut sinè custode palantes ad aquas quærendas diu siti languida morte corruerent. Nec minus tunc siti afflicti sunt Latini, quàm in Antiochia fame. Singulis diebus deficientibus peste sitis, numerus minuebatur ipsorum. Sæpe etiam Turchi ipsos Latinos ad Urbes & Oppida pro victualibus discurrentes occidebant, & animalia in Hierusalem cum oneribus deducebant. Multi quoque in ipso exercitu morbo correpti peribant. Nemo ad exercitum superveniebat de novo. Obsessorum autem numerus quotidie augebatur, novoque auxiliarium subsidio & victualium delatione refocillabantur obsessi. Patebat eis siquidem egressus & ingressus à reliqua Urbis medietate, quam non cingebat obsidio. Laborabant præterea continuè super defensionum apparatibus, quorum materia plurimùm abundabant, præmuniti ea ante Latinorum adventum. Christianos, qui tunc in Urbe erant, immani servitute gravabant, ita ut mortuis inviderent. Inter hæc nuntiatum est Latinorum Principibus, Januenses naves Portum Japhet appulisse. Requirebant Januenses ab ipsis Principibus comitatum, quo securi ad exercitum ipsum venirent; quumque Tholosanus Comes LXXX. equites & L. pedites direxisset ad eos, contigit eos cum Turchis confligere. Erant enim sexcenti in equis; quibus in fugam à Latinis conversis, ducenti ex eis interemti sunt, ex Christianis verò sex, inter quos duo viri generosi fuerunt Gilebertus Treverensis, & Aycardus de Montemelle. Victoriosi autem ad Portum Japhet pervenientes Latini à Genuensibus gaudenter excepti sunt. Nocte verò sequenti clam supervenerunt Ægyptii cum classe eorum, quam habebant in Calidoniæ portu. Quibus dum Januenses non posse resistere adverterent, statim recollectis armis, velis, funibus, & quibuscumque aliis, se intra Japhet municipia receperunt cum his, quos Comes miserat Tholosanus. Erat autem Civitas ipsa paulò ante ab incolis Latinorum metu relicta. Post hæc ad exercitum pervenerunt, quorum adventus ad præparamentorum hostilium fabricamenta, utpote virorum expertorum in talibus, fuit valde perutilis, brevique tempore omnia sunt peracta.

CAP. LXIX.

De pace & processione facta ab exercitu Latinorum.

POst hæc Prælatorum suasu ac monitione salubri facta est inter Christianos exercitus pax universalis, & omnium injuriarum remissio, & solemni processione profecti sunt nudis pedibus ad Montem Oliveti, triduano priùs servato jejunio, contritis animis, piisque lacrymis Domino supplicantes, ut pietate solita dignaretur sui Populi acceptare servitia, & per eos hæreditatem suam eximere de manibus Barbarorum. Petrus Eremita à parte una, & Arnoldus Ducis Northmandiæ Capellanus, vir admodum literatus ab alia, fecerunt sermonem ad Populum, blandis eos monitis, & exemplis efficacibus inducentes & hortantes, ut viriliter assumerent negotium Jesu Christi; eligibilius fore asserentes illos in hoc mori, quàm vivere, ac felicius pro Christi confessione mortem in gloriam commutare, quàm subjici miseriis & ærumnis vitæ præsentis. Cum multis itaque lacrymarum profluviis, processione devotè peracta, descendit exercitus de Monte ipso Oliveti, qui est in opposito Hierusalem à plaga orientali circa mille passus distante ab ipsa urbe, in quorum medio Vallis est Josaphat; vênitque ad Ecclesiam Montis Syon, quæ, ut dictum est, sedet à parte Australi in ejusdem vertice montis posita. Saraceni, qui in Urbe erant, Turres & mœnia ascendentes, mirabantur super his, quæ Latini agebant, & in eos sagittas & spicula jaciebant. Supra Cruces etiam, quas ad mœnia deferebant, horrenda quæque non verebantur committere. Quibus Christiani magis ac magis animabantur ad ulciscendas injurias Jesu Christi. Processione peracta, communi omnium voto dies statuitur ad pugnam, opportunis omnibus præparatis ad mœnia expugnanda. Sed ipsa nocte dies pugnam præcedente, Dux Godefridus, Comes Flandriæ, & Dux Northmandiæ, Principes magnanimi, quum à parte obsidionis Urbs ab hostibus esset ad defensionem munita, industria mirabili rem mirabiliorem aggressi, castella lignea, machinas, & alia expugnandi præparamenta, nondum simul com-

compacta, ad partem aliam Urbis, cujus munitionibus Turchi parum intenderant, deferri fecerunt. Sicque noctem illam ducentes insomnem, ante ortum Solis omnia præpararunt, erigentes castellum tantæ altitudinis, ut in eo consistentes ferè adhærerent hostibus, qui in parva Turri erant. Quod quum mane Turchi vidissent, tantò tamque subito opere stupefacti sunt. Distabant enim erecta instrumenta à castris per dimidium milliare. Erant etiam & alia instrumenta à cæteris Principibus erecta; atque disposita in stativis eorum: nec non nisi pugna restabat, ad quam Christiani unanimiter aspirabant, disponentes potiùs mortem subire, quàm à tam pio tamque necessario Christi negotio resilire. Senes quoque obliti ætatis, infirmi ægritudinis immemores, mulieres & parvuli imbecillitatis sexus & ætatis ignari, ipsum prœlium capescebant.

CAP. LXX.

De secundo prœlio contra Urbem Hierusalem.

MAne itaque facto, quo fuerat pugnare decretum, Christiani signo Crucis muniti, & armis accincti durum inchoant prœlium, quo usque ad horam fermè Vesperarum productum est. Tanta ibi erat hinc inde lapidum & sagittarum ac spiculorum emissio, ut ex collisione condensa igne aërem illustrarent. A tribus partibus Urbis tam viriliter pugnabatur, ut ubi Mars duriùs insisteret, non esset facilè judicare. Christiani totis insistebant viribus ad replendum fossas, ut castellum possent ad mœnia Urbis deducere, quæ tamen profundissimæ erant. Sed Turchi ex adverso viriliter resistebant; crebrò in ipso castello ignem jacientes, ita ut stupendum esset videre sagittas ardentes, sudes ignitas, & ollas sulphure, pice, oleoque refertas, lapidum quoque contusiones assiduas, quibus castellum mirabiliter impetebant; pugnatores, qui in eo erant, lædentes interdum. Latini autem indefessè pugnantes, vino & aceto ignem extinguebant immissum. Habebant asseres & ligna, quibus contusiones assiduè reparabant, & ipsum obfirmabant castellum. Ictus tamen petrariarum & machinarum Christianorum non multum lædebant mœnia Urbis. Turchi tamen saccos fœno, bombacine, lana, & foliis plenos, ingentes quoque chordarum & funium globos, & magna tentoriorum & papilionum involucra ante ipsa mœnia obfirmaverant, quæ lapidum ictus reciperent. Erat etiam ipsis Turchis balistarum, arcuum, tormentorum, machinarum, & aliorum hujusmodi copia longè major, quibus ad ipsum Christianorum progressum viriliùs ac faciliùs resistebant. Tamdem hoc dirum & discriminosum prœlium, stupendumque aggressum nox ipsa subsequuta diremit. Dimissis igitur, qui Castelli præessent custodiæ, & receptui signo dato, cæteri ad castra pro fovendis & curandis corporibus redierunt. Turchi quoque ad mœnia defensores strenuos dimiserunt. Timebant enim, ne Christiani scalis nocte mœniis appositis Urbem intrarent. Excubias etiam deputarunt nocte tota circumeuntes Urbem, & Turrium ac mœniorum sollicitantes custodes. In iis siquidem ipsius & liberorum, & conjugum, & omnis substantiæ tutela pendebat. Christiani, qui ad castra redierant, non quidem lassitudinem sentiebant, sed in ipsa pugnandi hesterna instantia etiam se se pigritasse dicebant, ipsumque ad pugnam reassumendam desiderium potiùs affligebat, quàm eos hesternum prœlium aggravasset.

CAP. LXXI.

De tertio prœlio, & inspiratione ad pugnam mirabili.

SCintillante igitur lucis aurora iterum prœlium læti viriliter reassumunt. Alii ad petrarias & machinas concurrunt, alii Castellum ligno fabrefactum ascendunt; arcubus & balistis sagittas creberrimè jaciunt, lapides & spicula manibus fulminant. Alii castellum nituntur ad mœnia vehere; sed Turchi ad defensionem non segniter se habent, sed ictibus innumeris vices Christianis rependunt. Et quamquam multi hinc inde mortales corruerent, nulla tamen à superstitibus in tam arduo, tamque discriminoso prœlio pusillanimitas apparebat.

CAP. LXXII.

De maleficis mulieribus.

COntigit porrò in ipsius pertinacia pugnæ, quod non est silentio omittendum. Quum enim Christiani petrariam ingentem haberent, quam *Cabable* vocabant, cum qua immensos lapides jaciebant, Turchi diffisi eam mole sua & compaginationis artificio non posse confringere (neque enim lapides aut ignem propter ejus distantiam immittere poterant) veteranas duas maleficas mulieres evocarunt, ut ipsam petrariam suis carminibus sive incantationibus fascinarent. Quæ statim accitis secum puellis tribus murum ascenderunt, & dum suas profanas incantationes inchoassent (mirabile dictu!) petraria ipsa lapidem ingentem emittens, jactum divina dirigente virtute, percussit maleficas, & ad terram collisis cadaveribus, infelices earum animas inferis reddiderunt. Tunc Christiani una voce conclamantes *hu hu*, in risum magnum moti sunt; sed Turchi valde turbati, ex hoc autumantes infelix sibi augurium pervenisse. Quumque usque ad horam meridianam prœlium perdurasset, & Christiani multum laborantes armis modicum profecissent, de victoria diffisi, illos pertæsum est prœlii. Dumque machinas confractas, & fumantes retrahere, & prœlium in crastinum differre statuerent, ex quo Turchi in multam elati arrogantiam, multis jam conviciis Christianos exprobrarent, solita Christi pia clementia miraculosè dignata est clientulis suis assistere. Apparuit siquidem in Monte Oliveti cunctis videntibus & stupentibus miles quidam, qui relucenti clypeo Christianis discedentibus regressum innuebat ad prœlium. Hunc nemo novit, neque postmodum visus est. Dux verò Godefridus, & Eustachius ejus frater, qui ad castellum remanserant, dispositurí quæ ad reducendum machinas incumbebant, viso militis signo discedentes ad prœlium instanter hortantur regredi, & victoriam pollicentur. Fa-

Factum est denique, ut eo inspirante, qui manus suorum docebat ad prœlium, tanto applausu singuli reverterentur ad pugnam, ac si nullo prœliandi lacessiti tœdio, victoriam jam viderent. Qui in castris vulnerati jacebant, valetudine miraculosa resumta ad prœlium festinabant. Acierum Duces, ut cæteri animarentur, & primi erant, & primos excipiebant hostium ictus, seque inter confertissimos hostium cuneos immittebant, unde reliqui magìs ac magìs afficiebantur ad pugnam. Mulieres quoque Christi pugiles hortabantur fortiter prœliari, & inter acies discurrentes, eisque potum prœliantibus ministrabant. Tamdem alacritate ac virtute tanta pugnatum est, ut repletis foveis Christiani fortem obtinuerint barbacanam, & ad Urbis mœnia castellum perduxerint, & funes, quibus tentorium involucra, & alia ante mœnia posita ad jactus lapidum recipiendos pendebant, incidentes ante castellum locarunt, ut castelli pontem depositum sustinerent. Erat enim ex fragili lignorum materia, ita quòd armatorum impressionem transeuntium non potuisset commodè sustinere.

CAP. LXXIII.

De ingressu Christianorum in Hierusalem sub Duce Godefrido.

DUm hæc aguntur in Urbis parte Septentrionali sub Duce Godefrido, Tholosanus Comes cum reliquis, qui in Australi parte pugnabant, repletâ triduo foveâ profundâ, jam muros Urbis attigerat, & tornellam unam scindebant. Et licèt cor humanum cogitare non possit, quanto à Latinis pugnaretur ardore, ex responso tamen viri Dei, qui in eremo Montis Oliveti morabatur, victoriam eo die futuram prædicentis, mirabilis illis bellandi crevit audacia, non immemores, militem gyrantem clypeum se quoque vidisse. Hoc igitur bino aggressu felicitati Latini, Cœlorum Dominus illorum acceptasse obsequium, patenter ostendit, dum jam conquassatis hostium viribus usque ad mœnia omnia possiderent. Quumque jussu Godefridi hi, qui in castello ligneo erant, ignem saccis mœniis appositis, bombicine, fœno, & sarmentis refertis immisissent, nubes adeò fusca & condensa orta est, ut visum omnium offuscaret. Sed Aquilone flante conversa est ad eos, qui mœnia defendebant, quorum ita obtenebravit visus, & confudit auditus, ut coacti sint à mœniis & propugnaculis discedere. Quod dum Godefridus, Princeps quidem in agendis bellicis circumspectus, primùm advertisset, statim jussit castelli pontem deponi, primusque funibus obfirmatum transiens, Sanctam Urbem intravit, & cum eo Eustachius frater ejus. Hos sequuti sunt Bertoldus, & Gilbertus fratres natione de Tornaco, viri strenui atque magnanimes. Post eos tantus succedit concursus intrantium, ut præ mole ipsorum multitudinis pons ferè deficeret. Custodes autem Turrium dum adverterent impressionem intrantium, & supra mœnia Godefridi vexillum, relictis Turribus in urbem descendunt, & in viarum angustiis intrantibus se opponunt. Qui verò in castris erant, comperto quòd magna pars eorum urbem intraverat, & Turres nonnullas ceperant, non ex-

A spectato mandato scalas ad mœnia erigunt, & festinanter ascendunt. Singuli quidem bini milites unam scalam habebant, sicut jusserat Godefridus, qui per mœnia & propugnacula discurrens, in eis ascendentes locabat ad fortilitias obtinendas. Ascenderunt itaque Principes inclyti post Godefridum & fratrem, scilicet Flandriæ Comes, Dux Northmandiæ, Tancredus Apuliæ, Hugo Senior Comes Sancti Pauli, Balduinus de Borch, & alii, quos enumerare esset difficile. Quorum dum agnovisset introitum Godefridus, Portam Sancti Stephani fractis repagulis aperiri mandavit. Quo facto, summa festinantia & celeritate mirabili cunctus in urbem Latinorum intravit B exercitus. Erat autem tunc Feria Sexta, hora Nonæ. Nec quidem absque divino mysterio hæsitandum hac die & hora illud à Domino esse factum, quòd simili die & hora pati mortem voluit, ut nos redimeret peccatores.

CAP. LXXIV.

De ingressu Christianorum in Templum.

FActo igitur Christianorum, ut dictum est, in urbe congressu, singuli per urbem discurrunt, & nulli ex hostibus parcentes sexui, vel ætati, quotquot inveniunt, eos gladiis tru- C cidant. Brevi autem tanta fuit per urbem occisorum strages, & acervi cadaverum tam ingentes, ut sicut torrens decurrente cruore plateæ & viæ urbis eisdem cadaveribus replerentur. Quumque in centro urbis jam pervenissent, Turchos imperterritè occidendo, Tholosanus Comes, & qui cum eo erant in obsidione urbis à parte Meridionali, horum ignari, adhuc urbem strenuè oppugnabant, contra quos Turchi viriliter resistebant. Sed tamdem invalescente clamore eorum, qui intraverant, & ejulatibus occisorum, Turchi ibi resistentes Comiti atque suis, convertuntur in fugam, solùm salutis latebras quæritantes. Qui fugæ præsidio evadere poterant, se ad urbis D municipium convertebant. Comes igitur Tholosanus his visis, deposito ponte castelli, quo urbem expugnabat, in eam descendit, & cum eo Isoardus Comes de Dia, Episcopus de Albare, & nonnulli alii proceres. Reliqui scalis ad mœnia appositis ascendentes similiter intraverunt. Qui per urbem incedentes, hostes sibi obvios trucidabant, nec tunc erat in fuga subsidium. Qui enim manus Godefridi & suorum evadebant, non poterant effugere gladios Comitis Tholosani. Nulli erat propositum à gladiis abstinendi. Stupendum & horrendum erat stragem conspicere occisorum. Porrò quum in Atrio Templi confugisset hostium multitudo mirabilis, tum quòd locus in E urbe sacratior, tum munitione securior, Tancredus tamen Ducis Apuliæ nepos, quem magna pars exercitus sequebatur, Templum aggressus est, & breviter illud cepit, nec sinè maxima internecione Turchorum; prædam opimam inde recepit, quam postmodum communem cum reliquis habuit. Concurrentes autem cæteri Christiani, qui in Templo Turchos audierant confugisse, omnes in ore gladii posuerunt, tantaque cæde in eos debacchati sunt, ut usque ad equorum genua in sanguine equitarent. Meritò autem hoc eis in eo loco contigit, ut qui Mahometi sordibus Templum Domini profanaverant, ibi effusione pro-

proprii sanguinis pœnas meritas luerent. Inventa sunt autem solùm intra Templi Atrium plusquam decem millia occisorum, exceptis qui per urbem corruerant. Et quia ante urbis ingressum erat decretum, ut singulæ ædes singulorum capientium essent, unusquisque Principum & militum captas ædes signabat. Ante verò quàm arma deponerent, singulis Turribus & propugnaculis deputaverunt custodes. Timebant enim, ne circumstantium urbium, & locorum incolæ, qui Turchi sive Saraceni erant, clàm simul coadunati & Christianis insciis, urbem subitò introirent.

A

CAP. LXXV.

B

De processione Fidelium capta Urbe & apparitione defunctorum.

CApta itaque, ut dictum est, Hierusalem Urbe Sancta, trucidatisque hostibus, & custodiis deputatis, Christiani armis depositis, loti corpora, & vestes mundas induti, nudipedes Loca Sancta, quæ Christus sua corporali præsentia sanctificaverat, cum multis lacrymis visitarunt, terram ipsam deosculantes, quam beati pedes calcaverant Jesu Christi. Clerus verò & Populus Christianus, qui in Urbe morabantur, quoscumque Turchorum sæva barbaries variis pro Christo tormentis oppresserat, de tanta læti victoria, solemni processione Principibus & reliquo exercitui obviam venientes, illos cum canticis, & gratiarum actionibus ad Sepulcrum Domini perduxerunt. Pium autem erat & jucundum pariter, solemnem illam processionem videre Principum, atque fidelium Populi Christiani, qui præ gaudio tantæ victoriæ in Crucis effigiem in terram positi ante ipsum Sepulcrum devotas lacrymas effundebant. Tanta quippe erat lacrymarum ubertas, tantusque suspiriorum gemitus, ac si ipsum Christi sacratissimum Corpus in eodem Sepulcro quiescere cernerent. Tanto deinde tripudio cordibus exultabant, tantoque jubilo Salvatorem Dominum collaudabant, quòd diem meruissent desideratæ lætitiæ conspicere, qua per labores ipsorum erepta erat Sancta Civitas de manibus impiorum, ut ipsum vitæ residuum fastidium reputarent, ad supernam Hierusalem anhelantes. Tantisque tamque profusis eleemosynarum largitionibus intendebant, ut de temporali ipsorum substantia curare modicum viderentur, nec Loca Sancta Urbis visitando ullis poterant itineribus fatigari. Ipsa quoque die, qua capta est Civitas, multorum Fidelium assertione recolendæ memoriæ Haymarus Podiensis Episcopus, qui in ea peregrinatione Antiochiæ defunctus, tantis in exercitu virtutibus claruerat, in eadem Urbe Sancta apparuit, typum repræsentans lætitiæ, quem & multi & fide digni referebant, primitus eum vidisse mœnia conscendentem, & ipsum sequi alios invitantem. Alii etiam nonnulli Peregrini, qui in ipso itinere pro Christi amore occubuerant, eadem die manifestè multis apparuerunt visitantibus Ecclesias Urbis & alia Sancta Loca. Ex quo pia fidelium credulitas meritò tenere potest, Dominum & Salvatorem hanc Urbem Sanctam sibi præ cæteris elegisse, qui etiam mortuis in ejus peregrinatione vitam restituit, ut pia vota complerent. Dignatus est præterea & in hoc illud antiquum renovare miraculum, quando in ejus resurrectione *multa Sanctorum Corpora, quæ dormierant, surrexerunt*, & apparuerunt multis in Sancta Civitate Hierusalem. Nec immeritò hujus miraculi innovatio habita est in hac die, qua quodammodo Christus in Urbe sua iteratò resuscitasse visus est, dum de cruenta Barbarorum servitute suam Urbem Sanctam legibus, immo illusionibus Mahometi profanatam, & veluti mortuam restituere ad vitam dignatus est Fidei Christianæ. Tunc adimpletum est quod dixit Dominus per Prophetam: *Lætamini omnes cum Hierusalem, & conventum facite, qui diligitis eam.* Pauperes Christiani, qui in Hierusalem morabantur, & barbaram passi fuerant servitutem, quum vidissent virum venerabilem Petrum Eremitam, hujus sanctæ peregrinationis initiatorem, quem quinto jam anno elapso primùm in Hierusalem agnoverant, statim profusis lacrymis ad ejus genua procumbentes, tamquam suæ libertatis Deo auctore ministrum, magnis excipiebant applausibus, Salvatorem in eo Dominum devotissimè collaudantes. Eo quoque tempore Patriarcha Hierusalem non erat in Urbe. Perrexerat siquidem Cyprum, petiturus à fidelibus eleemosynam, qua Christiani, qui in Hierusalem erant, explere possent barbaræ avaritiæ sitim, interminantis assiduè eversionem & gladium.

C

CAP. LXXVI.

Qualiter purgata Urbe, & spoliis in commune redactis, instituta est dies captionis Urbis semper haberi solemnis.

POstquam autem Principes & universus Christianorum exercitus solemnem expleverunt processionem, Sancta Urbis Loca cum psalmodiis & orationibus visitantes, communi omnium decreto purgata est Civitas cadaveribus mortuorum, ne fœtore mortifero aërem corrumpi contingeret. Et factis profundis foveis, ipsa cadavera inibi injecerunt, terra operientes, nonnulla cremantes, vento infames eorum cineres tradiderunt. Auri & argenti, vestium, lapidum pretiosorum, frumenti, vini, & olei opima præda in communi deducta est, & sub hasta vendita. Pretium quoque in commune redactum. Post hæc quieti, curæque corporum operam impenderunt universi. Sed ne quoque tantæ gratiæ apparerent ingrati, assensu omnium stabilitum est, ut illa recolenda dies, qua Sanctam Urbem intraverant, solemnis perpetuò à Fidelibus haberetur, in qua annuatim ab omni servili opere desistentes, divinæ laudi vacarent, & pro fidelibus defunctis Peregrinis Christi misericordiam implorarent. Inter hæc quum Turchi, qui se in Urbis municipio, quod Turris David dicitur, reduxerant, adverterent, quòd Sancta Civitas erat in Christianorum libera potestate, nullius quoque spem sibi restare subsidii, pacta salute, & indemnitate personarum & rerum cum Comite Tholosano, securoque eis ab ipso Comite præstito conductu usque Ascalonam, eidem Comiti municipium tradiderunt. Capta est itaque in hunc modum urbs Sancta Hierusalem Anno Incarnationis Verbi Dei MXCIX. Idibus Julii, qui fuit XV. dies mensis ejusdem, Feria VI. circa horam Nonæ, XXXIX. obsi-

D

E

obsidionis die, Anno III. peregrinationis inceptæ, Anno verò circiter CCCCLX. ex quo sub Heraclio Imperatore secunda vice capta, possessa est à Saracenis; sedente autem Romæ Apostolico Urbano hujus nominis II., imperante Henrico hujus nominis IV. Imperii scilicet ejus Anno XLIV., regnante Philippo Rege Francorum hujus nominis I., imperante Alexio Constantinopolitano Imperatore, regnante in Anglia Willelmo hujus nominis II. filio Willelmi Nothi. Circa quæ tempora Grandimontensium, Carthusiensium, & Cistercienfium Ordines inchoarunt.

CAP. LXXVII.

Qualiter Christiani Godefridum Lotharingiæ Ducem in Regem Hierusalem elegerunt.

HAc igitur peracta tam memorabili, quàm mirabili victoria, postquam quieti & curæ corporum diebus VIII. Christiani vacassent, ad disponendum rei publicæ statum animos converterunt. Congregatis itaque Principibus universis cum omni Populo & orationibus ad Deum fusis, & Sancti Spiritus gratiâ devotissimè invocatâ, qua cordibus eorum divinitus inspiratis dignum possent eligere, qui ad Regni Hierosolymitani fulcienda gubernacula sufficiens haberetur, per viam tamdem scrutinii procedere decreverunt. Spretis allegationibus Cleri, cujus pars maxima auctore Calabritano quodam Episcopo civitatis Marterainæ, fastu potiùs superbiæ, quàm Dei zelo ducti, prætenderet primitus esse de Patriarchæ electione tractandum, quum spiritualia forent temporalibus digniora. Sed quum Clerus ipse defuncto bonæ memoriæ Podiensi Episcopo, ejusque successore Willielmo Auraxiæ Episcopo, destituti Pastore, facti essent Clerici in lasciviis & aliis illicitis effrenes, & ipsis Laicis deteriores, eorum verba pensi modicum habuerunt. Electi sunt ex Principibus quatuor spectatæ virtutis, & integerrimæ fidei scrutatores, qui per viam scrutinii singulorum Principum scrutarentur vitam & mores, & omnium virtutes & merita diligentissimè indagarent. Dum autem electi sua solemniter scrutinia peragerent, perventumque esset, ut de virtutibus & vitiis Godefridi Principis à notis, familiaribus, & secretorum ejus consciis sub attestatione divini judicii & jurisjurandi religione exactissimè perquirerent, compertum est in hoc solùm reprehensionis sibi notam adscribi, morem sibi inesse nonnullis molestum, quòd videlicet expleto divino Officio, Sanctorum imaginum contemplationi adeò erat deditus, & in percontandis Sacerdotibus super ipsis sollicitus, ut non sinè grandi difficultate posset à collateralibus suis ad Ecclesiæ egressum induci. In audiendis quoque Sanctorum Historiis sic erat avidus, ut crebrò consociis & domesticis inferret tœdia, horam epulandi & cœnandi multoties prætermittens. In reliquis autem virum strenuum profitebantur, & in cunctis actibus gratiosum, meritoque ad Regni gubernacula præferendum. Peracto scrutinio dum facta à scrutatoribus collatione meriti ad meritum, zeli ad zelum, numeri ad numerum, super singulis Principibus nominatis, longè plures tamdem reperti sunt, qui in Godefridum Principem direxerant vota sua. Sed magna pars afficiebatur etiam ad personam Comitis Tholosani, & nisi quidam ipsius familiares & noti, aviditate repatriandi, ne ipso in Regem electo morari cogerentur, ejus nomini detestati essent, de parilitate meritorum quidem cum Godefrido, ut rebatur à multis, fuisset inter scrutantes variè disputatum. Godefridus itaque Lotharingiæ Dux Hierosolymis est electus in Regem, & magnis cunctorum applausibus ad Ecclesiam Sancti Sepulcri deductus Christo Domino præsentatus; qui rogantibus Principibus, ut in titulum regiæ dignitatis & moris coronam assumeret: *Absit*, inquit, *ut in ea Urbe coronatus incedam aureo diademate, lapidibus pretiosis insignito, in qua Dominus noster Jesus Christus pro salute Fidelium coronam spineam detulit, quæ ad ipsius honorem regium satis sibi sufficere videbatur*. Et quòd ex hac pia causa coronari recusavit Christianissimus Princeps, nonnulli catalogo Regum Hierusalem non computandum esse dixerunt, quod certè ineptum videtur & præsumtuosè dictum; ut quod ex tanta humilitate & ad seculi pompam evitandam facere voluit pro reverentia Jesu Christi, contra Regni & nominis sui gloriam adscribatur.

CAP. LXXVIII.

De prosapia & bonis initiis Godefridi Regis Hierusalem.

FUit autem illustris Princeps Christianissimus Godefridus Hierosolymorum Rex; inclytus, Eustachii Comitis Boloniæ filius. Qui per maternum genus ad Magni Karoli spectabat lineam. Est autem Bolonia Oppidum, olim civitas satis inclyta supra mare in Episcopatu de Torrovene sita. Ipse etiam pater ejus magnis virtutibus Deo & hominibus carus fuit, & in seculo potens. Mater ejus, Yda nomine, generis sublimis exstitit, sed cordis magnanimitate sublimior, Godefridi Bochæ Ducis Lotharingiæ soror, qui sinè liberis decedens, nepotem hunc Godefridum Ydæ sororis suæ filium in filium adoptavit, & Ducatus Lotharingiæ reliquit hæredem. Hic à Bugliono castro cognomentum de Bugliono sortitum est. Est autem in Ducatu Lotharingiæ, quod in patrimonium Ecclesiæ Beato Petro obtulit, quando peregrinationis hujus iter assumsit. Causa autem voti transfretationis hæc fuit. Quum enim Imperatori militaret Henrico, hujus nominis IV. contra Hildebrandum, qui dictus est Gregorius Papa hujus nominis VII. & oppugnando Romam, partem muri, quæ sibi obtigerat, primus irrupisset, & præ nimio labore postmodum ac siti vinum nimis hauriens febrem quartanam incurrisset, auditâ famâ viæ Hierosolymitanæ, illuc se iturum vovit. Quo emisso vires ejus mox penitus refloruerunt. Tres fratres ei fuerunt, viri quidem strenui, scilicet Balduinus, qui fuit postmodum Ragensis Comes, & post ipsum Godefridum Rex Hierosolymitanus. Eustachius patri suo æquivocus, & in Boloniensi Comitatu successor, & hæres, cujus filiam, nomine Mathildem, Rex Angliæ duxit in uxorem. Hunc etiam Eustachium defuncto Balduino, qui Godefrido Regi successit, Principes Syriæ per Legatos invitarunt, ut ad fraternum suscipiendum Regnum veniret; sed for-

fortunæ suæ contentus renuit acceptare. Tertius dictus est Willelmus, vir quidem fratribus suis non impar virtutibus. Quamquam autem hi omnes claris orti parentibus, moribus etiam clarerent & viribus, Godefridus tamen & natu prior virtutibus effulsit potior. Fuit quidem Princeps in judicio justus, rectus in causis, invidiæ nescius, divini timoris cultor, supra cunctos religiosis reverens, virtuosorum quoque promotor, in verbis constans, pompas & blanditias fugiens. In eleemosynis magnificentissimus divini Officii assiduus & intentus auditor, in orationibus sedulus, domesticis affabilis, & cunctis pariter gratus. Fuit præterea forma corporis proceritate communi, minor quidem ex maximis, & inter magnos mediocris, fortitudine præcipuus. Brachia ejus spissa, pedes quadri fuerunt; facie satis rubicunda decorus, crinibus flavus, & multum patiens laboris armorum. Tantis igitur dotatus gratiis Princeps generosus meritò est assumtus in Regem, cujus & fratrum duorum sequentium futuram promotionem insignem mater ejus jam dicta, veluti spiritu afflata prophetico, divino quodam vaticinio, in hunc modum prædixit. Dum enim ipsius parvuli ejus filioli puerili more simul jocarentur, & in tripudium soluti se se invicem insequentes, sub pallio matris confugerent, pater eorum casu advênit. Qui videns pallium moveri, & filios non advertens, quòd sub clamyde essent, conjugem percontatur. Illa verò statim respondens ait: *Tres*, inquit, *sunt filii tui, magni futuri Principes. Prior enim natu Dux, & Rex. Secundo-genitus ejus successor. Tertius Comes erit*. Quæ omnia, ut prædixerat, contigerunt. Fuit enim Godefridus Dux Lotharingiæ per successionem avunculi, factus postmodum Hierusalem Rex. Cui Balduinus secundo natu successit in Regno. Tertius verò Eustachius à patre eorum in Comitatu suo relictus est hæres.

CAP. LXXIX.

De processu Comitis Tholosani à Hierosolymis, & Arnoldo Patriarcha, & inventione Ligni Dominici, & dispositione Ecclesiarum Regni.

Godefridus igitur, ut dictum est, Hierosolymis in Regem assumtus, considerans, quòd non plenè Urbis dominio potiretur, nisi municipium ipsius, quod Turris David dicitur, possideret, quam Turrim Turchi Tholosano Comiti tradiderant, Comitem, ut eam sibi assignaret, modestè rogavit. Quumque assignandi eam daret inducias, dicens, se in brevi transfretaturum proposuisse, & tunc eam sibi restitueret, & Rex se penitus eam velle diceret, aut Regnum relinqueret, & ad Comitis pertinaciam, Regisque instantiam multi hinc inde suasores essent, tamdem communi omnium assensu data fuit in manibus Albariæ Episcopi, qui post modicum eam Regi restituit, asserens se violentiam passum. Ex quo turbatus Comes, eos ingratos reputans, quibus in ipsa peregrinatione munificus in multis exstiterat, suadentibus quoque suis, qui discedere affectabant, de Hierusalem egressus est, & veniens ad flumen Jordanis, in eo se lavit, & inde discessit ad propria. Tunc & procuratione Episcopi Marterainæ regionis Calabriæ, qui multæ seditionis & discordiæ in ipsorum Christianorum exercitu auctor exstiterat, & ad se multorum animos traxerat, fultus maximè præsidio Ducis Northmandiæ, cujus fuerat commensalis, Hernoldus quidam ipsius assentator facinorum in Patriarchatus Sedem intrusus est. Erat autem Arnoldus iste filius Sacerdotis, & nondum in Subdiaconatus ordine constitutus, tamque spurcissimæ vitæ, ut de ipso à pueris cantaretur. Eo quoque tempore Lignum Crucis vivificæ repertum est, quod in Ecclesia Sancti Sepulcri ante captionem Urbis à Christianis timore Turchorum absconditum fuerat. Hoc Lignum invênit Syrus quidam in argentea theca repositum. Quod cum processione solemni, & ingenti lætitia multisque lacrymis in Templo Domini reconditum est. Reputantes hoc tanto lætificati & ditati thesauro, ipsum Christi Corpus pendens in Ligno vidisse. Post hæc Rex Godefridus felicem statum zelans Ecclesiæ, consilio Episcoporum & Cleri, primùm in Ecclesia Sancti Sepulcri, deinde in Templo Domini Canonicos instituit, magnisque illos ditavit reditibus. Decrevit quoque, ut omnes Ecclesiæ Regni secundùm consuetudines & statuta Cathedralium Ecclesiarum Regni Franciæ disponi deberent. Quod decretum non caruisset effectu, si vitam illi diuturnam Dominus contulisset. Monachis, qui cum eo de Lotharingia venerant, & divina officia assiduè celebrabant, Abbatiam in Valle Josaphat instituit, & prædiis multis eam dotavit. Per hæc & alia patenter ostendit Princeps gloriosus, quàm dilatato corde Sanctam dilexit Ecclesiam.

CAP. LXXX.

De bello Christianorum contra Calipham Ægypti.

Omnibus itaque ritè peractis circa Regni statum & urbis, quum jam ordinatum esset, quòd Hierusalem retinere deberent, jamque Principes de repatriando agerent, ecce de partibus Ægypti novi venere rumores, nuntiantes Calipham Ægypti suum Admiratum mittere adversùs Christianos cum exercitu copioso. Habebat enim equitum centum millia, & quatuorcentum millia peditum. Hic enim Calipha totius Orientis Princeps potentior, indignatus, quòd parvus Populus Occidentis ausus fuerat terram ejus ingredi, & Hierusalem obsidere, hunc, ut dictum est, Admiratum cum prædictis mittens in Syriam, mandavit, ut Occidentales ipsos deleret à facie terræ. Huic Admirato nomen erat Erfadales, natione quidem Herminius, qui & alio nomine dicebatur Emires. Hic allectus voluptatibus ac divitiis Paganorum, Christi negata Fide, effectus fuerat Saracenus. Ipse idem Hierusalem à Turchis acquisiverat, & eam subjecerat ipsius Caliphæ dominio, eo anno scilicet, quo fuit à Latinis obsessa, nondum mensibus novem elapsis. Unde commissa sibi assumens, avidiùs Syriam intravit, & cum omnibus copiis apud Ascalonam urbem descendit. Quumque Hierusalem appropinquaret, Christiani facta solemni processione ad prœlium se accingunt. Egressus igitur Godefridus Rex de Hierusalem cum Flandriæ & Tholosæ Comitibus, & aliis Principibus, alioque

que exercitu, relictis tamen in urbe custodibus, quum audivisset, Admiratum à Civitate Rama, in qua ipse Rex cum suis erat, per septem millia passuum distare, & adversus Christianos festinare ad prœlium, statim copias suas in acies novem disposuit. Erant autem in universo Latini equites MCC. pedites verò novem mille, qui & latam campi planitiem occuparunt, de victoria securi; qui non in curribus & equis, sed in nomine Domini magnificari sperabant. Saraceni verò cognito, quòd Christiani campi tantam planitiem obtinebant, quòdque ad prœlium imperterritè aspirabant, maximas esse eorum copias crediderunt. Tunc cordibus eorum divinitus immisso timore, acierum duces paulatim retrocedentes, ipsas acies derelinquunt, & fugæ quærunt præsidia. Quod reliqui advertentes, dum se Ducibus privatos vident, viribus & animis consternati sunt, fugamque capescunt, & relictis omnibus more pecudum fugiunt. Christiani autem fugâ eorum agnitâ, laudantes Dominum, qui pro servis suis pugnaverat, ad castra Saracenorum occurrunt, pinguique præda ditantur. Deinde victores Hierusalem reversi sunt. De hujus victoriæ exitu aliter scribit Sigibertus. Refert enim, quòd dum Saracenorum Rex cum præmissis copiis Ascalonam venisset, eique Domini exercitus occurrisset, in quo non plus quàm quinque millia equitum, & quindecim millia peditum erant, Deo pro servis suis ad se reclamantibus pugnante, & nube eos ab æstu Solis defendente, Saraceni solo impetu Christianorum territi omnes projectis armis fugerunt. Et in hoc sexto bello IV. Kalend. Augusti facto cæsa sunt centum millia Paganorum. In portu verò Ascaloniæ suffocati sunt ad duo millia Arcatorum, qui in mari perierunt, & qui inter spineta sylvarum consumti, numerus ignoratur. Ipsa die evanuit Episcopus Marterainæ, qui Arnoldum suarum seditionum fautorem in Patriarchatus Hierosolymitani Cathedram intrudi curaverat. Quò enim devenerit, incertum fuit. Autumatum fuit à nonnullis, quòd dum Rex Godefridus misisset eum Hierusalem requisiturum, qui remanserant in urbe, ut ad eum in Rama venirent, in manus Turchorum inciderit, & quòd trucidatus sive captivatus ab eis fuerit.

CAP. LXXXI.

De Principibus, qui à Hierusalem egressi repatriaverunt.

Obtentâ itaque de Saracenis gloriosâ victoriâ, & remanente Godefrido Principe Hierosolymitano in Regno suo cæteri Principes repatriant. Robertus enim Dux Northmandiæ, & Robertus Flandriæ Comes quum Constantinopolim per mare applicuissent, ab Alexio Imperatore honorificè sunt recepti, quibus & dona magna contulit. Sed Robertus Northmandiæ Dux quum in Ducatu suo venisset, comperit fratrem ejus primogenitum nomine Willelmum Anglorum Regem ab humanæ conditionis sorte fuisse sublatum de medio; quòdque Regnum ipsius, quod ipsi Roberto Duci contingebat tam jure naturæ, quàm Regni consuetudine (nullum enim Rex ipse superstitem reliquerat filium) frater ejus natu minor, Henricus nomine, sibi assumserat, suggerens

A Principibus Regni, ipsum Robertum factum fuisse Hierosolymis Regem, nec unquam Angliam reversurum. Quumque Dux ipse Robertus ex his indignatus pararet exercitum contra fratrem, & frater ipse ex adverso copias suas educeret contra Ducem, tamdem communibus intervenientibus amicis pacificati sunt, hac scilicet conditione, quòd Henricus Regnum possideret, & Dux ex ipso Regno annis singulis certos perciperet reditus. Sed processu temporis quum Dux nonnulla castra Regis Henrici fratris sui in Ducatu posita à fratre peteret, & fratre abnuente ea invasisset, ipse Rex collecto exercitu vênit in Northmandiam, & facto cum fratre congressu illum vicit & cepit, quo in carcere defuncto,
B Henrico cessit Ducatus. Comes Tholosanus, quum Lyciam pervenisset, dimissa ibi conjuge, Constantinopolim perrexit. Quem quum Imperator cum multa lætitia exceptum magnis honorasset muneribus, iterum ad conjugem reversus est, & deinde cum ea ad Comitatum reversus. Wernherius de Gres, & Tancredus Ducis Apuliæ nepos cum nonnullis aliis nobilibus Hierosolymis remanserunt. Rex Godefridus eidem Tancredo viro spectabili civitatem Tabariæ perpetuo jure possidendam donavit, quæ sita est secus lacum Genasar, cum omni Principatu Galileæ, & cum
C civitate, quæ olim Porphyre, nunc Caiphas dicitur. Quæ omnia Tancredus feliciter gubernavit, & multas inibi fundavit Ecclesias, & amplis dotavit reditibus, sed præcipuè Ecclesias Nazareth, & Tabariæ, & Montis Tabor. Quibus postmodum ejus spoliaverunt successores parum Catholici. Fuit præterea idem Tancredus ad Antiochiæ Principatum post hæc assumtus, qui & Ecclesiam Beati Petri multis auxit divitiis, & ipsum ampliavit Principatum.

CAP. LXXXII.

De Patriarchæ Damberti electione, & collatis sibi à Rege, ac ejusdem Regis humilitatis exemplo.

D Bojamundus inter hæc Antiochiæ, & Balduinus frater Godefridi Ragensis Princeps Hierusalem veniunt, ut suæ peregrinationis vota complerent. Sed dum essent juxta castrum Mergat, sub quo est Valania civitas, multi de Italia venientes Peregrini, illos usque Hierusalem comitati sunt, inter quos erat vir magnæ religionis Daimbertus Pisanus Archiepiscopus. Erat autem in universo horum Principum comitiva equitum & peditum viginti quinque millia. Ex quorum adventu Hierosolymitani plurimùm lætati sunt. Qui cum multis lacrymis & devotione maxima visitarunt
E Sancta Loca Hierusalem. Post hæc vacante tunc Sede Hierosolymitana, communi omnium assensu præfatus Daimbertus Pisanus Archiepiscopus in Patriarcham electus est, & ejecto à Sede ipsa intruso Arnoldo, inthronizatus est solemniter in eamdem. Quo facto Principes Godefridus & Bojamundus ab eodem Patriarcha, tamquam à Christi Vicario investituram Principatuum receperunt. Deputati quoque sunt Patriarchatui reditus, quos Græci habere consueverant Patriarchæ. Deinde Bojamundus & Balduinus cum suis discedentes ab urbe Hierusalem ad Jordanem ve-

nerunt, in quo loti corpora, inde per litus fluminis applicuerunt Tabariam. Deinde per Phœniciam transeuntes, & à læva Cæsaream habentes, Ituræam veniunt: inde Maubeth; demum per maritimam Antiochiam pervenerunt. Porrò inter hæc contigit, pacis hoste procurante, in Hierusalem oriri dissidium inter Patriarcham & Regem. Petebat enim Patriarcha à Rege urbem Hierusalem cum municipio, quod est Turris David; nec non civitatem Japhet cum pertinentiis ejus, quæ omnia juris Ecclesiæ Sancti Sepulcri esse dicebat. Tamdem mitissimus Princeps, fide Christianissimus, & Sanctæ Ecclesiæ reverentissimus, quartam partem urbis Japhet, Hierusalem quoque cum Turri David, Hierosolymitanæ Ecclesiæ perpetuò possidendas concessit pro amore divino. Post hæc idem Rex Hierosolymitanus Godefridus collecto exercitu suo, Assur urbem obsedit, quam quum victualibus refertam cognovisset, nec in obsidione exercitum perseverare conspiceret (gravabantur siquidem Regnicolæ multa paupertatis mole) quòdque à parte maritima obsideri non poterat civitas propter defectum classium, his urgentibus ab obsidione discessit. Sed dum in obsidione ipsa persisteret Rex ipse, humilitatis Regiæ memorabile patuit exemplum. De montanis quidem terræ Samariæ, ubi sita est Neapolis civitas, venientes Turchi quidam cum victualibus ad castra Christianorum exercitus, explorandi magìs quàm subveniendi causa, & Regem in humili sessorio sedentem conspicerent (habebat enim loco faldestorii Regii saccum foliis arborum plenum) nullamque pompam Regalem ostenderet, obstupefacti causam per interpretes requirebant. Cujus admirationis causam quum Rex agnovisset (dicebant siquidem, indecorum esse, & contra Regale fastigium, ut tantus Princeps, qui de Occidentis partibus cum tantis copiis tam sublime Regnum venerat subjugare, tantis clarus victoriis, tam vili sessorio resideret ad terram). *Mortalis*, inquit, *etiam terræ sedere dedignari non debet, quum sit omnis vivens cinis, & in cinerem reversurus*. Ex hoc autem tam prudenti responso & percontantium admirationi satisfactum est, & virtus Regia multis enituit.

CAP. LXXXIII.

De morte ejusdem Regis Hierusalem Godefridi.

Reversus igitur Godefridus Rex in Hierusalem, ab Assur obsidione amota, Junio mense ægritudinem validam incurrit, lectoque decubuit. Quumque morbi malitia medicorum superaret peritiam, spirituales adhibiti sunt, qui ejus saluti animæ mederentur. Tamdem delictorum confessione peracta, corde contrito, sumtisque Ecclesiæ Sacramentis, & omnibus ritè completis secundùm Sanctæ Ecclesiæ instituta, pro ut tantum decebat Principem, vitæ præsentis felicem sortitus terminum, ad æternam, ut creditur, evolavit Christianissimus & devotissimus Christi pugil. Defunctus est itaque Godefridus Lotharingiæ Dux, & Hierosolymitanus Rex, X. Junii, Anno Incarnati Filii Dei MC. & in Ecclesia Sancti Sepulcri supra locum Montis Calvariæ, in quo Dominus noster Jesus Christus fuit Cruci affixus, Regalibus obsequiis sepelitur. Qui locus in sepulturam Regum Hierosolymorum usque hodie deputatur. Imperabant tunc Henricus hujus nominis IV. Romanorum, & Alexius Constantinopolitanorum Imperatores: Philippus verò hujus nominis I. Francorum, & Willelmus hujus nominis II. Anglorum, Reges etiam tunc regnabant; Urbanus quoque hujus nominis II. Sedi Apostolicæ præsidebant.

CAP. LXXXIV.

De adventu Balduini in Hierusalem, & ejus ad Regnum promotione.

Rege itaque Godefrido ab hac, ut dictum est, luce sublato, qui fuit in Hierusalem ex Latinis Regibus primus, missi sunt ad Balduinum Comitem Ragensem fratrem ejus Legati solemnes, ut Hierosolymam veniret, Regnum suscepturus, quod sibi jure hæreditario competebat. Quidam enim dicunt, quòd Godefridus Rex moriens hoc ipsum consuluit. Nonnulli astruunt, quòd hoc solum ex Principum omnium voto processit. His cognitis Balduinus apud urbem Meletinam à Principum Legatis de transitu fratris dolens, & Regni timens discrimina, accitis secum CC. equitibus & DCCC. peditibus, relictâ Comitatus sui custodiâ Balduino de Borch ejus consanguineo, quem postmodum in eo Comitem fecit, sibique in Regno successit, Hierusalem festinavit. Veniens igitur Antiochiam, conjugem & filias navi jussit imponi cum multa supellectile, & Japhet perduci, quæ sola Civitas ex maritimis Legi Christianæ parebat. Ipse verò Luciam Syriæ veniens, inde per maritimam Gibeleth, Valamiam, Maracleam, Tortosam, Archis civitates transivit, & Tripolim applicuit; ubi à Rege & civibus multo honore receptus est, & munera magna recepit. Deinde per civitates Barith, Sidonis, Tyri, Achon, Cayphæ, & Assur iter habens vênit Japhet, in qua à Clero & Populo Regio honore susceptus, ibi se sicut dominus habuit. Post hæc Hierusalem veniens, Clerus & Populus universus cum solemni processione obviam sibi occurrit. Latini & Herminii quidem, & Grifones, sive Græci, Jacobini, & Samaritani singuli suo ritu cantantes, cum maximo jubilo illius adventui applaudebant. Introductus itaque cum summa lætitia in urbem, ab omnibus communi omnium voto in Regem & Dominum est assumtus mense tertio ab obitu Godefridi. Hunc præterea Balduinum Regem Dagobertus, sive Daimbertus Patriarcha Hierosolymorum in ipsa solemnitate sacratissimæ Nativitatis Dominicæ in Ecclesia Bethleem solemniter coronavit Anno MCI. ex quo Virgo Virginum sancto concepit in utero. Qui quidem Rex in ipsius suæ coronationis primordiis Civitatem Tabariæ Hugoni de Sancto Ademaro Militi strenuo dono cessit.

CAP. LXXXV.

De bonis initiis Balduini prædicti, & ejus moribus atque forma.

Fuit autem Balduinus iste Hierosolymorum Rex, & Godefridi frater, moribus &

& vita inclytus, ac multa strenuitate spectabilis. Ab ipsa quidem pueritia liberalibus imbutus artibus, & Clericali primùm adscriptus militiæ, Remensem, Cameracensem, & Leodiensem Canonicatus obtinuit. Quibus postmodum resignatis, uxorem accepit, quæ in ipso peregrinationis itinere obiit. Post hæc factus est Ragensis Comes, & in urbe ipsa, ut potentior esset, conjugem secundam accepit, filiam videlicet Principis Armeniæ nomine Constantii. Hic Constantius, & frater ejus Constantinus, munitissima oppida habitatoribus plena circa Montem de Tor, non longè ab urbe Ragensi, possidebant, tantis abundantes divitiis, ut ab incolis earum partium pro Regibus haberentur. De parentibus hujus Balduini supra dictum est, ubi mentio habetur de prosapia Godefridi. Fuit quoque Balduinus corpore tam procerus, ut de illo dici posset, quod de Rege Saule scribitur in Libro Regum, quod *ab humero & sursum in Populo eminebat*. Cæsaries & barba ejus subnigra. Cutis satis candida. Nasus in medio modicùm, curialiter tamen, prominens, & in summitate paululum curvus. Labrum labro ita eminebat, ut nulli sibi esset deformitati. In habitu, sermone, & incessu, summæ dignitatis ei modestia inerat. Ita clamyde humeros semper induebat, ut ab insuetis eum videre, non Miles, sed Episcopus videretur. Ad lapsum tamen carnis fuit naturaliter proclivis; sed illud vitium sic pudicitiæ virtute contexit ac repressit, ut & paucis etiam domesticis notum esset, & neminem læderet. Inter obæsitatem & maciem medium tenuit, qua complexione se interdum ab ipso vitio inter domesticos excusabat. In omni re militari doctus & potens, totius pigritiæ expers erat. Fratris sui quoque Godefridi munificentiæ imitator. Has autem universas gratiarum dotes Arnoldi ad Patriarchatum intrusi detestabilis familiaritas, antequam Rex esset, plurimùm obfuscabat, cujus perniciosis consiliis sæpiùs inhærebat.

CAP. LXXXVI.

De præda ex Turchis, & humanitate Regis circa conjugem Admirati.

Quarto igitur mense Regni Balduini, quod tempus pacificum habuit, Rex ipse collecto exercitu Jordanem transiens, & in Arabiam veniens, illius desertum intravit. Cognitoque ab exploratoribus, quòd Turchi non longè cum conjugibus & liberis ac jumentis castrametati erant, se in insidiis abdit. Media autem nocte super castra Turchorum irruens, primoribus tamen eorum per fugam absentatis, qui regium adventum præsciverant, multi occisi sunt, multique captivati. Captivi cum multis spoliis in Hierusalem adducti sunt. Sed nec prætereundum est Regiæ humanitatis exemplum insigne. Nam dum Rex cum omni exercitu Hierusalem reverteretur, secumque captivos haberet, quædam nobilis Matrona cujusdam Turchi Admirati uxor, camelum inequitans, partus arctata doloribus, inter captivos miserabiliter clamitabat. Quod dum Regi Balduino innotuisset, statim, ut erat Princeps pietate insignis, jussit eam camelo deponi, lectumque parari, in quo positam clamyde regali contexit, relictisque sibi ancillis & camelis victuque & potu sufficientibus, cum reliquis abiit. Ipsa die Admiratus de amissione conjugis tristis & anxius potissimè propter partum, dum iter à longè exercitus sequeretur, uxorem in via lætabundus invênit; quumque Regis humanitatem circa conjugem agnovisset, prorumpens in lacrymas, clementissimam ipsius munificentiam magnis præconiis extollebat, se ad recompensam tanti disponens beneficii, ut non appareret ingratus. Quam quidem Regi exhibuit in hunc modum. Turchi namque in Ascalona consistentes, dum collecto exercitu viginti ferè millium hominum Hierosolymorum terram inter Lyddam & Ramam civitates invasissent, Rex Balduinus non exspectatis copiis adversùs hostes processit improvidus. Erat enim concomitatus fermè CC. equitibus; cujus progressum improvidum Turchi advertentes, sumto ex hoc victoriæ animo, conglomerati in unum, super Christianos ad prœlium incompositos percurrunt, & multos ex illis cædentes, cæteros fugere compulerunt. Ibi corruit Dux Burgundiæ, & Stephanus Comes Blesensis, & nonnulli alii proceres. Rex verò, serò licèt, suæ improvidentiæ pœnitens, se fugientibus immiscuit, & cum eis in Rama urbe divertit. Quumque adverteret se ibi non posse Turchorum potentiæ obsistere, & multùm proinde anxiaretur in animo, hora noctis mediæ Admiratus, cui circa conjugem exhibuerat humanitatis obsequium, ad eum vênit, tantique beneficii se ingratum existere nolle asserens, indicavit Regi, Turchos ibi manè venturos, & ideo Regi consulebat, ut sibi & suis in hoc periculo per festinum provideret discessum. Rex verò Admirati fidele admittens consilium, cum paucis clam discessit, ne tumultu multorum ejus hostes præsentirent discessum; quem Admiratus etiam usque ad loca tuta concomitatus est, iter ostendens. Manè Turchi quum venissent, vi armorum capto oppido, universos ferro & vinculis affecerunt.

CAP. LXXXVII.

De adventu Genuensium in Hierusalem & captione Assur.

In veris Anno scilicet Incarnati Verbi Domini MCII. quum apud Japhet portum Januenses applicuissent, & exposita in litore classe à Rege lætanter recepti fuissent, offerentibus eis se se ad Christi obsequia in Terra Sancta morari velle, Rex uniuscujusque oppidi & civitatis ipsis assistentibus prædæ captæ tertiam partem se daturum pacto promisit, & insuper in unoquoque oppido & civitate specialem vicum ab eis possidendum perpetuò. His peractis Rex cum omni exercitu Assur oppidum obsessurus perrexit. Est autem oppidum in honorem olim Antipatris patris Herodis Antipater dictum, quod Rex Godefridus cœperat obsidere; sed quia terra & mari obsidere illud non poterat (quod à Balduino factum est) discesserat inde. Fuit hæc munitio Assur, sive Doja, Fratrum Hospitalis Sancti Johannis, qui licèt eam amiserint, solvunt tamen Domino Assur & hæredibus ejus viginti octo millia Bysantiorum auri singulis annis, ut scribit Brocardus. Hoc oppidum quum Rex Balduinus & obsidione & assaltu mirabili arctas-

ctasset, tamdem oppidani diffisi viribus, personis & rebus immunitate concessa, Regi dederunt. Quod quum Rex opportunè munivisset, inde discessit.

CAP. LXXXVIII.

De captione Urbis Cæsareæ & Barulorum, & ordinatione Episcopi.

POst hæc idem Rex adductis copiis aggressus est Cæsaream Palæstinæ. Fuit autem hæc civitas in maritima posita, antiquitus dicta Straton, quam Senior Herodes magnis ædificiis decorans, in honorem Cæsaris Augusti Cæsaream nominavit, & metropolim secundæ Palæstinæ eam instituit. De hac civitate dicit Brocardus, quòd primò dicebatur Dor Pyrgus Stationis. De cujus structura & munitione Josephus multa scribit. Habet ab Occidente mare magnum, ab Oriente paludem quamdam dulcem & magnam atque profundam, cocodrillis abundantem. Situm habet firmum, sed hodie penitus est destructa. In ea mansionem habuit Philippus Apostolus, & filiæ ejus. Petrus etiam in ea baptizavit Cornelium Centurionem, qui primus fuit in ea Episcopus. Paulus in ea coram Rege Agrippa & Felice Præside contra Tertullum Oratorem elegantissimè disputavit. Hanc civitatem quum Balduinus diebus XV. obsedisset, & comperissent Christiani, quòd Turchi, qui in ea erant, ex longo otio ad defensionem vires illorum effœminassent, facto virili aggressu, appositisque ad mœnia scalis Urbem intraverunt, portasque aperientes qui primitus intraverant, reliquum exercitum receperunt, & obsessos in ore gladii trucidarunt. Ibi captus est Admiratus Urbis & Episcopus eorum. Ibi Turchus in collo pugno Christiani percussus Bysanteos evomuit. Mares enim intra gingivas, fœminæ intra pudenda Bysanteos absconderant: quod Christiani advertentes, multos occidebant ex Turchis, quorum etiam scrutantes viscera, inveniebant aurum & lapides pretiosos. Quumque in Templo ejusdem Urbis, quod Herodes in honorem Cæsaris Augusti ædificaverat, multi Turchorum confugissent, eo quòd orationis locus esset, Christiani portis ejus fractis illud introëuntes, tanta in eos cæde baccharunt, ut occisorum cruor ad genua equorum ascenderet. Virgines & pueri reservati sunt. (*) *In eodem Templo vas lapideum colore viridi, eximiæque pulcritudinis, & perlucidum ad instar catini fabrefactum tunc à Christianis repertum est. Quod quum Genuenses crederent smaragdinum esse, in partem prædæ sibi sortiti sunt, quod usque hodie in matrice eorum Ecclesia pro magno ab eis reservatur thesauro. Singulis quoque annis die Cinerum pro re valde pretiosa cunctis ostenditur. Asserunt enim, quòd sit verus smaragdus. De hoc vase dictum est in incidentiis Henrici IV. & dicitur vulgariter Scutella Sancti Laurentii, & fuisse catinum illud, in quo Christus cœnans cum Discipulis comedit. Præda omnis inter victores condivisa est, & ut dicitur, Genuenses pro sua portione vas, de quo dictum est, acceperunt.* Tantaque fuit prædæ copia, ut pauperes universi ex victoribus facti sint divites. Ante quoque discessum Christianorum electus est in ea Urbe Episcopus Godefridus quidam, qui cum Rege Godefrido in Hierusalem venerat. Tamdem relicta in ea Urbe munitione opportuna discessit.

CAP. LXXXIX.

De mirabili victoria Balduini Regis ex Turchis.

INter hæc Regi Balduino rumores delati sunt, quòd Admiratus quidam Turchorum à Calipha Ægypti transmissus venerat Ascalonam, habens secum undecim millia equitum, & viginti millia peditum, ut Terram Hierosolymitanam invaderet. Quo cognito statim Rex inter Lyddam & Rama copias suas conduxit. Erant autem CCXL. equites, pedites verò DCCC. quos in acies quinque divisit. Præcedebat quoque Christianorum acies Lignum Crucis, quod quidam venerabilis Abbas pro vexillo ferebat. Quum autem hostibus appropinquarent, Rex in eo spem victoriæ ponens, qui decem fortium vires dat uni prosternere, devota mente oravit ad Dominum, dicens: *Deus inclytæ potentiæ, & virtutis immensæ, dignare in hac hora cum Populo tuo misericordiam facere, ut ad exaltandam nominis tui fidem hi perfidi hostes tua dextera conterantur.* His dictis conflixit in hostes, dirumque prœlium inchoatur. Nam illinc Turchi sua multitudinis mole belli cruentabant incursus. Hinc Christiani virtute mirabili ruentes in hostes, quid Domini dextera poterat, ostendebant; neutra partium belligerando pigritia tenebatur, quia se noverant in propria capita portare discrimen. Prima Christianorum acies viribus succumbens, quum fugam iniret, ferè à Turchis insequentibus tota deleta est; sed reliquis viriliter & constanter pugnantibus, Rex ipse singulos cohortans, se inter confertissimos hostium cuneos Christi pugil intrepidus immittebat, cædens & prosternens quos gladius obviabat. In hoc tamdem diro prœlio Admiratus corruit. Quo viso Turchi statim fractis viribus fugam capescunt. Quos primus Rex cum suis insequutus est, magna cæde prosternens. Nec destitit ab insequutione, quousque qui potuerunt Christianorum evadere gladios, Ascalona Urbs recepit, per novem millia passuum à prœlio ipso distans. Et quum nox etiam Christianis insequentibus Turchos infesta veniret, dato signo receptui, reversi sunt ad castra victores. Manè sequenti præda omnis inter eos divisa est. Inventa sunt ex hostibus quinque millia capita occisa. Ex Christianis verò LXX. equites, pedites verò fermè ducenti corruerunt. Qui autem primam Christianorum aciem insequebantur, quum pervenissent usque Japhet, aciem ipsam ad internecionem profligantes, mandaverunt habitatoribus Japhet, ut redderent sibi urbem, significantes eis se fuisse victores, & quòd Rex & universus quoque exercitus in bello corruerat. Et in signum rei hujus arma fugientium ostentabant. His sinistris rumoribus Cives Japhet consternati valde, vacabant gemitibus, quid acturi forent ignari; præcipue autem Regina, quæ

(*) Hæc addita ab interprete Pipino, qui suo Chronico interseruit Bernardi Thesaurarii Opus. Nullus autem dubito, quin ista Pipinus fuerit mutuatus è Jacobo de Varagine, cujus Vitæ Archiepiscoporum Genuensium in Collectione hac infra prodibunt.

quæ tunc in eadem Civitate erat, summis angustiata doloribus semiviva contabuit. Quum- A que castrametati adversùs Civitatem essent, ut vel armis eam caperent, vel ad deditionem cogerent (credebant enim quæ de Rege & Christianis nuntiaverant, ex infelici eventu primæ aciei infallibiliter contigisse, unde omnis timoris erant expertes) die altera Civibus Japhet jam ad deditionem dispositis, ecce Rex Hierosolymitanus cum suis victor advênit. Qui comperiens in obsidione Turchos, illos eventus ignaros hujus subitò invasit, levique Marte prostravit, quorum multi capti, multique cæsi sunt, nonnulli fugæ præsidio evaserunt. Quo felici eventu & adventu Japhet Cives lætati Regem cum suis magno jubilo receperunt. B

CAP. XC.

De prima obsidione Achon, & situ ipsius Urbis.

ANno deinde Incarnati Filii Dei MCIII. initio veris quum Balduinus Hierosolymorum Rex in Civitate Sancta Hierusalem Sanctæ Resurrectionis Dominicæ solemnia peregisset, ne Sanguinis Christi ultor gladius otio torperet, in hostes coadunato omni exercitu, perrexit Acon, & in ejus obsidione castrametatus consedit. Civitas ista à duobus fratribus Ptolemæo & Acon fertur fundata, C unde in quibusdam Historiis Ptolemaida dicitur. Sed Acon nomen usque hodie perseverat. Labitur in ea fluvius, qui Bele dicitur. Metropolis ejus est Tyrus. Ab hac Civitate Brocardus in descriptione Terræ Sanctæ primum sumit initium, quæ tamen, ut ipse refert, numquam fuit de Terra Sancta, nec à filiis Israël possessa, licèt in distributione Terræ Tribui Asser fuerit assignata, qui Asseritæ numquam possederunt eam. Est autem in provincia Phœnicis sita, habens ab Austro Carmelum montem ad decem leucas, & Civitatem ad pedem montis ejusdem ultra torrentem Cison, ubi Helias Propheta interfecit D Sacerdotes Baal. Phoenicia verò regio, sive Syria Phœnicis adhuc extenditur ultra contra Austrum ad tres leucas usque ad Petram Incisam, quæ *Castrum Peregrinorum* dicitur, qui locus est terminus Phœnicis contra Austrum. Acon autem Civitas munita est muris, antemuralibus, turribus, & fossatis, & barbacanis fortissimis. Triangulam habet formam, ut clypeus, cujus duæ partes cinguntur mari magno, tertia pars campum respicit, qui ipsam circumdat; habens tres leucas latitudines, & plus in partibus aliquibus vel etiam minus. Fertilis valde tam in agris, quàm in pascuis & vineis & hortis, in quibus diversi generis fructus crescunt. Est etiam munita multa mi- E litia Hospitalis Templi, & Domus Theutonicæ, & arcibus Civitatis, quæ ad Regem pertinent; habens Portum bonum & capacem ab austro Civitatis pro navibus collocandis. Hanc Urbem quum Balduinus Rex paucitate exercitus & defectu classium ad votum obsidere non posset, depopulatis pomœriis cum nonnullis captivis & armentorum præda magna discessit. Quumque per Cæsaream transire vellet, loco ubi dicitur Petra Incisa, non longè à Tyro antiqua inter Capharnaum & Dora, duo castra maritima, in ipsis viarum angustiis conventiculam profanam latronum invênit, supra quos irruens Rex cum suis, nonnullos occîdit; alii evaserunt. In ipso autem aggressu Rex jaculo à latere sinistro inter dorsi spinam & costas non longè à corde vulneratus est, à quo quidem vulnere postmodum, sed difficulter evasit. Sed donec vixit & debilior viribus fuit, & dolores in cicatrice sensit interdum.

CAP. XCI.

De secundo adventu Genuensium cum eorum classe, & secunda obsidione, & deditione Acon.

MEnse post hæc Martio Anni sequentis Incarnatæ Divinitatis MCIV. Balduinus cognito, quòd Genuensium classis advenerat (conduxerant enim secum galêas LXX. hominibus, & cæteris ad prœlia opportunis valde munitas) nacto sibi ex hoc tempore congruo, Acon Urbem terra marique obsidere secundò disposuit. Cum Genuensibus itaque, ut sibi ad hæc classe adessent, pactiones inivit; pollicitus est enim, se illis daturum, si Civitatem obtineret, tertiam partem omnium redituum & proventuum, qui perciperentur in portu Acon perpetuò, & vicum specialem in Urbe, cum mero & mixto Imperio ab ipsis Genuensibus & ipsorum hæredibus possidendum. His compositis Rex eductis per terram copiis suis, Januenses verò per mare, Aconensem Civitatem obsedit terra marique. Quumque viginti diebus perdurasset obsidio, & Civitas machinis & crebris assaltibus Christianorum arctaretur assiduè, tamdem Turchi in perseverantia diffisi, ad deditionem coacti sunt, conditionibus his tamen appositis, quòd videlicet universi habitatores cum conjugibus & liberis, & omni suppellectili sua, qui Urbem egredi eligerent, possent ad quas vellent partes illæsi divertere; qui verò in Urbe mallent remanere, civiliter tractarentur, censum Regi singulis annis solventes. Hoc modo Balduinus Rex Acon Civitatem obtinuit, per quam maris iter tunc primùm habuit expeditum. Genuensibus autem promissa servavit in omnibus; nam quum essent maritimi belli multum experti & ad obtinendum Civitatem Acon, & ad expugnandos Regni Hierosolymitani hostes, Regi plurimùm adstiterunt.

CAP. XCII.

Qualiter Balduinus Rex conjugem repudiavit, quæ & infamis effecta.

EO tempore idem Rex perverso motus instinctu à recto devians ordine, & suæ generositati derogans, Reginam conthoralem suam legitimam, mulierem quidem maximæ pudicitiæ ornamentum vulgò visam, quam, dum esset Ragensis Comes, uxorem acceperat, non est veritus absque judicio Ecclesiæ abdicare. Contra namque matrimonii legem eam, non reluctantem tamen, in Monasterio Sanctæ Annæ Monialem effecit. Est autem Ecclesia illa in Hierusalem in parte Orientali juxta Portam, quæ dicitur Josaphat, non longè à Piscina Probatica, & ibi adhuc ostenditur specus sive antrum, in quo erat mansio Johachim & Beatæ Annæ matris Virginis Vir-

Virginum, in qua & ipsam peperit Virginem, quæ Dei Filium Sancto gestavit in alvo, Anna jam dicta. In eo tunc Monasterio erant tunc tres pauperculæ mulieres in habitu religioso Domino famulantes. Sed quum ibi Reginam posuisset Balduinus, ipsam Ecclesiam magnis dotavit reditibus. Causa autem repudii aliquamdiu remansit incerta; quidam enim dicebant, ideo eam abdicasse, ut aliam superduceret ditiorem, cujus dotum opibus rei familiaris inopiam, quam bellorum crebris eventibus incurrerat, relevaret. Nonnulli asserebant, quòd Regina regalem maculaverat thorum; hanc autem ultimam assertionem principalem causam fuisse subsequens effectus infamiæ quodammodo demonstravit. In ipso quidem religionis primordio, quo Regina religionem ingressa est, nec reluctans apparuit, nec se turbatam ostendit; sed tempore aliquo in eodem Monasterio vixit honestè. Deinde obtentâ à Rege licentiâ, profecta est Constantinopolim, sub specie visitandi cognatos, & ut Monasterio suo manus caritativas ostenderet. Sed exutis Monachalibus vestibus in tantum voluptati laxavit habenas, ut postposita omni generositate sua cunctis non vereretur se esse petentibus prostitutam. Rex verò aliam superduxit conjugem, scilicet Comitissam Siciliæ, quæ fuerat uxor quondam Rogerii Comitis cognomento Borsæ, fratris quondam Roberti Guiscardi Apuliæ, Siciliæ, & Calabriæ dominatoris, de quo meritò infra dicetur.

CAP. XCIII.

De mirabili prœlio inter Christianos, & Turchos, & strage Turchorum.

Eodem Anno Ægypti Calipha maximis copiis potentissimus, dolens Regnum Hierosolymitanum à Christianis possideri, cognito quòd multi ex eis repatriaverant, multi quoque ferro, fame, morboque defecerant, Admiratos duos cum maximo exercitu, debellaturos Regnum ipsum, adversùs Christianos misit in Syriam terra marique. Qui quum Ascalonam venissent, Rex Hierosolymorum Balduinus cum omni sua potentia, Japhet urbem concitus festinavit, Ebremaro Hierosolymitano Patriarcha Lignum vivificæ Crucis pro vexillo ferente. Fuerunt autem in universo Christiani, qui Regem sequuti sunt, equites D., pedites verò MM. Solùm autem Turchi, qui per terram itineraverunt, quindecim mille æstimati sunt. Qui Ascalonam venerant, classe inde dimota, iter Japhet direxerunt. Cæteri applicuerunt urbem vetustam Azotum. Ibi eorum Turchi exercitum bifariè diviserunt, ut videlicet pars una cum Rege confligeret, alia Rege occupato properaret Japhet, urbem ipsam in terrestri prœlio aggressura, reliqua classis maritima. Venientes igitur Turchi in terram Rama, acies disponunt, & ingenti clangore tubarum & lituum conantur protendere se eo loco dispposituros ad prœlium, ut sic Rege ibi cum suis adversùs eos occurrente, qui profecturi erant Japhet, per litora maris tuti procederent. Porrò Domino secus providente, Turchi sua intentione frustrantur. Nam dum Regem conglobatis aciebus contra eos intrepidè venientem conspicerent, tantus illos pavor invasit, ut statim viribus eorum non confisi, partem eorum, qui properabant Japhet, revocaverint. Quumque accincti essent ad prœlium, Patriarcha, ut dictum est, Sanctæ Crucis Vexillifero Dei exercitum præcedente, & omnes ad pugnam hortante, in remissionem peccaminum, Rex prima fronte gradiens, Christi pugil imperterritus, in hostes primus irrupit. Reliquus Dei exercitus Christi fide armatus, & Regis animatus virtute, ipsum viriliter est sequutus. Tunc ferox & immane prœlium inchoatur. Illinc enim Turchorum barbara crudelitas pro lege spurcissima sæviebat; hinc Christianorum pro Fide pura pia credulitas decertabat. Quumque prœlium diu fuisset anceps, & Turchi multos ex suis corruisse conspicerent, tamdem cordibus illorum divinitus immisso timore, terga vertunt, fuga quærentes præsidium. Quos quum Christiani aliquamdiu insequuti fuissent, postmodum revertuntur ad prædam, non tantùm equis, onagris, & alia grandi suppellectili, sed etiam captivis opima valde. Ex eis enim Turchus quidam magnarum opum dominus, qui Bailivus Acon fuerat, LXX. millia Bysantiorum pro sua redemtione persolvit. Corruerunt in eo prœlio ex Turchis quatuor millia, inter quos fuit Bailivus Ascalonæ. Ex Christianis verò sexaginta Christi martyres effecti sunt. Rex autem cum suis Japhet urbem lætus revertitur. Qui autem classem conducebant, cognito suorum conflictu, dum in Tyri portu se tutos non confiderent, & versùs Ægyptum vela dirigerent, orta in mari tempestate mirabili, multi cum navibus submersi sunt. Fluctibus quoque impellentibus XXV. naves ad portum Christianorum appulerunt, quas capientes Christiani, duobus millibus ex Turchis occisis reliquos captivarunt.

CAP. XCIV.

De quibusdam prodigiis.

Eodem etiam Anno in ipsis Orientis partibus multa horrenda apparuerunt prodigia. Diebus siquidem XL. continuis Cometes apparuit singulis noctibus, igneam caudam habens, suoque lumine aërem illustrabat. Ab ortu quoque diei usque ad horam Tertiæ duo Soles hinc inde visi sunt, ejusdem cum Sole naturali magnitudinis, sed claritatis minoris. Circa Solem etiam naturalem aër, & cœlum, colorque ejus manifestissimè apparebant. Hæc autem prodigia in hac miseriarum valle rerum mutationes varias portendebant.

CAP. XCV.

Qualiter Genuenses urbem Gibeleth obtinuerunt.

Incarnationis autem Filii Dei Anno MCIX. qui fuit ejusdem Regis Balduini Octavus in Regno, Genuensium classis Gibeleth urbem obsedit. Habebant enim galêas LXX. armis, & aliis opportunis munitas. Est autem Gibeleth urbs maritima in Terra Phœnicis, Tyro subjecta, antiqua valde. Nam ut in Libro Regum legitur, Templo Salomonis lapides & ligna paravit. Fuit quoque antiquitus dicta Evea, eo quòd Eveus filius Chanaam, nepotis Noë, illam fundavit. Hanc quum Christiani terra marique obsidione vallassent, qui in

in urbe erant, diffisi posse resistere, hac conditione Capitaneis classis Genuensium Ansaldo & Ugoni Embrac illam dederunt, ut qui ex ea egredi vellent cum liberis & conjugibus ac suppellectili, liberum foret; remanentes verò servarentur illæsi, qui & annuum Genuensibus censum persolverent. Hoc itaque modo obtenta est à Genuensibus civitas, quam præfatus Ugo tempore multo possedit.

CAP. XCVI.

Qualiter Rex Balduinus Tripolim habuit, & Comiti Bertrando concessit.

POst hæc iidem Genuenses Tripolim cum eorum classe divertunt. Ad hanc etiam urbem obsidendam Bertrandus filius Raymundi Comitis Tholosani perrexit, quam Guillielmus Jordani consanguineus ejus obsederat ipso Raymundo vivente, qui in ea obsidione mortuus est, & ipse etiam Willelmus sagitta ictus interiit. Audiens autem Balduinus Rex, quòd civitas Tripolis à Genuensibus, & eodem Bertrando erat obsessa, perrexit ibidem, pacisci cum eis volens, ut sibi assisterent ad acquirendas urbes Berithi, Sidonis, Tyri, & Ascalonæ, quas Regno Hierosolymitano plurimùm infestas subjugare volebat. Sed qui in urbe erant, mari terraque obsessi, cognito Regis adventu, & obsessores viribus & armis auctos videri, spe adeò dehortati sunt, ut ad defensionem urbis, ipsorumque salutis contabescerent trepidi. Quod Christiani advertentes, resumtâ in Domino fiduciâ, & de victoria ferè securi, parant congredi cum obsessis. Sed Turchi Legatos ad Regem mittunt, & ad Comitem Bertrandum, ut pacis compositiones inirent hujusmodi; ut videlicet salvis personis & rebus omnibus, quò vellent, digredi possent. Qui verò morari eligerent, incolumes servari deberent, certum annuatim censum persolventes. Admissis autem firmatisque conventionibus hinc inde, traditur Civitas Christianis die X. Junii. Comes Bertrandus urbem ipsam à Rege suscipiens, pro ea sibi fecit homagium per se & successores ipsius, qui & idem homagium ex ea Hierosolymitanis Regibus exhibere tenentur.

CAP. XCVIII.

De prima institutione Episcopatus Bethleem.

ADveniente Anno Incarnationis Dominicæ MCX. Rex Balduinus, Princeps quidem Christianissimus, non solùm ad Regni gubernacula intendens, sed ad statum Ecclesiæ reformandum, sublimandumque totus aspirans, de consilio Regni Principum Bethleemitanam Ecclesiam, quæ Prioratus erat, Episcopatus titulo insignivit. Patriarcha verò Hierosolymitanus, Pisanus natione, nomine Ghibelinus, tunc Apostolicæ Sedis Legatus, auctoritate Apostolica, quod à Rege decretum fuerat, confirmavit. Privilegium quoque super hæc speciale Arnoldus Archidiaconus Leodiensis, & Acharius Prior Sepulcri à Sede Apostolica reportarunt, sedente tunc Paschali nominis hujus II. Primus autem ibi Episcopus institutus est Cantor Ecclesiæ Sancti Sepulcri, Achetirius nomine, vir vitæ laudabilis, cui Rex Balduinus Casale Bedor in districtu Acon, & Casale Scillon in districtu Neapolitano, & aliud, quod dicitur Bethlies prope Bethleem, & Zophir, & Carcapha juxta Ascalonam, cum omnibus pertinentiis dono dedit, ab ipso & ejus successoribus perpetuò possidenda, regalem hanc munificentiam publicis apicibus confirmando.

CAP. XCVIII.

De obsidione & captione Civitatis Berithi.

ANno eodem idem Christianissimus Princeps, Dei negotiorum operator assiduus, & in ipso prosperari non diffisus, qui Regibus dat salutem, mense Februario, collecto omni suo exercitu cum Genuensium classe ad obsidionem Berithi accessit. Hæc est nobilis & antiqua illa Civitas Berithi ultra Sidonem ad novem leucas, in qua Dominus dicitur prædicasse, supra mare sita inter Sidonem & Gibelethum posita. In hac impiissimi Judæi facta Christi imagine de pasta, illuserunt ei, & tamdem crucifigentes, sanguinem ab ea in magna quantitate extraxerunt, qui usque hodie in locis multis pro magna habetur reverentia. Episcopus hujus Civitatis, sicut & Episcopus Sidonis, suffraganeus est Tyrensis Archiepiscopi. Fuit antiquitus dicta Geris, eo quòd Gerseus eam fundavit, qui fuit filius Chanaam nepotis Noë. In hac obsidione fuit & cum ipso Rege Hierosolymitano Bertrandus Comes Tripolitanus. Classis Saracenorum cum armis, equis, & victualibus multis veniens in subsidium Berithi, quum Tyrum applicuisset, Christianorum timore substitit. Ex quo obsessi plurimùm dehortati sunt. Nam terra marique obsidione dira opprimebantur, & machinarum insultibus, quarum ibi erat copia propter multorum ex nemoribus lignorum materiam, crebriùs impetiti, ita ut nulla requies eis esset. Quumque duobus jam mensibus obsidio perdurasset, tamdem Christiani diutinæ moræ fastidio vires resumunt, & facta ex castris animosa eruptione, urbem aggressi sunt. Quo novo motu trepidantes obsessi, scalas apponunt ad mœnia, & dum resistentes fermè deficerent, Christiani pugnatores ascendunt, urbem intrant, & unam Portarum aperiunt. Turchi his cognitis quum ad mare spe fugæ diverterent, in gladios eorum incidunt, qui Civitatem per maritimam obsidebant. Sic igitur inter excipientes & insequentes gladios, immo inter ipsas mortis fauces constituti, more pecudum trucidantur. Tanta ibi strages exstitit, ut cruor occisorum more torrentis deflueret. Rex denique super strage pietate solita motus, residuos servari jussit ad vitam. Capta est hoc modo Berithi Civitas Anno prædicto die XX. Aprilis.

CAP. XCIX.

De obsidione urbis Sidon, & dolo Cubicularii Regis, & deditione ipsius urbis.

EA tempestate quum multi de Regno Northmandiæ equites & pedites voto visitandi Sanctam Terram applicuissent Portum Acon, & deinde pervenissent in Hierusalem, Rex Balduinus horum lætus adventu, sua pollicentium subsidia, collectis copiis Regni, Sidonem obsessurus perrexit, quo ferme tempore

in

in urbis subsidium magna etiam classis advênit. Est autem Sidon magna urbs Phœnicis inter Berithum & Tyrum, cujus magnitudinem adhuc ejus attestantur ruinæ, quæ vix etiam scripta crederentur. Fuit autem in campo per longum disposita, tendens ab Austro in Aquilonem sub monte Antilibano inter ipsum & mare spatiosa valde. Ex parte una hodie in corde maris sita est, habens hinc inde duo Castra satis munita, unum ab Aquilone in rupe quadam in corde maris situm, aliud quidem à parte Australi in corde maris situm, satis firmum; quæ Castra cum Civitate Milites Templi tenent. Terra adjacens fertilis est valde, abundans omnibus bonis, & aëre saluberrimo, & sunt ibi cannæ mellis, & vineæ valde bonæ. Ante Portam Orientalem Civitatis, quæ nunc est destructa ædificata est Capella, in loco ubi Chananæa Dominum adinvênit, rogans pro filia sua dæmoniaca in via, quæ versùs Ituræam & Cæsaream Philippi ducit. Antiquissima fuit hæc urbs; nam Sidon Chanaam filius eam fundavit, à quo & nomen & genus retinuit. Hæc fuit patria Reginæ Didonis, quæ fundavit Carthaginem. Hanc urbem quum Balduinus Rex multa maritima & terrestri obsidione vallasset, ut Turchi, qui eam tenebant, de perseverantia diffiderent, hoc dolo salutis eorum consilium sunt aggressi. Erat siquidem Balduino Cubicularius ipsius Regis percarus, & ipsius conscius secretorum. Hic fuerat origine Saracenus, qui nacta Regis familiaritate, & Christianam Fidem professus est, & ab ipso Rege de sacro Fonte susceptus, nomenque Regi sortitus æquivocum. Qui suâ industriâ mirabili omnia Regis mysteria noscere meruit. Hunc quum Turchi per internuntios ambitione dominii urbis Sidonis sibi polliciti adeò sollicitassent, ut conditionis suæ & dominicæ familiaritatis & gratiæ immemor, ad necem Regis domini sui animum convertisset, quidam ex Christianis, qui in urbe ipsa sub jugo Turchorum erant, hac proditione cognita, & de Regis nece dolentes, Epistolam suppressis nominibus fabricant, & ad Regis tentoria sagitta dimittunt: quæ de more militari Regi delata rem omnem agnovit. Tunc in conspectu Principum accersito ad se Cubiculario, & lectâ Epistolâ, ipse proprii reatus stimulante conscientia confessus est omnia; nec mora patibulo affixus meritam pœnam luit. Turchi dolo concepto frustrati, urbem Regi his conditionibus reddiderunt, ut Nobiles cum conjugibus & liberis & omni suppelectile sua immunes discederent, reliqua Plebs in urbe mansura censum annuum Regi persolveret. Capta est igitur civitas Sidon à Christianis die XIX. Decembris.

CAP. C.

Qualiter Balduinus Rex Comitissam Siciliæ acceptam in conjugem etiam repudiavit.

SEquenti Anno, qui fuit ab Incarnatione Filii Dei MCXII. Rex Balduinus, qui conjugem Reginam, ut dictum est, à se repudiatam monachaverat, Comitissam Siciliæ Adelasiam superduxit uxorem. Fuit autem relicta Rogerii Comitis cognomento Borsæ, Roberti Guiscardi fratris, ex qua idem Rogerius superstitem reliquerat filium patri æquivocum, qui fuit postmodum Siciliæ Rex. Contraxit autem Balduinus Rex cum eadem Comitissa sub conventionibus certis Primatum Regni, & ipsius Rogerii Comitissæ filii expressis firmatis assensibus; quòd si videlicet Rex ex ipsa Comitissa prolem masculinam susciperet, prior natu post Regis mortem superstes in Syriæ Regno succederet. Si verò liberis, ut dictum est, carens, vita defungeretur, Rogerius ipse Comitissæ filius Regnum ipsum hæreditario jure possideret. Affectaverat siquidem valde Rex Comitissam uxorem ducere, quum & generis sublimitate inclyta, & magnarum opulentia divitiarum haberetur præclara. Tantam enim auri & argenti, & victualium copiam in Syriam secum adduxit, suorum veterum studio congregata, ut capere non posset hominum fides. Unde non solùm Regem ditavit inopem, sed & Populo penuria multa afflicto subvênit. Non denique lætis Comitissæ nuptiarum primordiis rerum exitus respondit; sed luctus miserabilis ejus ex insperato gaudia occupavit. Balduinus namque Rex non post multum gravi infirmitate correptus, volens saluti animæ suæ consulere, circa quam conscientiam læsam habebat, quòd maximè absque Ecclesiæ judicio secundam uxorem legitimam abdicans, superduxerat Comitissam, quam contra matrimonii jura tenebat, Principum & Prælatorum Regni consilio votum emisit, quòd si Dominus vitam ei prorogare dignaretur, legitimam reciperet conjugem. Comitissam insuper ad se accersiens, rem omnem aperuit, & ne Dominus contra eum ex hoc delicto iræ suæ manum extenderet, divortium faciendum prædixit. His auditis statim Comitissa magnis doloribus corde & animo saucia contabuit; spiritu tamen resumto in amaras prorumpens lacrymas, multa contra Regni Primates invehit, qui legationis regiæ fungentes officio, ad eam deludendam tam probrosè in terram ejus advenerant, sibi, quæ à Rege nuper miserabunda didicerat, occultantes. Porrò ad doloris sibi cedebat augmentum & tam probrosus à Rege discessus, & tantorum impensa sumtuum, quos in Regno Syriæ suarum dotium largitione tertio jam anno subierat. Quid plura? celebrato divortio mœsta & confusa discessit, quæ & quarto post hæc anno in amaritudine occubuit. Rogerius autem filius ejus, nec non & Siculi ex his tanta indignatione adversùs Syros excanduerunt, ut numquam extinctis simultatibus ab offensionibus transfretantium destiterint. Unde multa detrimenta Christianis sequuta sunt.

CAP. CI.

De morte Balduini Hierusalem Regis Secundi.

BAlduino post hæc Rege ab invalitudine liberato, Anno videlicet humanitatis assumtæ MCXVII. quum ipse ad ultionem injuriarum, quas crebrò Ægyptii irrogaverant Christianis, ardentissimè aspiraret, eductis copiis in Ægyptum descendit, in quo itinere antiquam illam accepit urbem Feramiam, prædamque omnem inter suos divisit. Est autem supra mare non longè ab ortu Nili, qui *Charabois* Gallicè dicitur, in quo sita est antiqua urbs Thamnis Ægypti metropolis, in qua

qua fuit Pharao, & cuncta signa Moises fecit, quam & fundasse Titanes idest Gigantes dicuntur. Capta hac urbe Faramia, ad ostia Nili processit: visione autem fluminis delectatus, sumtis epulis, tam subito tamque vehementi dolore corripitur, ut antiqui vulneris sit rupta cicatrix, & velut statim exspirabundus conspiceretur à suis. Paululum porrò dolore remisso, lectica impositus cum omni exercitu regreditur. Quumque transiens Ægypti Desertum, ad urbem antiquam, quæ Lars dicitur, pervenisset, morbo ingravescente, & vita cum morte reluctante, rebus excessit humanis, nec sinè magnis lacrymis gemitibusque cunctorum. Corpus ejus regio more compositum in Hierusalem delatum est, & in vigilia Resurrectionis Dominicæ in Basilica Sancti Sepulcri supra Calvariæ Montem loco, qui Golgothas dicitur, regalibus obsequiis est sepultum juxta Godefridum ejus prædecessorem & fratrem, Anno Incarnati Filii Dei MCXVIII. Regni ejus XVII. Ipsius autem exequiis interfuit Balduinus de Borch consanguineus ipsius, qui tunc erat Ragensis Comes, & ad urbem Hierusalem venerat, ut solemni processioni interesset, quæ annuatim Sabbato Sancto fiebat in urbe. Fuit autem Rex Balduinus Princeps quidem inter cætera circumspectione multa conspicuus, qui & in Regni agendis nihil absque Primatum consilio gessit.

CAP. CII.

De Balduino Hierusalem Rege, hujus nominis Secundo; qualiter urbes Meletinam, Apamiam, & Laodiciam obtinuit.

Balduinus post hunc, hujus nominis Secundus, cognomento de Borch, sive de Aguillone, qui fuit Ragensium Princeps, defuncto, ut dictum est, alio Balduino, post multos variosque tractatus in Hierosolymorum Regem præficitur. Hujus autem Balduini Regis ad Regnum promotio, ut legentibus lucidiùs pateat, ab ipsius gestis, dum esset in Principatu Ragensi, & primò qualiter Meletinam civitatem à Turchorum potentia liberavit, est Historiæ series prosequenda. Regnante siquidem Balduino, hujus nominis Primo, erat vir quidam civitatis Meletinæ Dominus, quæ sita est inter Euphratem & Mesopotamiam, Gabriel nomine, locuples in immensum, Herminius genere. Qui timens, ne Turchi civitatem ipsam invaderent, Bojamundum Ducem Apuliæ & Antiochiæ Principem per solemnes invitaverat Legatos, ut veniret Meletinam, ipsius civitatis dominium conventionibus idoneis recepturus. Princeps autem Bojamundus, ut erat corde magnanimns, & sollicitus in agendis, assumto secum nobili commeatu, quum flumen Euphratis transiens intrasset Mesopotamiam, & appropinquaret Meletinam, insidiis cujusdam Admirati Turchorum Danismani nomine captus est, & conjectus in vinculis, interfectis multis, qui in comitiva ejus erant: fuga reliqui evaserunt. Hac verò Turchi elati victoria ad obsidionem ipsius urbis Meletinæ castrametati sunt. Porrò Balduinus cognomento de Borch, tunc Ragensis Comes, his cognitis, per hos, qui fuga evaserant, de adverso casu Principis Bojamundi turbatus, motusque, super Meletinenses multo affectu cum omni suo exercitu ad subsidium præfatæ civitatis, quæ inde tribus distabat dietis, maturatis gressibus festinavit. Sed Admiratus Turchorum, ejus adventus præscius, potentiam quoque ipsius veritus, ab obsidione discessit, Bojamundum Principem secum ducens captivum & vinctum. Quem quum Balduinus tribus diebus fugando insequutus fuisset, tamdem rediit Meletinam, cui Gabriel conventionibus cum Bojamundo initis tradidit civitatem. Antiocheni verò Tancredo nepoti Bojamundi Principatus contulere custodiam. Qui eductis in Syriam copiis, nobilem urbem Apamiam obsedit, & tamdem machinis, & assaltibus multis impetitam, & astutiis variis circumventam obtinuit, per quam plurimùm auctus est Antiochiæ Principatus. Ipsa etiam die, qua Apamiam habuit, Laodiciam profectus, per deditionem illam obtinuit. Has urbes Apamiam & Laodiciam, ut antiquæ tradunt Historiæ, Rex Antiochus Luchæ filius fundavit, & à nominibus filiarum eas denominavit. Est etiam alia Laodicia, de qua scribit Johannes in Apocalypsi, connumerans eam inter septem Civitates Asiæ Minoris.

CAP. CIII.

De obsidione Carræ, & strage Christianorum ex contentione Principum.

Bojamundus post hæc gratia Dei à carceribus liberatus, certa redemtione soluta, Antiochiam vênit, deferens secum argenteos compedes, quibus fuerat illigatus; quos postmodum in Gallias veniens obtulit Beato Leonardo. Gaudenter itaque ab Antiochenis susceptus idem Princeps unà cum Tancredo nepote, qui Principatum feliciter gubernaverat, nec non & Balduino tunc Ragensi Comite ac Domino Meletinæ urbis, & Joncelino ejus consanguineo, ac etiam Dagoberto Patriarcha Hierosolymitano, & Benedicto Ragensi Archiepiscopo, omnem eorum exercitum in Ragensi Civitate congregaverunt, & transeuntes Euphratem ad obsidionem Carræ urbis profecti sunt. Est autem Carra, sive Carras, Civitas, quæ vulgò Carrum Babyloniæ dicitur, de qua scribit Isidorus, quòd est in Mesopotamia, quæ provincia ambitur fluminibus Tigri & Euphrate. De hac Civitate loquutus est Dominus ad Abraam dicens: *egredere de terra tua* &c. In hac urbe extinctus fuit Crassus à Parthis sivè Turchis, auro in os ejus infuso. Castrametato igitur horum Principum exercitu circa Carram urbem, quum obsessi præmuniti non essent, maximè victualibus quibuslibet, propter varios & crebros assaltus & hostiles direptiones, quas passi fuerant ab ipso Balduino tunc Comite Ragensi, nec advertere nt sibi alicunde adesse subsidium, se & sua Christianis liberè dediderunt. Quumque Christianorum exercitus Civitatem ingressurus esset, inter Bojamundum & Balduinum orta est contentio, cujusnam vexillum supra municipium urbis erigendum foret. Qua vili contentione tempus damnosè terentes, ecce Turchorum innumeræ copiæ obsessis auxilio veniunt, armis & victualibus abundanter munitæ. Has autem copias Turchi bifariè diviserunt, ut scilicet pars ingrederetur urbem cum victualibus, alia cum exercitu Christianorum confligeret. Christiani autem suas statim acies ordi-

ordinarunt, & licèt ex eis bellicosi alios hortarentur ad prœlium, incassum tamen, Deo fortè ex Principum æmulatione turbato aliter permittente, cessit hortatio. Subitò enim primo facto congressu Christiani, incutiente illos mortis horrore, adeò trepidi fugerunt, ut relictis omnibus, nonnisi ad latebras apponerent oculos. Turchi verò hac incredibili Christianorum fuga viribus aucti, dextris eorum arcubus immissis, gladiisque exemtis, fugientes cruenta strage trucidant. Pauci evaserunt, reliqui autem mortui aut capti fuerunt. Inter quos Balduinus Comes, & Joncelinus retenti sunt, & in interiorem Indiam missi in vinculis sunt conjecti. Bojamundus, & Tancredus cum Patriarcha vix evadentes, Rages ingressi sunt. Archiepiscopus Ragensis quum retentus fuisset, & cuidam Christiano, qui cum Turchis erat, vinctus in custodiam traditus, ab ipso, cui notus erat, sancta ejus simplicitate piè motus, liberè abire permissus est, qui & ad sedem suam rediit. In nullis earum partium Historiis legitur, quòd in universa Orientis terra tantam stragem perpessi sint Christiani, maximè nobilium, quantam in prœlio memorato. Quod actum fuit Anno Christi MCIV. Sed contentiosi tunc Principes sententiam Poëtæ improvidè neglexerunt. Inquit enim:

Dum trepidant partes, firmatæ robore nullo,
Tolle moras semper nocuit differre paratis.

CAP. CIV.

De adventu Principis Bojamundi in Apulia, & ejus morte.

COgnito igitur, quòd Balduinus à Turchis fuerat captivatus, Princeps Antiochiæ Bojamundus Ragensem Comitatum Tancredo gubernandum commisit; ipse verò Bojamundus cùm multis esset debitis obnoxius, eodem anno Apuliam vênit, relinquens Principatum Tancredo etiam nepoti custodiendum. Cum eo etiam perrexit Dagobertus Patriarcha. Deinde transivit in Gallias, & filiam Philippi I. Francorum Regis duxit uxorem Constantiam nomine, cujus sororem Cæciliam nomine Tancredo nepoti desponsavit in conjugem, quam Philippus ex Comitissa de Hannonia, vivente legitima, genuit. Quumque reversus esset Apuliam Bojamundus, Patriarcha Dagobertus vita defungitur anno IV. & mense III. Patriarchatus ipsius. Cui successit vir venerabilis Arelatensis Archiepiscopus nomine Ghibelinus, Anno Domini MCVII. quatuor annis sedens. Interea Bojamundus nacto sibi tempore, ulcisci volens injurias, quas per varias insidias ipse cum suis, aliique Christiani ab Alexio Imperatore primo peregrinationis procinctu perpessi fuerant, cum militibus, quos de Gallis conduxerat, & omni Apulorum exercitu, parata classe maritima, Constantinopolim tendit, & per urbes Imperii maritimas transiens, cunctas ferro populatus & igne, ingenti præda ditatus. Erant enim quingenti equites, & quadraginta millia pedites. Quumque Durachium pervenisset, Imperator Bojamundi viribus territus, pacem cum eo per Legatos composuit, in qua quidem Imperator jurejurando pollicitus est Bojamundo, deinceps per se & suos fideliter assistere transfretantibus Christianis, nec pati eos malè tractari. Bojamundus verò per se & suos fidem Imperatori servare promisit præstito juramento. His peractis Bojamundus cum suis in Apuliam rediit, habens ibi multa disponere. Franci, qui cum eo de Galliis venerant, transfretarunt. Tamdem quum Bojamundus agendis dispositis transfretationi insisteret, gravi ægritudine præventus occubuit. Reliquit autem ex conjuge Constantia Philippi Francorum Regis filia superstitem filium sibi æquivocum, & in Principatu successorem. Eodem Anno defunctus est supra dictus Philippus Francorum Rex. Cometes lugubre signum quadraginta continuis noctibus, duoque Soles ab aurora diei usque ad horam Tertiæ in Cœlo apparuerunt, de quibus prodigiis dictum est supra.

CAP. CV.

Qualiter Balduinus & Joncelinus carceres evaserunt, & quali astutia ipse Balduinus socerum delusit.

QUinto demum anno captivitatis Comitis Balduini, & Joncelini consanguinei ejus, qui fuit Humanatæ Divinitatis MCIX. pacta redemtione, datisque obsidibus, liberantur à vinculis. Obsides verò non multo post, volente Deo sopitis somno profundo custodibus interfectis, fuga evaserunt. Quumque Balduinus à Tancredo Comitatum Ragensem repeteret, datâ primùm repulsâ, tamdem quæ jurejurando pollicitus fuerat non immemor, Comitatum ipsum restituit Balduino. Id tamen molestè tulerunt Principes, maximè Joncelinus, unde postmodum gravia guerrarum sunt suborta discrimina. Joncelinus enim dum semel eductis copiis contra Tancredum, qui Bojamundo patruo in Principatu Antiocheno successerat, cum ipso Tancredo conserta pugna confligeret, non sinè magna cæde utrorumque, Tancredus tamdem victor evasit. Demum interventu amicorum communium, simultates ipsas pax amica diremit. Quum autem Balduinus guerrarum conflictibus pecuniis esset exhaustus, & mercenariis militibus in stipendiorum satisfactione deficeret, sumto secum nobili commeatu Meletinam perrexit, visurus socerum suum Gabrielem jam dictum, urbis ejusdem Dominum, cujus filiam Balduinus habebat in conjugem. Dumque diebus aliquot amica simul tenuissent colloquia, quadam die confidentibus in aula socero & genero, remotis arbitris, paucis dumtaxat militibus Balduini, unus ipsorum militum, juxta quod priùs inter ipsum Balduinum & milites tractatum fuerat, turbatum animum simulans, in hæc verba fictum à se sermonem in persona omnium ad Balduinum dirigens, loquutus est: *Lapsum quidem à tui memoria non credimus, ò Comes, quantis nos jactati periculis, & per operosa & ardua sursum ac deorsum euntes, quas periculosissimas expeditiones, quantave discrimina pro tuo subierimus Comitatu; famis, sitis, frigoris & æstus, vigiliarumque incommodis non parcentes, sed cædes, vulnera, & captivitates innumeras subeuntes; omnia pro te sumus experti, quibus humana possunt corpora pœnis subjici vel affligi; ad quæcumque nos pro libito submisit.* Per hæc autem tam validæ fidei argumen-

menta Comitatum tuum Deo auspice feliciter gubernasti. Per hæc factus multorum bellorum victor inclytus, hostes undique perfugasti. Quid multis immoror! quibus explicandis etiam oratoris eloquentis insudaret facundia. Nemo etiam temetipso in illis doctior, nemo peritior, nisi detestabilis ingratitudo mentem sanam obrepserit, & rectum pariter sensum confuderit. Nemo ad hæc te ipso testis acceptior. Tu promissa nobis gagia sive stipendia contra jusjurandum non solvens, crebris non pollicitationibus fatigasti. Et tamdem in singulis tuæ promissionis terminis nobis deficiens ad eam nos penuriam deduxisti, ut & nobis sit referre pudor, & audientibus foret etiam lacrymosum. Quapropter ad extrema coacti obtestamur fidem tuam, si tamen in te ulla fidei scintillula mansit, ut vel stipendia nobis exhibeas, vel saltem adimpleas id, in quo si nobis in hoc defeceres, te motu proprio obnoxium juramento fecisti. His dictis vultu mœsto consedit.

CAP. CVI.

De pecunia, quam Comiti Balduino socer ejus illustris donavit.

Quum autem Socer Comitis verba per interpretem, quæ Miles dixerat, agnovisset, quidque ultimò Comes Militibus promisisset juratus, instat scire sollicitus. Sed dum Comes ex condicto se in responso exhiberet difficilem, & caput quatiens super sermones militis videretur affligi, tamdem qui peroraverat à Socero Comitis requisitus statim subintulit: *Comes*, inquit, *pro nostris nobis stipendiis barbam propriam obligavit, jurans se illam rasurum, si nunc in solutione defecerit*. Quod quum Comitis Socer audisset (afficiebatur siquidem totus ad ipsum) statim complosis manibus præ nimio dolore in terram corruit resupinus & stupidus, & à corde mortui repræsentavit effigiem. Consueverunt enim Orientales, & maximè Græci, & Herminii, summo studio barbam nutrire, & præcipuum eam virile decus reputantes, ultimum habent opprobrium, immo veriùs & supplicium, barba privari. Et apud eos nefas est dicere, quòd aliquid possit viro inferri probrosius, quàm faciem ejus specie nativa nudare; & tantam illius reputant dignitatem, ut quantumcumque vir quispiam auro, veste, gemmisque ornatus incedat, & quantumcumque claris actibus fulgeat, tamen nisi barbam distinxerit, virilis haberi non poterit. Resumto igitur Comitis Socer post paululum spiritu, iterum generum stupidus sciscitatur, an verum vel fictum esset, quòd barbam militibus gagiasset. Comes verò coactum se à Socero simulans tantum de semetipso confiteri opprobrium, ficto tamdem rubore, id verum esse respondit. Socer autem iterum animo diriguit, & præ admiratione fronti Crucis signum imprimens: *Quæ te*, inquit, *infausta supremæ necessitatis fortuna ad hanc extremam fatuitatem perduxit, ut summum tuæ virilitatis decus, omnemque tui vultus auctoritatem tam infami supposueris ludibrio, etiam non morte dolendo! Quid enim verò refert, an barbam perdere, an fieri eunuchum?* Quumque Comes causam ad hoc prætenderet, dicens se aliter non potuisse retinere commilitones, quorum subsidio defensabat assiduè Comitatum, & hortaretur Socerum non inde turbari, spem habens in brevi posse barbam redimere, vox statim militum ipsius verba interrumpentium una fuit, se ulteriùs tantis frustratos pollicitationibus nulla sorte differre, nisi promta pecunia habeatur. Socer autem Comitis intelligens per interpretem milites verbis Comitis reluctari, cujus affectu nimio diligebat honorem, vir ut erat humanus & simplex, se non advertens illudi, statuit animo, generum potiùs debitis proprio fisco exoneraturum, quàm pati eum exponi opprobrio tam infami. Percontatus igitur in quanto Comes illis erat obnoxius, responsum est, in triginta millibus Michelinis. Hæc autem nummi species dicta fuit à nomine Michaëlis Imperatoris, qui & eam fabricari mandavit, Bysantio æquivalens. Recepto autem à militibus juramento, quòd deinceps ad simile jusjurandum Comitem generum suum nullatenus arctarent, pecuniam omnem persolvit, quam quum Comes Balduinus recepisset, lætus cum suis discessit.

CAP. CVII.

De obitu Tancredi Principis Antiochiæ.

Tancredus eo tempore Antiochiæ Princeps, qui fuerat Bojamundi nepos, vir quidem fide rectus, in judiciis severus, misericors pius, in eleemosynis liberalis, & in armis impiger, sicut Domino placuit, cui subjecta est omnis caro, & cui cum paupere obediunt Principes, Anno scilicet, quo ipse carnem pro nobis assumsit MCXI. debitum naturale persolvit; de quo siquidem considerato ipsius fine laudabili, profectò credendum est, ejus animam felicem percepisse quietem, quæ tanta pertulerat pro nomine Christi. Dumque lecto decumbens ipsius ingravesceret ægritudo, & medici de corporali desperarent salute, peractis in se quæ Christianum migrantem requirunt, Cæciliam conthoralem suam Francorum Regis filiam, mulierem optimam, nec non Pontium Bertrandi Tripolitani Comitis filium, egregiæ indolis juvenem, quem ut adoptivum in aula sua nutriverat, ad se accersitos, hæc eis ultima verba dedit: *Vitam & mores amborum expertus collaudo vosque obtestor, ut post mortem meam simul matrimonium celebretis*. Vix verba finierat, quum spiritus secessit à corpore, quod sub Porticu Basilicæ Beati Petri Apostoli in Antiochia urbe cum magno omnium luctu & mœrore, summisque exequiis est sepultum. Roglerius postmodum Ricardi Ducis Apuliæ filius, ejusque Tancredi filius, Bojamundo juniore quondam Bojamundi Principis, ut infra dicetur, morte prævento, in Principatu Tancredo successit, secundùm quod idem Tancredus de assensu Principum decreverat in ejus ultima voluntate. Pontius verò patre suo Bertrando non multò post defuncto, in Tripolitano Comitatu succesit, & relictam Tancredi Cæciliam uxorem accepit.

CAP. CVIII.

De peste famis in Ragensi Comitatu orta, & ingratitudine Joncellini.

Ea tempestate in Comitatu Ragensi terribilis fames invaluit, tum anni illius sterilitate, tum hostium populatione præterita, qui

qui Comitatum ipsum, velut in eorum meditullio positum multis gravibusque direptionibus & incursibus frequentibus infestabant. Tanta itaque erat famis penuria, ut etiam Nobiles, qui consueverant epulari splendidè, panem hordaceum admixta glandium tritura pro magnis deliciis reputarent. Perdurante igitur hac gravi peste, Joncelinus Balduini Comitis consanguineus ingratissimus nimirum apparuit. Illa enim perditissima ingratitudo in ipso tunc Joncelino suscepta, exinaniens beneficia, & cuncta exterminans merita, fontem pietatis & gratiæ fluenta siccavit. Nam quum territorium ejus, quod ultra Euphratis flumen de sola Balduini liberalitate possidebat, bonis terræ variis abundaret, in nullo tamen ipsum Balduinum benefactorem & dominum suum grandi famis circumventum angustia, omnem humanitatis gratitudinem exuens, ne dicam subvenire sibi, sed nec recognoscere procuravit. Quum autem idem Balduinus ad Principem Antiochiæ Roglerium, cui sororem in uxorem tradiderat, pro hujus subventione penuriæ Nuntios dirigeret, contigit eos divertere in eorum reditu apud Joncelinum; qui suscepti hospitio, dum, ut moris est, cum familiaribus Joncelini confabularentur, incidit sermo de Comite Balduino. Tunc servi ipsius Comitis familiares Joncelini improperare cœperunt dicentes, malè successisse eorum Domino de tanto Comitatu, quum simul esset pauperrimus, eorum verò Dominus modicum territorium possidens, magis tamen in auro & argento terræque frugibus abundabat. Dicebant insuper, prudenter agere Balduinum, si justo pretio Comitatum suum Domino eorum vendens, rei familiaris angustiam relevaret; sicque relicto Comitatu, quem nec regere sciebat, nec etiam poterat, reverteretur in Franciam. Providi autem Comitis Nuntii verba notantes, & se nihil mali suspicari dissimulantes, dictis eorum annuere fingunt, indeque discedunt, illius non immemores vetusti sermone proverbii: *Lingua servorum crebrò pandit dominorum affectum.*

CAP. CIX.

Qualiter Balduinus Joncelinum captivavit, & Comitatu privavit.

REversi itaque ad Comitem Nuntii singula referunt, quibus multipliciter motus & Joncelini ingratitudinem ad animum reducens, & ab ipso familiarium improperia procedere conjecturans, cujus in tam arduis tam aridam ingratitudinem sentiebat: paucis post hæc diebus simulata ægritudine Nuntios ad Joncelinum misit, ut festinaret ad eum, de statu Comitatus dispositurus cum illo. Ipse autem Domini sui susceptis Nuntiis festinavit ad eum nil suspicatus adversi. Quumque in forti eum municipio recepisset, lecto decumbens, reverenti salutatione præmissa, familiariter sciscitatus est Comitem, qualiter illi fortuna succederet: *Feliciùs*, inquit, *quàm tuus optet affectus*. Post hæc subjunxit Comes: *Habesne quidquam in hoc Orbe, quod non contulerit munificentia mea tibi?* Et ille; *minimè, Domine. Unde igitur*, ait Comes, *tanta te cœcavit ingratitudo, ut me benefactorem, quem & propriis ditavi bonis, & bonorum meorum feci participem, tanta nunc afflictum penuria respicere dissimulaveris tam inhumanè? Sed quod est detestabilius, per linguas tuorum clientulorum malignum in eo me adjudicans, & pauperem exprobrans, in quo volente Deo fortuna mihi exhibuit se adversam, quum non sit humanæ potentiæ ei resistere, contra quem omne consilium, fortitudo, & prudentia redduntur incassum. Ipsam quoque adversam fortunam imprudentiæ meæ, & merito infortunio adscripsisti. An me adeò infortunatum, miserum, & pauperem cernis, ut quod mihi Dominus contulit, tibi venumdare cogar, & cum suscepto pretio ad natale solum confugiam? Hæcne sunt tuæ gratitudinis ad me evidentia signa? an decrevisti mihi in te merita talibus compensare? Sed ecce ut video, quæ de manu mea sola liberalitate receperas, amittere meruisti, hominum ingratissimus omnium.* His dictis jussit eum statim catenis & compedibus vinciri, & carcere includi teterrimo. In quo tamdiu gravissimis pœnis afflictus retentus est, quousque universa terra, quam sibi Comes donaverat, restituta est Comiti. Tamdem recepto ab eo juramento, se numquam jus in ea repetiturum, libertati & paupertati restituit. Sed secedens ad Balduinum Regem, qui tunc vivebat, factus est ab eo Tabariæ Dominus, sciens eum militem viribus strenuum.

CAP. CX.

Qualiter Balduinus cognomento de Borch electus est in Regem Hierusalem.

DEfuncto post hæc eodem Balduino hujus nominis primo Hierosolymorum Rege, qui fuit Godefridi Principis frater, quum Balduinus Comes tunc Ragensis devotionis causa Hierusalem venisset, & ejusdem Regis interfuisset exsequiis, Prælati & Barones Regni ad præficiendum sibi Regem conveniunt. In diversa autem eorum sententiæ trahebantur. Quidam enim Eustachium, qui erat in Comitatu Boloniæ supra mare, defuncti Regis fratrem præferendum dicebant. Nonnulli verò in mora posse Regno imminere grave dispendium prætendebant, & ideo præsentialiter, & de præsentibus Principibus faciendam electionem utilissimum judicabant. Ex quibus in hanc sententiam trahentibus Joncelinus, cognomento de Cortenay, Comitis Ragensis Balduini, ut dictum est, consanguineus, vir sermone facundus, hæc verba fecit ad Principes.

CAP. CXI.

Verba Joncelini Tabariæ Domini.

CErtum est, *Viri Clarissimi, unumquemque nostrum ad eam trahi sententiam in hoc potissimè tam arduo Regni negotio, quam ejus dictat pura conscientia saniorem. Regnum, inquam, cæteris præferendum & devotiùs præ cæteris gubernandum, in quo Dei Filius Dominus noster Jesus Christus Regum Rex dignatus est humanari & nasci, & Crucis degmum affixus patibulo pro vita omnium, omnium vitam mori. Eorum igitur sententia, qui præferendum Regno Eustachium nominant, & venturum de longinquis partibus Occidentis exspectandum, à saniori mihi videtur consilio discrepare. Stulta quippe censenda est exspectatio illa,*

illa, qua sequente potest, quod exspectatur, amitti. Porrò cur in incertis vagamur, quum possimus super certis tutari, in his maximè agendis, quorum mora huic Regno hostium malitia tam varia minatur pericula, Christiano Populo tam damnosa? Quid multis immoror? Nobis quidem felici sorte dator gratiarum virum noviter hunc adduxit, genere insignem, justitia nobilem, opibus pollentem, & potentem in prœliis, cunctos quoque præcellentem honore, & quod in Principe majus, studio sapientiæ, & divino cultu semper intentum. Ipse est Balduinus Comes Ragensis, qui & duobus Hierosolymorum Regibus Christianissimis linea sanguinis erat adstrictus. Ipsum igitur quum misericors & miserator Dominus, qui semper ubique ad se convocat dignos, nec subjectum sibi Populum destitui patitur, huc advocavit, Regno divina providentia censeo præferendum. Novit Deus, me fide sincera loquutum, nullumque me zelum ad hæc humanum traxisse, ut Comitem ipsum dixerim præferendum. Quòd si in hoc negotio sequerer ipsum zelum, magìs hæc de illo essent tegenda silentio, à quo carceres & afflictiones varias, & demum bonorum omnium privationem sustinui. Facto fine dicendi, quum Patriarcha Hierosolymitanus Hernoldus Joncelini sententiæ adhæreret, sequutum est, ut omnium tamdem vota in Balduinum convenirent, quem in Regem Hierosolymorum electum idem Patriarcha die Resurrectionis Domini inunxit, & coronavit Anno gratiæ Christi MCXVIII. die II. Aprilis, sedente Romæ Gelasio II. Bernardo Antiocheno primo Patriarcha, & eodem Arnoldo IV. ex Latinis Hierosolymorum Patriarcha; imperante verò Henrico Romanorum Imperatore V., Eustachius quondam Godefridi & Balduini Regum Hierusalem frater, vocatus enim ad Regnum suscipiendum, incertum quibus auctoribus, Apuliam jam appulerat, licèt multi suaderent progredi, ad propria tamen reversus est dicens: *Absit, ut Regnum, quod Christus pretioso suo Sanguine nobilitavit, & pro quo fratres mei usque ad mortem pugnaverunt, ulla regnandi cupiditate perturbem.*

CAP. CXII.

De prosapia, forma, & bonis initiis Balduini.

FUit autem Balduinus iste, cognomento dictus de Borch, sive de Aquilon, Regum Hierusalem ex Christianis tertius, natione Francigena, in Remensi ortus Archiepiscopatu, ex Hugone Comite de Recest genitore ipsius, viro strenuo, & Melisauth Comitissa matre ejus, muliere laudabili. Hic jam ætate grandiusculus, assumto Crucis caractere transfretare disponens, jam dicto Godefrido consanguineo suo adhæsit, & quum transfretasset, Ragensem Comitatum obtinuit. Fratres ejus duo fuerunt, totidemque sorores. Ipse verò primogenitus erat. Unus ex fratribus Gervasius nomine dum esset Rhemensis electus, & pater ejus Hugo, fraterque alius Manasses defuncti essent, relicto Archiepiscopatu contra votum castitatis, sacrosque Canones uxorem accepit, & Comitatum resumsit. Quo mortuo Mathildis soror ejus, quam Castellanus de Vitriaco habebat in conjugem, successit in Comitatu. Aliam sororem, quæ dicta

A fuit Hordienna, habuit in uxorem vir egregius Herbrunus, ex qua genuit Manassem de Horges, qui fuit Conestabilis in Syria tempore Melisauth Reginæ. Erat autem Balduinus Rex corpore procerus, facie decorus, crine flavo sed raro, admixtaque canicie, barba non multum spissa, sed usque ad pectus protensa, viribus robustus, quantum ætas patiebatur, equo decenter insidiens, ad arma ferenda valde habilis, in agendis impiger, tamen moderatus & præmeditatus, in prœliis fortunatissimus, in eleemosynis liberalis, in orationibus & genuflexionibus adeò assiduus & intentus, ut in manibus & pedibus callosa quædam exinde durities cerneretur. Comitatum Ragensem
B Joncelino consanguineo suo tradidit, & pro ipsius investitura recepit ab ipso homagium. Ex conjuge sua Morsia nomine, filia Gabrielis Herminii Meletinæ Domini, tres filias genuit, Melesent, Atilis, & Hordiennam. Quartam post has regno suscepto. Eo tempore decessit Alexius Constantinopolitanus Imperator magnus, sed occultus Latinorum, qui transfretaverant in Terram Sanctam, adversarius, post quem Johannes filius ejus in Imperio, non in moribus successit. Fuit enim amator & promotor omnium Latinorum partium Orientis. Ipso etiam Anno defunctus est Paschalis hujus nominis II. Pontifex Romanus,
C cui successit Gelasius hujus nominis II. Adela Comitissa Siciliæ, quam Balduinus secundus Hierosolymorum Rex à se repudiaverat, ab hac quoque luce migravit. Arnolfus Patriarcha Hierosolymitanus etiam occubuit, vir adversæ procurationis & vitæ pejoris, quàm ejus dignitas exposcebat; post quem electus est vir vitæ venerabilis Gormonus natione Francigena, cujus virtuosis actibus Deus Regnum Syriæ multis beneficiis ampliavit. Ordo Templariorum iisdem fermè diebus inchoat, *de cujus prima institutione scribitur sub temporibus Henrici V.*

D

CAP. CXIII.

De strage Christianorum Duce Roglerio Antiochiæ Principe, & moribus ipsius Principis.

REgnante itaque Balduino, contigit Admiratum quemdam Turchorum Gazi nomine cum magnis copiis adversus Roglerium Antiochiæ Principem, quondam Tancredi consanguineum, & in Principatu successorem, advenire, confœderatis secum Dodequino Rege Damasci, & Debehis potentissimo Arabiæ Principe. Roglerius autem Antiochiæ Princeps bellum ex opposito instruit, qui non exspectato subsidiariorum adventu, scilicet
E Balduini Regis sororii sui, nec non Joncelini Comitis Ragensis, & Pontii Tripolitani Comitis, cum eodem Turchorum Admirato minus providè congressus est. Nam DCC. equites & quatuor mille pedites secum erant; Admiratus verò Turchorum sexaginta millia equitum habebat. Quumque simul congredientibus durissimam Turchorum pugnam Christiani ferre non possent, se in fugam convertunt. Roglerius verò cum paucis inter confertissimos hostium cuneos se immittens, & in eos gladio ultore agens, tamdem occubuit. Reliqui verò Christiani, qui ad collem quemdam confugerant, ab eisdem Turchis expugnari

gnati, trucidantur, & de universo eorum exercitu non nisi duo mortem evaserunt, cæteris Latinis casum flebilem relaturi. Creditum est à multis, stragem hanc Christianis ea die contigisse Roglerii Principis peccatis exigentibus, qui adeò ad lapsum carnis proclivis erat, ut nulli, quantumcumque affinis & amicus, matrimonii jura servaret. Avaritiæ præterea vitio deditus erat, plusquam deceret excellentiam sui status. In prœliis tamen Miles erat acerrimus. Re quoque alia culpatur, quòd Principatum Antiochenum contra fas detinebat, recusans illum restituere Bojamundo juniori filio Principis Bojamundi juxta conditionem à Tancredo dispositam. Licèt autem his defectibus reputaretur obnoxius, die tamen ipsa, qua perrexerat ad prœlium, confessione delictorum se munierat, & omnium emendationem promiserat, unde pium est credere, quòd ei misertus sit Dominus, pro cujus amore prœlio occumbens sanguinem fuderat.

CAP. CXIV.

De prœlio inter Balduinum Regem & Gazi Turchorum Admiratum, & victoria Christianorum.

INterea perlato rumore ad Gazi Turchorum Principem, quòd Balduinus Hierosolymorum Princeps Antiochenis subsidio veniebat, statim decem millia equitum contra eum direxit, ut in ipsis viarum angustiis ejus obstarent progressui; partem ex aliis ad mare misit versùs Portum Sancti Simeonis; reliqui partes alias tenuerunt. Quosdam autem ex eis Rex obvios habuit, cum quibus confligens partem occidit, partem fugavit. Post hæc Antiochiam veniens, trepidantium corda refovit, & magno omnium exceptus gaudio, dum de statu Principatus disponeret cum Antiochenis, Gazi Ægyptiorum sive Turchorum Princeps cum exercitu suo Emmaus & Artarsæ oppida transiens, Cerp Civitatem obsedit, cujus timore cives conterriti se dediderunt. Aliud oppidum etiam obsidens, quod Sardonas dicitur, in brevi quoque obtinuit. His igitur elatus successibus Gazi in tantam prorupit jactantiam, ut se cunctos Orientis Principes potentia gloriaretur præcellere. Rex autem Balduinus cognitis Gazi successibus bellum adversùs eum instruxit, & veniens in Terram Galileæ dictam Danis, acies suas disposuit, quæ novem erant, habentes equites septingentos. A dextro cornu fuit Comes Tripolitanus cum suis; à sinistro Antiochiæ Nobiles; in medio pedites consistebant. Ebremardus Cæsariensis Episcopus Crucem Domini deferebat. Quumque sic ad prœlium Christiani dispositi lento disciplinatoque gradu adversùs Turchorum acies procederent, Turchi magno tubarum clangore & lituum concentu Christianos aggressi sunt. Tunc inchoatum est prœlium, in quo omnis misericordia erat explosa, & pietas abdicata. Turchi ad cædem peditum Latinorum instabant, ut ipsis subactis equites faciliùs impugnarent. Quum autem Rex pedites ipsos conspiceret immaniter trucidari atque deficere, anteriores enim ipsius acies non poterant eis hostium impressione succurrere, sed ipsæ magis subsidio indigebant, fusa ad Dominum oratione suos ad prœlium viri voce hortatus est, & inter confertissimos hostium cuneos primus irrupit, quem reliqui viriliter sunt sequuti. Tunc prœlium acerrimum denuò instauratur. Tunc Christianis videntibus Regem sic strenuè pugnantem, vires roborantur & animi. Quibus in pugna robusta perseverantibus, Turchi tamdem deficiunt, seque in fugam ignominiosè convertunt. Cæsi sunt ex eis quatuor millia, multi captivati. Ex Christianis verò DCC. pedites, C. quoque equites corruerunt. Hanc autem victoriam obtinuerunt Christiani in Vigilia gloriosi transitus Matris Dei, quam Rex per anulum suum Patriarchæ Hierosolymitano, & sorori nuntiavit, Anno Incarnationis Dominicæ MCXX. qui fuit Annus Regni ejusdem Balduini Secundus. Post hæc reversus Antiochiam, cùm Principatus gubernationem sibi Antiocheni contulissent, ipsos in suam recepisset tutelam, munitis urbis municipiis, & re publica opportunè disposita, secessit in Bethleem, ubi cum Regina Nativitatis Dominicæ coronationis solemnia celebravit.

CAP. CXV.

Qualiter Balduinus captivatus est in oppido à Balach.

ANno sequenti, qui fuit Annus Incarnatæ Divinitatis MCXXI. Gazi Ægyptiorum Princeps morbo apoplexiæ defunctus est; post quem Balach super Turchos viribus & divitiis potens cœpit multis incursionibus & direptionibus assiduis Antiochenos opprimere, in magnam elatus jactantiam, quòd Joncelinum Ragensem Comitem, & Valeranum consanguineum ejus milites strenuos insidiis captivasset. Quum autem Rex Balduinus veniens Antiochenis subsidio, Gazi molestias repressisset, contigit, ut dum Rex ipse apud Rages Urbem, quæ trans Euphratem erat, cum suis tantùm militibus inequitaret noctis tempore, nil suspicatus adversi, Balach incurrit insidias. A quo graviter impetitus, tamdem Rex ipse adverso casu capitur, & apud oppidum Cartapert fortissimum valde, quod erat ultra Euphratem, in quo captivati erant Joncelinus & Waleranus, in vinculis ponitur. Cujus captio per Syriam divulgata Regnicolis mœrorem & dolorem incussit. Sed Patriarcha, Principesque Regni apud Acon urbem convenientes Regni gubernationem cuidam Eustachio Grens usque ad liberationem Regis commiserunt. Erat autem vir magni consilii, in agendis fidelis, & in armis acerrimus, qui Civitatibus Sidonis & Cæsareæ præsidebat. Quum autem Rex cum eisdem Joncelino & Walerano in vinculis conjectis crudeliter tractaretur à Turchis, contigit, ut quidam Herminii de Comitatu Joncelini, dolore pariter & indignatione ex his moti, liberationem ipsorum captivorum cautela hujusmodi sunt aggressi. Vicissim enim inter se quinquaginta ex eis juramento fide præstita, sumtoque Monachali habitu, dolones quoque sive gladios sub floccis eorum contegentes, ad Castrum ipsum, in quo Rex cum prædictis Comite, & ejus consanguineo captivabatur, perrexerunt. Et simulantes, se velle Domino Castri querelam deponere, quòd injuriosè fuissent ab eorum Monasterio eliminati, nonnulli etiam induti negotiatorum habitu, simulantes se prædatos, & ob hoc justitiam

tiam petere, intromissi sunt in oppidum. Qui statim detectis gladiis oppidanos cædunt, & nacto sibi oppidi dominio, carcerum confringunt repagula, & captos liberant. Rex autem timens obsideri à Turchis, Comitem Joncelinum cum tribus Armeniis pro subsidio misit. Ipse verò cum reliquis ad oppidi munitionem totus insistit. Turchi quoque his cognitis, cursu concito ad oppidum venientes, illud in giro vallarunt, observaturi, ne cui aditus in illud pateret vel exitus, quo usque Domini eorum Balach mandatum reciperent. Per eosdem dies dum Balach lecto sopiretur, sensit per somnum, quòd Joncelinus Comes ei oculos eruebat; qui excitatus à somno, territus est. Contigit autem, quòd ipse Balach ea die, qua oppidum, ut præmittitur, ab Herminiis captum est, ad illud casu nuntios misit, ut eidem Comiti caput auferrent. Qui quum progressi audivissent, oppidum ab Herminiis occupatum, statim ad Balach reversi sunt, & dum quæ acta fuerant nuntiassent, Balach collecto exercitu oppidum obsedit. Inter hæc tamen mandavit Regi, ut si oppidum sibi restitueret, egressum illi & Comitatum usque ad Ragensem Civitatem cum omnibus suis concederet. Sed quum Rex hoc renueret, & ad defensionem oppidi viriliter se pararet, indignatus Balach, ad expugnandum oppidum jussit machinas & petrarias erigi. Comperiens quoque, oppidum in molli saxo fundatum, mandavit, illud ab uno latere suffodi, factisque amplis meatibus, suppositoque turri multo ignis fomento, & igne immisso, tanto impetu turris corruit, ut universum oppidum quateretur. Rex autem ex hoc territus oppidum liberè reddidit. Balach recuperato oppido, Regi & Walerano vitam donans, apud Carram civitatem conjecit in vincula. Armenos verò, qui oppidum occupaverant, crudeli neci submisit; quosdam enim ad palum ligatos jussit arcubus sagittari, aliquos vivos excoriari, reliquos machinis suspendi mandavit. Qui licèt tam diris fuerint tormentis afflicti, credendum est illos partem potiorem fuisse sortitos, qui de hujus miseria vitæ educti, pro Christi amore martyrium subierunt. Amor siquidem Christi illos allexerat, ut ad liberandum Dominum eorum, & Christianissimos Principes de servitute barbarica, se submitterent tanto discrimini. Comes Joncelinus, qui pro Regis subsidio egressus fuerat oppidum, cum multo timore, & labore ad Euphratis flumen perveniens, licèt natandi ignarus, adminiculantibus tamen sibi Armenis, qui in ejus comitiva erant, supposuerunt enim utrique ejus lateri vascula quædam, & adhærentibus eidem, flumen natavit; quumque veniens ad oppidum Torbesel sumtis ibi equis & armis, ac comitiva, processit Antiochiam, & deinde Hierusalem, congregatisque subsidiariis, magnoque collecto exercitu, dum reversus esset Torbesel, agnovissetque, quæ de Rege contigerant, dolore affectus revertitur, præda & populationibus hostium multa diripiens.

CAP. CXVI.

Qualiter Christiani Dominum Ægyptiorum, & Turchorum multitudinem Deo auspice devicerunt.

QUamprimùm autem Ægyptiorum Dominus Hierusalem Regem captum agnovit, mente inde excedens, evocat undique versùm Turchos, qui ad sexaginta millia conglomerantur, ut à finibus suis Christianos exterminent. Igitur nacto sibi tempore ad invadendum Syriæ Regnum, terra marique copias suas eduxit, & descendens in Syriam, apud Ascalonam impedimenta comandat; classem verò ad obsidionem Japhet transmisit. Quam quum crebris & diris insultibus in tantum arctasset, ut obsessi ad resistendum ferè deficerent, tamdem Patriarcha Hierosolymitanus, & Eustachius Granerius Regni Syriæ Conestabilis in arcto positi, nil spei nisi in Deum habentes, exemplo Ninivitarum utrique sexui jejunium indicunt, pueris & lactantibus, universoque pecori pabula negantur. Post hæc cum omni eorum exercitu ad Japhet subsidium festinarunt, & qùum in planitiem Cæsareæ, quæ Chacho dicitur, descendissent, Turchi relicta obsidione naves conscenderunt. Tunc Principes Christianorum procedentes, quum ad locum, qui Ybelin dicitur, pervenissent, dies pugnæ indicitur. Principes graduintur in fronte. Patriarcha pro vexillo Crucem Christi ferebat. Abbas olim Cluniacensis Pontius lanceam in latere Christi transfixam præferebat. Episcopus Bethleemites in piscide Lac Sanctæ Mariæ Virginis deferebat. Turchis de propinquo consistentibus, & stupentibus Christianorum exercitum tanta militari disciplina compositum, ad prœlium se accingunt. Erant autem Christiani vix ad tria millia hominum æstimati; Turchi verò sexdecim millia armatorum computabantur, exceptis qui classem ascenderant. Appropinquantibus igitur simul exercitibus, Christiani vident Deo sibi auspice splendorem scisso aëre super Turchos subitò cecidisse, non prosperum Turchis, sed satis nocuum. Christiani itaque implorato Dei auxilio, primum fecerunt insultum, & tanta pugnaverunt virtute, ut tunc Ægypti experimento didicerunt, quid possent dexteræ Latinorum. Et quum diutiùs pugnantes Turchi in eorum multitudine spem haberent, tamdem advertentes perseverantiam Christianorum in pugna, & sentientes ex ipsa perseverantia viribus & animis magìs & magìs Christianos augeri, violenta coacti diffidentia, & equorum habenis dimissis, omni virium robore enervati, & non solùm à viris, sed à pueris & fœminis cæsi, cum ignominia terga dederunt, quos aliquandiu Christiani sunt insequuti, multò plures in ipsa fuga quàm in prœlio occidentes, ac etiam captivantes. Ceciderunt autem ex ipsis Turchis septem mille, submersi in aquis quinque millia, & innumeri captivati sunt. Reversi Christiani ad castra Turchorum, ingenti præda ditati sunt. Quumque rediissent ad propria Christiani omnes incolumes, summum & dulcem epinichion Deo reboant in excelsis. At Eustachius Regni Syriæ Procurator paulò post lecto decumbens occubuit, vir magni cordis, eximiæque virtutis, & fidei præstantissimæ. In cujus locum subrogatus est omnium assensu Principum Willelmus de Bivers, vir magni nominis & operis eximii.

CAP.

CAP. CXVII.

Qualiter Dux Venetiarum classem Ægyptiorum devicit in mare.

PErlatis inter hæc rumoribus apud Italiam de captione Regis Hierosolymitani, Dux Venetiarum Dominicus Michaël parata classe, scilicet navibus quatuor magnis, & galêis quadraginta, nec non & aliis vasis, quæ Chas appellantur, numero vigintiocto, transfretandi voto in Hierusalem, Cyprum applicuit; ubi quum vidisset, quòd Ægyptiorum classis Japhet obsidebat, & civitatis auxilio festinaret, cognovit in ipso itinere, quòd Balach Ægyptiorum Dominus prœlio victus fuerat à Christianis, quòdque Ægyptiorum classis secesserat Ascalonam. Tunc Dux Venetorum avidus bellare cum Turchis, vento prospero nocte Ascalonam pervênit. Die verò illucescente prœlium cum Turchis actum est valde crudele, hinc inde dispositis aciebus in mari. Tantus ibi sanguis fertur effusus, ut ad duo millia passuum in latum & longum mare apparuerit rubricatum. Occisorum præterea tantus fuit numerus, ut ex cadaveribus ad litus ejectis aër corruptus multos sanos infecerit. Hac peracta victoria Veneti versùs Ægyptum classem dirigunt, si quomodolibet possent Turchos offendere, quibus occurrentibus navibus decem Turchorum, Veneti statim illas invadunt, & facta ab hostibus levi defensione omnes (erant enim negotiatores, habentes in ipsis navibus aromata, aliamque variam ac pretiosam suppelectilem) capiunt. Quæ omnia Veneti ad Portum Acon vento sibi dextero succedente conduxerunt. Quorum adventu felicibusque successibus cognitis, Patriarcha Hierosolymitanus Germanus nomine, & Willelmus Regni Procurator, aliique Prælati & Principes Legatos solemnes ad Ducem & Venetos in Portu Acon direxerunt, ad subsidium Terræ Sanctæ eos suppliciter invitantes. Dux autem benignè Legatos recipiens, & visitandi Sanctam Civitatem avidus, classi ex suis relictâ custodiâ, vênit Hierusalem, magno omnium applausu receptus. Transactis tamdem Dominicæ Nativitatis solemniis, dum Patriarcha & reliqui Barones Regni cum Duce & Venetis pactiones iniissent, & Dux in ipsis pactionibus convenisset de obsidenda civitate Tyro, vel Ascalona, orta est inter ipsos Barones de obsidenda alterutra civitatum dissensio. Hierosolymorum enim, & Japhet, & Ramæ, & Neapolis, & adjacentium pagorum incolæ dicebant, utilius Regno obsidere Ascalonam, tum quòd propinquior, tum quòd expugnationi facilior. Econtra Acon, Nazareth, Tabariæ, Sidonis, & cæterarum maritimarum urbium & pagorum adjacentium Cives & incolæ, obsidionem Tyri opportuniorem dicebant, quum & nobilior & munitior esset in Regno, qua expugnata reliquæ civitates & oppida Regni poterant debellari faciliùs. Tunc enim Christiani à flumine tantùm Ægypti usque Antiochiam possidebant. Tamdem, quamquam ex hac contentione ferè contigerit, ut neutra obsidio fieret, ad hanc pervenerunt concordiam, ut in singulis cedulis ambarum civitatum nomina scriberentur, & super altare positis, illa obsideretur civitas, cujus nomen in cedula ab infante accepta contineretur. Cepit autem Tyri cedulam, & sic assensu omnium dante sorte Tyri obsidio est decreta.

CAP. CXVIII.

De conventionibus inter Ducem ipsum, & Syros, & de situ Tyri.

PRincipes igitur & universi Syriæ Populi ad obsidendum Tyrum congregati sunt in urbe Acon, eo quòd Venetorum classis hibernaverat in portu ejusdem. Ibi quoque pacta inter Syros & Venetos inita communi assensu jurejurando firmata sunt. Promiserant enim Principes Syriæ, ut Dux & Veneti in singulis urbibus Regni, & quæ à Rege obtinerentur in posterum, vicum unum, unam Ecclesiam, unum balneum, & unum clibanum jure hereditario perpetuò possiderent, ab omni præstatione, & consuetudine, & quibusvis aliis libera pariter & immunia, essentque Venetis ipsis sicut & regalia Regi; & quòd etiam in Porticu Hierusalem tantumdem haberent in reditibus, quantum & Rex percipere consuevit. In civitate Acon, si capi contingeret, Venetos molendinum, clibanum, balneum, mensuratores bladi, vini, mellis, & olei in vico eorum habere, operantes in eis haberentur immunes. Si contingeret Tyrum expugnari, Dux & Veneti singulis annis de reditibus ipsius urbis perciperent quatuor millia Bysantiorum Saracenorum in Natalitio Apostolorum Petri & Pauli; & quòd causarum civilium & criminalium inter Venetos ipsos cognitio in urbe ipsa vertentium ad Venetorum Judicem pertineret. Si verò inter Venetum, & alium de Regno, quæstio verteretur, per Regis Officiales deberet cognosci. Et si contingeret, quòd ipsorum Venetorum subsidio ambæ civitates Tyri & Sidonis expugnarentur, tertiam partem quarumlibet obtinere deberent. Et quòd Rege liberato à vinculis hæc omnia per eum robore debito firmarentur. Post hæc universus exercitus ab Acon discedens, ad obsidionem Tyri terra marique pervênit XV. Februarii. Fuit autem Tyrus urbs munitissima valde, & temporis longitudine antiquata. Nam Tyrus filius Japhet, à quo Tyrus denominata est, illam fundavit post diluvium. Sed à Phœnice instaurata, Metropolis est effecta Phœniciæ; de cujus præconio satis dicitur in Ezechiæ, Hieremiæ, Isaiæ, & cæteris Libris. Magnum habet murorum ambitum, formam sphericam, situm in corde maris in rupe durissima, & undique mari circumdata, nisi in fronte civitatis contra Orientem, ubi eam primò Nabucodonosor, & postea Alexander fecerunt terræ contiguam, quantum est jactus lapidis, ubi tamen cincta est quadruplici muro forti & alto, & ad vigintiquinque pedes spisso, qui etiam muri sunt turribus duodecim fortissimis. His etiam turribus continuatur arx Civitatis, sive castrum munitissimum, & in rupe in corde maris situm, munitum etiam turribus & palatiis fortissimis. Ante Portam ejus Orientalem ad jactum duarum sagittarum inter arenas ostenditur locus prædicationis Jesu Christi, ubi extulit vocem mulier de turba dicens: *Beatus venter, qui te portavit* &c. & lapis magnus, in quo stabat Christus, qui locus numquam arena operitur, quum tamen arena illa

illa levis sit, & volatilis. Iste locus in medio arenarum semper nudus remanet hyeme & æstate, sicut Brocardus in Libro descriptionis Terræ Sanctæ se vidisse testatur. Multæ sunt in ea Civitate Sanctorum Reliquiæ, sicut colligitur ex Historia Ecclesiastica de Martyribus, ibi sub Diocletiano passis, quorum est notus numerus soli Deo. Origenes ibidem in Ecclesia Sancti Sepulcri requiescit in muro conclusus. Ejus Metropolis extenditur usque ad Petram Incisam, sive castrum Peregrinorum, habens suffraganeos Beritoniensem, Sidoniensem, & Aconensem Episcopos. Ex hac urbe Tyro dicitur traxisse originem Ulpianus peritissimus Legum. Agenor quoque in ea natus fertur, qui Cadmum Thebarum funNdatorem, & Græcarum literarum inventorem; nec non & Phœnicem, à quo & Phœnicia provincia dicta est; filiam quoque Europam, à qua tertia Orbis pars denominata est, genuit. In hac urbe primùm Latinæ repertæ sunt literæ. In ea capi consueverunt pisces, quorum sanguine purpura tingitur. Ortus est etiam ibi Abdymus, quem Hiram Rex Tyri, ut recitat Josephus, tenebat captivum, quando sapientissimus Regum Salomon figuras obscuras ad eum misit, quas per eumdem Abdymum solvit. De isto etiam Abdymo fertur, quòd fuerit Marculphus, de quo vulgò dicitur, quòd Salomon & ipse invicem disputarunt. Ex hac urbe egressa fuit mulier, quæ pro filia à dæmonio malè habente Christum rogavit. Hæc etiam Civitas à Meridionali parte terram habet lucrationibus valde accommodam in magna planitie. Similiter & à Septemtrione versùs Sidonem fontes ibi oriuntur perutiles; ex quibus habetur præstantior, qui à Salomone dicitur, *Fons hortorum, & puteus aquarum viventium*, ex quo irrigantur pomœria, & horti, in quibus oriuntur cannamellæ, ex quibus nascitur zucharum. Colligitur etiam granella quædam, ex qua fit vitri species, unde fabricantur lucidissima vasa. Quamvis autem singulariter dicatur *Puteus*, sunt tamen quatuor ejusdem dispositionis & quantitatis. Unus qui præcipuus est, habet XL. cubitos longitudinis & latitudinis; alii tres circa vigintiquinque: omnes muri fortissimi de lapidibus durissimis opere insolubili ad altitudinem hastæ vel ampliùs circumdati, in quibus ita colligitur aqua & exaltatur, quòd ad omnem partem defluit ultra muros. Distant à mari magno modico ampliùs quàm jacere possit arcus, & in isto modico spatio impellunt sex rotas molendini satis magnas, & statim absorbentur in mari. In hac quoque urbe Sichæus, & ejus uxor Dido habuerunt originem, à qua Didone condita fuit Carthago Romanis infesta. Hæc & alia de prædicta Tyro præclara dicuntur. Sed ad Historiam redeatur.

CAP. CXIX.

Qualiter ipsa civitas Tyri obsessa est, & Balach Ægyptiorum Princeps occisus est.

Quum itaque ad hujus urbis obsidionem venisset exercitus Christianorum, Veneti ante Portum classem locarunt, reliqui ante urbem ipsam in terra castrametati sunt. Erat autem tunc Civitas ipsa duobus subdita Dominis, nam Calipha Ægypti duas partes, tertiam verò Rex Damasci possidebat. Opum & victualium & armorum copia non deerat. De Cæsarea enim, & Tripoli, Acon, & Sidone, & aliis maritimis urbibus & pagis cives, & incolæ ibi convenerant, omnem in ea ipsorum suppellectilem reportantes, timore Christianorum inducti, cujus captionem nec timebant, nec credebant omnino. Disposita igitur obsidione terra marique apud Tyrum, paratâque lignorum materiâ, fabricatum est à Christianis castellum altitudinis mœniorum cum machinis & petrariis, cum quibus crebris ingentium saxorum ictibus urbem ipsam impetebant. Turchi verò ad defensionem neutiquam pigri, simili etiam apparatu Christianorum exercitum graviter offendebant. Inter hæc protinus Tripolitanus Comes cum nobili comitiva equitum & peditum armatorum obsidentibus vênit subsidio, unde Christianis pugnandi multa crevit audacia; sed Turchi remissiores effecti sunt. Habebant enim intra urbem equites DCC. quorum pars erant de civitate Damasci ad pugnandum acriores. Tyrii enim magis voluptatibus, & quieti, ac negotiationibus, quàm armorum usibus assueti erant. Tamdem Damasceni dum adverterent Tyriorum lassitudinem & pusillanimitatem, quòdque etiam victualia deficere videbantur, urbem diu non posse resistere immurmurare cœperunt, unde Tyrii adeò contabuerunt animis, ut quid acturi essent, prorsus ignorarent. Tamdem in hujusmodi pressuris anfractuum constituti, ad Calipham Ægypti, & ad Dodequinum Regem Damasci legatos & epistolas direxerunt. Quum autem Damasci Rex cum magna gente veniret, cognito quòd Christiani, qui in obsidione Tyri erant, ad prœlium se parabant contra ipsum, statim cum omnibus copiis ad propria retrocessit. Unde Tyrii plurimùm dehortati à spe concepta fuerunt. Interea quoque Balach, qui Balduinum Regem captivum tenebat, quum ad obsidionem Geraplæ, cognita Tyri obsidione, stativa locasset, & dominum urbis dolo interceptum ab eo occidisset, Comes Joncelinus sentiens hostem sibi vicinum adesse, congregato exercitu cum Balach ipso conflixit; & tamdem Balach cum suis in fuga converso, Comes vir bello acerrimus hostes insequitur, prosternit, vulnerat, & occidit. Casu autem in ea fuga Balach comprehenso à Comite ignorante quòd Balach esset, capite mutilatur. Et sic adimpleta est somnii significatio, quod Balach viderat, oculos videlicet sibi à Comite erui. Exoculavit enim eum Comes, quum illi caput gladio abstulit. Et quum agnovisset Comes, quòd caput Balach esset, misit illud Antiochiam. Deinde in obsidionem Tyri portari mandavit, quod Christianis pervênit gaudio, Turchis autem tristitiæ & mœrori.

CAP. CXX.

Qualiter capta est Tyrus à Christianis.

Quum igitur his successibus Christiani dietim ad obsidionis perseverantiam animarentur, obsessi verò viribus & victualibus deficerent, nec subsidiariorum sibi sperarent adventum, per vicos & plateas immurmurabant dicentes, consultius fore relicta urbe, sibi, conjugibus, & liberis de salute curare, quàm ibi

ibi fame crudeli perire. His igitur susurriis per ora Civium increbrescentibus, tamdem ad civitatis Primores perlata sunt, sic quòd his coacti tractari de pace decernunt. Rex interea Damasci quum secundò, educto ejus exercitu in subsidium Tyri, non longè ab urbe super flumen, quod quatuor millibus passuum inde distabat, castra locasset, quamquam animo debellandi Christianos venisset, belli tamen placidè evitans discrimina, Legatos Christianorum Principibus misit, rogans ut cum obsessis pacem componerent. Tamdem his conditionibus pax firmatur, videlicet ut omnes urbem egredi volentes cum conjugibus, liberis, & omni eorum supellectile abirent illæsi; qui autem urbem habitare decreverint, tractarentur ut cives, Regi tamen tributum annuum persolventes. His conventionibus turbati sunt valde Christiani pauperes, qui hostium spoliis inhiabant. Sed Deo propitio pacatis, Christiani urbem intrarunt, & in signum victoriæ vexillum Regis in eminentiori Turri urbis erectum est. Similiter & vexilla Ducis Venetorum, & Tripolitani Comitis in reliquis turribus. Stupor erat impressionem cernere egredientium urbem tum famis angustia, tum cupiditate contemplandi Christianorum castra, & fabricas machinarum, nec non famosos exercitus Principes. In urbe non nisi modia quinque frumenti reperta sunt; in quo adverti potuit, quanta fuit tolerantia obsessorum. Fuit autem Urbs condivisa: duæ siquidem partes Regi adscriptæ; tertiam juxta conventiones initas Veneti habuerunt. Capta est itaque hoc modo Tyrus à Christianis eam obsidentibus Anno Incarnationis Dominicæ MCXXIII. die ultimo Junii, qui fuit Regis Balduini hujus nominis Secundi tunc apud Turchos captivi, in Regno ejus VI. à captione verò II.

CAP. CXXI.

Qualiter Balduinus devicit Borsequinum Admiratum Turchorum.

Balduinus Rex eo anno decemocto mensibus jam retentus, pro sua redemtione liberatur à vinculis. Qui veniens Antiochiam consuluit Antiochenos super solutione redemtionis suæ. Juraverat enim, se daturum Michelinos aureos centum mille detentoribus ipsius, in quorum manus Balach occiso pervenerat. Erat enim moneta imperante Michaële Constantinopoli fabricata, & ab eo sic denominata. Quumque Antiochenorum consilio Dalape civitatem obsedisset, ut ex hoc cives obsessi vel liberationem obsidum Regis curare cogerentur, vel redemtionem persolverent, audito tamdem, quòd Turchorum Admiratus, qui erat ultra Euphratem, veniebat eis subsidio cum multo exercitu, ab obsidione discessit, & in Hierusalem profectus, magno omnium gaudio receptus est. Quo ibi morante agnovit, Borsequinum Turchorum potentissimum Admiratum direptionibus & prædis Antiochenum Principatum invadere cum maximo Turchorum exercitu. Qui collecta Regni gente, Antiochiam vênit. Sed Admiratus, vir bellorum expertus & acer, unà cum Dodequino Rege Damasci iter maturans, Castrum Carfada obsedit, & cepit. Deinde transiens in minorem Syriam, quum Sardam Castrum obsidens, brevi tempore se obtinere non posse conspiceret, apud Arsath nobile oppidum castra fixit, & machinas instrui jussit. Quumque Rex accito secum Tripolitano Comite cum suis copiis ad subsidium Arsath oppidi festinaret, Borsequinus Turchorum Admiratus, qui ipsum oppidum obsidebat, advertens se non posse prœlium evitare, acies suas disposuit. Habebat enim in ipsa obsidione quindecim millia equitum armatorum. In exercitu verò Regis erant equites mille centum, duo verò millia peditum, qui in tres acies sunt divisi. Facto autem hinc inde congressu, multa virtute pugnatur. Christiani licèt respectu Turchorum essent paucissimi, audacter tamen in hostium cuneos penetrabant. Denique tanta ab eis constantia pugnatum est, ut Deo auspice, qui eorum manus docebat ad prœlium, quique in omnibus est omnia potens, Turchos in fugam ignominiosam converterint. Ceciderunt autem ex ipsis duo millia; multi quoque vivi retenti sunt. Ex Christianis verò corruerunt paucissimi. Prædam omnem Rex habens omnium assensu pro sua redemtione dedit, & quinquennem ejus filiam, quam obsidem dederat, recepit. Post hæc in Hierusalem rediit. Habuit autem Rex Balduinus filias quatuor, quarum una, dum esset in obsidione quadam, violentiam à Saracenis passa fuit; quam quum vellet Rex nuptui tradere, ipsa potiùs monachari eligens, apud Bethaniam Monasterium intravit, in quo exstitit Abbatissa. Alia fuit Antiochiæ Principissa. Aliam Comes Tripolitanus in conjugem habuit. Alia fuit Hierosolymorum Regina. Quæ autem ex omnibus data fuerit obses, non legi. Admiratus quoque Turchorum Borsequinus paulò post vita defungitur. Domestici namque ejus concitato clam adversùs eum odio gladiis trucidarunt.

CAP. CXXII.

De alia victoria ejusdem Regis Balduini ex Dodequino.

Anno postmodum Incarnationis Dominicæ MCXXIX. qui fuit Balduini Regis in Regno suo annus VIII. idem Rex collecto undique exercitu transiens per angustam Vallem, quæ *antrum Jacob* dicitur, vênit in terram Madian, magnam habentem planiciem, in qua flumen labitur inter Tabariam & Scythopolim, olim dictam Bersam, & Jordanem flumen. Et veniens apud civitatem, quæ Solome dicitur, quum eam incolerent Christiani, nil inferentes molestiæ, transierunt in Mergisafar. Est autem locus, ut antiqui referunt, in quo Beatus Paulus pergens in Damascum, tunc Saulus dictus, ut ad persequendum Christianos epistolas acciperet, vocem Christi audivit, & cadens in terram visum amisit, unde ad Fidem conversus est. Et quum in eo loco tribus diebus castrametati fuissent, cognito quòd Dodequinus Damasci Rex cum suo exercitu de propinquo erat, ordinatis aciebus Balduinus ad prœlium se accingit. Facto tamdem conflictu, diu pari Marte pugnatum est. Rex Balduinus viribus acer se inter confertissimos hostium cuneos immittens viam ferro suis parabat, & eos hortabatur ad pugnam, quosdam nominatim appellans, & solitas eorum virtutes rememorans, pugnaciores efficiebantur,

tur, dicens usque ad mortem in tali prœlio decertandum, in quo Christi pugiles ejus Sanguinem vindicabant. Dodequinus ex adverso Rex Damasci suos etiam hortabatur pugnare vivaciter, dicens hoc prœlio non tantùm propriam, sed & conjugum & liberorum ac patriæ verti salutem, & justum in hoc illos bellum acturos. Balduinus Rex strenuioribus vallatus militibus leonis more pugnabat, quum frendens in venatorem salutem vitæ tuetur. Ab hora diei tertia usque ad horam Vesperarum productum est prœlium, utrisque exercitibus strenuè debellantibus, & nequaquam imparibus viribus. Tamdem faciente illo, in quo omnis potentatus & victoria, Turchi pondus belli sustinere non valentes, fugam nanciscuntur. Cæsi sunt ex eis plusquam duo millia. Ex Christianis verò pedites octoginta, & equites vigintiquinque corruerunt. Reliqui cum Rege ad propria reversi sunt, super obtenta victoria laudes Domino concinentes. Hac parta victoria idem Rex unà cum Tripolitano Comite Pontio, collecto iteratò exercitu urbem Rafsaneam tanta tamque dira obsidione vallavit, ut obsessi die decima octava à castrametatione obsidentium coacti sint Regi, salvis tamen personis, reddere civitatem, quæ sita est in provincia de Paumers. Reddita sibi civitate Rex Balduinus in Hierusalem rediit mense Martio, & ibi Resurrectionis Dominicæ peregit solemnia. Eo tempore Imperator Henricus hujus nominis V. defunctus est, cui successit Lotharius.

CAP. CXXIII.

De Principatu Bojamundi in Antiochia.

Bojamundus junior, quondam Bojamundi Tarenti & Antiochiæ Principis filius, eodem Anno mense Septembris cum magna classe, scilicet navibus X. & galêis XII. ac vasis aliis, & comitiva nobili equitum armatorum vênit in Syriam, recepturus Antiochiæ Principatum. Quod audiens Balduinus Rex statim Antiochiam veniens, magnoque illum applausu recipiens, Principatum Antiochiæ sibi tradidit, & unam ex filiabus suis eidem Bojamundo dedit uxorem, cui Antiocheni ex hoc conjugio læti fidelitatis homagium præstiterunt. Erat autem tunc Bojamundus junior annorum decem & octo. Fuit præterea aspectu decorus, forma venustus, & in cunctis actibus gratiosus, capilloque flavo, affatu benignus, in verbis sapientissimus, moribusque maturus. His & aliis virtutibus atque gratiis clarus nequaquam obfuscabat præclaræ suæ prosapiæ decus. Pater siquidem Bojamundus Roberti Guiscardi filius fuit Apuliæ Ducis inclyti, cujus gesta magnifica nominis ejus præconium semper extollunt. Constantia mater ejus, mulier egregia fuit, Philippi hujus nominis I. Regis Franciæ filia. Hic Bojamundus in sui Principatus primordiis Castrum Cafardam, quod Turchi occupaverant, obsedit & cepit; plurimos ex oppidanis decapitari mandavit, sumtâ ingenti auri & argenti copiâ, quam pro eorum redemtione se daturos pollicebantur, dicens hoc modo velle bellum terminare inter ipsum & Turchos. Et hæc fuerunt prima auspicia Bojamundi. Anno tamdem sequenti, qui fuit Annus Domini MCXXX. Rodanus Princeps Dalech, vir crudelis & potens, cum magno exercitu in Principatu Antiochiæ vênit. Bojamundus verò cum omnibus copiis adversùs eum profectus est, & in loco, qui Gallicè dicitur *Portus Despalles*, castra fixit. Sed Turchorum Princeps Rodanus, cujus exercitum credebat Bojamundus inde longè distare, subitò in eum & ejus exercitum imparatum & improvisum irruit. Antiocheni verò hac irruptione consternati & stupidi, fugæ solùm quæsierunt præsidia. Bojamundus dum se ad defensionem accingeret, interceptus ab hostibus trucidatur. Cujus mœstus interitus magno fuit discrimini Christianis. Principatus verò tutelam Hierosolymorum Rex Balduinus assumsit Antiochenorum instantia. Sed antequam Rex ipse ad urbem Antiochenam, mortuo Bojamundo ejus genero, advenisset, conjux Bojamundi, Regisque filia in vesanam elata jactantiam, & urbis dominium ambiens, scelus nefandum excogitavit. Agnita siquidem viri sui morte, adversùs patrem se in rebellionem erexit, & mittens Secretarium suum ad quemdam Turchorum potentem ac divitem, Sanguinum nomine, armis siquidem strenuum, rogabat, ut ad defendendum Antiochiæ Principatum contra patrem sibi assisteret; & exenia ei transmittens, multa sibi etiam promittebat. Sperabat enim, quòd eodem Sanguino sibi assistente, vel vidua, vel viro nupta invito Rege patre, & Principibus, Antiochiæ Principatum posset tenere, & filiam unicam, quam ex Bojamundo juniore viro suo conceperat, aut monachare, vel plebejo viro tradere conjugem, ut ad Principatum minimè aspiraret. Secretarius autem ab ea missus in ipso itinere interceptus, & Regi præsentatus, hæc omnia revelavit. Quibus turbatus, retento nuntio, ad urbem Antiochenam festinavit. Filia verò cognito patris adventu, cum quibusdam in hoc vesano sibi proposito donis & promissionibus adhærentibus se ad resistendum accingit. Sed dum urbem faceret observari, ne pateret, quidam ex Primoribus urbis mulierem in hac parte vilipendentes, Regi portas aperiunt. Quumque filia timore patris in quodam se urbis municipio contulisset, tamdem nonnullis intercedentibus apud patrem, misertus est illius, & Laodiciam ac Gibeletum urbes maritimas eidem filiæ suæ possidendas concessit, quas & Bojamundus vir ejus in dotem ei donaverat. Post hæc juramento ab Antiochiæ Primoribus recepto, quòd ipsam urbem puellæ Bojamundi quondam filiæ & hæredi fideliter conservarent (timebat enim adhuc filiæ insidias) Hierusalem est reversus.

CAP. CXXIV.

De morte ejusdem Balduini Regis.

Quum autem Balduinus Hierusalem esset valitudine gravi correptus lecto decubuit. Morbo verò ingravescente, sentiens se brevi moriturum, lacrymosis oculis & corde contrito delicta ingemiscens, & Christi misericordiam suppliciter implorans, jussit se in domibus Patriarchæ deferri, ut mortis hora Sepulcro, in quo Christus pro eo quievit, esset vicinior, in quo salutem sperabat æternam. Denique Fulconem Comitem Andegavensem, cui filiam suam Melisauth conjugem dederat, filiumque eorum biennem, coram se evocatos, multis alloquutus est verbis.

bis. Deinde adstantibus Patriarcha, Willelmo, & aliis Regni Proceribus, eorumque assensu regia se abdicans dignitate, genero, filiæque, quum liberis careret masculis, diadema Regni contulit; & mori pro illo pauper decernens, qui pro nobis paupertatem elegit, deposito omni cultu regio, habitum Canonicorum Regularium assumsit, morantium in Ecclesia Sancti Sepulcri. Non multò post spiritus ejus luteam domum exiens, cœlestem, ut creditur, est ingressus, choris Angelicis aggregatus, cujus transitus lacrymas Regnicolis multas reliquit. Decessit autem Anno Incarnati Verbi Dei MCXXXI. die XX. Augusti, Regni sui XIII. Sepultus est quoque in Monte Calvariæ ante locum, qui Golgotha dicitur, cum prædecessoribus suis, Prælatis, & Principibus, ac cæteris Nobilibus Regni exsequias ejus solemniter peragentibus. Sequitur de Fulcone Hierusalem Rege & gestis ejus.

CAP. CXXV.

De coronatione Fulconis Hierusalem Regis, & ejus prosapia, & uxore, ac filiis ejus.

FUlco Hierosolymorum Regum, ex Christianis Quartus, mortuo, ut dictum est, Balduino, Regnum assumsit, quem unà cum Melisauth conjuge sua Patriarcha Hierosolymitanus, Willelmus nomine, die Exaltationis Sanctæ Crucis in Ecclesia Sancti Sepulcri consecravit, inunxit, & coronavit magno cunctorum applausu. Hic quum esset Princeps moribus insignis & actibus clarus, ad preces Balduini Regis, de quo proximè dictum est, qui eum per solemnes Legatos ad transfretandum invitaverat, & filiam suam in uxorem promiserat, quum venisset Acon, nuptias celebravit. Cui Rex Balduinus pro filia conjuge Tyrum & Acon urbes donavit in dotem. Fuit autem Fulco Rex, Andegaviæ Comes, & de Thors, & de Mans. Pater ejus quoque Fulco, cognomento Rechin filiam inclyti viri Amalvaci de Monteforti, natione Francigenæ, Bertheleam nomine, accepit in conjugem. Ex hac genuit hunc Fulconem, & Guifredum fratrem ejus, cognomento Martel, & filiam Harmingardam, quæ nupsit Willelmo Comiti de Poitiers; quæ contra matrimonii jura repudiata, secundò nupsit Britanniæ Comiti, ex qua genuit Comainum, cognomento Grossum, Britanniæ Comitem. Berthelea verò Fulconis Regis hujus mater, susceptis his tribus filiis ex Fulcone Comite seniore, spreta matrimonii lege, Philippo Regi Francorum adhæsit, quam Rex ipse Philippus diu contra monitionem Prælatorum Regni Franciæ tenuit, & tamquam Reginam tractavit, ex qua filias tres genuit, scilicet Florem, Philippam, & Cæciliam, quarum ultima Cæcilia nupsit Tancredo Principi Antiochiæ, quo defuncto, Pontium Tripolitanum Comitem virum accepit. Fulco iste Fulconis Comitis Andegaviæ filius, patre mortuo, Heliæ Comitis del Mans filiam nomine Guibers uxorem accepit, matre Fulconis hujus procurante. Nam quum moraretur in Curia Comitis Pictaviensis, dum esset adolescens, & Pincernæ officium gereret, Comes cognito, quòd frater Fulconis primogenitus decesserat, ipsum Fulconem conjecit in vincula, petens sibi restitui quædam oppida, quæ pater ejus & fratres feudi titulo possederant in Andegavensi & Pictaviensi Comitatibus. Sed præfati Fulconis genitrix, quam tunc Rex Franciæ tenebat illicitè, pia super filium viscera gestans, apud Regem, à quo nullam in votis suis patiebatur repulsam, liberationem filii procuravit, sibique ejusdem Comitis Heliæ filiam conjugem dari, ex qua genuit Gaufridum Comitem Andegaviæ, cui Henricus senior Anglorum Rex Mathildem filiam dedit uxorem, quam repudiaverat Henricus Imperator hujus nominis V. Ex hac genuit tres liberos, Henricum, qui fuit Angliæ Rex, Gaufridum cognomento Plantaginette, & Willelmum Longaspea. Duas etiam ex eadem conjuge genuit filias, Sibiliam, quæ nupta fuit Tierry Flandriæ Comiti, aliamque nomine Mathildem, quæ fuit uxor filii Henrici Angliæ Regis; sed ante carnalem copulam idem Henricus, dum transiret in Angliam, in mari periit. Puella verò emisso castitatis voto Abbatiam Fontis Eduardi intravit, ubi Christi ancilla terminum vitæ dedit. Defuncta uxore, Fulco, ut dictum est, tunc Andegaviæ Comes transfretavit, & ad subsidium Terræ Sanctæ propriis sumtibus anno uno centum equites tenuit, & omnium ferè Regni Principum suis meritis promeruit gratiam. Tunc Balduinus Hierosolymorum Rex, quum filiis careret, & cogitaret cuinam viro strenuo, & ad Regni gubernationem idoneo filiam unicam conjugem traderet, tamdem huic Fulconi, eam dedit, ut prædictum est, tradens illi in dotem Tyrum & Acon urbes, quas tribus annis possedit pacificè. Ex hac secunda conjuge Regina duos suscepit liberos, Balduinum & Amalricum, qui ambo patri successerunt in Regno.

CAP. CXXVI.

Qualiter Conradus Imperator, & Ludovicus Francorum Rex, & Fulco Hierosolymorum Rex Damascum obsederunt.

COronato igitur Fulcone Hierusalem Rege unà cum conjuge sua, Conradus Romanorum Imperator hujus nominis II. & Ludovicus Franciæ Rex, pater Regis Philippi hujus nominis II. Cruce sumta Hierusalem perrexerunt. Tunc tanta fames in Hierosolymorum Regno invaluit, ut multi soleas comederent. Hi autem Principes unà cum Rege Fulcone Damascum obsederunt, & depopulatis urbis pomœriis, infecto negotio discesserunt. Fertur enim, quòd à Templariis & Hospitalariis seducti fuerunt, qui sibi somarios Bysantiorum falsorum obtulerant. Deinde apud Ascalonam castrametati sunt, quæ supra mare sita est. Duodecim leucas distat à Hierusalem, formam semicircularem habens, una ex quatuor Philistinorum civitatibus. Quumque Imperator, & Rex Francorum multis diebus eam obsedissent, ad propria reversi sunt, quum parum ibi proficerent. Erat enim munitissima valde Civitas, in qua & omnis ferè Saracenorum fortitudo, sive defensio incumbebat. Ludovicus Rex, dum reverteretur, vento impellente Siciliam divertens, vênit Panormum, à quo Roglerius, qui noviter Insulam ipsam Siciliæ contra Saracenos bellando obtinuerat, hac astutia coronatus

tus est in Siciliæ Regem. Dum enim Regem Ludovicum suscepisset hospitio, & in ostentatione divitiarum suarum, ipse Roglerius Regi thesauros suos aperuisset, acceptâ Roglerius de industria insigni coronâ, rogavit Regem, ut eam accipiens, capiti ejus imponeret. Rex autem credens Roglerium joco non seriò hoc petiisse, capiti Roglerii imposuit. Quo facto Roglerius coronatus genua flectens gratias illi egit, qui eum coronasset in Regem, professus quòd à sublimiori inter Christianorum Reges coronari non potuisset. Post hæc usque ad mare concomitatus est Ludovicum.

CAP. CXXVII.

De morte Joncelini Comitis.

EOdem tempore, scilicet Fulcone regnante Hierosolymis, Joncelinus Ragensis Comes gravi ægritudine laborabat, ita ut Medici de salute ejus omnino diffiderent. Nam dum Turchos in quodam municipio obsideret, illudque municipium per fossiones subterraneas evertisset, Comes in ipsa subita eversione à ruinis retentus fuit, sed suorum festino evasit auxilio. Sic tamen totus confractus erat, ut viribus prorsus deficeret, licèt lingua menteque valeret. Quadam die nuntiatum est ei, quòd Cerson oppidum ejus ab hostibus esset obsessum, quibus præerat Cumaniæ Soldanus. Ipse verò Comes, ut erat corde magnanimus, indignatus est valde, & graviter ferens, quòd ad bellum esset imbellis, accito ad se filio, jussit filio, ut collecto omni exercitu ad defensionem oppidi festinaret. Sed quum filius patri dixisset, quòd contra Turchorum numerositatem non posset in suorum paucitate resistere, turbatus pater ejus, comperiens in hoc segnem & pusillanimem se fortitum filium & hæredem, statim mandavit congregari exercitum, & semetipsum quadrigæ imponi, & adversùs hostes deduci. In ipso autem itinere occurrerunt nuntii, quòd Soldanus cognito Comitis adventu ab obsidione discesserat. Quod audiens Comes jussit sisti quadrigam, & manus ad cœlum tendens ait: *Domine Deus, Clementissime Pater, gratias tibi ago, quòd in præsenti seculo dignatus es multis me honoribus sublimare, & nunc in præsenti tam arduo constitutus articulo sic te sensi largum & pium, ut me semimortuum, contractum, & putridum, & memet ipsi impotentem in tantum pertimuerint hostes, ut meo adventu cognito à finibus meis discesserint. Piissime Domine, scio & confiteor, quòd de sola tui munifica misericordia hæc mihi præstaveris.* His dictis Creatori supplex animam recommendans, in medio suorum statim spiritum reddidit Deo Patri. Ejus corpus cum magnis lamentis inde delatum, & sepulturæ honorificæ traditum est. Huic filius patri æquivocus, sed in multis dissimilis, in Comitatu successit. Fuit enim statura pusillus, sed in membris valde formosus, capillo brunus, facie lætus, variolarum tamen signis impressis, oculos magnos, & nasum oblongum habuit. Dapsilis, & acer in armis fuit, sed comessationibus & luxuriæ nimium deditus. Ex conjuge Beatrice stirpis generosæ filium genuit Joncelinum, hujus nominis Tertium, & Agnetem filiam, quam habuit in uxorem Amalri-

A cus Comes Japhet, qui fuit postmodum Hierosolymorum Rex; ex qua etiam genuit Balduinum, hujus nominis Quartum in eodem Regno. Sequitur de Balduino Rege nominis hujus Tertio.

CAP. CXXVIII.

De Balduino III. Hierosolymorum Rege, & conjuge ejus infami.

BAlduinus, hujus nominis Tertius, defuncto patre Fulcone Rege Regnum accepit Hierosolymorum, quod, dum vixit, pacificè tenuit, excepta urbe Ascalona, quæ diu
B fuit ei rebellis, & tamdem eam obtinuit, quam fratri Amalrico dedit. Similiter & Japhet Comitatum. Neptem Emanuelis Græcorum Imperatoris in conjugem duxit, ex qua nullam prolem suscepit. Oppidum Jadres, quod quondam fuit Samsonis fortissimum, distans à Japhet tribus leucis, Templariis concessit. Ibi fuit Palatium, quod Samson columnæ adhærens in necem suam, & Philistinorum evertit. Et inde ad duas leucas Castrum fundavit Ledaron in introitu terræ Ægypti. Defuncto Balduino Theodora conjux ejus, Emmanuelis Græcorum Imperatoris filia, Acon perrexit, quam in dotem à Rege
C viro suo receperat. Ad quam veniens consanguineus ejus Andronicus Constantinopolitanus, tantam cum ea familiaritatem contraxit, ut ipsa relicta urbe in Saracenorum terram cum eo perrexerit, ex quo multorum infamiam incurrerunt. Quumque ibidem esset defuncta, reversus Andronicus in Constantinopolim, ab Imperatore Emmanuele ob hanc infamiam in vinculis est conjectus. Qui postmodum moriente Imperatore liberatus est, & parvulo filio Emmanuelis tutor datus, quem occultè submergi in mari faciens, Imperium arripuit. *Sed hæc Historia non hìc prosequitur, quum posita sit supra sub temporibus Friderici Primi.*

D

CAP. CXXIX.

De Amalrico Rege Hierusalem, & ejus initiis in Regno, & obsidione Damiatæ.

AMalricus igitur mortuo Balduino Rege fratre ejus, Regni diadema suscepit. Fuit autem tunc Comes Japhet, qui & filiam Comitis Ragensis habebat uxorem. Erant quoque in ejus Comitatu urbes Rages, Monsferratus, Cæsaræa major, Camele, & Amanila, in qua ortus est Abraham Patriarcha, sita inter Antiochiam & Tripolim urbes. In Marchia quoque hujus Comitatus habent Hospitalarii duo castra Lecrac, & Lemergat. Templarii verò Castrum Blancum. Quumque Saraceni
E Amalrico Comitatum hunc multis prœliis abstulissent, venit Hierusalem ad fratrem suum Regem Balduinum, qui donavit ei Terram, quæ erat extra Acon, ubi dicitur ad Catenam. Defuncto quoque ipso Balduino sinè liberis, Amalricus sortitus est Regnum. Qui ante coronationem suam ad instantiam Principum Regni, repudiata conjuge propter affinitatem sanguinis (erant enim consanguinei) dedit eam Principi Hugoni, cognomento de Bellino. Ante tamen repudium genuit ex ea Balduinum, & Sibiliam. Post hæc filiam illustris Principis Protosevasto, qui erat consanguineus

neus Emmanuelis Imperatoris Græcorum (quod nomen in Latino sonat, *ante omnes Comites Dominus*) duxit uxorem, & coronavit Reginam, ex qua genuit filiam Elisabet. Fuit autem Amalricus Princeps quidam actibus prudens, & in bellis acerrimus. Is congregato Regni exercitu Damiatam obsedit. Ægyptii tunc Soldanum nullum habebant, sed loco Soldani præerat eis quidam Mulanius nomine, quem in tantum reverebantur, ut ab eis coleretur ut Deus. Et licèt armis instructus, aut strenuus nequaquam esset, propter hanc summam tamen, quam sibi exhibebant, reverentiam, Ægyptiorum Regnum in magna pace servabat. Erat quoque magnarum opum dominus, ita ut nemo par in divitiis sibi esset, Constantinopolitano Imperatore dumtaxat excepto. Reditus enim & proventus Regni Ægypti ad eum deferebant in Oppidum suum, quod vulgò Cayrum Babyloniæ dicebatur, non longè à Babylonia urbe. Audiens autem Mulanius Damiatam obsideri ab Amalrico Hierusalem Rege, magnum collegit exercitum, inter quos milites mercenarios plures habuit, implorato etiam Nubiæ Regis subsidio, qui maximas ei copias destinavit. Sed quum Amalricus Rex, Ægyptiorum innumerosum advenire in obsessorum Damiatæ auxilium cognovisset, inde discessit. Mulanius suos remisit. Post quartum verò annum à discessu obsidionis Damiatæ idem Amalricus Rex collecto exercitu intravit Ægyptum, & urbem, quæ Balbais dicitur, obsedit & cepit, & cum magnis spoliis, prædaque hominum Hierusalem reversus est.

CAP. CXXX.

Qualiter Mulanius Alexandriam, & Damiatam, & alia Oppida recuperavit.

MUlanius inter hæc Ægyptiorum Dominus Nuntios ad Amalricum Regem direxit, rogans eum, ut in ejus subsidium festinaret, & promittens illi se facturum homagium, & annuum tributum daturum, ac diebus singulis, quibus subsidio sibi esset in terra Ægypti, Bysantios mille pro persona Regis; & pro quolibet Principe, Nobili, & Plebejo, quantum dignitas & status uniuscujusque exposceret. De victualibus quoque & reliquis opportunis toti exercitui subveniret. Causa autem horum omnium erat, quòd milites mercenarii, quos idem Mulanius tempore, quo Amalricus Rex obsidebat Damiatam, conduxerat, accitis secum magnis copiis terram ejus invaserant, & omnia direptionibus supponentes, multas urbes & loca, & maximè Alexandriam & Damiatam occupaverant. Rex igitur Amalricus suorum consilio stabilitis treugis cum Soldano Damasci, congregato exercitu Ægyptum perrexit, & Damiatam cepit, deinde Alexandriam, & cæteras urbes, & oppida, quæ Saraceni occupaverant, recuperavit. Quumque has urbes & oppida à se recuperata Rex Amalricus in manu haberet, Regnique sui Principes, & maximè Prælati instarent, ut eas teneret, & ad partes Occidentis mittens, colonos ad terras ipsas populandas & possidendas habere curaret, promittentes sibi ab Apostolico sacramenti cujuscumque præstiti super his Mulanio absolutionem, Rex tamen, ut erat fidelis in verbo, & con-

A stans in promisso, ad hæc nullatenus adduci potuit, sed acquisita quæque Mulanio reddidit, à quo omnes sumtus & promissa singula pro se & suis recepit, & singulis annis, dum vixit, idem Mulanius tributi nomine viginti millia Bysantiorum auri dedit. Hunc tamdem Mulanium Saladinus dominio privavit & vita, ut infra dicetur.

CAP. CXXXI.

De adventu Principis Armeniæ minoris ad Amalricum Regem Hierusalem.

EO tempore Princeps Armeniæ minoris assumta Cruce peregrinandi voto quum
B venisset in Hierusalem, & à Rege Amalrico fuisset benigna comitate susceptus; erat enim nomen ejus Thoros, cognomento de Montanea, ne ingratus honoris à Rege suscepti appareret, obtulit ei in omni sua expeditione se daturum auxilio triginta millia hominum armatorum cum omnibus sumtibus; & in instanti quindecim millia se missurum promisit. Adverterat enim Princeps ipse dum per Regnum Hierosolymorum transiret, quòd Amalricus magìs Regni erat custos, quàm Dominus, quum multi Saraceni Regnum ipsum inhabitarent, & oppida multa tenerent. Quibus facilè fore dicebat adversùs Regem con-
C spirando, terram ejus invadere, & multos regnicolos habere fautores, quum plerumque soleant subditi gaudere novitatibus Dominorum. Quumque Rex pro obligatis gratias ageret, & Principes sciscitarentur, quibus consuetudinibus Regni gentes, quas in Regis subsidium mitteret, tractarentur, & Clerici responderent, quòd ab eis Decimas percipere volebant, quas tamen Saraceni non persolvebant in Regno ipso immorantes, ait: *Hac conditione nequaquam missurus ero Hierosolymitanis subsidium, ut apud eos, qui Christiani sunt, Christiani mei sint servi, apud quos Saraceni sunt liberi*. Et sic Clericis in sua pertinacia persistentibus, Princeps proposito mu-
D tato discessit, & postmodum diem clausit extremum, duos filios relinquens Rupinum, & Leonem.

CAP. CXXXII.

Qualiter Bojamundus hujus nominis III. Antiochiæ Principatum accepit.

EOdem quoque tempore Principissa Antiochiæ, quam Amalricus Rex Raynaldo Principi in uxorem dederat, defuncta est. Hic enim Raynaldus fuit natione Francigena, frater Domini del Geu sur Loire, vir quidem egregius, cui & Principatus Antiocheni cu-
E ram Rex ipse commiserat. Qua sumta dum eumdem Principatum tenuit, tantæ fuit humilitatis, ut nec pannos coloris, nec varios, aut griseos induerit. Filius autem Principissæ defunctæ, quæ & amita Regis Amalrici fuerat, Bojamundus nomine, post mortem matris Principatum, qui sibi succedebat, jure naturæ accepit. Raynaldus verò Hierusalem perrexit, cui Rex relictam Domini Krach & Montis Regalis copulavit in conjugem, de qua nullos liberos genuit. Ipsa verò ex primo viro habuit puerum & puellam, quæ Rupino filio Principis Armeniæ minoris tradita est in uxorem,

rem. Filius Gaufridus cum matre remansit, de cujus fine infra dicetur.

CAP. CXXXIII.

De obitu Amalrici Regis Hierusalem.

AMalricus inter hæc Hierosolymorum Rex quum infirmaretur ad mortem, de assensu Principum Balduinum filium suum, quem de conjuge sua Comitis Ragensis filia genuerat, nomine Maria, Regni successorem instituit. Eidem quoque conjugi suæ Neapolim urbem pro sua dote concessit. Relictam quoque Domini Tabariæ Raymundo Comiti Tripolitano consanguineo suo dedit uxorem. His dispositis, idem Rex ab hac luce migravit, filio suo Balduino hujus nominis IV. successore relicto.

CAP. CXXXIV.

De Balduino hujus nominis IV. electo in Regem Hierusalem, & ejus initiis & gestis.

BAlduinus igitur hujus nominis IV. & in Regno VII. patre suo Amalrico defuncto, assensu Principum Regno succedens, coronatur in Regem. Liberis autem & conjuge caruit, & occulto Dei judicio leprosus fuit. Sed dum vixit, Regnum pacificè gubernavit. Erat enim vir strenuus, sapiens, atque justus. Eo itaque regnante Philippus Flandriæ Comes, & ejusdem Regis consanguineus, sumta Cruce, Hierusalem vênit, cujus adventu suorumque militum Rex & Primores Regni gavisi sunt, sperantes contra Saracenos eos sibi adesse. Rex igitur Balduinus universos Regni Principes ad se vocari mandavit, ut cum Philippo Flandriæ Comite adversùs Saracenos ordinaretur exercitus. Quumque omnes simul convenissent dispposituri exercitum, Comes Regni sororem consanguineo ipsius Leoino, cognomento de Betune, dari postulavit in conjugem. Tunc unus ex Principibus Balduinus de Belino, qui propriam conjugem repudiaverat, aspirans ad hanc puellam uxorem habendam: *Credebamus*, inquit, *ò Comes, ideo te ad has regiones venisse, ut unà nobiscum Saracenos debellare studeres. Sed ut video, venisti matrimonia initurus, super quibus non apto quidem tempore Regem interpellasti. Si verò cum ipso processeris contra hostes, & contigerit nos esse victores, tunc si Regem super hoc requisieris, suorum tibi consilio respondebit.* His indignatus Comes, vale dicto Regi, unà cum Tripolitano Comite Antiochiam perrexit, & cum Bojamundo hujus nominis III. Antiocheno Principe oppidum Heranæ, quinque leucis inde distans obsedit, & tamdem relicta obsidione in Franciam reversus est. Qui & in ipso itinere veniens apud Constantinopolim matrimonium inter filium Emmanuelis Imperatoris, & filiam Ludovici VII. Regis Francorum tractavit, quod postmodum consummatum est. Fuit quoque Imperatoris filio nomen Alexius, Regis verò filiæ Agnes. Balduinus autem multa cum Saladino Ægypti prœlia gessit, ad quæ prosequenda priùs repetendum est de ipsius Saladini primis auspiciis, & qualiter obtinuit Babyloniam & Ægyptum.

CAP. CXXXV.

Incipit de gestis Saladini Ægypti. Qualiter Saladinus carceres evasit & Cayrum obsedit.

FUit olim Saracenorum quidam Præpositus in Damasco, magnis divitiis opulentus. Hic defuncto Amalrico Hierosolymorum Rege, volens Ægyptiorum terram acquirere, quemdam nepotem suum, qui apud oppidum Krach tenebatur in vinculis, soluta pro eo redemtione, curavit restitui libertate, ut in ipsa expeditione super Ægyptios eum secum haberet. Erat enim vir, quamquam genere humilis, consilio circumspectus, & armis strenuus, & multa liberalitate Saracenis valde dilectus. Hic dictus est Saladinus, quod nomen Gallica Lingua sonat *Dominus Legis Operator*. Quumque relaxatus esset à vinculis, Dominus Castri, in quo captivus detentus fuerat, militari çingulo illum accinxit. Veniens autem Damascum, patruus ejus Damasci Præpositus, congregato omni suo exercitu, accitoque secum Saladino, in Ægyptum descendit, & Mulanium Ægypti Dominum apud Cayrum obsedit. De isto autem Mulanio dictum est supra sub temporibus Amalrici Hierosolymorum Regis. Non multò igitur post Saladinus, defuncto patruo Præposito Damasci, in ipsa obsidione oppidi, quod Cayrum dicitur, totius exercitus Damascorum Ducatum assumsit, qui & ipsum oppidum Cayrum hujusmodi astutia occupavit. Talis enim consuetudo ibidem continuè servabatur. Duo namque equi fortissimi, sellis & frenis accincti, singulis diebus & noctibus ante fores Palatii ejusdem Mulanii tenebantur, fiebatque equorum ipsorum vicissitudo continua. Qui enim morabantur per diem, nocte sequenti ad stabula ducebantur; qui verò pernoctaverant, sequenti die ad stabula mansitabant. Hoc autem fiebat, quòd Saraceni reperiebant in eorum Codicibus prophetiam continentem, quòd de Ægypto egressurus esset vir Haly nomine, equos ascensurus ante fores hujusmodi constitutos, qui Saracenorum & Christianorum pariter Dominus esset. Quumque Saladinus Cayrum obsidens, in quo Mulanius erat, & præfata servabatur consuetudo, eidem non ignota Saladino, adverteret Civitatem ipsam Cayri obsidionis perseverantia, aut aliqua thesauri exhibitione capi non posse; consideraret etiam, quòd eâ captâ reliquam Ægypti Terram de facili posset suæ ditioni submittere: rem arduam, mirabileque figmentum aggressus est. Nuntium siquidem subornatum ad Mulanium præmisit dicens, quòd ipse Saladinus supplex ad ipsius misericordiam venire decreverat, in signum subjectionis dorso suo sellam asinariam gestaturus, paratusque omne ipsius subire mandatum, habens secum aliquantos clientulos virgas secum manibus deferentes, quibus supervenientium impressio arceatur. Quum autem hæc Mulanius audivisset, magno ea amplexus gaudio, misit Babyloniæ Satrapibus Populisque sibi subjectis, quòd Cayrum properarent visuri de Saladino spectaculum mirabile, ad eum imploraturo misericordiam supplice veniente.

CAP.

CAP. CXXXVI.

Qualiter Saladinus Mulanium Dominum Ægypti occidit, & Babyloniam ac Ægyptum obtinuit.

SAladinus igitur accitis secum XL. satellitibus sibi fidissimis, qui & arma sub vestibus contegerant, dorso suo sellam asinariam imposuit, & femori gladium occultans, manibus pedibusque repens, Cayrum intravit, quem satellites sequentes virgis eum, tamquam vile mancipium, stimulabant. Ad hoc spectaculum universi concurrentes nuntiant Mulanio Saladini adventum humilem; quumque Saladinus ante fores palatii Mulanii esset, & quos juxta prophetiam, ut dictum est, constitutos aspiceret, spem habuit se futurum ascensorem illorum, & vocari Haly. Veniens tamdem ante conspectum Mulanii in Regio solio residentis, & se ad osculum pedis ejus accincturum fingeret, & Mulanius gratiam suam ei promitteret, ex adventu tam supplici sellam dorso excussit, & gladium sub femore tectum eximens, Mulanii pectus transfixit. Statimque satellites ejus arma detegunt, & quoscumque sibi obvios trucidarunt, nec è cæde usque ad internecionem omnium destiterunt. Hoc itaque vaframento mirabili obtento Civitatis dominio nuntios suos Saladinus exercitui destinavit, ut conciti Babyloniam invaderent, quod & factum est. Nam subitò Babyloniam intrantes, cives improvisos spe pacis aggressi sunt, urbemque ceperunt. Est enim Babylonia urbs, à qua Cayrum non longè distat, ubi erant omnes Babyloniorum thesauri. Inter hæc Saladinus equos ante fores Palatii positos ascendit, qui expectabant Haly, & tunc consuetudo illa desiit. Quumque Cives Alexandriæ, Damiatæ, & circumstantium urbium atque locorum hæc audissent, quòdque Saladinus magnam equitum & peditum tam subitorum, quàm auxiliarium mercenariorum manum haberet, supplices ad eum Legatos miserunt, & se suaque omnia Saladino Principi dediderunt. Sicque factus est universæ terræ Ægypti Dominus ex innata cordis sui magnanimitate mirabili, urbibus & oppidis diligenter munitis.

CAP. CXXXVII.

Qualiter Balduinus III. Saladinum devicit.

POst hæc idem Saladinus Ægyti Soldanus nacto sibi tempore, ad Hierosolymorum Regnum adspirans, descendit in Syriam cum omni suo exercitu, qui æstimabatur sexaginta millia equitum armatorum. Rex verò Balduinus hæc audiens quingentos equites in Ascalonam habuit, & pro reliquis copiis Hierosolymam misit. Sed Saladinus ante copiarum adventum castrametatus apud Ascalonam Regem obsedit, intercipi mandans, qui Regi auxilio veniebant. Tertia verò die obsidionis Primatum consulto versùs Hierusalem perrexit Saladinus, sperans urbem ipsam paucitate incolentium habere posse. Quum autem in planicie Rames apud Civitatem Sancti Georgii longè ab Ascalona per septem leucas Saladinus castra fixisset, Balduinus Rex Ascalonam egressus, sequutus est eum cum suo exercitu, &

A castrametatus est apud Castrum, quod Ybelin dicitur, longè duabus leucis ab exercitu Saladini. Mane sequenti Saladinus cum exercitu suo Hierusalem progressus est. Erat autem ipsa die Feria VI. in qua fuit solemnitas Virginis Catharinæ. Rex cum suis advertens, quòd Hierusalem festinabat Saladinus, decrevit suorum consilio pugnare cum eo. Animabantur siquidem Christiani multum ad pugnam, de victoria valde confisi, precibus potissimè atque meritis gloriosi Martyris Georgii, cujus Ecclesiam eo loco fundatam, in quo Martyr ipse pro Christo sanguinem fudit, Saraceni ea nocte spoliantes profanaverant. Diligenter igitur præparatis aciebus suis, habebant quidem

B equites quingentos, nam qui veniebant de Hierusalem auxilio Regi Balduino Ascalonæ obsesso, ab exercitu Saladini fuerant intercepti & capti ante oppidum montis Gisart. Prœlium statuitur. Tunc Balduinus de Rames, qui Dominus erat ejusdem oppidi, & Balianus de Belino frater ejus, qui primæ aciei præerant, invocato Omnipotentis auxilio, primo impetu irruunt super hostes. Hoc enim à Rege impetraverant, ut scilicet ad congressum præficerentur. Itaque prœlium inchoatum est, quod usque ferè ad Solis perduravit occasum. Ibi Ugo Tabariæ, & Willelmus frater ejus probissimi Milites, Templarii quoque, & Hospitalarii inter reliquos armorum exercitio cla-

G ruerunt. In acie quoque Regis tot fuerunt strenui pugnatores, ut dum in hostium cuneos ferro viam facerent, accessus illorum videretur impetus tempestatis. Quumque Saraceni durissimum diu prœlium tolerassent, multique corruissent, tamdem eo auxiliante Christianos, cui facile est in manibus paucorum concludere infinitos, hostium acies terga verterunt, quos Christiani insequuti sunt ferè usque ad noctem, magna strage illos delentes, prædam quoque ingentem & captivos plurimos habuerunt. Christiani quoque qui à Saracenis intercepti fuerant, dum venirent auxilio Regi obsesso, in Tabaria à Saladino, & in camelis ligati etiam evaserunt, custodes eorum occidentes, bonaque ipsorum

D diripientes. Multi ex Christianis retulerunt publicè se prœlii tempore vidisse Lignum Sanctæ Crucis, quod pro vexillo Christianorum erat, tantæ proceritatis, ut ipsum cœlum contingere videretur. Nonnulli etiam ex Saracenis eo die captivitatis sciscitati sunt à Christianis non sinè stupore de illo Milite glorioso, quem se vidisse in eo prœlio asserebant, alba insignia deferente, & cæde terribili inter Saracenorum acies sæviente; quibus responsum est, eum fuisse Beatum Georgium, cujus Basilicam priori die non fuerant veriti profanare. Obtenta itaque hoc modo tam insigni victoria, tamque memoranda, Rex Balduinus cum

E suis Hierusalem reversus est, Saladinus verò in Ægyptum perrexit.

CAP. CXXXVIII.

De Guillielmo Longaspea, & vario prœlio inter Balduinum Regem & Saladinum.

EIsdem fermè diebus vir inclitus Willelmus cognomento Longaspea, Bonefacii illustris Marchionis Montisferrati provinciæ Lombardiæ filius, quum venisset Hierosolymam, Balduinus Rex fama ejus nominis delectatus (erat enim armis strenuus, & actibus placi-

dis-

dissimus) Sibiliam sororem suam ei tradidit in uxorem, & Comitatum Joppem dedit in dotem. Sicque Willelmus factus est à Rege Balduino Comes Joppe. Sibilia verò conjux ejus, ex qua genuit filium sibi æquivocum, paulò post defuncta est. Inter hæc Balduinus ipse Hierosolymorum Rex, morte cognita Noradini Regis, congregato exercitu vênit in Regno Damasci, & urbibus ac oppidis depopulatis, non tamen obsessis aut victis, prædam magnam inde accepit. Sed quum Saladinus eductis copiis ex Ægypto ad requisitionem Damasci Reginæ veniret ejus subsidio, Rex Balduinus cum omni præda Hierusalem reversus est. Saladinus verò Damascum veniens, Reginam in conjugem, Regnumque simul accepit. Est autem Damascus in Syria urbs, quam construxit Elierce servus Abrahæ in agro illo, in quo Cain occîdit Abel. Ibi etiam habitavit Esau, qui & Seir dicitur, & Edon, à quo Edon, tota terra illa vocatur Idumæa, cujus pars terra Hus, de qua Job. Elatus itaque Saladinus tantorum felicium sorte successuum, obtentu videlicet Ægypti pariter & Damasci, adversùs Regem Balduinum ulcisciturus perpessas injurias omnem suum congregavit exercitum, & apud Sidonem inter Tyrum & Beritum Hierosolymitanum Regnum intravit. Quo audito Rex Balduinus cum gente sua adversùs eum processit. Et quum uterque exercitus castrametatus esset apud Castrum, quod Belfort dicitur, ad prœlium congressi sunt simul. Quumque Saraceni succubuissent, & fugam peterent, Christiani magìs prædandi, quàm insequendi avidi, convertuntur ad spolia. Quod advertentes Saraceni, resumtis animis & viribus, prœlium reassumunt, & Christianos ad prædam passim vagantes invadunt; victoribus victis prædam omnem recuperarunt. In eo prœlio capti sunt Templi Magister, & Balduinus de Rames Dominus Castri Montis Gisart, & apud Damascum captivati sunt.

CAP. CXXXIX.

Qualiter Saladinus Castrum apud Vadum Jacob evertit.

Saladinus post hęc ad PersarumRegnum aspirans, decrevit à Christianorum prœliis desistere, factisque cum Balduino Rege treugis, copias suas eduxit in Persidam, cuncta in ipso sibi itinere obvia subjiciens manu potenti. Inter hæc Templarii petierunt à Rege Balduino sibi concedi posse Castrum ædificare, loco ubi dicitur Vadum Jacob, super Torrentem Jaboch. Est autem locus, ubi Jacob cum Angelo luctatus est, & ubi femur confregit, quum rediret de Ran, in quo fugerat à facie Esau, ubi etiam dictum est ei ab Angelo; *non vocaberis de cætero Jacob, sed Israël erit nomen tuum*. Motus igitur Templariorum precibus Rex concessit eis Castri ædificationem, & veniens in Saracenorum terram cum militibus suis, ibi moratus est, quousque fundaverunt, ne illos offenderent Saraceni. Hoc verò audiens Saladinus vehementer indoluit, & nuntios ad Regem mittens, nuntiavit ei treugas violatas. Quumque Persarum Regnum sibi subjugasset idem Saladinus, nec non & ad Regnum, quod Molle dicitur, indistans dietis VII. reversus est Damascum. Defuncta quoque paulò post ejus conjuge in

A Regno Halap, in quo privignum fugaverat, perrexit, illudque obtinuit; sicque factus est quinque Regnorum Dominus. Post hæc cum universo exercitu suo Castrum, quod Templarii ad Vadum Jacob, ut dictum est, fundaverant, diligenterque munierant, obsedit. Balduinus verò Rex, ut obsessis succurreret, eductis copiis apud Tabariam vênit, quæ à Castro ipso leucis quinque distabat. Sed tamdem pusillanimitate victus Rex destitit obsessis succurrere, sicque Saladinus Castrum cepit, & Templarios ibidem repertos decapitari mandavit, quosdam vinctos Damascum perduci, & Castrum everti. Deinde treugis iteB ratò cum Rege compositis, perrexit in Regnum, quod Lyemen dicitur, ad ejus subjectionem aspirans. Distabat autem inde dietis triginta. Quumque ibidem cum omni suo venisset exercitu, regnicolæ nequeuntes ejus potentiæ resistere, suo se dominio subdiderunt.

CAP. CXL.

De obsidione oppidi Krach, & treugis inter Christianos & Saracenos.

Inter hæc Raynaldus oppidi Krach Dominus, durantibus treugis inter Balduinum Hierosolymorum Regem, & Saladinum C Ægypti Soldanum atque Damasci, negotiatores, qui de Damasco in Ægyptum pergebant cum mulieribus ac jumentis, & omni suppelectile eorum vinctos duxit in oppidum Krach. Rex verò Balduinus hoc audiens, turbatus est valde, & quum Legatos ad eum misisset semel & secundò, multis precibus interpellans eum, ut captivos cum omni præda relaxaret, nec treugas violaret: Raynaldus pertinaciter Regi respondit, se nequaquam obtemperaturum verbis ipsius, & quasi comminando innuit, super his servandum à Rege silentium. Quumque Saladinus querelam treuD garum violatarum per Legatos suos Regi Balduino fecisset proponi, Rex ei, quæ peracta fuerant, intimavit. His non contentus Saladinus, quum iterum restitutionem captivorum & rerum à Rege peteret, Rexque impossibilitatis excusationem prætenderet, dicens Dominum Krach sibi rebellem, bellum adversùs Regem indixit propter treugas violatas, & cum omni exercitu flumen transiens, Terram Hierosolymorum intravit, & ante oppidum, quod Forbeleth dicitur, consedit. Hîc autem flumen cursu suo Terras Saracenorum à Christianorum terris dividit, sive conterminat. Quam enim Christiani possident, Terra promissionis dicitur, alia verò Arabia E nuncupatur. Rex Hierusalem cum gentibus suis adversùs Saladinum procedens aquam abstulit Saracenorum exercitui, super qua castrametati erant. Prœlium autem nullum commissum est ibi. Erat enim æstus ingens, unde Christiani nolebant ab aqua secedere. Saraceni aqua privati, differebant prœlio impetere Christianos. Tamdem quum jam advesperasceret, Saladinus ad oppidum Krach copias omnes eduxit. Est autem oppidum Krach in Arabia situm non longè à Monte Sinai, qui est in terra Domini ejusdem oppidi inter ipsum oppidum & Mare Rubrum. Ostenditur hodie Castrum istud in litore Orientali, & dictum est antiquitus Petra Deserti, postmodum

Mons Regalis, nunc verò Krach, valde munitum, quod Balduinus Rex Hierusalem, hujus nominis II. ædificavit pro regno dilatando. Sed nunc Soldanus tenet illud, & reponit ibi thesaurum totius Arabiæ & Ægypti. Mansit autem Saladinus in obsidione Castri hujus mensibus quinque, & quum machinis & petrariis, crebrisque insultibus illud impetiisset, videns non posse ibi proficere, discessit. Non enim præterquam ab uno latere poterat obsideri. Agnoverat quoque Saladinus, quòd Balduinus Rex obsessis veniebat subsidio, requisitus suppliciter à Raynaldo oppidi Domino. Qui Rex quum ad oppidum venisset, magnum pro reparatione oppidi thesaurum contulit. Sororem quoque suam, quæ secundò nupserat Baliano de Belino, Guifredo privigno Raynaldi dedit in conjugem. Postremò in Hierusalem reversus, longis cum Saladino firmatis treugis quievit pace.

CAP. CXLI.

Qualiter Balduinus de Rames carceres Saladini evasit.

INterea quum Balduinus de Rames apud Damascum à Saladino detineretur captivus, & gloriaretur Saladinus talem in vinculis fuisse virum sortitum, multorum tamdem precibus collateralium Saladini, quorum benevolentiam Balduinus sibi captivaverat (erat enim vir placidissimus opere & sermone) Saladinus redemtionem ejus taxavit in duobus millibus Bysantiorum, quam si non persolveret, interminatus est sibi, quòd faucibus ejus juberet excuti duos dentes. Quumque Balduinus ad hoc se impotentem responderet, turbatus Saladinus, jussit illos excuti. Qui quum incredibiles sensisset angustias, redemtionem soluturum promisit, & ad fratrem suum Balianum de Belino virum Reginæ Mariæ, quæ fuerat uxor quondam Amalrici Regis, nuntios misit, ut sibi ad solutionem redemtionis pollicitæ subvenire curaret. Ipse autem fratri compatiens, partem tertiam Bysantiorum solvit, pro reliquis obsides dedit. Sic liberatus à vinculis vênit Hierusalem. Post hæc perrexit Constantinopolim, ut in solutione redemtionis ab Imperatore subsidium imploraret. Imperator verò delectatus viri probitate, contemplatione quoque fratris ejus Baliani, qui filiam consanguinei sui habebat uxorem, quæ & priùs quondam Amalrici Regis Hierusalem fuerat uxor, jussit solium in Palatio deferri, & Balduinum in eo sedentem, yperis aureis usque ad verticem cooperiri sive circumdari. Lætus itaque Balduinus tanta Imperatoris munificentia, ad propria reversus est, quem Imperator usque Acon concomitari honorificè fecit. Soluta autem redemtione, & quitatis obsidibus seu fidejussoribus, comperit Comitissam Japhet, quam dudum in conjugem affectaverat, habere virum; accepisse Guidonem scilicet cognomento de Lisignano fratrem Aymerici. Ii fuerunt filii Hugonis Bruni, qui fuit Dominus de Lisignano, de cujus strenuitatibus per orbem tanta dicuntur. Erat autem Guido Miles decorus, & armis satìs strenuus, sed fortuna & scientia inferior, fuitque postmodum Hierusalem Rex. Accepit itaque Balduinus filiam Conestabilis Tripolitani in conjugem, quam postmodum susceptam habuit, ex quodam Milite nomine Rahous de Hembrach, quem de Comitatu Tripolitano eliminavit. Ipse verò ad Saracenos confugiens multa mala postmodum intulit Christianis.

CAP. CXLII.

Qualiter Heraclius Archiepiscopus Cæsarea factus est Patriarcha Hierusalem à Rege Balduino.

HIs diebus erant in Hierosolymorum Regno Prælati insignes, Archiepiscopus videlicet Tyrensis, Willelmus nomine, natione Hierosolymitanus, vir inter Christianos moribus & vita præcipuus. Alius Heraclius Archiepiscopus Cæsareæ Philippi, natione Alverniensis, qui pauper Clericus mare transiens in Regnum Hierosolymitanum venerat, & procuratione Reginæ matris Balduini Regis leprosi, quem propter corporis speciositatem adamabat valde, Cæsareensem Episcopatum obtinuit. Tunc quoque defunctus est Patriarcha Hierosolymitanus. Quumque mandato Regis universi Prælati Regni pro electione futuri Patriarchæ convenissent in Hierusalem, Willelmus Tyrensis Archiepiscopus supradictus veniens ad Canonicos Sancti Sepulcri, quibus Patriarchæ spectabat electio, ita eos in Capitulo alloquutus est: *Carissimi fratres, legimus in antiquis Historiis, quòd Christianissimus Imperator Heraclius, dum Romanum gubernaret Imperium, Sanctæ Crucis Lignum in Persida acquisivit, & in Hierusalem reverenter portavit. Scripturis insuper authenticis comperi, Heraclium Lignum ipsum de Hierusalem ejecturum, illudque perventurum in infidelium manus. Hortor itaque & suadeo fraternitati vestræ, ne in futurum Patriarcham nominetis Heraclium Cæsareensem Archiepiscopum. Sin autem secus factum fuerit, Rex electionem molestè feret, & ex ea sequeretur perditio Hierosolymorum Regni. Me quoque etiam quæso ab hac excludatis electione prorsus indignum.* His dictis quum se Archiepiscopus Willelmus à Canonicis absentasset, ipsi ad electionem procedentes, Heraclium & Willelmum præfatos Archiepiscopos ad Patriarchatum nominaverunt. Quidam enim Regis minister pro Heraclio, quem, ut dictum est, adamabat, interpellaverat nominandum. Patriarchæ autem confirmatio nec non Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum spectabat ad Regem. Si enim Canonici plures nominabant, & nominatorum nomina Regi manè præsentabant, tenebatur Rex ante horam Vesperarum acceptare quem mallet. Si autem horâ vespertinâ fiebat præsentatio, sequenti mane acceptabatur à Rege. Supplebat quoque Rex sortium vices, quas sequuti sunt Apostoli in electione Mathiæ ad Apostolatum mortuo Juda, eligentes cum ipso Mathia & Joseph justum, & dum sortes posuissent, cecidit sors super Mathiam. Præsentatis itaque amborum nominibus Regi, Archiepiscoporum nominatorum ad Patriarchatum, Rex ipse suggestione Regiæ Matris præfecit Heraclium, cui omnes Hierosolymorum Regni Prælati, Tyrense dumtaxat excepto, juramentum obedientiæ præstiterunt. Tyrensis autem Archiepiscopus Romam veniens, à Summo Pontifice & Cardinalibus summo honore

nore receptus est, tantamque apud illos promeruit gratiam, ut depositionem Heraclii assequutus esset, nisi fuisset morte præventus. Heraclius enim audito, quòd Romam perrexerat, timuit quod poterat sequi, sicque post ipsum Physicum suum misit, qui venenatam potionem ei dedit, & mortuus est. Postmodum verò Heraclius Romam perrexit, & Pontificis ac Cardinalium gratiam captavit. Deinde Hierusalem reversus est.

CAP. CXLIII.

De infami vita ejusdem Heraclii.

DUm autem Heraclius Patriarcha inter cætera vitia, quibus erat infectus, ad lapsum carnis esset valde proclivis, injecit oculos in conjugem cujusdam negotiatoris, qui morabatur Neapoli, quæ civitas distat duodecim leucis à Hierusalem, & quum eam infami amore diligeret, tamdem defuncto viro veniens in Hierusalem mulier, Patriarcha eam tamquam uxorem tractabat, secum ipsam retinens in notitia omnium. Quæ quum ad Ecclesiam pergeret frequenti stipata famulatione, non erat Reginæ pompa inferior. Aurum quidem in gemmis & vestibus deferebat intextum, hujusmodique ornatus videntibus illam ostendebat egregiam esse matronam, & sciscitantibus, quænam esset hæc mulier tanti fastus, responsum erat, Patriarchissam esse. Erat autem nomen mulieri huic Pascha de Riveri, ex qua etiam Patriarcha filios genuit. Contigit autem, dum Rex Balduinus cum exercitu in quadam expeditione esset, & quadam die Rex ipse Prælatos & Principes suos super hostium debellatione consuleret, essetque inter eos Patriarcha Heraclius, insanus quidam subitò consulentibus Principibus se immiscens, sonora voce ait: *Domine Patriarcha, annuntio vobis nova jucunda, pro quo mihi præmia posco. Nam mulier vestra Pascha formosum peperit filium*. Patriarcha verò rubore confusus: *Tace*, inquit, *tace*, *stulte*. Hujus itaque Patriarcha Heraclii vita infami Monachi, Sacerdotes, & Clerici Patriarchatus ad delicta proclives scelerum exempla sumebant, sicque facti erant ad carnis maximè illecebras effrænati, ut vix pudica haberetur in urbe matrona. Deus autem hanc abhorrens infamiam, & Cleri lasciviam detestatus, Sanctam tamdem Civitatem, in qua pro nostra salute pati voluit, sordibus luxuriæ severissima adeò ultione purgavit, ut sub dita Saladini dominio, omnes habitatores deleti & eliminati ex ea fuerint, duobus dumtaxat exceptis, ut infra dicetur.

CAP. CXLIV.

De adventu Saladini in Regnum Hierosolymitanum, ejusque discessu miraculoso.

TReugarum inter hæc tempore nondum decurso, quas Balduinus Rex cum Saladino jam secunda vice firmaverat, Raynaldus Dominus oppidi Krach, qui & primas treugas violaverat, negotiatores Ægypti, qui Damascum tendebant cepit, & cum animalibus & omni eorum suppellectile duxit in castrum, Regisque Balduini super his preces, ut omnia dimitteret, obaudivit. Quumque Saladinus agnovisset, negotiatores suos prædatos, & captivos fuisse, & per hæc treugas violatas, turbatusque Regem Balduinum de justitia requisivisset super treugis violatis, Rexque Balduinus Principis Raynaldi pertinacem rebellionem prætenderet, ex omnibus Regnis magnum collegit exercitum, ut terras Christianorum invaderet, ulcisciturus injurias, quas sibi in violatione treugarum irrogaverat Princeps jam dictus. Balduinus verò Rex interea eductis copiis vênit ad locum, qui dicitur Fontes Saffrojæ à Saffroja urbe, in qua orta est Beata Anna. Distat autem locus iste Fontium à civitate Nazareth per leucam unam, à civitate Tabariæ septem, ab Acon quinque, ibique moratus est Rex cum omni exercitu suo, antequam Saladinus gentes suas congregasset, & Regnum Hierosolymorum intrasset, mensibus tribus. Veniens itaque Saladinus castrametatus est supra Fontem, qui Tabariæ dicitur, in territorio Castri, quod Faba appellatum est, leucis quatuor distans à Fontibus Saffrojæ, ubi erat Balduinus Rex cum suis. Sed quum Balduinus agnovisset terram ejus intrasse, castra movit contra eum, & apud Castrum Faba longè à Saladino per leucam unam poni jussit. Erat autem die illa Feria Sexta. Sabbato verò sequenti Christiani confessione delictorum, & perceptione sacræ communionis diligenter præmuniti, acies eorum disponunt ad prœlium; & primo conflictu obtinuerunt Fontem, supra quem castrametati fuerant Saraceni, qui se ad montana traxerunt, & castrametati sunt ante Forbelet, duarum leucarum spatium occupantes. Rex verò supra Fontem Tabariæ stativa posuit; eratque inter utrumque exercitum dimidia leuca. Quumque Rex de prœlio ineundo suos consuleret, dissuaserunt ne congrederetur adversùs Saracenos positos in montanis. Contigit & in ipso Principum consilio stultum secundò advenire, nuntiantem Patriarchæ Heraclio, Amasiam ejus filiam peperisse. Et revera non absque divina permissione illud contigisse arbitrandum est, ut perinde Patriarcha in suis confunderetur lasciviis. Ipsa etiam nocte novus & mirabilis ignis in Cœlo apparuit in Crucis effigiem. Quumque in signum lætitiæ Christiani multa luminaria facerent, Saraceni ex hoc tanto consternati miraculo, amotis castris discesserunt à Regno.

CAP. CXLV.

Qualiter Saladinus oppidum Krach obsedit, & adventu Regis Balduini inde discessit.

SAladinus igitur graviter ferens injurias Principis Raynaldi, oppidi Krach Domini, qui suos retinebat captivos, ad obsidendum oppidum ipsum accessit. Eo die Gaufridus Raynaldi privignus, sororem Balduini Regis Helisabet nomine uxorem duxerat. Quumque Gaufridi mater, quam Raynaldus habebat uxorem, munera regalia Saladino misisset sub persona puellæ, Saladinus ex innata sibi affabilitate munera jucundè suscepit, & puellæ gratiarum actiones exhibuit. Hanc enim dum Saladinus esset in vinculis, multoties adhuc infantem gestaverat humeris, jussitque suis, ne domus, in quibus puella morabatur in oppidum, machinis impeterent. Quum autem Saladinus jam sex mensibus in obsidione fuisset,

ſet, & oppidum ipſum Krach inceſſanter expugnaret, Princeps Raynaldus advertens victualium ſibi imminere defectum, nuntios ad Regem miſit, ut ad ejus ſubſidium feſtinaret: alioquin cogebatur hoſtibus oppidum tradere. Rex igitur ſtatim collecto exercitu Jordanem tranſiens, ſupra flumen ipſum poſuit caſtra. Saladinus relicta obſidione contra eum tendit, & duabus leucis ab exercitu Regis caſtrametatus eſt. Mane ſequenti quum Chriſtiani acies ad prœlium inſtruxiſſent, Saraceni receſſum finxerunt. Rex verò Krach perrexit, quod audiens Saladinus retrocedens Jordanem trajecit, & apud Neapolim ſedit duobus diebus. Deſiderabant enim Saraceni hanc contemplari urbem delicioſam valde, quam parvam Damaſcum appellabant, eo quòd pomœriis & fontibus ferè ſimilis ſit Damaſco. Sita eſt autem inter duos montes dictos Cain & Abel. Mons Abel omni tempore viridis eſt, propter copiam arborum, & maximè olivarum. Mons Cain ſemper eſt aridus, nihilque ibi habetur præterquam ſaxa & lapides præacuti. In capite montis Abel versùs Orientem eſt alius mons, qui dicitur Sancti Abraam, in cujus vertice locus eſt dictus Bethel, in quo Abraam filium ad ſacrificium duxit. Cognito autem Saladinus, quòd Rex eum cum exercitu inſequebatur, diſcedens à Neapoli, nullâ factâ urbi moleſtiâ, in Damaſcum ſeceſſit, Rex verò in Hierusalem reverſus eſt.

CAP. CXLVI.

De morte Regis Balduini leproſi, & ſucceſſoris inſtitutione.

POſt hæc Rex idem Balduinus quum validam adeò ægritudinem incurriſſet, ut aures, nares, & digitos amiſiſſet (erat enim lepræ morbo infectus) convocans Regni Principes in Hierusalem, de conſenſu eorum nepotem ſeptennem ex Sibilia ſorore ſua Comitiſſa Japhet, relicta quondam Willelmi Longaſpea, Marchionis Montisferrati, hæredem ſucceſſoremque Regni inſtituit, relicto etiam ſibi tutore viro ſpectabili Raymundo Comite Tripolitano, cujus conſilio ac prudentia Regni diſponerentur negotia, eſſetque Regni ejuſdem Balivus, quouſque puer ad ætatem legitimam perveniſſet. Erat autem puer patri Willelmo æquivocus, vel ſecundùm alios dictus eſt Balduinus. Timebat enim Rex, ne eo mortuo ſuper Regis electione quæſtio inter Principes oriretur, quum & duas ſorores haberet ſibi ſuperſtites. Vocatus itaque Tripolitanus Comes, ut Regni Balivatum reciperet, pueri tutelam coram Rege ac Principibus his conditionibus, quas & Rex & Principes unanimiter confirmaverunt, acceptavit; ut videlicet puer uſque ad decennium in cuſtodiam patrui matris ejus Joncelini traderetur, & quòd Regni municipia in manibus Templariorum & Hoſpitalariorum eſſent. Hæc enim requiſivit Comes, ut omnem, quæ in ſe concipi poſſet ſuſpicionem ambiendi Regnum, à cordibus ſingulorum excluderet. Et ſi contingeret, puerum intra decennium mori, quòd idem Comes nihilominus Regni Balivatum adminiſtraret, quouſque de conſilio Romani Pontificis, & Imperatoris, & Francorum & Anglorum Regum, eidem Regno Hieroſolymitano eſſet de ſucceſſore proviſum, ſive adjudicatum cui nam ex ſororibus dicti Regis Balduini Regnum ipſum legitimè pertineret. Quòdque Comes præfatus pro expenſis, quas eum pro Regni negotiis ſubire contingeret, Berythum urbem pignoris nomine poſſideret. His compoſitis puer ad Eccleſiam Sancti Sepulcri ductus eſt, & inunctus ac coronatus in Regem, quem ſuſceptum in ulnas Balianus de Belino Miles inclytus, corpore procerus, uſque ad Templum portavit, deferentem de more regio uſque ad Templum ipſum coronam in capite, quam & in Templo etiam præſentavit. Præſtito poſt hæc à cunctis fidelitatis juramento puero in Regem coronato, ſimiliter & Comiti Tripolitano tamquam Regni Balivo, Rex Balduinus non multò poſt vita cum morte reluctante exemtus eſt à rebus humanis, & ſepultus in Monte Sancti Sepulcri, ubi & alii Latini Reges Hieruſalem erant appoſiti, ſcilicet in Monte Calvariæ.

CAP. CXLVII.

De Tripolitano Comite Regni Balivo, & morte pueri Regis, & ſcelere Comitis Joncelini.

MOrtuo itaque Balduino Rege leproſo, Joncelinus pueri Regis patruus nutriendum illum ſuſcipiens, duxit Acon. Raymundus verò Tripolitanus Comes, Regnique Balivus, quum propter diutinam ſerenitatem (ipſo enim Anno, quo defunctus eſt Balduinus, minimè pluit) terræ germina areſcerent, futuræ famis calamitatem exhorruit, & conſilio Prælatorum & Baronum Regni quadriennes treugas cum Saladino firmavit. Quibus durantibus Comes ipſe, ut erat vir in agendis valde circumſpectus & providus, tantam procuravit in Regno victualium copiam, ut famis regnicolæ nullas ſentirent moleſtias, ex quo favorem & dilectionem cunctorum promeruit, multoque efferebatur honore. Puer autem Rex quum eſſet Acon in cuſtodiam Joncelini, matris ejus Comitiſſæ Sibiliæ avunculi, valetudinem adverſam incurrens, vita defungitur. Quumque regalibus ſepeliendus eſſet exſequiis, Comes Joncelinus nefarium proditionis ſcelus excogitans, ſuggeſſit Tripolitano Comiti Regni Balivo, ut in Tabariam ſecederet, & nec ipſe, aut Regni Principes ſepulturæ Regis defuncti intereſſent, ſed traderetur corpus Templariis per eos in Hieruſalem transferendum. Quod & factum eſt; nam Comes Tripolitanus perrexit Tabariam, & Templarii Regem defunctum Hieruſalem portaverunt, ubi apud ejus prædeceſſores regaliter eſt humatum. Interim Joncelinus municipium Acon, & urbem Berythi, quam Comes Tripolitanus pignoris nomine, ut in conventionibus jam dictum eſt, poſſidere debebat, invaſit, & ſuis opportunè munivit. Demum Comitiſſæ Japhet Sibiliæ matri pueri Regis defuncti ſuggeſſit, ut ſtatim Hieruſalem properaret, & humato filio Regni ſibi coronam aſſumeret, fulta ſuper hoc ſuorum præſidio. Erat autem tunc Comitiſſa Guidonis cognomento de Liſignano conjunx, quæ accito ſecum viro ſuo atque militibus Comitatus, juxta conſilium Joncelini Hieruſalem properavit, & peractis filii exſequiis convocavit Prælatos & Barones, qui ſepulturæ interfuerant, illorumque interpellavit conſilium, quid ſu-

super Regni statu esset actura. Patriarcha Hierusalem, & Templi Magister votis Comitissæ adhærebant, sed diversis respectibus. Patriarcha quidem, quòd speciali eam diligebat affectu; Templi verò Magister, quòd Tripolitanum Comitem habebat exosum. Hi itaque hortabantur Comitissam, ut bono animo esset, ac pollicebantur ei Regni Coronam, etiam Hierosolymitanis invitis.

CAP. CXLVIII.

De coronatione Comitissæ Japhet, & viri ejus Guidonis in Reges Hierusalem.

INterea Tripolitanus Comes, cognita Joncelini proditione, universos Barones Regni Neapolim convocavit sub virtute præstiti juramenti. Qui omnes affuerunt, Joncelino dumtaxat excepto. Nolebat enim Acon Urbem relinquere. Comitissa verò consilio suorum misit eidem Comiti & reliquos, qui ad eum convenerant, ut Hierusalem venirent, ut suæ coronationi interessent, dicens ad se Regni successionem jure filii devolutam. Comes autem, & qui cum eo Neapoli erant, duos Abbates Cisterciensis Ordinis miserunt Hierusalem, mandantes Patriarchæ, & Magistro Templi & Hospitalis ex parte Dei Omnipotentis, & Summi Pontificis, ne absque consilio & assensu Romani Pontificis, & Imperatoris, & Regum Franciæ, & Angliæ, juxta quod decretum fuerat, moriente Rege Balduino leproso, Joppe Comitissam coronarent Reginam. Ipsi verò spretis mandatis, obseratis Portis urbis Hierusalem (timebant enim Comitis & aliorum Principum adventum) Comitissam ad Ecclesiam Sancti Sepulcri ducentes, Patriarchæ eam præsentaverunt coronandam. His tamen non interfuit, neque consensit Magister Hospitalis, dicens, coronationem hanc contra juramenti religionem attentari patenter. Et quum requirerentur ab eo claves thesauri Ecclesiæ, videretque non posse resistere, projecit ad eos, per hoc insinuans, non esse in hoc eis voto conformem. Aperto itaque thesaurorum archivio, acceperunt duas coronas, quarum unam super altare posuerunt, aliam statuerunt supra verticem Comitissæ. Quæ quum coronata esset, ait ad eam Heraclius Patriarcha: *Tu quidem & Regina, & mulier es; & ideo expedit, ut virum eligas, qui tecum Regni gubernacula administret. Ecce adest & alia corona super altare statuta.* Illa statim Guidonem virum ibi adstantem advocans: *Accipe*, inquit, *& tu hanc Regni coronam: ignoro enim, cui magis hæc meritò debeatur.* Qui procidens ante eam, ipsa capiti viri coronam ipsam imposuit. His omnibus affuit explorator Tripolitani Comitis, qui reversus ad eum cuncta sibi & Principibus enarravit. De hoc Guidone fertur, fratrem ejus Gaufridum, quum audisset eum coronatum in Regem, dixisse, quòd ejus agnoscebat ignaviam: *Si Rex est, meritò futurus est Deus*. Balduinus quoque de Rames, vir quidem magnanimus, de ipso Guidone pronosticans: *Ea sorte*, inquit, *Regnum accepit, ut annum non sit completurus in Regno*.

CAP. CXLIX.

Qualiter Tripolitanus Comes & alii Barones decreverunt Honifredum in Regem præficere.

COmes autem Tripolitanus Regni Balivus, & cæteri Principes apud Neapolim congregati, cognita, ut dictum est, Guidonis coronatione, turbati sunt valde, tum propter jurisjurandi violatam religionem, tum propter ineptitudinem coronati. Sciebant enim, quòd propter ipsius socordiam, & ignaviam Principum consilio super agendis in Regno nequaquam acquiesceret; sed eorum suasiones, qui nullius pensi erant, potiùs sequeretur, ut pecus. Dolentes igitur super Regni statu, decreverunt Hierusalem properare, & Honifredum Guidonis cognatum (habebat enim Comitissæ Sibiliæ sororem in conjugem) in Regem Hierusalem coronare. Asserebat enim Tripolitanus Comes, Baronum omnium Regni his vota annuere, neminemque, excepto Templi Magistro, in hoc reluctantem habere. Præterea quum & treugas haberet cum Saracenis, affirmabat, si eos requireret, illorum habere præsidium. Quum autem Honifredus audisset, quòd eum Principes decreverant Regem præficere, sciretque, se ad illud inhabilem, nocte secessit in Hierusalem, & salutans cognatam Reginam, responsum non meruit, quo salutatio gratificaretur ab ea. Inquit enim, perfidè eum gessisse, qui suæ coronationi non interfuisset. Ille verò puerili more scalpere cœpit caput, & ait: *Domina mea Regina, retentus involuntariè à Principibus venire non potui, qui quum etiam me vellent in Regem præficere, clam discessi. Et ecce adsum tuis præsto parêre mandatis*. Regina autem his delectata verbis, socordiæ illius alludens inquit: *Rectè quidem fecistis, mi Honifrede, secedens ab his, qui vobis nitebantur illudere, Regem constituendo, & ideo animi mei indignationem vobis omnem remitto. Ut autem efficaciùs placetur, accedite propiùs, & viro meo Regi homagium facite*. Ipse verò gratias agens Reginæ, quod dixerat, fecit, & in Hierusalem mansit.

CAP. CL.

Qualiter Balduinus de Rames Regi Guidoni fecit homagium.

COmes inter hæc Tripolitanus, & qui cum eo erant, his cognitis, de probrosa pusillanimitate Honifredi, turbati sunt vehementer, ignorantes etiam, quid in eligendo Rege forent acturi, spe, quam in Honifredo posuerant, destituti. Tamdem Principes, qui cum Comite erant, felices Guidonis Regis futuros timentes successus, contra votum ipsius Comitis Regni Balivi, & conventiones, ac juramenta præstita & inita, secesserunt in Hierusalem, & Guidoni Regi juramenta fecerunt, ac etiam homagia, excepto Balduino de Rames, qui tamem filium suum misit. Hic quum vellet Regi homagium facere, & investituram de terra, quam possidebat pater ejus, recipere, neque ei, neque etiam rogantibus super hoc pro eo Baronibus, Guido Rex nullatenus acquiescere voluit, nisi Balduinus personaliter compareret; interminatusque est Rex

Rex ipse, quòd nisi compareret, omnem terram illius confiscaret. Tamdem his agnitis Balduinus comparuit, & in quo ejus animus reluctabatur, Regi Guidoni in hæc verba fecit homagium: *Rex Guido, præsto vobis homagium hac intentione, ut nullam à vobis investituram recipiam*. Hoc dicto, & nec osculum à Rege recepto, filius ejus investituram à Rege recepit, & homagium etiam præstitit. Post hæc Balduinus à Rege discedens, & curam filii Baliano fratri suo committens, secessit Antiochiam, cujus adventus fuit Antiochenis multa lætitia, qui Civitates & oppida multa ei contulerunt. Hierosolymitanis autem multo detrimento fuit ejus absentia, quum vires ejus Saraceni potissimùm formidarent. Quumque etiam Tripolitanus Comes Regni Balivus multo affectus mœrore, quòd jurati sibi Principes ei defecerant, in Tabariam perrexisset, & nec Regi Guidoni, sicut & cæteri, præstare vellet homagium, Rex ipse consilio Magistri Templariorum exercitum in Civitate Nazareth congregavit, quinque leucis à Tabaria Civitate distante, volens ipsam Civitatem Tabariæ obsidere. Sperabat enim obtentâ Civitate ipsa non solùm Comitem captivare, sed & magna præda ditari: Tripolitanus Comes his consternatus nuntiis, ad Saladinum in Damascum direxit, significans quod contra eum Guido Rex agere disposuerat, quòdque Dei Omnipotentis intuitu opportuno sibi adesset subsidio. Saladinus statim equitum & peditum armatorum opportunas ei copias misit, pollicitusque est ipsi Comiti, quòd si contingeret Guidonem Regem contra eum obsidionem statuere, ipse sinè mora cum omni suo exercitu ad ejus subsidium festinaret. Quum autem Guido omnem exercitum suum congregasset, consilio tamdem Baliani fratris Balduini de Rames exercitum remisit ad propria. Ipse enim Balianus vir circumspectus & prudens, qui & Regni pacem affectabat, dissuasit Regi, ulteriùs progredi, quum tempus hybernandi adesset magìs quàm bellandi. Obtulit se iturum ad Comitem Tripolitanum, pacificaturumque Comitis animum, quod summè erat utile Regno. Placuit Regi præmittere nuntios ad Comitem, ut eum de pace requirerent. Qui quum venissent Tabariam, responsum est eis à Comite, se nullatenus de pace responsurum, nisi restituta priùs sibi urbe Berythi. Quumque nuntii Regi hæc retulissent, decrevit Rex compositionis hujus tractatum usque ad Resurrectionis Dominicæ differre solemnia.

CAP. CLI.

De Legatis ad Comitem Tripolitanum, & ingressu filii Saphadini in terram Hierosolymorum, & strage Christianorum temeritate Magistri Templariorum.

INterea Saladinus ex omnibus Regnis suis jussit exercitum congregari, processurus adversùs Hierosolymorum Regem Guidonem. Rex verò timens Saladini potentiam, consilio Principum Regni Legatos solemnes, scilicet Magistros Templi & Hospitalis, Archiepiscopum Tyrensem, Balianum de Belino, & Raynaldum Sidoniensem Tabariam misit, ut cum Comite Tripolitano pacem componerent, & A eorum compositionem ratam habere promisit. Porrò quum venissent Neapolim, transierunt apud oppidum Fabæ, Baliano excepto, qui casu quodam in Neapoli remansit, promittens eos subsequi, antequam à Faba discederent. Sed inter hæc filius Saladini, nomine Saphadinus, novus tyro, per nuntios suos rogavit Tripolitanum Comitem, ut sibi aditum concederet per terram Comitatus sui, cursitare volens cum suis in Regno Hierusalem. Comes hac requisitione turbatus est valde, & perplexus animo quid ageret ignorabat. Advertebat enim, quòd si petitioni Saphadini repulsam daret, patris ejus foret subsidium amissurus; si verò annuebat, Christianorum incurrebat infamiam, B præter Divinæ Majestatis offensam. Tamdem perplexitatis suæ nodum ea conditione dissolvit, ut simul evitaret odium & offensam. Hac enim conditione dedit transitum Saphadino, ut in ortu Solis una dierum transiret Jordanem, terras Christianorum discurrens, & eadem die ante Solis occasum reverti deberet, neminem offensurus intra urbes & oppida. Significavit præterea militibus, qui pro Rege Civitatum & oppidorum Regni Hierosolymorum municipia custodiebant, quòd Saladini filius intraturus erat Regnum una dierum, & tamen eadem die reversurus in terram suam; monuitque, ne adversùs eum egrederentur; aliter enim obvios C sibi invaderet ac etiam trucidaret. Idem etiam intimavit Legatis Regis ad eum adventuris, qui erant apud oppidum Fabæ. Sed Magister Templi mandavit militibus suis, qui erant apud oppidum Cacho, distans inde quatuor leucis, ut quantocius ad eum venirent, quoniam Saraceni die sequenti intraturi erant terminos Regni. Qui quum venissent ad eum, Magister Templi unà cum eis veniens Nazareth, acceptis etiam secum quadraginta militibus, qui apud Nazareth Regis mandato morabantur, progressus versùs Tabariam, quæ à Nazareth duabus distabat leucis, & dum venisset ad Fontem Kerson, Saladini filium, qui cum suis jam Regnum exiens volebat D transire Jordanem, tunc Magister Templi, spreto Comitis Tripolitani consilio, unà cum suis aggressus est Saracenos. Erant autem milites Christianorum CXL. Saraceni verò equitum septem millia; qui viriliter resistentes, universos Christianos suis copiis includentes capiunt. Militum autem Templi & Hospitalis capita amputarunt, excepto Magistro Templi dementiæ hujus auctore, qui cum duobus militibus evasit. Reliquos milites retinuerunt captivos. Armigeri Templariorum & Hospitalariorum fuga evaserunt. Inter hos corruit Hospitalis Magister. Cives etiam Nazareth, qui mandante Templi Magistro secquuti eum fuerant, dum post stragem venis- E sent ad locum certaminis, Saraceni irruentes in eos, universos captivarunt, & transeuntes secus Tabariam, capitaque decollatorum lanceis infixa ferebant, vinctosque trahebant. Qui autem in Tabaria erant venientes ad mœnia, non enim poterant Civitate egredi, quia Portas illa die Comes obserari mandaverat, hujusmodi crudeli spectaculo summo afficiebantur mœrore. Post hæc transierunt Jordanem ad propria reversuri, nullam Civitatem aut oppidum invadentes, sicut Comiti promiserat Saphadinus. Hanc autem stragem perpessi sunt Christiani Feriâ Sextâ Kalendis Maji.

CAP. CLII.

Qualiter reversis Legatis Guido Rex recepit Comitem Tripolitanum, & Patriarcha Lignum Crucis abjecit.

A BAlianus inter hæc de Belino, unus ex Legatis, qui à Rege Guidone mittebatur ad Comitem Tripolitanum, quique remanserant apud Neapolim, quum venisset apud oppidum Fabæ, ubi Magistri Templi & Hospitalis fuerant hospitati, & vidisset eorum tentoria extra oppidum, neminemque ibi comperisset, vênit Nazareth, in ipso tamen itinere nuntium habuit præteritæ stragis, misitque B conjugi suæ, ut statim post eum milites, qui apud Neapolim erant, ad ipsum in Nazareth urbe transmitteret. Quumque Nazareth applicuisset, ubi Cives reperiit multis affectos doloribus, & ubi etiam erat Templi Magister, significavit Tripolitano Comiti adventum suum. Qui lætus exinde misit in occursum ejus milites XL. Balianus itaque cum Archiepiscopo Tyrensi Tabariam perrexit. Magister verò Templi remansit in Nazareth ex conflictu pristino languidus, & impotens equitandi. Recepti sunt itaque summo honore Legati apud Tabariam, ubi etiam affuit Raynaldus Sidoniensis ipsorum Collegarius. C Post multa denique colloquia communi decreverunt assensu, ut Tripolitanus Comes Saracenos excluderet à Civitate Tabaria, & cum eisdem Legatis præsentiam Regis adiret. Rex verò eorum adventu cognito, lætus Hierusalem egressus est Comiti obviam, & apud Castrum, quod Sancti Job dicitur, Comitem cum Legatis invênit. Quumque Rex Comitem videns equo desiliisset, & pedes Comitem adiret, Comes regia humilitate motus, equo prosiliens, coram Rege genua flexit. Rex autem eum erigens, & in amplexu recipiens, osculum illi dedit. Denique post multa Rex consilio Comitis apud Fontem Sephori exercitum adunavit. Cui etiam Princeps D Antiochenus filium misit cum militibus LX. Cognoverat enim Comes, quòd Saladinus exercitum colligebat, Hierosolymitanum Regnum invasurus, & quòd ipsum Principem in suum subsidium requirere intendebat. Porrò quum Rex misisset Hierusalem ad Heraclium Patriarcham, ut Sanctæ Crucis Lignum ad eum deferret, habiturum illud pro vexillo, Patriarcha extra urbem indignatus projecit, & imposuit Priori Ecclesiæ Sancti Sepulcri, ut illud deferret ad Regem. Molestum siquidem illi erat ad exercitum equitare, ab amasia secessuro. Tunc adimpletum est vaticinium Willelmi Tyrensis Archiepiscopi, qui prædixerat Canonicis Sancti Sepulcri, dum vellent E eligere Patriarcham, se legisse, Crucis Lignum per Heraclium apud Persidam recuperatum, & in Hierusalem fuisse delatum; futurumque esse, quòd per Heraclium ejiceretur ab urbe, suoque tempore perderetur. Ex quo enim, ut dictum est, illud ab urbe projecit, numquam reportatum inibi fuit; sed ut infra dicetur, prœlio amissum in Saracenorum manus devênit. Delato itaque ad exercitum Ligno Crucis, Rex thesaurum, quem Henricus Anglorum Rex in Templo commendaverat, ad militum stipendia deputavit. Ipse enim Henricus in satisfactionem piaculi super

A nece Sancti Thomæ Cantuariensi Archiepiscopi transfretare disponens, singulis annis pecuniam multam in Hierusalem destinabat. quæ in custodiam Magistri Templi deputabatur, ut eo adveniente in Hierusalem paratam haberet. Porrò in hujus rei memoriam Rex Guido jussit, ut omnes Conestabiles in vexillis eorum Anglorum Regis signa deferrent.

CAP. CLIII.

De variis & æmulatoriis sententiis Comitis Tripolitani, & Magistri Templi circa defensionem Tabariæ.

B COngregato igitur universo exercitu Guidonis Regis Hierusalem apud Fontem Sephori, Saladinus cum omni ejus potentia Jordanem trajecit, vênitque Tabariam obsessurus. Erat autem in civitate ipsa conjux Comitis Tripolitani, quæ secum habebat quatuor filios, quos ex primo viro, qui fuerat Dominus Sancti Odemari, conceperat, scilicet Hugonem Tabariæ, Willelmum, Raontem, & Coatonem. Comitissa itaque in arduis posita (erat enim à Saracenis obsessa, & militum præsidio destituta, omnes enim cum viro equitaverant) Nuntium ad Comitem misit, ut Tabariæ à Saladino obsessæ succurreret. Quod dum Rex audivisset, statim C vocatis ad se Principibus, qui cum eo in exercitu erant, consuluit eos, quid in ipso negotio esset agendum, & quum primùm Comitem interrogasset, ipse in hæc verba respondit: *Licet, ô Rex, sortiri non sperem effectum quod mei consilii sententia comprobabit, laudo tamen utile fore, Tabariæ civitati non succurrere, si contingat Saracenos nolle precibus meis inde discedere. Nam obtenta civitate ipsa, & captivatis incolis, solo eam evertent, ad propria postmodum discessuri, cujus reparationi curabo nacto tempore impendere opem & operam. Tolerabilius siquidem inest animo meo civitatis meæ ruinam, conjugis captivitatem, & substantiæ amissionem videre, quàm Hierosolymo*D*rum Regni desolationem sentire. Scio quidem scio, quòd si ad subsidium civitatis Tabariæ processum fuerit, captivitati & neci cunctus tradetur exercitus, & Regni totius Hierosolymitani perditio subsequetur. Et ratio quidem in promtu habetur. A loco enim isto usque Tabariam nullæ sunt aquæ, Fonte Kelson excepto, qui vix paucis sufficeret. Quamprimùm verò Saraceni progressum vestrum agnoverint, è vestigio vobis in ipso occurrent itinere, cogentque vos inibi hospitari. Deficientibus autem aquis, pugnare non poteritis, contra eos. Si autem pugna aggressi fueritis, Saracenos facient se retro, & ad montana procedent,* E *quos absque armigeris vestris insequi non poteritis. Coacti verò hospitari, qualis erit gentium & equorum finis potu carentium? Interibunt violenta nece homines & jumenta, & in crastinum captivabuntur omnes. Hostes enim omnibus abundabunt, quibus nos affliget penuria. Sicque recentes copia nos afflictos invadent inædia. Longè igitur eligibilius est amissionem Tabariæ pati, quàm tam damnosa subire discrimina.* Vix verba finierat, quum Templi Magister orationem ejus interrumpens: *De pilo*, inquit *lupino adhuc supersunt reliquiæ*. Sed Comes prudenter verbum dissimulans, quod contra eum Magister Templi spi-

ſpiritu æmulationis confinxerat, verba, quæ incœperat, proſequens, ait: *Si quod dixi, non contigerit, ſententiæ me capitali ſubjiciam.* Facto fine dicendi, omnes, qui erant, excepto Templi Magiſtro, Comitis conſilium laudaverunt. Decreto itaque à Rege, ut Tabariæ non ſuccurreretur, à colloquio diſceſſum eſt. Erat autem tunc fermè mediæ noctis hora. Sumta poſt hæc à Rege cœnâ, vênit ad eum Magiſter Templi, & ait: *Noli quæſo mi Rex verbis fallacibus proditoris Comitis, fortunæ tuæ invidi, fidem dare, qui ad tuum & tuorum necem aſpirat: Si enim in tuæ coronationis primordiis patereris civitatem Tabariæ à tuo exercitu ſeptem leucis diſtantem Saracenorum ſubmitti ludibrio, infamiæ nota perpetua Regni tui decus, & gloriam obfuſcares. Potiùs enim Templi milites habitum abjicerent, aut cuncta, quæ poſſident, obligarent, quàm tanta diſcrimina ſubſtinerent. Exeat igitur edictum tuum per omnem exercitum, ut cuncti ſe armis accingant tecum ad prœlium proceſſuri.* Rex autem obaudire nolens Magiſtri conſilium, diligebat eum quidem & verebatur, quum ad Regni culmen eum promoviſſet, & ſibi theſaurum Regis Angliæ contuliſſet, ſtatim juſſit publicari edictum.

CAP. CLIV.

De progreſſu Regis ad ſuccurſum Tabariæ, & muliere incantatrice.

PRincipes verò exercitus hoc audito ſtupefacti, & loquentes ad alterutrum, ſciſcitabantur, unde iſta provenerat decreti mutatio. Quumque nullus cauſam cognoſceret, ſuſpectam habuerunt vocem præconis, & venientes ad Regis tentorium jam arma induentis, vellentque ſuper his cum eo colloqui, non eſt paſſus illos audire; ſed præcepit ut cuncti arma ſumerent, & ſequerentur eum. Quod & factum eſt non ſinè turbatione Principum, diffidentium progreſſum hunc effectum proſperum poſſe ſortiri. Contigit autem, dum Regis exercitus à caſtris diſcedens versùs Tabariam procederet, ut ſuccurreret civitati, res quædam miranda, quæ licèt audientibus fortaſſis appareat fabuloſa, effectu tamen non caruit veritatis. Incedentibus enim in ultimo equitatu occurrit annoſa mulier incantatrix, genere Saracena, aſellam inequitans, quæ & ſerva erat cujuſdam Syri de civitate Nazareth. Hanc capientes & quæſtionibus ſubjicientes, confeſſa eſt, quòd caſtra gyrabat exercitus, ut eum ſuis carminibus verbiſque magicis adjuraret. Hoc autem duabus jam noctibus continuaſſe ſe dixit, & ſi hanc tertiam complere potuiſſet, aſſerebat, quòd ex hac tali adjuratione, nec unus quidem de ipſo exercitu Saracenorum manus evaderet. Dixit etiam quòd ſi Chriſtiani procederent, ex jam facta bina adjuratione, pro majori parte eorum bello ſuccumberent. Hæc autem ad mandatum Domini ſui ſe feciſſe manifeſtavit, qui à Saladino magnum erat recepturus theſaurum. Quumque peterent ab ea milites, an poſſet evacuare quod fecerat, reſpondit ſe poſſe, ſi ad caſtra redeuntes in priſtinum ſe ſtatum reponerent, quum fuerant adjurati. Tunc accenſus eſt rogus, & quum eam flammis injeciſſent, exivit illæſa. Sed dum pluries hoc contigiſſet, tamdem ſecuri percuſſa interiit. Nemini autem factum iſtud à fide videri debet extraneum. Legitur enim in Sacra Pagina, Balaac illorum temporum Prophetam præclarum ſua ſacratione benedictiones & maledictiones plurimas pertuliſſe, quum illud tamen in ſe ipſo, quemadmodum & in hac muliercula, non eſſet, ſed divino potiùs ſpiritu duceretur. Fuerunt etiam quidam gentiles Ethnici Spiritum Sanctum in ore, non in corde habentes, qui manifeſtè de Chriſto prophetaverunt: unde non mirandum eſt, ſi per canales lapideos purior aqua pertranſit.

CAP. CLV.

Qualiter Saladinus Regem Guidonem prœlio ſuperavit, & cepit.

REge itaque Guidone cum exercitu ſuo ad ſuccurſum Tabariæ properante, Saladinum cum ſuis copiis obvium habuit, ſicut prædixerat Comes. Quem quum Rex conſuluiſſet, quid eſſet acturus, Comes adverſo uſus conſilio, dixit inibi caſtrametandum eſſe. Quod & factum eſt. Sicque Rex, qui ſalubri noluerat uti conſilio, acceptavit inſanum. Creditum eſt à multis, quòd ſi tunc Rex fuiſſet progreſſus ad prœlium, conſequutus victoriam exſtitiſſet. Saraceni itaque cognito, quòd Chriſtiani in itinere caſtrametati erant, magno præventi gaudio, ſuis quoque caſtris Chriſtianorum exercitum undique vallaverunt, ut nullus ex eis poſſet aufugere. Ea itaque nocte in qua fuit VI. Feria Chriſtiani multa afflicti ſunt ſitis anguſtia cum jumentis eorum. Quumque manè ejuſdem Sextæ Feriæ acies utrinque ad prœlium eſſent diſpoſitæ, Saraceni paulatim retrocedebant, ut ſic tempus terendo & prœlium differendo, Solis incaleſceret æſtus. Erat enim menſis Auguſtus. Stipulas quoque incendebant, ut majori calore Chriſtianorum affligeretur exercitus. Tertiâ itaque diei horâ quinque milites ex acie Comitis transfugæ ad Saladinum venerunt, inſinuantes ei, ne ampliùs tardaret aggreſſum, quum ferè victi & ſemimortui eſſent Chriſtiani præ anguſtia æſtus & ſitis. Multi quoque pedites armis ſolo projectis, & oris hiatibus, potiùs victi penuria ad Saladinum ſupplices venerunt miſericordiam implorantes. Rex igitur ſiti arctatum, & ardore æſtus afflictum ſuum cernens exercitum, quòdque multi facti transfugæ ad Saladinum defecerant, juſſit Tripolitano Comiti, ut primus cum ſua acie proſiliret ad pugnam. Hoc enim de more bellorum ſpectabat ad Comitem, quia in ipſius Comitatu tunc erat exercitus. Ipſe itaque Comes loco declivi contra vallem cum ſuis in Saracenos irrupit. Quod dum hoſtes adverterent, ſpontè illi aditum præbuerunt, & quum tranſiſſet eorum acies, ſtatim ſe ſe jungentes ut priùs, uno impetu Regem aggreſſi ſunt, quem tamdem cum reliquis, qui cum eo remanſerant, omnique ſuppellectili, levi marte pugnato, ceperunt, exceptis qui in acie ultima erant, quorum præſidium fuga fuit. Tripolitanus Comes cognito Regem captivatum cum ſuis Tyrum fugit, diſtantem à Tabaria duabus leucis, quem filius Principis Antiochiæ cum ſuis ſequutus eſt fugiens. Balianus quoque de Belino cum ſuis, qui ultimam aciem duxerat, & Raynaldus Princeps Sidonis fuga evadentes, Tyrum ſe etiam contulerunt. In eo prœlio amiſ-

amissum est Lignum Sanctæ Crucis, quod ejectum de Hierusalem ab Heraclio Patriarcha, Prior Sancti Sepulcri ad Regem detulerat.

CAP. CLVI.

Qualiter Saladinus Raynaldum Dominum Krach decapitavit, & Regem cum cæteris vinctum misit Damascum.

Saladinus itaque cum suis, partâ de Christianis victoriâ, ad castra rediens, & gratiarum actiones proinde Omnipotenti persolvens, jussit cunctos sibi præsentari captivos. B Regem autem & Barones fecit intra tentorium suum duci, volens illos videre. Primus omnium introductus est Rex Guido, quem Saladinus ante se sedere mandavit. Deinde vênit Raynaldus, qui erat Dominus oppidi Krach, & post eum Gaufridus privignus ejus, quem sequutus est Bonifacius Marchio Montisferrati, post quem vênit Comes Joncelinus, demum Senescallus, sive Comestabilis Regni Americus Regis Guidonis frater. Quos quum Saladinus captivatos respiceret, ad augmentum gloriæ sibi cedebat, quòd fortitus fuerat tales vinctos. Considerans autem Regem propter æstum sitire, jussit vas plenum syrupo C afferri, & Regi præsentari, qui dum gustasset, Principi Raynaldo sedenti juxta eum poculum porrexit; & dum bibisset, Saladinus vehementer turbatus (habebat enim eum præ cunctis exosum) dixit Regi, molestum ei fuisse, quòd Raynaldo poculum porrexisset. Ea tamen forte gustaverat, ut ultima illi omnium esset gustatio, qui treugarum fidem rumpens, negotiatores terræ suæ captivatos & spoliatos captivare præsumserat. Quo dicto jussit eum extra tentorium duci, & manu propria caput ei amputavit, & per urbes & oppida in ultionis ostentationem deferri mandavit. Regem cum cæteris captivis in Damascum misit. Ipse verò cum exercitu suo apud Tabariam castrametaturus accessit. Comitissa verò, cognita D Regis & suorum captivitate, viribus & animo destituta, Tabariam tradidit Saladino. Eadem quoque die Cives Nazareth, ipsam civitatem Saladini militibus, quos ibi miserat, similiter tradiderunt. Quartâ post hæc Feriâ veniens Saladinus apud Acon, eam in deditionem accepit. Porrò Tyrum accedens, obsidere eam distulit, quum inibi essent milites, qui à prœlio fuga evaserant.

CAP. CLVII.

Qualiter Balianus de Belino Regni curam assumsit, & de morte Comitis Tripolitani.

E Balianus autem de Belino, qui à prœlio ipso apud Tyrum confugerat, licentiam à Saladino obtinuit, ut inermis posset civitatem egredi, ducturus secum Reginam & filios, juramento præstito, quòd ultra diem unam non pernoctaret in Hierusalem. Qui quum venisset in Hierusalem, magno omnium gaudio receptus, & post multas suasiones Patriarchæ, qui eum à juramento absolvit, quum in Regni vergeret detrimentum, Regni curam assumsit, & juramentum fidelitatis à regnico-

A lis accepit. Quumque nonnisi duo milites in Hierusalem remansissent, Balianus filios & burgenses accingens, novos fecit tyrones. Erat etiam tunc in Urbe ipsa tanta gentium multitudo, quæ de civitatibus, oppidis, & pagis Regni ibi confugerant, captione Regis cognita, ut non sufficientibus ædibus passim per vicos & plateas hospitarentur. Balianus quoque, & Patriarcha ex argento, quod supra Sepulcrum Domini erat, fabricari mandavit monetam in stipendia eorum, qui ad civitatis custodiam deputati fuerant, convertendam, & pro habenda annona aliisque necessariis, si contingeret Saladinum ad eorum obsidionem venturum. Inter hæc idem Saladinus à Tyro discedens, cujus, ut dictum est, obsidionem distulerat, Sidonem perrexit, septem leucis à Tyro distantem, quam statim in deditionem accepit, similiter & civitatem Berythi. Post hæc Comitatum Tripolitanum ingressus, Gibelethum civitatem obtinuit, deinde oppidum Lebrothon. His auditis Tripolitanus Comes, assumto secum Principis Antiochiæ filio, & nonnullis militibus Tripolim mare perrexit. Sed paucis postmodum supervixit diebus, mortuus, ut creditur, doloris vehementia. Reliquit autem terram suam eidem filio Antiochiæ Principis, qui & ipsum tenuit Comitatum.

Additamentum Fratris Francisci Pipini.

Scribit hoc loco Vincentius in Speculo suo de morte ipsius, quòd ipso Comite Tripolim redeunte, mandavit ei Saladinus, ut pacta, quæ sibi juraverat, Cives suos jurare compelleret. Comes igitur hoc Civibus jubens, responsum est ab eis, nolle jurare, nisi juramenti formam priùs audirent. Instante autem Comite, ut jurarent, petierunt inducias usque mane. Facto autem mane divinitus extinctus inventus est Comes, apparuitque stigma circumcisionis, quod recenter susceperat, quia Turchi & Saraceni ex paterna traditione filios circumcidunt. Quorumdam etiam clientum suorum confessione detectum est, quòd urbem decreverat tradere Turchis, habens penes se sigillum Saladini, quod mox faceret propalari. Hæc & alia fortassis coactus est facere Comes ipse, tactus dolore cordis, quòd Principes juramenta super Regni Balivatum præstita non servaverant, quòdque Magister Templi eum insequebatur odio capitali, cujus odii causa hæc fertur fuisse. Ipse quidem Templi Magister Gerardus nomine, cognomento de Ridefort, olim fuerat Regis Hierusalem negotiator: qui dum rogasset Comitem, ut Dominam Castri Botrou, ei daret in conjugem, & Comes renueret, indignatus ex hoc Gerardus, Ordinem Templariorum intravit, nec postea Comitem dilexit, sed ei ante & post assumtum Magisterii officium, omne procuravit adversum. Quod quidem odium perditionis Terræ Sanctæ magna fuit occasio. Raynaldus quoque Sidoniensis Princeps, & reliqui quoque, qui in Tyro remanserant, advertentes, quòd pauci numero essent, quòdque victualibus carerent, nuntios ad Saladinum supplices miserunt, ut civitatem recepturus veniret: qui dum lætus ex hac causa inibi festinaret, clemens Dominus noster, ne Civitas amitteretur, ex adventu Conradi Montisferrati inclyti Marchionis hoc modo subvênit. Sed ut clariùs pateat, altiùs aliquantulum repetatur.

CAP. CLVIII.

De adventu Conradi Marchionis Montisferrati ad Tyri subsidium.

Regnante Balduino leproso, decreto ipsius & assensu Principum, ut jam supradictum est, puer septennis Guilielmi quondam Montisferrati Marchionis, cognomento Longaspea, filius, quem ex sorore ejusdem Balduini Comitissa Joppe, nomine Sibilia, genuerat, fuit coronatus in Regem. Quòd quum audisset Bonefacius, ejusdem Willelmi frater, assumta Cruce, relictoque primogenito suo Marchionatu, Hierusalem transfretavit, qui à puero Rege & Tripolitano Comite Regni Balivo, cæterisque Baronibus honorabiliter receptus, cui & ipse puer Rex oppidum dedit, quod dicitur Sanctus Helias, non longè distans à loco, in quo idem gloriosus Propheta diebus quadraginta legitur jejunasse, ab Angelo pane & aqua refectus; quod etiam à Hierusalem leucis septem, & à Jordanis flumine tribus distat. Marchio Bonefacius non multò post, unà cum Rege Guidone, ut dictum est, Saladini manus incurrit. Conradus post hæc ejusdem Marchionis Bonefacii filius, sumto similiter transfretandi voto Crucis charactere, & ut puerum Regem videret, marinum iter arripuit. Porrò Deo aliter providente, ventis impellentibus, Constantinopolim urbem divertit, in qua tunc Isachus imperabat: qui quum Livernatem quemdam Imperatoris olim Emmanuelis consanguineum, ad Imperium aspirantem, haberet æmulum, Marchionem Conradum cum suis retinuit. Veniente autem eodem Livernate in manu potenti ad obsidionem Constantinopolis, & Imperatore timente egredi urbem (erat enim in urbe ipsa potens & generosa prosapia Livernatis) Conradus Marchio, vir spectatæ fortitudinis, contra Livernatem processit. Quem quum in prima acie conspexisset, & crederet quoque Livernates Marchionem ad eum venisse, ut transfugam, Marchio gressu concito in eum irruit, & hastam vibrans, ipsumque percutiens, mortuum equo prostravit. Reliqui viso suæ factionis auctorem corruisse, in fugam conversi sunt. Post hæc vale dicto Imperatori Conradus Marchio patrem Bonefacium sequutus, vento prospero pervênit Acon; quumque vellet anchoras jacere, ut urbem intraret, & occurrentem in navicula ei Saracenum adverteret, nec campanas de more Christianorum audiret, substitit stupefactus; præcepit autem suis silentium. Et quum sciscitaretur Saracenus, qui essent, & cur urbem intrare differrent, Marchio respondit: *Negotiatores sumus, & ignorantes, qui civitatem inhabitent, intrare distulimus.* Saracenus ait: *Potestis liberè ac securè urbem ingredi, quam nunc possidet Saladinus magnus Dominus Orientis, qui & Hierosolymorum Regem Guidonem, ejusque Principes tenet captivos, habens etiam sub ditione sua omnem terram Hierosolymorum præter Tyrum & Hierusalem, ad cujus obsidionem castrametatus est.* Marchio his corde saucius, nullâ factâ morâ, se vento commisit, quem Deo favente prosperum sortitus, qui suâ clementiâ ad tuitionem Tyri eum præservabat, Civitatem ipsam applicuit. Qui rogatus à Tyrensibus, ut suc-

A currereret Civitati, ipse ut erat corde pius, qui & Christianorum zelabat salutem, Tyrum intravit cum grandi honore, & solemni processione receptus, accepitque Civitatis dominium. Raynaldus Princeps Sidoniensis cum Castellano municipii Tyrensis, nocte civitatem egressi Tripolim fugerunt; promiserant enim Saladino tradere Civitatem, repertaque sunt in municipio Saladini vexilla, quæ Marchio projici mandavit in foveis civitatis.

CAP. CLIX.

Qualiter Saladinus à Tyro discessit, & Cæsaream, Japhet, & Ascalonam obtinuit.

B Altera autem die veniens Saladinus, Tyrum recepturus juxta promissum, quum cognovisset Civitatem ipsam traditã Marchioni Conrado, seque ob hoc delusum comperisset, ante urbem castrametatus est. Jussit Marchionem Bonefacium patrem Conradi, quem, ut dictum est, unà cum Rege Guidone aliisque Principibus Regni apud Damascum carceribus tenebat inclusum, ad se adduci, sperans posse per eum Civitatem habere. Quumque ductus fuisset, misit Saladinus nuntios intra Civitatem ad Marchionem Conradum, promittens se daturum illi magnam pecuniam, & patrem liberaturum, si ei traderet Civitatem. Quum-
C que Conradus respondisset, se nec minimum lapidem Tyri pro patre daturum, sed si ligaretur ad stipitem, ipse primum machinæ jactum in eum dirigeret, quum senex & plenus dierum esset, & deinceps inutilis. Saladinus ex hoc Marchionis Conradi agnitâ constantiâ, & se non posse ibi proficere, perrexit ad obsidionem Cæsareæ, eamque cepit. Inde discedens vênit Japhet, quam & in deditionem accepit. Post hæc Ascalonam accedens, & munitissimam eam conspiciens, de facili capi non posse quum videret, misit Damascum, qui Regem Guidonem vinctum sibi adducerent. Quem, quum venisset, alloquutus est, promittens sibi libertatem si ei tradi faceret Ascalonam. Rex
D verò quum misisset Primoribus civitatis, ut ad eum venirent, dissuasit eis, ne propter vinctum Regem redderent Civitatem; dicens, grande fore Reipublicæ detrimentum, si pro solo homine talem dederent hostibus Civitatem. Si verò contingeret nullatenus eos illam posse defendere, ea tunc conditione redderent, ut à vinculis liberaretur. Reversi igitur in Civitatem, qui ad Regem venerant, Regis consilium civibus narraverunt. Tamdem spe amissa subsidii Civitatem Saladino cum omnibus pertinentiis tradiderunt, civibus cum liberis & conjugibus & omni suppellectile impunitate concessa; hoc etiam adjecto, quòd Rex libertati pristinæ in exitu mensis Martii
E proximè instantis deberet restitui. Erat autem tunc mensis Augustus. Regis igitur relaxationem ideo Saladinus differri voluit, quia per obsidionem sperabat interim Hierusalem obtinere, & propterea quum Regem ipsum misisset Neapolim, mandavit Reginæ, quæ in Hierusalem erat, ut ad Regem pergeret, quod & fecit. Nolebat enim Saladinus, ut obsidionis tempore ipsa in Hierusalem moraretur.

CAP.

CAP. CLX.

De conventionibus habitis per Saladinum.

HAbitâ igitur, ut dictum est, Ascalonâ, contigit eadem die Legatos ad Saladinum venire de Hierusalem, cum eo de pace composituros. Erat autem ipsa die Feria VI. hora, qua Sol in occasu Solis Justitiæ pro humano genere passi obtenebratus est, quando Legati venerunt; qui & denuo tantam passus est Eclypsim, ut ferè nox esset. Quumque lux reddita esset, & Saladinus hortaretur Legatos, ut Civitatem Hierusalem dominio ejus submitti curarent, cui jam Regnum reliquum subjacebat, responderunt; Urbem ipsam favente Deo à Saracenis posse defendere. Tunc Saladinus ait: *Credo utique, quòd Hierusalem mansio Dei sit, in qua Fidei vestræ principalis cultus habetur, propter quod nec eam aggredi, nec obsidione affligere decrevi, si illam potero pacificè obtinere.* His itaque conditionibus dari sibi petiit Civitatem: promisit siquidem se Hierosolymitanis daturum triginta millia Bysantiorum ad muniendam urbem, & quinque leucarum ex agris eorum in gyrum Urbis spatia, quibus agriculturæ vacare possent, rerumque venalium forum accommodum concessurum, nec non & treugas usque ad Festum Pentecostes. Et si interim ad defendendam Urbem subsidium non haberent, tunc in ipso termino sibi Hierusalem traderetur, personis & rebus ad quascumque partes vellent divertere impunitate concessa. Quumque responderent Legati, quòd nullatenus à Christianis redderetur infidelibus Civitas, in qua Christus Dei Filius Sanguinem effundere, & pati mortem pro eorum redemtione dignatus fuerat, Saladinus jurejurando proposuit, se deinceps Hierusalem nonnisi per gladium recepturum. Eisdem diebus quum Balianus de Belino esset in urbe Hierusalem, qui post Regis captivitatem factus erat Hierusalem Dominus, obtentâ à Saladino licentiâ, conjux & liberi ejus Tripolim perrexerunt. Et excusavit se apud Saladinum, quòd conventiones secum initas adimplere non potuit, quum ejus exitum Cives Hierusalem observarent. Eodem quoque tempore Saladinus oppidum Krach post duorum annorum obsidionem obtinuit. Oppidani siquidem fame victi, personis liberis, ipsum oppidum dediderunt; tantam siquidem famis penuriam sunt perpessi, ut nonnulli conjuges & liberos, quum nil eis mandibile superesset, vendiderunt, quos postmodum Saladinus de innata sibi humanitatis clementia redimens, venditoribus restituit; multam quoque pecuniam eis donans, & liberos abire permittens etiam conductum illis securum concessit. Hæc autem eis exhibuit, quia dum carerent subsidio, & domino eorum privati etiam essent, circa oppidi defensionem sic constantes fuerant tam dura perpessi.

CAP. CLXI.

Qualiter Saladinus Hierusalem obsedit.

DIscedens autem Saladinus ab Ascalona, versùs Hierusalem duxit exercitum, ut Civitatem ipsam obsideret. Arbitrabatur enim

A de facili Hierosolymitanos fore cessuros, quia videbant & alios jam cessisse, sibique paucissimos adesse defensores, & innumeros, qui defendere non valerent. Castrametatus itaque circa Urbem à parte Occidentali ante Turrim David juxta loca infirmorum usque ad Portam Sancti Stephani, VI. Feria obsidionem incœpit. Porrò antequam urbem aggredi inciperet, Legatos in eam direxit, petens sibi sub conditionibus ante Ascalonam à se pollicitis Legatis eorum urbem reddi; significans etiam, quòd si aggrediendi urbem sibi occasionem præberent, nullas ampliùs cum eis conditiones admitteret. Quumque Christiani B renuerent penitus urbem dare, Saladinus jussit aggredi eam. Qui verò erant in Hierusalem, portas egressi, cum Saracenis confligunt viriliter; in brevi tamen omissum est prœlium. Nam quum Saraceni in oppositum eorum Solem haberent, circa fermè Vesperarum horam congressum incœperunt, quem breviter nox diremit. Hoc modo Saraceni diebus septem continuis adversùs Christianos pugnaverunt, nec potuerunt aliquando virtute armorum introcludere Christianos in urbe. Verùm Christiani singulis fermè diebus plures cogebant usque ad tentoria retrocedere Saracenos. Tamdem Saladinus advertens, quòd à parte illa urbis, in qua castra fixerat, C Christiani eam viriliter defendebant, neque posse ibi proficere, à parte aquilonari, scilicet inter Portam Sancti Stephani, & Portam Josaphat usque ad Abbatiam Montis Calvariæ castra locavit. Hæc autem sequens castrametatio facta fuit similiter Feria VI. die scilicet octava obsidionis incœptæ, ex qua graviter obsessi sunt Christiani, quum inter supra dictas Portas Sancti Stephani & Josaphat nullus esset egrediendi aditus, præterquam Porta, quæ dicitur Magdalenæ, quæ inter duos muros exibat. Erectis itaque machinis Saraceni urbis mœnia impetunt, & conductis fossoribus quum per subterraneos meatus ad eorum fundamenta pervenissent, supposito igne usque ad quindecim cubitos ex ipsis mœniis solo D everterunt.

CAP. CLXII.

Qualiter obsessi in Hierusalem Balianum ad Saladinum pro pace miserunt, & de ipsorum humiliatione.

CHristiani denique, qui in Urbe erant, quum vidissent murorum partem solo prostratam, essentque machinarum & petrariarum, spiculorum & sagittarum crebris ictibus lacessiti, & circa defensionem multipliciter hæsitarent, unanimiter ad Balianum Urbis Dominum, & Patriarcham Hierusalem E venientes dixerunt, se velle nocte instanti egredi Civitatem, & improvisos Saracenos invadere, asserentes honorabilius fore in bello mori, quàm intra Civitatem probrosè obsessos, demum ab hostibus trucidari ac etiam captivari. Secus autem sentiens Patriarcha, sic ad eos loquutus est: *Bonum quidem reputarem quod dicitis, nisi & ei melius repugnaret. Si enim huic nos exponendo discrimini, quod refertis, contingat prœlio succumbere, & sic gloriosè occumbendo animas salvare, rei tamen judicio erimus animarum eorum, qui imbelles sunt, quos hostium sæva barbaries im-*

maniter trucidabit, vel profanam eorum legem profiteri cogentur. Melius est igitur, quod bono nostro repugnat, ut pacem quæramus cum hostibus, per quam nos & cunctum Populum ab imminenti discrimine liberemus. His dictis cuncti assenserunt, & dum judicio omnium Balianus Civitatis Dominus ad Saladinum venisset pacem tractaturus cum eo, Saraceni facto aggressu urbi ea parte, qua murus corruerat, duodecim vexilla supra ipsa mœnia scalis appositis erexerunt. Quod Saladinus advertens, inquit ad Balianum: *Sero quidem venisti Baliane, compositurus mecum de pace Urbs quidem jam mea est. Ecce vexilla nostra supra mœnia sunt erecta.* Porrò dum talia loqueretur, misericors Dominus ex alto prospiciens, succurrere dignatus est Christianis. Nam qui erant in Hierusalem, resumtis in Domino viribus, Saracenis qui ascenderant, viriliter resistentes, illos ultra foveas fugaverunt. Tunc Saladinus ex suorum fuga turbatus, verba mutavit, dicens Baliano, ut reverteretur in Urbem, manè reversurus ad ipsum. Contigit autem nocte sequenti, ut ex petraria Saracenorum jactus lapis tanto impetu angulum cujusdam turris incuteret, quòd suo fragore consternati qui excubabant, vociferaverint *trabi, trabi*. Creditum est ab eis, qui in exercitu erant, quòd Christiani invasissent castra eorum. Christiani econtra opinati sunt, quòd Saraceni introierint Civitatem. Tunc Christianorum matronæ in signum humiliationis filias suas vestibus exutas, in hydriis aqua plenis usque ad guttura immittebant, quæ ante Montem Calvariæ positæ fuerant, discriminalibus earum incisis. Monachi quoque & Sacerdotes nudipedes supra muros Urbis solemni processione incedebant, clamantes ad Dominum, ut misereri dignaretur Populi sui, & Sanctæ suæ succurrere Civitati. Sed clamor eorum in conspectu Domini non ascendit. Nimis enim in luxus varios effluxerat tam Clerus, quàm Populus, totaque terra illa facinoribus & flagitiis sordescebat. Sed & qui Religionis habitum perferebant, regularis moderantiæ turpiter fines excesserant. Rarus in Monasterio, rarior in Seculo, quem non vel avaritiæ, vel luxuriæ morbus inficeret.

CAP. CLXIII.

Qualiter inter Saladinum & Balianum conventum est de reddenda urbe Saladino.

BAlianus itaque ad Saladinum reversus in castra, obtulit se Civitatem Hierosolymitanam daturum, concessa Civibus cum liberis, conjugibus, & omni eorum suppellectile egrediendi absolutè licentia. Ad hæc Saladinus Balianum tardè venisse respondit: quum enim aliàs obtulisset ipse Saladinus Hierosolymitanus conditiones satis rationabiles, easque sprevissent, jurejurando promiserat, se urbem nonnisi gladio recepturum. Volens tamen priùs in voto sive juramento deficere, quàm inhumanus totaliter videri, si adhuc mandatis ejus supplices venientes deditionem facerent, eos reciperet: *Nihil*, inquit, *exspectare possunt, nisi captivitatem & necem, si hanc recusaverint conditionem.* Tunc Balianus Saladinum, ut ex Dei Omnipotentis intuitu obsessorum misereri dignaretur, supplex rogavit. Saladinus respondit: *Ex illius quidem intuitu, quo me adjurasti, & illo affectu, quem ad te bene meritum concepi, hac conditione miserebor illorum. Subjicient quidem se mihi, qui obsessi sunt, velut captivati armorum virtute. Ipsorum verò substantias liberè eis remittam. Quicumque autem voluerint liberi fieri, data redemtione soluti abibunt.* Et Balianus ait: *Qualis erit redemtionis taxatio?* Saladinus respondit: *Viri dabunt viginti Bysantios, mulieres decem, parvuli quinque. Et hæc erit tam divitibus, quàm pauperibus communis taxatio.* Tunc Balianus ait: *Ferè sunt ex centum viris in urbe decem, quibus propriæ facultates ad hanc redemtionem solvendam suppeterent. Est enim Civitas plebe imbelli ac infima, mulierum videlicet & infantium, senum, & debilium plena, quorum patrum atque virorum partem magnam captivastis, pars etiam prœliis corruit. Sed ex quo Altissimus cor vestrum ad misericordiam inspiravit, modificetur hæc redemtionis taxatio.* Quumque Saladinus se deliberaturum respondisset, reversus in urbe Balianus, quæ acta fuerant apud Saladinum, Civibus indicavit. Qui consideratione pauperum tristes effecti, petierunt à Præceptore Hospitalis sibi tradi Regis Angliæ thesaurum pro redemtione pauperum, quemadmodum & Magister Templi Regi Guidoni tradiderat, comminantes nisi traderetur, se se inducturos Saladinum urbe potitum, ut caperet eum. Præceptor itaque habito cum fratribus consilio, thesaurum obtulit se daturum. Balianus verò in castra rediit, & post multa cum Saladino colloquia, motus pietate Saladinus super pauperes & afflictos, statuit, ut qui annum decimum excesserat, aureos decem, mulieres quinque, & qui intra decennium, duos persolverent. Quumque Balianus iterum Saladinum rogaret, ut commoverentur viscera ejus super egenos, diceretque ultra viginti millia ex eis esse, qui etiam unius hominis redemtionem sic taxatam solvere simul non possent, Saladinus dixit, se omnes egenos relaxaturum pro centum millibus aureorum. Balianus verò considerans, quòd nec ipsa quantitas posset persolvi, & peteret à Saladino, pro quanto septem millia egenorum relaxaret, tamdem convenerunt, ut pro septem millibus egenorum triginta millium aureorum redemtio solveretur, & quòd duæ mulieres pro uno viro, & similiter decem infantes pro uno viro computari deberent. Quòdque ad hanc redemtionem solvendam & urbem egrediendum, terminum quadraginta dierum haberent. Egredientibus quoque liceret arma deferre, quibus se à latronibus & prædonibus tutarentur, & etiam à Saladino singulis se redimentibus securus præstaretur conductus usque in terras, quæ à Christianis tenebantur. Qui verò intra ipsos quadraginta dies redemtionem non persolvissent, servi cum eorum bonis fierent Saladini.

CAP. CLXIV.

Qualiter Soldanus Urbem ipsam muniri jussit & cepit.

HIs itaque conditionibus invicem firmatis, reversus est Balianus in Hierusalem, & quum

quum narrasset Civibus quæ acta fuerant, eaque acceptassent, misissentque claves urbis Saladino, lætus ipse gratias Deo egit, & mittens ex militibus, qui urbem reciperent, & Turrim David munirent, Portas omnes, exceptâ Portâ David, firmari jussit novis repagulis & signa sua erigi. Erat autem Feria Sexta, quando tradita fuit urbs Hierusalem Saladino Domino Orientis, obsidionis verò dies decimus quartus. Ipsa etiam die fuit festum Sancti Leodegarii Augustodunensis Episcopi, quem Hebroinus Major-Domus apud Regem Francorum occìdit, Quarto scilicet Nonas Octobris, idest secunda die mensis ejusdem; fluxerant quoque Anni ab humanatione Verbi Dei MCLXXXVII. Ex quo verò Turchi eam amiserant LXXXVIII. Pontificante in urbe Roma Urbano hujus nominis III. qui fuit natione Mediolanensis de prosapia Crivellorum; Imperatore autem Friderico hujus nominis I. Munita itaque Turre David, & Portis Urbis, Saladinus misit edictum in ea, & præconum voce publicari mandavit, ut singuli Christiani, mares videlicet & fœminæ cujusvis ætatis, qui volebant juxta pacis conditiones initas Urbem liberè egredi, taxatam redemtionem intra stabilitum terminum dierum scilicet XL. apud Turrem David Balivis & Officialibus deputatis persolverent; termino verò lapso, qui redimendæ libertatis pretium non consignassent, nullam postmodum egrediendi facultatem haberent, sed cum omni suppelectile sua servituti manciparentur. Tunc Balianus & Patriarcha ex thesauro Regis Anglorum triginta millia Bysantiorum pro redemtione septem millium egenorum ad Turrim David fecerunt deputatis Officialibus consignari. Mandaverunt etiam, de omni vico Urbis duos fideles viros magìsque idoneos eligi, à quibus sub juramento in scriptis designatum est, quantum quisque possideret in bonis secundùm bonæ conscientiæ taxamentum. Quo facto si bonis singulorum deductis de summa redemtionis, & expensis itinerationis usque ad loca Christianorum opportunis, aliquid superabundabat, illud in communi redigebant, ut ex eo egenos redimerent. Denotabant etiam egenos cujusque Parochiæ sive Vici, & de qualibet Parochia septem millibus egenis acceptis, solutaque redemtione, illos extra Urbem mittebant. Educebantur autem omnes, qui exibant, per portam David, quæ sola manebat aperta cum custodibus Saladini. Hoc facto, quum pauci numero respectu redemtorum ex egenis adhuc superessent in urbe (eorum enim numerus, qui egressi fuerant, erat incertus) Patriarchæ, & Balduini precibus, Magistri Templi, & Hospitalis de thesauris eorum ad redemtionem multorum porrexerunt subsidia caritatis. Saladinus quoque, ne Christiani à Saracenis paterentur injurias, in omni Vico duos milites & decem armigeros deputavit. Qui autem egrediebantur urbem, longe à Saracenorum castris conglobabantur, quantum posset jacere arcus, ne etiam molestarentur, diligenter Saladinus jusserat observari.

CAP. CLXV.

De clementia Saladini, & Saracenorum erga Christianos Hierusalem egressos.

QUum autem universi, qui redimi potuerunt, forent egressi urbem Hierosolymitanam, Saphadinus Saladini frater motus pietate super egenos, qui in urbe remanserant, rogavit Saladinum, ut ex eis mille concederet. Quos quum illi donasset, liberos statim eos abire permisit. Similiter & Patriarchæ quingentos dedit, qui & liberi abierunt. Deinde & Baliano totidem dati sunt, & libertate donati. Tamdem Saladinus innata sibi clementia jussit reliquos liberari. qui una die possent Portam unam egredi, mandans tamen observari, ne quid exeuntes secum deferant, unde possent libertatem redimere, sed repertos hujusmodi, spoliatos, vinculis manciparent. Egressi autem sunt per Posticum Sancti Lazari ab ortu Solis usque ad occasum. Postera die facta inquisitione eorum, qui remanserant, reperti undecim millia numero, quos quum Patriarcha & Balianus à Saladino relaxari peterent, seque pro eis obsides retineri, renuit Saladinus. Matronas verò & puellas summa clementia exaudivit. Quum enim egressæ urbem, soluta eorum redemtione, ante castra Saladini consisterent, & provolutæ genibus coram eo misericordiam supplices peterent, agnovissetque Saladinus eas esse, quarum patres & viri carceribus ipsis tenebantur captivi, produxit lacrymas pietatis, & cunctos statim relaxari mandavit. Quarum autem parentes, viri, & propinqui prœlio corruerant, pecuniam singulis secundùm uniuscujusque statum donari præcepit. Duces omnium liberatorum fuerunt Templarii, Hospitalarii, & Patriarcha, ac Balianus, & inter turmas divisi sunt, datique à Saladino pro unaquaque turma ad custodiam itineris equites L. qui partim præcedentes, partim subsequentes observabant summa fide, atque diligentia, ne quicquam paterentur adversi. Tanta quoque illos humanitate ac benignitate concomitati sunt, ut si virum vel mulierem, vel infantem lassum aut ægrotantem comperirent in via, statim equis eorum supponerent, pedes deambulantes. Quumque in Comitatu Tripolitano venissent, Saraceni, qui conductum eis fecerant, abierunt. Porrò Tripolitanus Comes, qui pro Christianis Comitatum possidebat, explosa à se omni humanitate, portas civitatis contra eos, qui ad eam hospitandi gratiâ declinabant, obfirmari jussit: sed nec hac severitate contentus, quæ pro viatico deferebant, multis auferri mandavit. Secus autem contigit his, qui apud Alexandriam divertebant. Balivus siquidem Saladini, qui civitati præerat, summa illos hospitalitate recepit, & non solùm caritatis subsidia eis porrigi curavit, sed à molestiis omnibus servavit immunes. Quum autem in ea civitate usque ad Martium hybernassent, contigit, naves XXXVI. Pisanorum, Genuensium, & Venetorum Portum Alexandriæ introire. Facta autem de naulo conventione, dispositisque omnibus quum naves ascendissent, & circa mille ex eis in Portu remanere vidisset Balivus, peterentque qui ascenderant tentoria & gu-

gubernacula navium à Balivo sibi restitui, interrogavit eos, cur qui remanserant, non fuissent admissi; & illi: *Pauperes*, inquiunt, *sunt, nec habent unde symbolum componant, & naulum persolvant*. Tunc Balivus: *Quid ergo ex eis facere decrevistis?* Et illi; *Relinquemus penitus illos*. Quumque Balivus sciscitaretur ab eis, an Christiani essent; & eos esse assererent, ait: *Malè quippe Christianos, & fratres vestros tractatis, exponentes eos Saracenorum servituti, quos Saladinus Dominus noster innata clementia libertate donavit. Absit igitur, ut hi malè pereant, quos Dominus meus salvos fieri voluit. Volo quidem, ut eos recipiatis in naves; & ne vobis molesta sit hujus miserationis voluntas, dabo vobis pro unoquoque eorum panem & aquam dulcem, quantum usque ad Portum, quò properatis, sufficiat*. Hoc facto recepit insuper juramenta à conductoribus, quòd intromissos pauperes benignè tractarent, interminatus insuper eis, si secus acturos in futurum audiret, dignam à negotiatoribus partium suarum accipere recompensam. Commissi igitur ventis & mari, favente Deo, feliciter transfetarunt.

CAP. CLXVI.

De introitu Saladini in Hierusalem, egressis Christianis, & lavatione Templi.

Saladinus interea egressis urbe Hierusalem, ut dictum est, Christianis, civitatem ipsam ingressus, antequam Templum intraret, jussit Crucem Domini supra illud erectam solo dejici, quam Saraceni non sinè magno ludibrio ligatis ad eam funibus usque ad Turrim David per lutum traxerunt, & demum eam ad lapides illiserunt. Quòd autem de assensu Saladini hoc fecerint, incognitum exstitit. Post hæc Saladinus jussit parietes Templi aqua rosea lavari, quam, ut fertur, quatuor Cameli onusti eam à Damasco portaverant. Hoc facto Templum introivit, & pro concessa sibi potestate supra Domini mansionem Deo gratias egit.

Additamentum fratris Francisci Pipini.

Scribit hoc loco Vincentius, quòd idem Saladinus mox ut Hierusalem intravit, campanas fecit comminui, & metallum eis restitui, quorum erant. In Basilicis quoque Saraceni jumenta stabulaverunt, sordes inibi quaslibet perpetrantes; Ecclesiam tamen Sancti Sepulcri multo auro redemerunt Syriani. Clerus universus & de Monasteriis diversorum Ordinum professores recesserunt. His etiam, qui supra muros in cellis reclusi abstinentiæ & ordini vacabant, jussum est, ut abirent. Universis penè Latinis urbem relinquentibus Suriani, & Sectarum homines diversarum, utpote Georgiani, Jacobitæ, Græci, & Armeni remanserunt ibidem sub Turchorum dominio constituti. Audita quoque hac deditione Hierusalem, multa loca, quæ vix ab homine capi possent, si defensores haberent, in deditionem à Saladino recepta sunt.

CAP. CLXVII.

Qualiter Saladinus Marchionem Conradum obsedit in Tyro.

Egressus post hæc Hierusalem Saladinus, apud Tyrum duxit exercitum. Quumque ad obsidionem ipsius civitatis castra locasset, misit Nuntios suos in Damascum, ut Bonefacium patrem Conradi Marchionis Montisferrati, quem cum Rege Guidone tenebat in vinculis, sibi captivum adducerent. Christianos quoque quibus egestas in egressu de Hierusalem præcluserat libertatem, servituti addictos seorsum in castris patentiori loco poni mandavit, ut eorum, qui in Tyro erant, visibus apparerent. Adducto itaque Marchione Bonefacio, mandavit Saladinus Conrado, quòd si Tyrum ei traderet, restitueret ei patrem suum, & multam insuper pecuniam illi daret. Insinuans quoque sibi Hierusalem deditam esse, & servituti suæ mancipatos Christianos in obsidionem habere. Conrado autem Marchione constanter respondente, se nulla sorte traditurum Saladino civitatem, quam divino suffragante præsidio se defensurum sperabat, statim Saladinus classem ab Acon conduci ad Tyri obsidionem mandavit. Erant autem galeæ XIV. quas ante civitatem à parte maris statui jussit, & diligenter observare, ne victualia per mare veherentur in urbem. Præterea machinas & petrarias numero XVII. erexit, quæ continuis horis per diem & noctem jaciebant in urbem. Christiani urbem singulis diebus exibant, & adversùs Saladini exercitum binis aut ternis vicibus confligebant. Inter eos autem Militem quemdam Hispanum incredibilis armorum virtus reddebat spectabilem & formidabilem Saracenis. Cujus quoque probitate delectatus Saladinus videre illum affectare dicebatur. Insidebat enim equo magno, & ipse forma procerus, supra galeam habens cervina cornua pro cimerio, & quia signa sua colore viridia deferebat, Saraceni Militem eum *Viridem* nominabant. Habebat autem Marchio Conradus vasa forti corio contecta, quibus currentes ad litus Arcatores in eis consistentes spiculorum ictibus per fenestras emissis Saracenorum exercitum mirabiliter offendebant. Hæc enim vasa vulgò *Barbotes* dicebant. Inter hæc quum terra & mari Marchio se obsessum videret, nuntium ad Tripolitanum Comitem misit, ut sibi succurreret. Qui armatam classem & victualibus refertam ad eum direxit. Sed Deo aliter disponente, peccatis nostris exigentibus, orta in mari tempestate, galêæ partim conquassatæ sunt, partim procella Tripolim versùs impegit: nulli tamen perierunt.

CAP. CLXVIII.

Quali ingenio Marchio de Monteferrato victoriam habuit de Saracenis.

Marchio denique cognito sibi humanum deesse subsidium, quum se ad divinum præsidium contulisset, hoc modo obsidionem evasit. Erat enim in exercitu Saladini juvenis quidam Admirati cujusdam filius, qui adversùs patrem turbatus Tyrum ingressus, & Christianus effectus Baptismum accepit. Post dies verò aliquot Marchio in personam juvenis literas seu epistolam formatam ad Saladinum in jactu arcus direxit, continentem ita: *Domine mi, simulatâ adversùs patrem meum irâ, more transfugæ ad Christianos me contuli contra Tyrum, & statum obsessorum cum omni cautela perscrutatus agnovi, eos instanti nocte relicturos urbem, seque marino itinere*

nere fugæ præsidio commissuros. Et ne me finxisse, quod refero, suspiceris, jube hac nocte attentè observari, & egredientium concitatum tumultum agnosces. Reperta itaque epistola ad Saladinum defertur, qua adstantibus Optimatibus exercitus lecta, jussit Saladinus ipsa nocte observari Christianorum egressum, classemque instrui contra eos. Interea Marchio præstantioribus in armis Turrim supra majorem urbis Portam sitam muniri mandavit resistituris Saracenis, si scalis erectis urbem ingredi attentarent. Alioquin in occulto essent, exspectantes Marchionis mandatum. Obserari etiam Portas jussit, omnibus intra mœnia consistentibus. His peractis jussit omnes in armis esse, & in ipso crepusculo ad Portum descendere; quibus inibi conglobatis, custodes Saladini tumultuatione armatorum in Portu audita, nuntiant suis fugere Christianos. Tunc ex classe Saracenorum illucescente aurora quinque galêæ Portum Tyri intraverunt, ut civitatem invaderent. Fecerat quippe Marchio catenam Portus demitti. Quum autem Portum intravissent, erectâ catenâ, Christiani illos invadunt, gladiisque trucidant universos; & captis galêis eas suis muniunt, & dum cum reliquis, quas habebant, contra classem Saracenorum ad pugnam procederent, Saraceni animis consternati, se se in fugam convertunt. Porrò dum classium conflictus fieret, quidam Saracenorum in antemuralibus scalis erectis ascendunt, & ad mœnia perveniunt; & dum etiam scalis appositis ascendere satagerent, & scalas summitates murorum non pertingere comperissent, & per subterraneas fossiones muros conarentur demoliri, Marchio jam in mari victor his cognitis, quòdque Saraceni ad demolitionem murorum plurimum intenti erant, jussit portis reseratis Christianos egredi, & adversùs exercitum Saracenorum confligere pugna forti. Saraceni verò, cognito Christianorum subito & inopinato impetu super eos, Dei virtute fractis viribus convertuntur in fugam. Corruerunt autem ex eis in gladiis Christianorum numero ferè mille. Hanc victoriam super exercitum Saladini obtinuit Marchio Conradus die Circumcisionis Dominicæ; obsidio verò die Kalend. Novembris fuerat inchoata. Tunc Saladinus se à Christianis subactum cernens, in occiduo Solis jussit machinis & petrariis ignem immitti, & amota nocte subsequenti obsidione rediit in Damascum.

CAP. CLXIX.

De adventu Tyrensis Archiepiscopi ad Apostolicum, & de Principibus Cruce signatis.

POst discessum autem Saladini ab obsidione Tyri, vir venerabilis Willelmus ejusdem urbis Archiepiscopus, hortante Marchione Conrado, Romam vênit, & lacrymabilem casum Terræ Sanctæ Papæ innotuit. Præsidebat enim tunc Romanæ Cathedræ Gregorius hujus nominis VIII. qui quum rem tam flebilem agnovisset, corde nimis ingemuit, & ad subventionem Hierusalem totis inhians animis, ad concitandos Principes, Populosque per Occidentis Provincias tam Legatos, quàm literas destinat, quæ cladem Orientalem exponant, & peccatorum absolutionem profecturis Hierusalem promittant. Concessit & secularibus Principibus, quòd ad subsidium futuri passagii licitè possent à subditis eorum exigere decimas. Crevit itaque ubique rumor lamentabilis de partibus transmarinis, & ingemiscebat Mundus; plerique de correctione vitæ attentiùs cogitabant, plurésque signo Crucis accepto ire Hierusalem proponebant. Mense autem Januarii facto colloquio inter Reges Francorum, & Anglorum, sedatoque inter eos dissidio, adhortante eodem Archiepiscopo Tyrensi, ambo Reges contra omnium opinionem Crucis characterem assumserunt pro liberatione Terræ Sanctæ; & cum eis multi Prælati, inter quos fuerunt Archiepiscopi Rothomagensis, & Cantuariensis, & Episcopi Belluacensis, & Carnotensis; Comites quoque Pictaviensis, Flandrensis, Carnotensis, Blesensis, Barensis, Suessionensis, Nivernensis; Dux etiam Burgundiæ, & Rotroundus Campaniæ Comes. Comites insuper Drothorum, Clarimontis, & Belimontis, & plures alii magni viri, zelo Dei accensi, Anno scilicet gratiæ Christi MCLXXXVIII. Ob hanc etiam piam necessitatem institutum fuit in Franciæ Regno, communi assensu Episcoporum & Baronum Regni, ut Prælati & Clerici conventualium Ecclesiarum, & Milites Cruce signati de debitis suis reddendis tam Judæis, quàm Christianis à debitoribus biennio respectum haberent; & omnes Crucem non habentes, quicumque essent, ad minus illo anno de omnibus mobilibus ac reditibus suis decimas darent, exceptis qui erant Cisterciensis, Carthusiensis, & Fontis Ebrardi Ordinum, ac etiam Leprosis, quantum ad suum proprium pertineret. Et istæ dictæ sunt Decimæ Saladini. Ipsoque Anno horâ quartâ noctis fuit universalis Eclypsis Lunæ per tres horas. Fridericus quoque Romanorum Imperator hujus nominis I. eodem Anno similiter Crucem accepit, & sequenti primus ex Occidentis Principibus unà cum filio suo Philippo Duce Sueviæ, & exercitu perspicuo de Theutonia egrediens, transmarinum iter arripuit. Habuit enim secum, exceptis peditibus sexaginta millia militum. Qui in Constantinopolim veniens, permeatâ Hungariâ, Bulgariâ, Serviâ, & Macedoniâ, à Constantinopolitano Imperatore honorabiliter receptus est. Quumque Brachium quod Sancti Georgii dicitur, trajecisset, perveniens in Turchorum terram, in manu potenti & brachio extento in Lycaoniam transvectus est, ibique de Philomena, & Yconio, & aliis civitatibus gloriosè triumphans, Soldano & Turchis rebellantibus domitis, devênit in Armeniam. Castrametatus autem in ripa fluminis, quod Ferlyn dicitur, dum cum duobus Militibus balneandi gratiâ flumen intrasset, ipsum fluminis unda submersit Anno gratiæ Christi MCXC. cujus morte accessit damnum inæstimabile Christianis.

CAP. CLXX.

Qualiter Saladinus Acon munivit, Tripolim, & quasdam urbes obsedit.

SAladinus interea cognito, quòd Imperator Fridericus, Regesque Franciæ atque Angliæ, plurimique Principes, & Prælati, aliique Populi partium Occidentis se transmarino itineri disponebant ad subsidium Terræ Sanctæ, sta-

ſtatim mandavit, Acon urbem opportunè muniri. Sciebat enim, Chriſtianos præ multitudine eorum aliò non poſſe confluere, ſi eos transfretare contingeret. Promiſit etiam ſub juramento Aconitanis, quòd ſi Chriſtiani ibi diverterent, ſinè mora cum omnibus ſuis copiis ubi adeſſet ſubſidio. His diſpoſitis ad obſidionem Tripolis caſtra convertit. Interim verò Guillielmus Siciliæ Rex claſſem CC. armatam equitibus miſit Tyrum in ſubſidium Marchionis Conradi, quæ quum ibi appuliſſet, Marchio claſſem ſuam, Regiſque Willelmi in auxilium Tripolitanorum direxit, præficiens omnibus Militem Hiſpanum, qui arma colore viridi deferebat, cujus adventu cognito Saraceni cum magna claſſe, Saladinus præſtita fide per nuntios ſuos Hiſpanum rogavit, ut ad ſe veniret. Affectabant ſiquidem Saraceni eum videre, quum eſſet, ut dictum eſt, corpore decorus, & viribus ſtrenuus. Quum autem ad Saladinum veniſſet, multa eum comitate recepit; & dum pretioſa ei offerret jocalia, & equos generoſos & inſuper magnos ei reditus polliceretur, ſi morari diſponeret, reſpuit omnia dicens: *Abſit, ut qui liberaturus veni Terram Sanctam de infidelium ſervitute, à tam pio me propoſito talibus pollicitationibus reſilire contingat*. Dum autem Saladinus ſubſidii magnitudinem, quod ad Civitatem Tripolis miſſum erat adverteret, ſeque nihil poſſe proficere, diſcedens inde, ad obſidionem Tortoſæ copias ſuas jubet educi, inde duodecim leucis diſtantis. Fuit autem hæc civitas Tortoſa olim Anteradum dicta, quaſi ante Aradium ſita; Aradium verò inſula eſt in corde maris à terra firma per dimidiam leucam diſtans, de qua dicitur Ezechielis 37. cap. *Filii Aradii cum exercitu tuo ſuper muros tuos in circuitu tuo*. Eſt & vicina Tyro Aradium per quinque leucas, quam condidit Aradius filius Chanaan poſt diluvium. In Anterado autem, quæ nunc Tortoſa, prædicavit Beatus Petrus Apoſtolus multo tempore, quum Antiochiam pergeret, ſicut in Itinerario Clementis legitur; & Beatus Clemens ibi reperit matrem ſuam. Ibi etiam Beatus Petrus primam conſtruxit Eccleſiam. Quum autem Saladinus hanc civitatem Tortoſam, quæ & Anteradum dicta fuit, diebus aliquot obſediſſet, parumque proficeret: erat enim munita valde, diſceſſit, & veniens apud civitatem Valaniam ſeptem leucis inde diſtantem, eam cepit. Carebat enim Civitas ipſa munitionibus. Chriſtiani enim, quum propinqua eſſet oppido Mergad, quod erat Fratrum Hoſpitalis in monte altiſſimo ſitum, munire eam noluerant. Diſtat enim oppidum ipſum ab ipſa Civitate ferè pèr leucam, munitum valde. Sedes verò Epiſcopalis, quæ erat in ipſa civitate Valania, propter Saracenorum impetum tranſlata fuit in ipſum oppidum, & factus fuit illius Civitatis Epiſcopus ex ſuffraganeis Archiepiſcopi Apamienſis. In ipſa quoque civitate Valania, & in fluvio ejuſdem nominis, quod eam præterfluit, terminatur Regnum Hieroſolymitanum. Incipit etiam Principatus Antiochenus, terminato ibidem nihilominus Comitatu Tripolitano. Diſtat ab Acon per octo dietas. Poſt hæc Saladinus Gibel Civitatem obtinuit, indiſtantem, ſcilicet à civitate Valania, leucis ſeptem, quam quum muniſſet, Antiochenum Principatum intravit.

A B C D E

CAP. CLXXI.

Qualiter Guido Hieruſalem Rex liberatus à vinculis Acon obſedit.

GUido interea Hieroſolymorum Rex, quem Saladinus apud Damaſcum cum reliquis Principibus tenebat in vinculis, libertati reſtituitur, juxta quod promiſerat Saladinus ipſe, quum Regina uxor ipſius Guidonis Aſcalonam urbem ſibi reſtituit. Convenerat enim in deditione Aſcalonæ, ut ſupradictum eſt, (quæ fuit menſe Auguſti, relaxare Regem in exitu Martii ſubſequentis, ſperans interim Hieruſalem obtinere, quemadmodum contigit. Et ab ipſo menſe Auguſti uſque ad liberationis diem fuit Rex Guido cum Regina in civitate Neapoli ſub cuſtodia Saladini. Liberati ſunt etiam cum eodem Rege ſolâ clementiâ Saladini decem ex Principibus, quos eligere maluit, inter quos fuerunt Magiſter Templi, & frater Regis, qui unà cum Rege juramentum præſtiterunt ante præſentiam Saladini, quòd numquam contra eum arma deferrent. Reſtituit quoque Bonefacium Conrado Marchioni filio ſuo, Tyrum illum mittens. Hanifredum etiam filium quondam Raynaldi Principis Antiochiæ matri Principis Antiochiæ ejuſdem relictæ dimiſit. Rex itaque Guido quum veniſſet Tripolim, decrevit Tyrum accedere, moraturus quouſque poſſet Acon obſidere. Igitur à Tripoli diſcendens cum Regina & paucis Militibus, itinere terreſtri Tyrum perrexit. Sed quum Marchio Conradus, qui Dominus erat Tyri, portas contra eum obfirmari mandaſſet, & eidem ſignificaſſet, quòd nullatenus aditum ei civitatis concederet: Rex Guido turbatus valde Nuntios Tripolim miſit, ut apud Acon claſſem eorum dirigerent, ad cujus obſidionem feſtinabat. Paucorum itaque coadunato exercitu Rex ante Acon caſtra locavit, quæ Saracenorum erat munita præſidio. Eſt autem Acon à Meridie & Occidente mari incluſa, à parte verò Orientis terra, ex qua parte Rex ipſe ſupra Collem Sancti Nicolai in obſidione conſedit non longè à flumine. Interim quoque excidii Hieroſolymitani dato rumore per Orbem fremuerunt gentes, & conturbata ſunt Regna. Venerunt enim à finibus terræ Tribus Domini liberare ſacrificium ejus de manibus impiorum, portantes iniquitates in cubilibus ſuis, & de ſua virtute deceptoriè præſumentes. Primi ergo injuriæ Chriſti occurrerunt Italici, homines bellicoſi, diſcreti, & regula ſobrietatis modeſti, prodigalitatis quoque expertes, parcentes expenſis, quum neceſſitas non incumbit, & qui inter omnes gentes ſingulari & ſcripta legum ſanctione reguntur. Hi tunc Ducem proprium non habentes, ſed ſuis obedientes, quos elegerant, Tribunis, ad hanc urbis obſidionem ſub ipſo Rege Hieroſolymorum Guidone perrexerunt. Venerunt poſt hos & Northmanni, & Gothi, & cæteri Populi Inſularum, quæ inter Occidentem & Septentrionem ſitæ ſunt, gentes bellicoſæ, corpore proceræ, mortis intrepidæ, bipennibus armatæ, navibus rotundis, quæ Yſnachiæ dicuntur, advectæ. Niſi iſti ſuperveniſſent, Chriſtiani fuiſſent penitùs demoliti. Hi cum ipſis Italicis Acon obſederunt. De Friſia & Dacia quoque naves quinquaginta fœderatæ pariter eamdem peregrinationem

nem arripiunt. De Flandria insuper XXXVII. rates cum apparatu grandi sequutæ sunt. Sed & de Francia, & de Campania pergunt Hierusalem quamplurimi illustres Viri, titulisque Militiæ gloriosi. Quumque multa millia apud Tyrum Christianorum consisterent, Acon etiam petunt & obsident. Saladinus ab Aconitanis requisitus, quum esset ad obsidionem cujusdam castri, quod dicitur Rocha Willelmi, in quo erat proditor quidam, qui Dominum suum ligium occiderat, accita secum infinita multitudine gentium armatarum, properavit Acon, Christianos, qui obsidere venerant, obsessurus; credidítque illos propter paucitatem eorum, multitudinis respectu gentis suæ, penitus deglutire. Christiani verò castra sua vallis & aggeribus munierunt; crebris enim insultibus illos impetebant Saraceni. Pugna quoque inter eos acerrima commissa est, in qua multi Christianorum occubuerunt.

CAP. CLXXII.

De peste famis, quam Christiani perpessi sunt in obsidione Acon.

OBsidione autem multis jam perseverante diebus, varias Christiani perpessi sunt calamitates, vel propter incursus hostium, vel propter aëris inclementiam, vel propter victualium indigentiam. Modius siquidem frumenti valuit LX. Bysantiis, farinæ verò LXX. Erat autem modii mensura quantum unus homo poterat ferre. Ovum denariis XII. Unica gallina magnum evacuabat marsupium, vendebatur enim solidis XX. Pomum denariis VI. Vini & carnium tanta erat penuria, ut haberi non possent, carnibus dumtaxat equinis; quodque deterius erat, aurum cibaria non poterat invenire. A facie igitur & à tergo hostilis imminebat obsidio, & aëris intemperies tanta erat, pluviarumque inundatio, ut præ nimia humectatione corrupta cibaria deperirent, & innumeri etiam morbo dysenterico laborantes obirent. Miranda proinde ac perpetuò memoranda virorum illorum constantia, quæ tot malis obsita non defecit, sed permansit infracta. Milites namque vestes & arma ob victum distrahere, & equos mactare cogebantur. Contigit præterea ex ipsa famis crudeli angustia casus plurimùm Christianis adversus. Ferè enim decem millia peditum ex ipso Christianorum exercitu fame defecerunt, & ne interpellati ab eis primores exercitus in hoc eis providerent, conglomerati more luporum, quos sæva fames urget ex sylva, in exercitum Saracenorum insiliunt; quorum impetum exhorrentes Saraceni, quum castra sibi reliquissent, quæ invaserant, iidem mandibilia quæque rapiunt. Quumque onerati regrederentur ad Christianorum tentoria, Saraceni facto impetu super eos partim trucidant, partim fluvio submergunt. In eadem quoque obsidione Regina Guidonis Regis Hierusalem conthoralis, nomine Sibilia, quæ fuit Comitissa Joppen, & soror Balduini Regis leprosi cum filio infante debitum humanitatis exsolvit, cujus hæreditas ad Helisabeth conjugem Honifredi, qui ne Rex fieret, ad ipsam Sibiliam confugerat, quæ & soror erat ejusdem Helisabeth, pervênit. Hanc Helisabeth ab eodem viro suo Honifredo, qui regionis ultra fluvium Dominus erat,

A Conradus Marchio Tyri Dominus, homo sagacissimus, qui ad Regni dominium aspirabat, fecit Ecclesiastico separari judicio, ipsamque in uxorem accepit.

CAP. CLXXIII.

De processu Regum Franciæ & Angliæ ad obsidionem Acon.

REges denique Francorum Philippus hujus nominis Secundus, & Ricardus Anglorum, ultimi ad subsidium Christianorum Acon obsidentium advenerunt, Anno admira- B bilis commercii MCXC. cum agmine infinito, & apparatu incredibili, ac Proceres ferè universi, inter quos fuerunt Oddo Dux Burgundiæ, Philippus Comes Flandriæ, Theobaldus, & Stephanus Comites Campaniæ, & Henricus nepos eorum, qui postea Dominus Terræ Hierosolymitanæ remansit; Theobaldus Comes Blesensis, Stephanus Comes de Sancerre; Comites Clarimontis, Pictaviensis, & Sancti Pauli. Sed & Archiepiscopi, & Episcopi plurimi, & qui alicujus habebantur in Militia nominis, diverso quidem tempore, sed eodem Anno iter arripiunt. Tantamque aliquando motionem Populorum fuisse nulla meminit ætas, nullaque refert Historia. Diversos quoque Portus adeunt, & naves ascen- C dunt. Comes quoque Domini Martini unà cum Archiepiscopo Remensi patruo suo ad Regni custodiam, mandante Rege, remansit in Francia. Causa autem moræ Regum amborum fuit propter discordiam, quam simul habuerant idem Philippus, & Henricus pater Regis Ricardi, cujus tempore Thomas Cantuariensis Archiepiscopus martyr occubuit. Qua pace sublata, Rege Henrico defuncto, promisit Rex Ricardus post reditum ultramarinum sororem Regis Philippi accipere in uxorem. In ipso autem itinere ambo Reges Francorum, & Anglorum comitate magna recepti à Tancredo Siculorum Rege successore Willelmi, apud Messanam hybernarunt. A D qua priùs discedens Rex Francorum in Vigilia Paschæ ad obsidionem Aconitanam pervênit, ubi cum multis lacrymis & gaudio quasi Angelus Domini receptus est ab his, qui scilicet longo tempore in ejusdem Urbis obsidione consederant. Fixisque tentoriis & fabricata domo adeò prope Urbis muros, ut usque ad eam & ultra frequenter hostes quadrellos & sagittas emitterent. Absente autem Rege Angliæ Rex Francorum Civitatem assilire nequaquam voluit (sic enim pariter condixerant) sed erectis petrariis suis, & manganellis, & aliis ingeniis, ante adventum ejus tantum de muro civitatis fregerat, quòd ad eam E capiendam nonnisi assaltus deesset.

CAP. CLXXIV.

De his quæ Regi Angliæ in ipso itinere contigerunt.

REx Angliæ Ricardus quum post Regem Francorum maritimo proficisceretur itinere, contigit eum ex insperato in ipso itinere immorari. Nam mater ejus sciens, quòd sororem Regis Franciæ promiserat ducere in uxorem, quod contra votum matris erat, procuravit cum Rege Navarræ, ut ipse filio suo

 An-

Angliæ Regi sororem suam daret uxorem, quam cùm terrestri itinere ad ipsum Regem apud Messanam conduceret, quumque eum jam inde discessisse comperisset, sorori ejusdem Regis Johannæ filiæ suæ, quæ adhuc in ea urbe remanserat transfretatura post fratrem, commendavit puellam, ut secum assumtam ad Regem Ricardum duceret in conjugem assumendam. Quum autem navigantes Cypri insulam advenissent, & jactatis anchoris apud urbem, quæ Limecon dicitur, Kirsachus pseudo-Imperator, de prosapia Emmanuelis Constantinopolitani, qui ibi castrametatus erat pro tutela Insulæ contra itinerantium incursiones, quum navem vidisset, & per nuntios suos agnovisset, qui essent navigantes, ac invitari eos fecisset, ut ad litus descenderent, honoraturus eos, illique renuerent, galêas fecit armari, ut Reginas comprehenderet. Sed dum alto se pelago committentes fugerent, contigit Ricardum Regem Angliæ illis occurrere, qui dum à sorore Johanna cuncta didicisset tam de causa sororis Regis Navarræ, quam secum ducebat, quàm de fuga, Rex statim animo commotus cum omni classe sua ad urbem, ubi castrametatus erat, divertit. Quo cognito Kirsachus ejus exhorrens potentiam se solus fugæ commisit, quem etiam cæteri, qui cum eo erant, relictis omnibus, prosequuti sunt. Rex autem civitatem invasit, & cuncta prædatus, incolas captivavit. Ibi etiam apud Monasterium, quod extra civitatem erat, sororem Regis Navarræ juxta condictum matris desponsavit uxorem. Et dum ibi moram aliquot diebus fecisset, Guido Hierusalem Rex, qui in obsidione Acon erat, audito ejusdem Angliæ Regis adventu, in eadem civitate Cypri Insulæ applicuit, qui ingenti gaudio mutuò se viderunt. Post hæc Rex Angliæ insequutus Kirsachum fugientem, in quodam castro eum obsedit, & tamdem cum uxore, & filia, & multis Proceribus capto oppido, magnaque præda consequuta, ex congestis ibi à diversis partibus Insulæ, secum duxit captivum, qui & in vinculis defunctus est. Insulam autem Cypri recommendavit Templariis, quam postmodum pro vigintiquinque millibus Marcharum argenti eis tradidit possidendam. Postea verò de manibus eorum ereptam vendidit Guidoni Hierosolymitano. Quumque Angliæ Rex iter transfretationis assumtum prosequeretur, occurrit ei navis una Saladini, quæ properabat ad subsidium Acon, in qua erant phialæ igne Græco refertæ, & balistæ CCL. & arcuum & armorum copia ingens; bellatores quoque strenui. Facto itaque adversùs navim à Rege congressu, bellatores interfecti sunt, & navis submersa. Rex verò ad obsidionem processit.

CAP. CLXXV.

De æmulatione eorumdem Regum in obsidione Acon, & captione ejusdem urbis.

IGitur quum ambo Reges, Francorum scilicet, & Anglorum, ad obsidionem urbis Acon essent, fuit cum eisdem omnium incentiva malorum filia diaboli potentissima Regina, Discordia inferorum, & sedit in eorum medio cum sorore sua macilenta & livida, scilicet

A Invidia, & tam ipsos Reges, quàm totum Christianorum exercitum in diversas voluntates distraxit. Quum enim Francorum Regi pugna contra Acon placebat, Regi Anglico displicebat; & quod placebat Anglico, erat Franco molestum; & in tantum hujusmodi aucta est discordia, quòd ferè inter se intestinum bellum moverent. Et inter cæteros Principes effusa est duorum Regum discordia. Regi Franciæ favebant Dux Burgundiæ, Comes Clarimontis, & Conradus Marchio Montisferrati, cujus potentia in exercitu magna erat. Templarii quoque, Januenses, & quidam Episcopi, aliique Proceres multi. In parte Regis Angliæ erant Comes Flandriæ, B Comes Campaniæ, Rex Guido, Hospitalarii, & alii plures. Erectis autem machinis & castellis contra mœnia urbis Acon, eam fortiter expugnare cœperunt, & Saraceni non minus fortiter resistere, comburentes ædificia, quæ Christiani erexerant. Porrò Rex Angliæ in assultibus operabatur remissiùs. Rex autem Franciæ ad destructionem murorum efficaciter laborabat, urbemque in tantum expugnavit, quòd volente Domino muri frangi cœpere propter utriusque Regis ædificia, & Turris Maledicta lapidibus conquassari. Unde Christianorum animis arrectis, Saracenorū corda deprimebantur. Jam enim poterant Christiani muris fractis ingredi civitatem. Quum C custodes Saladini, qui erant ibi, Symachosium, & Cathacosium, Satrapas ejus cum ingenti armorum copia sub certa pactione (de conscientia tamen Saladini) ad civitatis deditionem coëgit. Promiserunt enim juramento suæ legis adstricti, tantum corporibus salvis dimissis, quòd veram Domini Crucem, quam Saladinus habebat, & omnes captivos Christianos, quos in tota terra sua invenire possent, Regibus antedictis in certum tempus restituerent; & quòd pro Admiratis & magnis viris, qui in ipsa Urbe erant, certam redemtionem persolverent. Placuerunt pacta, & per manus Marchionis Conradi Saraceni traditi sunt in potestate Regum, intraveruntque Christiani D Acon cum Dei laudibus. Rex Franciæ municipium Urbis cepit, & in eo hospitatus est. Recepta est igitur Acon à Christianis III. Idus Julii post decursum ferè biennium, ex quo cœperat obsideri, communique assensu Regum & Procerum decretum, ut qui Urbem incolebant, bona propria possiderent.

CAP. CLXXVI.

De quibusdam Principibus Christianorum, qui in obsidione Acon occubuerunt, & discessu Regis Francorum.

E IN ea quoque obsidione Comites Stephanus, & Theobaldus Fratres Milites strenui & sapientes, Campaniæ Comites, & Lantgravius Thuringiæ vir strenuissimus, & per omnia celebri fama perpetuò nominandus, Comes quoque Theobaldus Blesensis, Comes Clarimontis, & Comes Perticensis, Philippus etiam Comes Flandriæ diem ultimum reliquerunt. Et quia Comes Flandriæ alium non habebat hæredem, terra ejus ad Balduinum nepotem suum filium Comitis Haënensis devoluta est, qui postmodum Imperium Constantinopolitanum obtinuit. Elapso verò termino, quo juxta conventiones Saladinus Crucis Lignum restituere

tuere tenebatur, quum Rex Philippus sibi illudi adverteret, duobus etiam additis terminis, Admiratos ipsius, quos vinctos ob hoc reservabat, decapitari mandavit; reliquos verò servari mandavit pro liberatione Christianorum, si quos capi contingeret, qui & forte inter Reges ipsos divisi fuerunt. Non multò post capta, ut dictum est Acon, contigit Francorum Regem gravissimo morbo vexari; Regem Angliæ valde suspectum habere, tamquam ejus gloriæ invidentem, & ab omni se opportuno auxilio subtrahentem, & qui, ut ferebatur, clam ad Saladinum nuntios dirigebat, & dona sibi invicem offerebant. Timens itaque Philippus dolum Regis Anglorum, sed magìs, ut ajunt quidam, Terræ Flandriarum cupiditate ductus, contra voluntatem omnium ferè Procerum Francorum, relicto suæ gentis exercitu Duci Burgundiæ, magnaque copia thesauri & victualium, ac captivis, qui in sortem ejus obvenerant, in Franciam rediit, juramento præstito Regi Anglico, quòd in nullo terram offenderet. Saladinus interea timens, ne Christiani Ascalonam obsidione invaderent, jussit eam solo everti. *Alibi legitur, quòd Rex Angliæ Paganis petentibus multo auri pretio, funditus eam diruit. Qui etiam quinque millia captivorum, quos in Acon sortitus erat, quia Crucis Dominicæ Lignum juxta pactiones initas restitutum non fuerat, iratus decollari mandavit. Reliquos grandi persoluta redemtione liberos abire permisit.*

CAP. CLXXVII.

De æmulatione Ducis Burgundiæ erga Regem Angliæ, & qualiter ipse Rex defendit Japhet.

QUum autem eidem Regi Anglorum nuntiatum esset, Hierusalem bellatoribus vacuam sinè arcu & gladio posse capi, de consensu Ducis Burgundiæ & aliorum Procerum collecto exercitu, singuli apud Bethleem distantem à Hierusalem quinque leucis castrametati sunt, præmissis per mare navibus, quæ victualibus erant onustæ. Quumque suas acies disposuissent Hierusalem profecturi, malorum omnium radix Invidia Burgundiæ Ducem invasit. Pium siquidem votum suum dispendiosa forte mutavit, nec ultra progredi voluit, dicens suis, quòd si contingeret Hierusalem urbem capi, nequaquam Francigenis adscriberetur victoria, qui longè plures erant in ipso exercitu, sed potiùs Regi Anglorum; quòdque etiam contra Regem Francorum proinde infamia laboraret, qui sola pusillanimitate victus sit reversus in Regnum; sicque Dux ipse cum suis retrocessit, & paulò post apud Acon naturæ jura persolvit. Rex Anglorum Ricardus Japhet urbem divertit, & quum eam opportunè munisset, vênit Acon. Porrò Saladinus ad urbis Japhet obsidionem duxit exercitum. Rex verò Anglorum, relicta in Acon munitione, cum omnibus copiis suis perrexit in subsidium ipsius urbis Japhet, maritimo itinere, sed Proceres terrestri. Sed quum Rex appropinquaret Japhet, comperit Saracenos urbem cepisse, qui & incolas Christianos vinctos ad castra Saladini ducebant. Quo viso statim Rex navem egressus ad terram prosiliit, & clypeo protectus, manuque gladium deferens, quem *la ache Dannoise* vulgò nominant, in civitatem pedes irrupit, impigrè sequutus à suis, & facto in Saracenos, qui urbem intraverant, virili aggressu, eos in fugam coëgit, trucidatis & captivatis quamplurimis. Deinde extra urbem egressus dum se pedes cum suis supra collem ante Saracenorum castra locasset, idque Saladinus advertisset, jussit statim sibi generosum destrarium præsentari, dicens non decere tantum virum dignitate Regia insignem inter suos armatos pedes consistere. Et quum gratias agens Rex mandasset armigero, ut equum ascendens calcaribus stimularet ad cursum, equus spreto fræno concito ad castra Saladini remeavit. Saladinus verò turbatus inde, ne Rex dolum suspicaretur, alium statim magìs habilem ei misit. Tamdem Rex ipse reversus est in civitatem Japhet; deinde procedens Lidaron oppidum cepit, tantæque formidini cunctis habitus est Saracenis propter varia ipsius fortia facta, ut etiam flentibus infantibus in ipsis cunabulis matres sive nutrices eorum per Ricardum Anglorum Regem silentium imperarent. Erat quoque velut in commune ductum proverbium, ut quoties inequitans quis adverteret equum umbram, vel aliquid aliud abhorrere, seu ex hoc pavidum fieri, calcaribus urgendo inveheret, contra eum dicens: *Putasne Regem Anglicum in hoc cespite evasisse?* Ipse etiam Rex Ascalonam reædificavit, quam everterat Saladinus.

CAP. CLXXVIII.

Qualiter Rex Angliæ Regi Guidoni Cypri Insulam alienavit, & de liberalitate ipsius Guidonis.

POst hæc quum Latini, qui Cypri Insulam habitabant, Grifones sive Græcos inibi etiam commorantes, qui ad ipsorum Latinorum necem conspiraverant, trucidassent, & Templarii Insulam ipsam eidem Regi Angliæ restituissent, quibus custodiendam commendaverat, receptâ inde pecuniâ, ut dictum est, Guido Hierosolymorum Rex, sub cujus dominio Sacrum Regnum desiit, hortantibus eisdem Templariis, eamdem Insulam ab ipso Rege Angliæ acquisivit, & factus est in ea Rex ab ipso Rege Anglorum Ricardo, fecitque eam novam Coloniam, advenientibus ibi multis de Armenia, Acon, & Antiochia Christianis, quibus possessiones amplas donavit, viduasque & puellas nubiles de proprio fisco dotavit. Multos etiam cingulo decoravit militiæ. Tamdem liberalitatem in largiendo convertens in prodigalitatem, sic se propriis exinanivit, ut ferè XX. Collateralibus militibus in necessariis provideret. Refertâ igitur Cypri Insulâ hoc modo colonis, brevi post Rex Guido non magno fastu contentus, naturæ concessit. Cui Aymericus frater ejus in eodem Cypri Regno successit. Qui considerata prodigalitate fratris sui Regis erga colonos, & in hoc Regio Fisco accessisse inæstimabile detrimentum, quòdque subditi divitiis & opibus eò potentiores in Regno essent, suâ sic industriâ reditus Fisci Regii ad summam triginta millium Bysantiorum adduxit. Quum autem coronari differret, ut ab illustri Principe assumeret diadema, transeunte Imperatoris Henrici, qui filius fuit Frederici I. Cancellario, qui cum magno exercitu transfretabat,

bat, idem Aymericus suscepto eodem Cancellario honore sublimi apud Nicosiam ab ipso Cancellario coronatur in Regem, juravitque se Imperatori Romano fidelitatem servare. Postmodum idem Aymericus Comitissam Campaniæ Helisabeth filiam quondam Amalrici Regis Hierusalem, & relictam Comitis Henrici Campaniæ, qui ab ipso Angliæ Rege institutus fuerat terræ ultramarinæ Dominus, accepit in conjugem, quam & in Reginam Insulæ coronavit. Hanc etiam Helisabeth Conradus Marchio habuerat in uxorem, quam judicio Ecclesiæ ab Honifredo viro suo, ut dictum est, qui fuerat agnatus supra dicti Regis Guidonis, fecerat separari. Aymericus iste Cypri Rex, dum quadam die cum militibus equitaret, duo in equis volentes eum occidere, graviter ipsum vulneraverunt, sed tamen evasit; capti autem fuerunt, & exiliati, sed nullo modo cogi potuerunt manifestare, quorum instinctu hoc fecerant. Hugo tamen Tabariæ potens, & frater ejus Raous suspecti ex hoc scelere habiti sunt, quia indignati contra Regem credebantur, eo quòd idem Raous præfatam Helisabeth in conjugem non habuerat. Noluit tamen Rex probationibus laborare; eos tamen perpetuo banno supposuit.

CAP. CLXXIX.

De morte Conradi Marchionis Montisferrati, & ejus moribus.

Conradus interea Marchio Montisferrati, qui Dominus erat Tyri, Anno, quo Virtus Altissimi Virgini obumbravit. MCXCII. gladiis Arsacidarum, scilicet assassinorum occisus est apud Tyrum, unica filia superstite hærede relicta. Quæ autem fuerit causa interfectionis, plus in opinione, quàm in veritate constat. Quidam enim dicunt, quòd Rex Angliæ Ricardus mortem ipsam procuravit, eo quòd sororem suam accipere noluerat in uxorem. Alii referunt, quòd Honifredus Dominus de Monrial, qui fuit quondam Regis Guidonis cognatus, quia uxorem suam Helisabeth, ut prædictum est, sibi abstulerat. Alii autumant, quòd propria voluntate motus fuerit Arsacidarum Dominus ad ipsum occidendum, pro eo quòd mercatores terræ suæ apud Tyrum clam fecit interfici, ut, quia ditissimi erant, eorum haberet pecunias; vel ut alii dicunt, quia mercatores terræ ipsius Arsacidarum Domini magno spoliavit thesauro, quem quum ad preces ipsius Domini restituere noluisset, duos ex satellitibus suis Tyrum misit, qui facti Christiani, & per eorum industriam in famulitio Marchionis assumti, dum quadam die Helisabeth ipsius Marchionis conjux, quæ fuerat ab Honifredo separata, prodisset ad balnea, nec vellet Marchio absente ea discumbere, & exspectatione tœdiatus ad hospitium Belluacensis Episcopi, ut comederet, perrexisset cum paucis, & eum à mensa surrexisse comperisset, & sic domum reverteretur, satellites nacto sibi tempore observavere reditum Marchionis; qui dum per flexuosam & angustam viam transiret, unus eorum literas ei præsentavit, & dum dexteram elevasset, ut eas acciperet, ipse qui porrexerat, exemto gladio Marchionem vulneravit. Alium quoque ictum, secundante altero gladio, Marchio exanimis corruit. Fuit autem idem Marchio Conradus armis strenuus, ingenio & scientia sagacissimus, animo & facto amabilis, cunctis mundanis virtutibus præditus, in omni consilio supremus, spes blanda suorum, hostium fulmen ignitum, simulator & dissimulator in omni re; omnibus linguis instructus, respectu cujus, facundissimi reputabantur elingues. Quem in hoc solo culpabilem dicunt fuisse, quòd alterius uxorem à marito vivente, scilicet Helisabeth ab Honifredo, ut jam dictum est, seduxit, & fecit à viro legitimè separari, ipsamque uxorem accepit. Sed invidiæ spiritus contra eum plurima confinxit. Hanc postea Helisabeth Henricus Campaniæ Comes, qui fuit Terræ Hierosolymitanæ Dominus sibi in matrimonium copulavit. Ricardus enim Angliæ Rex statim Marchionis ejusdem morte agnita, dum esset Acon, ipso Henrico Campaniæ Comite nepote suo secum accito, Tyrum perrexit, & fecit ut ipse Comes præfatam Helisabeth acciperet in uxorem, tertia die post necem Marchionis, in quo de ipsa nece idem Rex habitus est suspectus. Quo facto idem Rex advertens, quòd pauci Peregrini in partibus ipsis remanserant, treugas quinquennales cum Saladino composuit, concessitque ipsi Saladino, quòd posset diruere Ascalonam, quam Rex ipse reædificaverat: aliter ei Saladinus treugis assentire nolebat. Post hæc eidem Comiti exercitu suo relicto, & totius terræ, quam Christiani tenebant, sibi collato dominio, repatriandi iter arripuit. *Qualiter autem in ipso itinere manus inciderit Austriæ Ducis, & in vinculis diu conjectus tamdem per redemtionem evaserit, & cum Rege Franciæ Philippo guerram habuerit, habetur sub temporibus Friderici I. ubi scribitur de gestis ejusdem.*

CAP. CLXXX.

De munificentia Saladini & ejus morte.

Saladinus verò, ut natura clementissimus, visa Regni Hierosolymitani strage, & Urbium ruina, super ejusdem Regni viros generosos compassione motus, munificentiam suam illis ostendit. Donavit siquidem Domino olim urbis Sagittæ, quæ dicta fuit Sidon, Civitatem fertilem, quæ Sarfent dicta est, & insuper universos reditus, quos in ea urbe Sagittæ possidere consueverat, pro dimidia illi percipere posse concessit. Baliano de Belino dedit oppidum Chaymon, ab Acon leucis quinque distans. Oppidum Caiphas Domino ipsius restituit. Civitatem Cæsaream similiter & Domino ejusdem: Urbem quoque Assur ipsius Domino dedit. Henrico Comiti Campaniæ Japhet Civitatem donavit, quam idem Comes in dotem filiæ dedit, quam Regis Cypri Aymerici filius habuit in uxorem. Non post multum autem temporis idem Saladinus, vir multis clarus victoriis ægrotavit ad mortem, & in ipsa ægritudine omnem terram à se acquisitam in hunc modum distribuit. Filio quidem suo primogenito Saphadino Damasci & Hierusalem Regnum dedit. Secundo genito Meralucio Regnum Alapæ. Sic & singulis aliis singula distribuit. Erant enim decemocto. In uno tamen multum inhumanè egit & suarum virtutum titulis derogavit. Nihil namque

que fratri suo reliquit Saphadino, quem in omnibus bellis habuerat comitem. Defunctus est itaque Saladinus Anno, quo Sermo divinus de regalibus sedibus vênit, MCXCIII. Qui dum moreretur, Signiferum suum vocavit, dicens: *Tu, qui soles ferre vexilla mea per bella, fer vexillum mortis meæ, scilicet panniculum vilem per totam Damascum super lanceam, clamitando: Ecce Rex Orientis moriens non fert secum nisi hoc pallium vile*. Et sic mortuus est. De cujus Regno inter fratrem ejus Saphadinum, cui nihil reliquit, & filios diutiùs concertatum est, ut infra dicetur. Nam Meralucius ejusdem Saladini filius, qui Soldanus erat Ægypti, quum equo lapsus exspirasset, patruus ejus Saphadinus cognita ejus morte, Ægypti terras invasit, & tamdem conductis multis militibus mercenariis factus est Ægypti Soldanus, qui & multa gessit magnifica.

CAP. CLXXXI.

Qualiter Henricus Campaniæ Comes factus est Hierosolymorum Rex, & de morte ejus.

HEnricus interea Campaniæ Comes, cui Rex Angliæ Ricardus terræ transmarinæ dominium, quam Christiani possidebant, ut dictum est, reliquerat, quum reverteretur in Regnum, videns Terram Sanctam desolatam, pietate motus est, maluit ibi cum suis in labore remanere; & si locus se offerret, animam suam pro Christo ponere, quàm ad terram suam cum rubore redire. Quod videntes milites Templi & Hospitalis, & Peregrini, qui ibi erant, ejus scilicet in Domino constantiam, ipsum in Regem Urbis Sanctæ, licèt eam tunc non tenerent, unanimiter elegerunt, & filiam Hierosolymitani Regis ei dederunt uxorem. Habuerat autem & aliam uxorem, quam quum suspectam haberet, matri suæ Mariæ, quæ soror erat Philippi Regis Francorum ex parte patris, & Ricardi Regis Angliæ ex parte matris, antequam transfretaret ad Terram Sanctam, reliquit custodiam Comitatus. Ipse verò Comitatum providè gubernans, quoad vixit, singulis annis reditus ei mittebat Comitatus ejusdem. Remanserunt etiam cum eadem Comitissa duo filii, puer scilicet, & puella una, quæ nupta fuit Balduino Comiti Flandriæ, qui fuit postea Imperator Constantinopolis. Puer verò nomine Theobaldus in Comitatu patri Henrico successit, qui à Rege Francorum Philippo accinctus militia, sororem Regum Angliæ, & Navarræ accepit in conjugem. Contigit interea durantibus adhuc treugis quinquennalibus, quas cum Saladino Rex Ricardus firmaverat, quòd ad procurationem Henrici Imperatoris, qui fuit filius Friderici I. subacto ab eo Siculorum Regno, multitudo maxima Alamannorum voto proficiscendi in Terram promissionis, Crucem accepit. Horum exercitui, qui quatuor millia computati sunt, præfuit Conradus ejusdem Imperatoris Cancellarius, qui Aymericum fratrem Regis Guidonis de Regno Cypri in ipso transitu coronavit. Eminebant autem in ipso Alamannorum exercitu Conradus Maguntinus Archiepiscopus, Henricus Saxoniæ Dux, Leopoldus Dux Austriæ, Dux quoque Brabantiæ, Hermannus Lantgravius Thauringiæ, Henricus de Kalindin Ma-

A rescallus, & plures alii, quos enumerare modici pensi est, quum nulla sit memorandi ambitio, quos fuisse plurimos constat, & nullos. Hi quum venissent in Terram promissionis apud Acon, treugas ipsas fregerunt, urbem Berythi recuperaverunt, Joppen perdiderunt. Homines quidem bellicosi, ingenio crudi, expensarum prodigi, rationis expertes, voluntatem pro jure habentes; ensibus invicti, in nullis nisi in gentibus suis confidentes, ducibus suis fidissimi, & quibus potiùs vitam posses auferre, quàm fidem. Saphadinus autem, qui patri suo Saladino super Regnis Syriæ & Damasci successerat, cognito quòd Christiani treugas violaverant, collecto exercitu, ad
B obsidionem Japhet profectus est. Henricus verò Campaniæ Comes, cui Regnum Hierosolymitanum traditum erat, requisitus à Japhet civibus obsessis, ut eis succurreret, suum apud Acon exercitum congregans, Alemannos præmisit, qui apud Caiphas castrametati sunt, quod oppidum ab Acon leucis quatuor distabat, Regis Henrici adventum cum reliquo exercitu inibi exspectantes. Sed dum ipse in superiori cœnaculo palatii sui fenestræ cuidam innitendo, se applicaret, miserabili præcipitio collisus exspirat Anno Christi MCXCVII. *Alibi legitur, quòd ideo se fenestræ immiserat, ut manus lavaret; volebat*
C *enim ad cœnam noctis hora discumbere, & quia puer aquam ministrans, ne de morte haberetur suspectus, post eum se dedit præcipitem, sed mortuus non est, femur tamen confregit, dixerunt aliqui, quòd ex præcipitio pueri statim exanimatus sit Rex. Clamor autem, nescitur quo auctore, statim per terram insonuit. Cives per Urbem discurrunt attoniti, hæsitantes ne hostes urbem intrassent. Tamdem puer quo potuit nisu repens, pervênit ad viam, & transeuntes vociferando ad se vocat, & Regem Henricum ibi nuntiat corruisse. Accurrentes igitur milites cum multis lacrymis & cordium angustiis, corpus ejus apud Monasterium Sanctæ Crucis detulerunt, ubi & debitis exsequiis est humatum. Exercitus verò divertit ad pro-*
D *pria*. Saphadinus autem Japhet obtinuit, & ea eversa Christianos singulos captivavit. Fertur autem, quòd mentem Comitis Henrici sæpiùs hujusmodi præcipitii titillabat meditatio quædam, & ne illud minus providè fortiretur, mandaverat, ut fenestra virgis ferreis muniretur; sed tristi fato trahente, familiaris negligentiæ pœnam sortitus est, non sinè magno Christianorum incommodo. Hic etiam Henricus Dominum Armeniæ, qui ligius homo erat Principis Antiocheni, pace inter eos composita, coronavit in Regem Armeniæ, qui & primus fuit Rex in ipsa Provincia. Divertens quoque per terram Vetuli de Montana,
E magno ab eo honore receptus est.

CAP. CLXXXII.

Qualiter Aymericus Rex Cypri factus est Hierosolymitanæ Terræ Dominus, & Berythus Civitas à Christianis capta.

DEfuncto itaque Campaniæ Comite Henrico Hierosolymorum Rege, Aymericus Cypri Rex, frater quondam Guidonis Regis, assensu Principum Regni, Terræ Hierosolymitanæ factus est Rex, qui & Reginam Heli-

A Helisabeth Henrici prædicti relictam accepit in conjugem, eamque coronavit Reginam, reluctante tamen Hugone Tabariæ viro potente, qui eam volebat fratri suo Raous dare uxorem. Habebat enim Hugo ipse sororem ejusdem Helisabeth in conjugem. Post hæc consilio Procerum Regni, & maximè Templariorum, Hospitalariorum, & Conradi Imperatoris Cancellarii, decrevit obsidere Berythum. Est enim Berythus illa nobilis & antiqua Civitas, in qua Dominus dicitur prædicasse, & in qua Judæi facta imagine de pasta illusiones & alia opprobria innovarunt, ex qua etiam sanguis in magna quantitate exivit, qui usque hodie in magna reverentia est, cujus civitatis Episcopus suffraganeus est Tyrensis
B Metropolis. Quum autem Saraceni, qui apud Berythum erant, agnovissent Regem Aymericum terrestri & maritimo itinere contra eos cum omnibus suis copiis advenire, imbelles & sclavos omnes utriusque sexus ejecerunt ab urbe, tribus servis solùm exceptis, quorum unus Christianus erat arte fabrili lignarius, cujus tamen uxorem & liberos obsides in exilium miserant, ne prodere urbem præsumeret. Quumque Berythum egressi adversùs Christianorum exercitum progrederentur, congressuri cum eis, qui non longè à Civitate ipsa distabant, faber lignarius Christianæ fidei zelo succensus, nacto sibi tempore, sclavos illos
C duos, qui cum eo in urbe remanserant, adiit, erant enim similiter Christiani, & ait: *Agite precor, mecum ò socii, & macte virtutis estote. Si enim viri eritis, & mihi adstiteritis in his, quæ Deo volente concepi, Civitas hæc jam in manu nostra est*. Illis autem ex animo respondentibus, se futuros viros, & quæcumque disposuerit, se strenuè effecturos, mandavit eis, ut portas clauderent. Quo facto Turres singulas eorum singuli ascenderunt. Præmonuit autem eos, ut si Saraceni reverterentur, lapides contra eos intrepidi jacerent, & si is, qui supra turrim ascendebat, quæ mare respicit, videret Christianorum naves litori appropinquare,
D statim magnis clamaret vocibus atque sonoris: *Adjuva nos Sancte Sepulcre*; & descendens de Turri, posticum Civitatis Christianis aperiret. Contigit autem, ut Saraceni, qui Civitatem exiverant, quum vidissent Christianos terra marique in manu potenti advenire, statim terga dantes reverterentur ad urbem; & quum portas obseratas invenissent, audirentque clamorem illius, qui ex condicto supra Turrim clamabat, invocans Sanctum Sepulcrum, singuli convertuntur in fugam. Cognoverunt siquidem se per dolum Civitatem amisisse. Christiani verò clamorem ejus, qui supra Turrim erat, similiter audientes, hæsitare cœperunt, & proditionem suspicati sunt. Porrò
E quum descendissent, & posticum aperiens clamaret, ut qui in classe erant, intrarent securi, decem ex eis naves egressi, cum timore tamen, Civitatem intraverunt, & quum neminem reperissent, reliqui cohortati ab eis intrare, reseratis Portis Civitatem obtinuerunt, statimque nuntios festinantes Regi Aymerico direxerunt, quatenus cum reliquis copiis, quæ terrestri incedebant itinere, properaret, quoniam Civitas capta erat. Interim qui jam intraverant, sclavos subdiderunt (proh nefas!) quæstionibus & tormentis, ut thesauros Civitatis eis manifestarent, quos occultasse illos asserebant. Et quum se id fecisse negarent, tamdiu flagellis eos ceciderunt, quousque animas exhalarunt. Deinde ad municipium Civitatis concurrentes, cujus turrim Faber lignarius ascenderat, & ostia vellent confringere, comminareturque Faber lignarius lapides supra eos jacere, nisi desisterent, ecce Rex Aymericus cum reliquo exercitu advênit. Et cognitis, quæ agebantur, rogavit Fabrum lignarium, ut Turrim sibi concedat, quod sinè mora complevit. Cui in recompensationem beneficii, magnanimitatem ejus contemplatus, ac laudans ejus constantiam, magnos in ipsa Civitate reditus assignavit, & libertatem conjugis & filiorum, qui apud Paganos obsides erant, etiam procuravit. Victualia in ea Civitate reperit, quæ incolis potuissent usque ad septennium abundare, vino excepto. Comperit etiam, quòd in ea plusquam trecenta millia Christianorum capta fuerant à piratis, postquam Marchio Conradus Tyrum obtinuerat, exceptis occisis. Protendebatur enim à Civitate in mari montis angulus, in quo morabantur piratæ, transeuntibus ab Armenia, Antiochia, vel Tripoli versùs Tyrum seu Acon, ponentes insidias. Munita itaque suis urbe Berythi, processit Rex Aymericus cum copiis apud Castrum Thoron, à Tyro leucis quinque distans, quod erat munitissimum valde. Sed quum gravi obsidione illud arctasset, & qui in eo erant deditionem optarent, eamque recusarent Christiani, contigit nuntios advenire dicentes, Henricum Imperatorem, qui fuit Friderici I. filius, esse defunctum. Quo cognito Alamanni, tanquam in fugam positi, ab obsidione discedentes, Tyrum venerunt, & parata ibi classe ad propria remearunt. Rex verò treugas cum Saphadino fratre Saladini Soldano Ægypti composuit.

CAP. CLXXXIII.

De transfretatione quorumdam Baronum, & ad quæ loca diverterint.

Anno post hæc gratiæ Christi MCXCVIII. imperante Ottone IV. quum ad torneamenta quamplures insignes viri, qui Regi Angliæ Ricardo adversùs Franciæ Regem Philippum convenissent, & in partes divisi essent, ut torneamenta inchoarent, statim exuti galêas, cucurrerunt ad Cruces, & omnes ad transfretandum Crucis se charactere consignarunt. Quod ideo ab aliquibus fecisse dictum est, quòd Regem Franciæ offensum timebant, maximè quum Rex Angliæ Ricardus jam esset defunctus. Fuerunt autem hi Barones Cruce signati, Balduinus Comes Flandriæ, Henricus Andegavensis frater ejus, Theobaldus Comes Campaniæ, qui fuit filius Henrici Hierosolymitanæ Terræ Domini, Ludovicus Comes Blesensis, Stephanus Comes Perticensis, Comes Sancti Pauli, Simon Comes Montisfortis, Johannes Comes de Nigella, Reginaldus Comes de Domno Petro, Marchio Montisferrati, & alii plures strenui bellatores. Hi communi assensu Campaniæ Comitem Theobaldum Dominum totius exercitus constituerunt, qui quum non multò post ab hac luce migrasset, ætatis suæ Anno XXV. gratiæ verò Christi MCCI. Marchionem de Monteferrato sibi Dominum præfecerunt. Erant enim ex omnibus terris trecenti Milites electi; popularium verò maxima multitudo. Arrepto tamdem transfretatio-

tationis itinere non omnes in Terram promissionis manserunt, nec etiam advenerunt; nam Comes Reginaldus de Domno Petro, tractatu habito cum quibusdam Militibus apud Acon, dum contra voluntatem Regis Aymerici vellet treugas cum Saracenis initas violare, divertens versùs Antiochiam, applicuit Gibel, quod est inter Margad & Laodiciam. Erant autem, qui eum sequebantur circa milites CCCC. ex partibus multis collecti, & pedites multi; quumque Dominus Civitatis Mergad ei obviam occurrisset in necessariis provisurus, & agnovisset, quòd volebant Antiochiam proficisci, suasit eis, ut pro conductu eorum nuntios præmitterent ad Principem Antiochenum. Quòd si secus agerent, innotuit, quòd insidias incurrerent hostium. Ipsi verò fato trahente consultationibus spretis, dum ultra procederent, appropinquantibus eis Laodiciam, hostes, qui in abditis erant, prosilientes in eos levi marte omnes ceperunt, & captivatos in Armeniam duxerunt. Armeni siquidem cum Antiochenis tunc bella gerebant. Balduinus verò Comes Flandrensis, & alii Proceres multi de Francia, aliisque partibus quum venissent apud Venetias, ut ibi classem, quam cum Venetis diu ante pacti fuerant, ad transfretandum haberent, retenti sunt à Venetis contra voluntatem eorum, coactique sunt ad expugnandum Jadram Ducem Venetorum sequi. Quumque in obsidione Jadræ hybernarent, factis cum puero Imperatoris Constantinopolitani filio, debita Imperii successione privato, conventionibus, Constantinopolim in ejus subsidium perrexerunt. *Qualiter verò Urbem ipsam ceperint, & puerum ad Imperium restituerint, & demum qualiter ipse Balduinus factus sit Constantinopolis Imperator, & frater ejus Henricus Comes Pictaviensis eidem successerit, & de cæteris ibidem à Latinis gestis, quum non sint de præsenti materia, hoc omittuntur loco. Habentur tamen supra, ubi agitur de Constantinopolitanis Imperatoribus sub temporibus Friderici I. Romanorum Imperatoris*. Johannes verò Comes de Nigella, qui ultimus ex Baronibus mare intraverat cum magna parte Flandrensium, transivit per districtum Maroch, & quamdam Civitatem Saracenorum cepit. Assequutâ quoque ex ea prædâ opimâ, dedit Civitatem Fratribus de Spatis. Deinde Massiliam veniens, ibi duxit hyberna. Transacta hyeme in Terram promissionis duxit exercitum, qui postmodum treugarum tempore perrexit in Armeniam, ibique fuit cum multis aliis non sinè infamiæ nota.

CAP. CLXXXIV.

Qualiter Soldanus apud Ægyptum Prælatorum reditus confiscavit, & à Damasco obsidionem amovit.

Soldanus interea Babyloniæ Saphadinus, qui fuit frater Saladini, qui & mortuo Meralucio nepote Ægyptum occupaverat, aliumque nepotem sibi æquivocum Regno Damasci & Hierusalem exspoliaverat, audito quòd Christiani classem parabant, ut Ægypti Terram invaderent, relictis in Damasco opportunis munitionibus (timebat enim nepotis à se offensi insidias) in Ægyptum perrexit; quumque Prælatos Legis suæ ad se convocatos rogaret, ut se ad defensionem contra Christianos accingerent, & de reditibus illorum mercenarios conducerent milites, eo quòd propter guerram, quam habebat cum Soldano Alap, & cum nepote, cui Damasci & Hierusalem Regna abstulerat, oportebat copias suas in partibus illis habere, responderunt, quòd arma non ferrent, neque bella gererent adversùs Dominum suum Regem, sed potiùs se ad Mahomerias suas se conferentes, Deum pro salute Regis sui orarent. Saphadino verò interrogante, quid facturi essent, si Christiani Ægyptum invaderent: *quod Deo placuerit*, responderunt. Tunc Soldanus ait: *Si pugnare non vultis, quæram, qui vice vestra pugnabit.* Et vocato ad se Scriba, adjuratisque singulis per Legem eorum, ne in caput suum mentirentur, adnotari fecit in scriptis reditus singulorum, qui duplum ascendebant ejus, quod Soldanus petebat. Post hæc assignata unicuique portione ex ipsis reditibus quanta ad victum eorum sufficeret, residuum ad stipendia militum deputavit. Quumque se fraudari eleemosynis dicerent, quas eorum prædecessores, ipsique ad pias causas piis votis perceperant, Soldanus respondit, non se eos fraudare eleemosynis velle, sed eas sibi potiùs conservare, ne hostium manibus diripi possent. Post hæc idem Soldanus Legatos solemnes cum multis ac pretiosis muneribus ad Ducem Venetiarum transmisit, ubi adhuc erant Barones, qui disposuerant transfretare, promittens se Duci & Venetis in Portu Alexandriæ magnas concessurum libertates, & alias facturum gratias, si transfretaturos Barones distraherent ab incœpto itinere, ne Ægyptum intrarent. Legati itaque quum venissent Venetias, expleverunt sibi commissa. Deinde ad Soldanum reversi. *Qualiter autem hujus rei effectus fuerit, in opinione patenti multorum est, si legantur, quæ Veneti cum Baronibus ipsis peregerunt, distrahentes eos ad obsidionem Jadræ, & deinde Constantinopolim, ut jam perfunctoriè dictum est supra*. Idem etiam Soldanus, quum adhuc in Ægypto esset, audito quòd Soldanus Alape, & Soldanus Damasci, qui fuerant filii Saladini, ad obsidionem Damasci profecti erant, reversus est in Hierosolymam, gentemque maximam apud Neapolim congregavit, distantem à Damasco leucis quinque, ab Acon una, quo apparatu territi obsessores ab obsidione secesserunt.

CAP. CLXXXV.

Qualiter Johannes Comes Briennæ factus est Hierosolymitanæ Terræ Rex, & de solemni passagio apud Acon.

Johannes inter hæc Comes de Brienne, assensu Prælatorum & Principum omnium, Terræ Hierosolymitanæ Rex efficitur, filiamque Conradi Marchionis de Monteferrato, qui fuit Dominus Tyri ab assassinis occisus, accepit in conjugem. Amboque de Regno coronati sunt apud Acon Anno gratiæ Christi MCCIX. Regni namque Terram; quam adhuc Christiani possidebant, post mortem ejusdem Henrici Regis, gubernavit Annis quatuor Johannes de Belino, qui fuit filius Baliani, & tamdem à Primoribus Regni de partibus Franciæ vocatus idem Johannes, consilio Philippi Regis Francorum veniens Acon, Regnum accepit,

cepit, vir quidem nobilitate egregius, & militaribus actibus strenuus. Et apud Tyrum accedens, filiam ejusdem quondam Conradi Marchionis desponsavit uxorem, quæ in dominio Tyri succedebat, quum Marchio masculum filium non reliquisset, quæ non multum post defuncta est, unicâ relictâ filiâ ex ipso Rege Johanne. Saraceni interea cognito Christianos Regem creasse apud Acon, treugas, quas cum Balivo Terræ Christianorum, Johanne scilicet de Belino, fecerant, violarunt, bellumque cum Christianis durissimum incœperunt. Quumque eos crebris variisque direptionibus infestarent, idem Rex Johannes nuntios ad Apostolicum misit, ut Terræ Sanctæ subsidio provideret. Præsidebat autem in Romana Cathedra Innocentius hujus nominis III. Hic susceptis Regis nuntiis, Apostolica scripta per Orbem direxit, ut Principes & Barones induceret ad peregrinationis ultramarinæ iter assumendum. Concilium etiam Romæ super ipso passagio celebravit. Cardinales quoque ad varias Mundi partes direxit, ut transmarinam Crucem Principibus & Populis prædicarent. Quam in Franciam tunc Magister Jacobus de Vitry, vir in sacris Literis eruditus prædicavit, quem postmodum Canonici Acon in Episcopum elegerunt. Mandato autem Papæ Episcopatu assumto perrexit Acon, & multa ibi operatus est bona. Demum resignata dignitate in Franciam reversus est, qui postea factus est Cardinalis.

CAP. CLXXXVI.

De exercitu quorumdam Christianorum.

ANno itaque Gratiæ MCCXVII. congregatus est exercitus Christianorum Cruce signatorum in Acon copiosus, cum tribus Regibus Hierusalem, Ungariæ, & Cypri. Sed primus omnium fuit Ungarorum Rex. Hi mystica munera secum non deferentes, parum egerunt memoriæ dignum. Adfuit quoque Dux Austriæ, Dux Moraviæ cum multis Comitibus, & Viris generosis, ac militia magna Regni Theutonici. Aderant Episcopi peregrini, Archiepiscopus Nicosiensis, Joriensis, & Agrensis Hungariæ, Bajocensis, Vavembergensis, Sicensis, Monasteriensis, & Trajectensis. Et cum eis Vir potens & nobilis Galterius de Avenis, qui reversus in passagio vernali quadraginta Milites reliquit in servitio Terræ Sanctæ, quibus providit sumtus sufficientes per annum. Bajuarii nimis insolenter, & contra legem Peregrinorum se habuerunt, hortos & pomœria Christianorum destruentes, ejicientes etiam de hospitiis suis Religiosos; nec his contenti Christianos interfecerunt. Dux Austriæ fuit Princeps Catholicus, qui per omnia laudabiliter Christo militavit. Patriarcha verò Hierosolymitanus cum humilitate Cleri & Populi magna, tollens reverenter vivificæ Crucis Lignum Feria VI. post Festum Omnium Sanctorum profectus est ab Acon in castra Domini, quæ processerant ad Recordanam. Hoc autem dulce Lignum post Terram Sanctam perditam reservatum fuit ad hæc tempora. Imminente siquidem conflictu Saracenorum cùm Christianis tempore Saladini, sicut à senioribus accepimus, Crux secta fuit; pars ad prœlium delata, & ibidem perdita; pars reservata, quæ nunc exhibetur. Cum tali vexillo ordinatis aciebus processerunt per planum Fabæ usque ad Fontem Tubaniæ, multùm eo die laborantes; & præmissis exploratoribus, videntes ab adversariis pulverem concitari, incerti fuerunt, an contra eos, an fugiendo properarent. Sequenti die per montes Gelboë, quos ad dexteram habuerunt, & Paludem ad sinistram, profecti sunt ad Betsanam, ubi castra fixerant adversarii. Sed metuentes tam ordinatè procedentis, & tam copiosum Dei viventis exercitum, tentoria tollentes, & fugientes, terram vastandam Christi militibus reliquerunt. Unde Jordanem transeuntes in Vigilia Sancti Martini, corpora sua Christiani in eo lavarunt pacificè, & ibidem per biduum quievere, copiam victualium & pabulum reperientes. Deinde super littus maris Galileæ tres mansiones fecerunt, peragrantes loca, in quibus mirabilia Salvator noster operari dignatus corporali præsentia cum hominibus conversatus est, aspexerunt Bethsaidam civitatem Andreæ & Petri, tunc ad Casale modicum redactam. Demonstrata sunt loca, ubi Christus Discipulos vocavit; supra mare siccis pedibus ambulavit; turbas pavit in deserto; montem ascendit orare; & locum, ubi cum Discipulis post Resurrectionem manducavit; & sic per Capharnaum infirmos portantes, reversi sunt Acon.

CAP. CLXXXVII.

De virili aggressu Christianorum ad Montem, & de descensu inglorio.

IN secundo equitatu adierunt pedem Montis Thabor; primò aquarum inopiam, postmodum per defossionem copiam invenientes. Desperabant Capitanei de montis ascensu, qui leucis octo distat ab Acon; donec puero Saraceno nuntiante, Castrum fore comprehensibile, consilium inierunt. Prima verò Dominica Adventus Domini, quum legeretur Evangelium; *ite in Castellum, quod contra vos est*, Patriarcha præcessit cum signo Crucis, Episcopis & Clero per clivum montis orantibus, & psallentibus, licèt mons præruptus undique & excelsus, & quasi impossibilis ad ascendendum extra semitam tritam. Milites tamen, & satellites, & pedites viriliter ascenderunt. In hoc monte Thabor transfiguratus est Jesus ante Discipulos, apparente Moyse & Helia. In descensu ejus obviavit Abrahæ redeunti à cæde Amalech Sacerdos Domini Melchisedech, cui obtulit in sacrificio panem & vinum, quod figurat altare Christi sub gratia. Distat à Nazareth milliario quarto. Johannes enim Rex Hierusalem cum militia Domini Castellanum stravit, Admiraldum unum primo impetu, & defensores Castri, qui intrepidi extra portas ad defendendum montem hostibus occurrerant, in fugam & stuporem convertens. Sed Rex ipse quantum meruit ascendendo, tantum demeruit descendendo. Inclusis namque hostibus in Castrum, turpiter Reges Hierusalem Johannes, & Cypri, filius Aymerici, & Magister Hospitalis, & Barones in partem montis ad deliberandum quid facerent, secesserunt. Nobilis verò Dux Austriæ huic deliberationi non interfuit, qui ex altera parte montis incredulos impugnabat, & ad illos, qui in summitate montis erant, ascendere de facili non vale-

valebat, nec Magister Templi, qui infirmus remanserat in Acon. Quumque in deliberatione prædicta morari, an redire expediret, per ordinem quæreretur, Magistro Hospitalis Fratre G. de Monte Acuto, & Comite Tripolis Bojamundo diversa consulentibus, ipsa die Dominico descendit de monte exercitus inglorius, & per indultum spatium incredulos animavit. Sed quo Dei judicio, vel Principum consilio exercitus ipse recesserit, ignoratur. Creditur, Christum sibi soli hunc triumphum montis reservasse, qui cum paucis Discipulis ipsum ascendit, ibidem futuræ Resurrectionis gloriam demonstrando. Multi autem Templarii, & Hospitalarii, & quidam Seculares in secundo montis ascensu, quando castrenses vires acceperant, vulnerati sunt & interfecti. Porrò in primo & secundo equitatu maximam multitudinem captivorum virorum, ac mulierum, & parvulorum Christiani secum duxerunt. Episcopus autem Acon parvulos, quos prece vel pretio obtinere potuit, baptizavit, & distribuens inter religiosas fœminas, literis applicare disposuit.

CAP. CLXXXVIII.

De divisione quadrifaria exercitus, & morte Regis Cypri, ac discessu Regis Hungariæ, & ædificatione Castri Peregrinorum.

IN tertio equitatu, cui Patriarcha cum signo Crucis, & sacri Pontifices non interfuerunt, multa damna & incommoda tam per latrunculos, quàm hyemis asperitate perpessus est Christianorum exercitus in finibus Tyri & Sidonis, maximè juxta Sareptam in vigilia Natalis Domini. Post hæc exercitus quadrifariam divisus est; Reges Hungariæ & Cypri Tripolim profecti sunt, ubi Rex Cypri adolescentulus diem clausit extremum. Rex verò Hungariæ brevi tempore commoratus, cum magno damno Terræ promissionis recessit. Peregrinos enim, & galeas, destrerios, & jumenta cum armis secum traxit; multum admonitus à Patriarcha, ne discederet: tamdem cum sua sequela excommunicatur. Alia pars pigrorum, & timidorum, & eorum, qui procumbentes ad terram ore pleno de abundantia temporalium biberant, remansit in Acon. Rex verò Hierusalem Johannes, & Dux Austriæ cum Hospitalariis Sancti Johannis, & Episcopis supra dictis, & quibusdam aliis castrum in Cæsarea Palæstinæ brevi tempore utiliter & constanter firmaverunt, licèt hostium adventus frequenter nuntiaretur. Per hoc autem castrum ejusdem civitatis reparatio contigit. In Basilica Principis Apostolorum Festum Purificationis Patriarcha cum sex Episcopis solemniter celebravit. Templarii verò cum Domino Galtero de Avenis, & aliis paucis auxiliatoribus Peregrinis, & Hospitali de domo Theutonicorum castrum Peregrinorum, quod olim Distructum appellabant, firmare cœperunt in Diœcesi Cæsariensi inter Cayphas & Cæsaream, cujus situs talis est. Promontorium altum & amplum mari imminet, munitum naturaliter scopulis ad Aquilonem, Occidentem, & Austrum. Versùs Orientem Turris erat firma, & dudum à Templariis ædificata, & possessa tam guerræ, quàm treugarum tempore. Turris autem ibidem posita fuit propter latrunculos, qui in via stricta Pere-

grinis ascendentibus & descendentibus ab ea insidiabantur, non longè distans à mari, quod propter viam strictam Districtum appellabatur. Toto ferè tempore, quo Cæsariense castrum firmatum est & consummatum, Templarii ex transverso promontorii fodientes & laborantes circiter sex hebdomadas, tamdem ad fundamentum primum pervenerunt, ubi murus antiquus spissus & longus apparuit. Inventa est etiam pecunia in moneta modernis ignota, collata beneficio Filii Dei militibus suis ad elevandos sumtus & labores. Deinde in anteriori parte arenam fodientes & deportantes, alius murus brevior inventus est, & inter murorum planitiem fontes aquæ dulcis ibidem largiter ebulliebant. Lapidum etiam & cæmenti copiam Dominus ministravit. Duæ Turres ædificantur ante frontem castri, lapidibus quadris & dolatis tantæ quantitatis, ut lapis unus vix à duobus bubalis traheretur in curru. Utraque Turris centenos habet pedes in longitudine, septuagintaquatuor in latitudine. Spissitudo binas testudines includit. Inter duas Turres murus novus & altus cum propugnaculis consummatus est; & miro artificio intrinsecus equites armati ascendere possunt, & descendere per gradus. Item murus paululum distans à Turribus extenditur ab uno latere maris ad aliud, puteum habens aquæ vivæ inclusum. Hujus ædificii prima utilitas, quòd Conventus Templariorum eductus de peccatrice & omni spurcitia plena civitate Acon, in hujus castri præsidio residebat usque ad reparationem murorum Hierusalem. Territorium munitionis hujus piscariis, salinis, lignis, pascuis, agris, & herbis abundat, vineis plantatis, & plantandis, hortis, pomœriis habitatores delectat. Inter Acon & Hierusalem nulla est munitio, quam teneant Saraceni. Unde de hoc castro novo plurimùm damnificabantur increduli, & terrore divino ipsos fugante, loca culta deserere cogebantur. Portum habet naturaliter bonum. Sex milliaribus distat à Monte Thabor, unde castri hujus constructio præsumitur fuisse quædam causa destructionis munitionis illius, quia in campo longo & lato, qui interjacet montanis castri hujus, ac montis Thabor, nec arare nec seminare, nec metere securè poterant propter talis castri præsidium. Monasteriensis Episcopus apud Cæsaream obdormivit in Domino.

CAP. CLXXXIX.

De apparatu alterius passagii.

DEinde militia Christi rediit in Acon. Episcopi Alamanniæ se præparabant ad transfretandum, brevi tempore in Terra promissionis morati. Exspectabatur passagium secundum, & novum, & maximè classis ab Aquilone veniens, quæ per angustum mare Carthaginis navigatura sperabatur. A principio prædicationis Crucis Provincia Coloniensis studio magno plurimis etiam sumtibus ferè CCC. naves præparavit, quarum quædam remanserunt, quædam vi tempestatis perierunt. Sed major pars pervênit Lessebonam cum multa virtute bellatorum. Ibi orta est discordia, quibusdam volentibus procedere, aliis hyemare cupientibus in obsidione Castri fortissimi, quod Alcacia dicitur. Et sic classis

 divi-

divisa est. Pars apud Gajetam, & Cornetum hyemat; pars autem obsedit Alcaciam, duos habens Capitaneos Comitem Willelmum de Hollandia, & Comitem Georgium de Withe. Captum est autem per Theutonicos & Frisones; & quum ad hæc essent in obsidione, congregata est contra eos Saracenorum multitudo maxima, contra quam viriliter pugnaverunt Templarii, & Spatarii. Cum militia Reginæ Portugallensis victi sunt virtute divina Saraceni. Rex eorum unus occisus est, & cum eo plurimi trucidati sunt, & in captivitatem ducti. Excitata autem fuit Provincia Coloniensis ad obsequium Salvatoris Mundi per signa, quæ apparuerunt in cœlo. Nam in Provincia & Diœcesi Monasteriensi, in Villa Frisiæ Bedem mense Martio, VI. Feria ante Pentecostem, triplex forma Crucis apparuit in aëre, una candida versùs Aquilonem, alia versùs Meridiem ejusdem coloris & stemmatis, tertia medio colore colorata, habens Crucis patibulum, & figuram hominis in ea suspensam, elevatis brachiis, & extensis, cum infixione clavorum in manibus & pedibus, & capite inclinato. Hæc media fuit inter alias duas, in quibus non erat effigies humani corporis. Alia vice, & alio loco in Villa Frisiæ Sutherusæ tempore prædicationis Crucis apparuit juxta Solem Crux cœrulei coloris. Hanc viderunt plures, quàm priorem. Tertia fuit apparitio in Diœcesi Trajectensi in Villa Doctum, in qua Beatus Bonifacius fuit coronatus martyrio; ubi in die Martyris ejusdem quum multa millia convenissent ad indictam stationem, apparuit Crux alba, & magna, ac si trabs ex adverso trabis artificialiter composita fuisset. Hoc signum movebatur paulatim ab Aquilone ad Meridiem. Creditum est, duas apparitiones fuisse demonstratas, ut omnis ambiguitas primæ visionis tolleretur.

CAP. CXC.

De profectione Christianorum apud Damiatam.

ANno Gratiæ MCCXVIII. mense Martio applicare cœperunt apud Portum Acon Cogones de Provincia Coloniensi, cum aliis paucis de Bremensi, & Treverensi Provinciis. Tunc firmatum fuit consilium in Concilio Lateranensi cum Papa Innocentio hujus nominis III. habito Romæ de introducenda militia Christiana in Terram Ægypti. Mense igitur Majo, post Ascensionem Domini, præparatis Cogonibus, & armatis galèis, & aliis navibus oneratis, profecti sunt de Acon Johannes Rex Hierusalem, Patriarcha cum Episcopis Nicosiensi, Bethleemitano, Aconitano, Duce Austriæ, Tribus Domibus, & copiosa multitudo Christianorum. Indicta fuit collectio navigantium apud Castrum Filii Dei, quod dicitur Peregrinorum; sed flante Borea, Duce Christo Rege, & Magistris Domorum ad indictum locum venientibus, Populus Domini prosperis velis processit, tertio die perveniens ad Portum Damiatæ. Præfati autem Duces, qui modicum fecerunt in prænominato Castro, subsequi non poterant exercitum usque ad sextam diem ab exitu de Portu Acon. Multi etiam qui præparati non erant & moram aliquantulam apud Acon post primos navigantes fecerunt, aut omnino remanserunt, aut vi ventorum repulsi sunt in Acon, aut per tres vel quatuor hebdomadas jactati per mare moram fecerunt. Archiepiscopus Remensis, & Episcopus Lemovicensis graves annis manserunt in Acon. Lemovicensis mortuus est ibi. Remensis verò reversus in passagio Sanctæ Crucis obiit in via. Applicantes autem ad Portum Damiatæ elegerunt sibi Capitaneum Comitem de Sareponte, & hostilem terram ceperunt, antequam Rex, & prænominati Duces subsequerentur tertiâ Feriâ sinè sanguinis impensa. Quum enim pauci Saraceni equites occurrerent ad Portum, Friso quidam fixo in terram dextro genu, & sinistra manu circumferens ancile, dextra spiculum vibrabat ferreum. Intuitus enim eum Saracenus, & existimans eum ludere, subito eques cum equo percussus à Frisone corruit ad terram, fugientibus aliis. Absque omni impedimento castrametati sunt inter litus maris & ripam fluminis Nili Christiani cum admiratione magna subsequentium, quando tentoria fixa viderunt. Hoc etiam mirabile Dominus fecit, quòd in primo adventu aqua fluminis conjuncta mari dulcis hauriebatur, quæ postmodum multis vicibus salsa fuit usque ad Casale, quod distat à Damiata sursum per milliare. Modico post tempore facta fuit Eclypsis Lunæ generalis ferè, quæ licèt naturaliter in plenilunio plurimùm proveniat, ea tamen interpretata fuit contra Saracenos, quasi portendens ipsorum defectum, qui sibi Lunam attribuunt, in incremento vel decremento Lunæ vim magnam ponentes. *Legitur tamen in Quinto Curtio, quòd quum Alexander Macedo totius malleus Orbis contra Darium & Portum de Græcia profectus esset in Asiam, & acies hinc inde substitissent ordinatæ, facta est Eclypsis Lunæ, quam Alexander pro Græcis contra Persas & Medos interpretatus, suos animavit, & pugnans contra Darium vicit ipsum.*

CAP. CXCI.

De præparatione instrumentorum ad expugnandam Turrim in Nilo positam.

TUrris in medio Nili fluminis sita capienda fuit ante transitum ipsius exercitus. Frisones tamen impatientes moræ, transeuntes Nilum, jumenta Saracenorum tulerunt; & cupientes in ulteriori ripa castrametari, stabant pugnantes contra Saracenos, qui obviam ipsis de civitate processerunt. Revocati sunt autem per obedientiam, quia non videbatur Principibus Christianorum, quòd Turris Paganis repleta post tergum relinqueretur Christianorum. Interim Dux Austriæ, & Hospitale Sancti Johannis duas scalas præparaverunt super duos Cogones. Theutonici & Frisones tertiam navim propugnaculis munierunt, castello in summitate mali composito absque scalæ suspensione. Caput eorum Dux & Judex fuit Comes Adolphus, vir nobilis & potens, frater Coloniensis Archiepiscopi, qui ante turrim captam mortuus erat. Ante Damiatam scalæ Ducis & Hospitalis contra turrim directæ sunt mense Junii. Saraceni turrim defenderunt viriliter. Hospitalariorum scala confracta cum malo cecidit, bellatores suos præcipitans. Secundò scala Ducis simili modo confracta eâdem ferè horâ, milites strenuos & armatos, corpore deciduos, sed animas levavit

vavit ad cœlum, glorioso martyrio coronatos. Ægyptii lætati vehementer, subsannantes levaverunt voces, tympanizantes, buccinisque perstrepentes. Mœror & tristitia Christianos invasit. Navis autem Theutonicorum & Frisonum inter turrim & Civitatem anchoris hærebat fixa, damna plurima per balistarios, qui intus locati fuerant, inferens Ægyptiis, præsertim illis, qui stabant in Ponte inter Civitatem & Turrim porrecto. Ipsa verò navis à bellatoribus Civitatis, Turris etiam, & Pontis, jaculis igne Græco impetebatur vehementiùs. Tamdem igne correpta fuit, & quum timerent Christiani ne consumeretur omnino, defensores illius ignem extinxerunt viriliter; & sic sagittis tam intus quàm foris, quàm in castellulo in superiori parte mali collocato; præterea fumo perforatione repleta, cum magno Christianitatis honore reducta fuit ad locum suæ stationis, quæ non modica damna confertissimis hostibus dedit, & sustinuit. Navis etiam una Templariorum propugnaculis munita, quæ hujus assultus tempore juxta turrim hærebat, læsiones adversariis intulit, & recepit. Porrò Christiani considerantes turrim capi non posse petrariarum vel trabucorum ictibus (hoc enim multis diebus fuit attentatum) nec applicatione castri propter fluminis profunditatem, neque fame propter Civitatis vicinitatem, nec suffossione propter circumfluentis aquæ nimiam importunitatem, Domino demonstrante, & architectum providente, sumtibus Theutonicorum, & Frisonum, eorumdemque labore duos Cogones conjunxerunt trabibus ac funibus fortissimè cohærentes, & socia compaginatione vacillandi periculum prohibentes, quatuor malos, & totidem antennas erexerunt in eis; & in summitate castellulum firmum asseribus & opere reticulato contextum collocantes, contra machinarum importunitatem coriis vestiverunt illud per circuitum & super tectum contra ignem Græcum. Sub castellulo fabricata fuit scala fortissimis funibus suspensa, & triginta cubitis ultra protensa.

CAP. CXCII.

De expugnatione ipsius Turris.

OPere brevi tempore feliciter consummato, invitati sunt ad illud videndum majores de exercitu, ut si aliquid deesset, quod cum sumtibus aut humano ingenio suppleri deberet, perficeretur. Et accepto responso, quòd tale opus ligneum numquam ante super aquam compositum fuisset, properandum esse consideraverunt, quia crebris machinarum ictibus Pons pro magna parte destructus fuit, qui de Civitate ducebat ad turrim hostes Fidei. Quintâ igitur Feriâ ante Festum Sancti Bartholomæi nudis pedibus cum devotione magna ad Sanctam Crucem processio facta est, ubi implorato humiliter auxilio divino, ut res omni careret invidia & vana jactantia, de qualibet gente, quæ tunc erat in castris, aliqui ad hujus negotii exequutionem invitati sunt, licèt gens Theutonicorum, & Frisonum sufficeret ad naves implendas atque regendas. Sextâ autem Feriâ in Festo Sancti Bartholomæi, quum Nilus excrevisset vehementer, & aquarum impetus plurimùm negotium impediret, cum multa tamen difficultate & periculo instrumentum hoc contra torrentem à loco, in quo fabricatum fuerat, trahebatur ad turrim. Navis minor hujus machinæ socia processit velificando. Clerici nudis pedibus per litus ambulabant, supplicantes. Quum ad Turrim ventum fuisset, duplex illa compositio ad latus occidentale non poterat converti, sed ascendendo directè ad plagam Aquilonarem applicabatur. Funibus & anchoris tamdem fixa, licèt vis aquarum inundantium illam repellere moliretur. Machinæ sex vel plures aptatæ fuerunt supra Turres civitatis & collocatæ ad opus illud concutiendum. Sed una perniciosior aliis post paucos ictus confracta quievit; aliæ verò sine intermissione grandinis instar lapides emiserunt. Nec minori periculo prior navis ad pedem turris collocata substitit. Ignis Græcus cominus de turri fluminis, & eminus de Civitate fluminis instar veniens, pavorem incutere potuit, sed per liquorem acetosum, & sabulum, ac extinctoria subventum fuit laborantibus. Jacuit Patriarcha ante Lignum Sanctæ Crucis prostratus, in pulvere stans; Clerus nudis plantis indutus lineis stolis clamavit in cœlum. Defensores turris extensis lanceis anteriorem partem scalæ subtus unxerunt oleo, deinde ignem apposuerunt, qui erupit in flammas. Denique Christiani, qui in ea fuerunt, quum currerent ad ignis suffocationem, suo pondere caput scalæ depresserunt in tantum, ut pons tornatilis fronti appositus inclinaretur. Signifer Ducis Austriæ de scala corruit. Saraceni vexillum Ducis tulerunt. Babylonii se vicisse putantes, vociferati sunt, aërem clamore vexando. Christiani de equis descendentes, ad supplicationes se prostraverunt, complosis manibus, rigatis vultibus lacrymarum ubertate, dolorem, quem pro illis habuerunt, quod discrimen substinuerunt in fluminis profundo, in totius Christianitatis dispendium, humiliter ac unanimiter protestati. Ad hanc Populi devotionem, & elevationem manuum in cœlum, levavit scalam virtus Divina. Extinxerunt ignem lacrymæ Fidelium, & sic resumtis viribus cum defensoribus Turris, gladiis, larissis, clavis, & aliis instrumentis viriliter pugnaverunt. Miles quidam juvenis Leodiensis Diœcesis primus Turrim ascendit. Friso juvenculus tenens flagellum, quo granum excuti solet, sed ad pugnandum connexione catenarum præparatum, ad dextram & ad sinistram fortissimè percussit, & quemdam ferentem signum croceum Soldani stravit, vexillum abstulit. Alii post alios successerunt. Superatis hostibus, quos resistentes duros senserant & crudeles (ò ineffabilis Dei pietas, ò inexplicabilis Christianorum hilaritas!) post planctum & luctum, post fletum & gemitum viderunt gaudium & triumphum, *Te Deum laudamus: Benedictus Dominus Deus Israël:* & alia Cantica gratiarum altis, & præ gaudio cum lacrymis repetitis laudibus decantantes.

CAP. CXCIII.

De eorum deditione, qui in Turri erant, & de adventu Prælatorum, & Baronum alio passagio.

INterim Saraceni, qui in interioribus turris se receperant, igne supposito, superficiem tur-

turris combusserunt. Victores Christiani calorem sustinere non valentes, regressi sunt super scalam. Pons verò, qui in inferiori parte operis præparatus erat, demissus est ad pedem turris, aquis profundis & undique circumfluentibus angustum: malleis ferreis januam aggressi sunt victores, defendentibus eam Saracenis, qui erant intrinsecus. Stabat utrumque opus immobile. Asseres & scalæ per partes discussi sunt, & ambitus instrumenti fortissimis lignis quercinis compositus in multis locis perforatus machinarum ictibus, ab hora nona Feriæ VI. usque ad horam decimam sequentis Sabbati, nihilominus turrim impugnabat. Castellum autem reticulatum, quod scalam protegebat, integrum permansit; in quo stabant balistarii, & super illud lapidum jactatores. Tandem in turri inclusi colloquium petebant, & se se sub pactione vitæ Duci Austriæ dediderunt, præter illos, qui nocte præcedente præcipites per fenestras evaserunt turris angustiam, quorum plures in flumine submersi sunt, & interfecti. Captivi verò numerati sunt ad centum viros. Ab illo die quum confusi essent Babylonii & territi, & ut putabatur, ad fugam parati, Principes Peregrinorum ad desidiam, & inertiam devoluti sunt. Nec imitati sunt Judam Machabæum, qui videns quòd tempus juvabat ipsum, hostibus non dabat requiem. Cogones se parabant ad recessum. Frisonum & Theutonicorum abiit multitudo maxima in passagio Sanctæ Crucis instanti. Ad illud passagium venerunt Romani cum Albanensi Episcopo, Pelagio Portugallensi, Apostolicæ Sedis Legato, ac Principe Romanorum. Deinde Magister Robertus de Corson Anglicus titulo Sancti Stephani in Cœlio Monte Presbyter Cardinalis. Deinde Burdegalensis Episcopus, qui utilem moram fecit apud Damiatam. Parisiensis, Grundensis, Andegavensis, & de Hungaria Episcopi, qui omnes mortui sunt ante transitum fluminis in sabulo Damiatæ, duobus Episcopis exceptis. Vênit etiam Comes Nivernensis, qui in imminente periculo cum scandalo Christianorum recessit. Comes de Marchia, & Comes Barensis, & filius ejus, Frater quoque Willelmus de Carnoto Magister Militiæ Templi, Henricus de Virsone, Itterius de Rocce, Oliverius filius Regis Anglorum, & multi alii Equestris Ordinis, & Plebeji apud Damiatam diem clauserunt extremum. Multi quoque pro Christo Martyres, plures in Christo Confessores rebus humanis exemti ad Dominum migraverunt. Saphadinus etiam capta, ut dictum est, Turri, inveteratus dierum malorum, exhæredator fratruelium suorum, & usurpator Regnorum Asiæ, dolore, sicut asseritur, tractus nimio, mortuus est, & in inferno sepultus.

CAP. CXCIV.

De his, quæ perpessi sunt Christiani ante transitum fluminis Nili.

POstmodum in festo Sancti Dionysii Saraceni cum galêis armatis improvisi venientes, & principia castrorum, ubi Romani tentoria fixerant, invadentes, modica manu Christianorum repulsi sunt, ubi Regis Johannis virtus enituit, exhortante Bethleemitano Episcopo, & ad prœlium præcedente. Hi

A viriliter hostibus occurrentes refugos truncaverunt. Illis autem, qui persequentium gladios evadere potuerunt, fluminis vorago non pepercit: Nam ex impetu fugientium mutuis impedimentis quum regrederentur, vivi absorpti sunt ferè mille quingenti. Sanè die alia summo diluculo castra Templariorum invaserunt hostes, & modicum damnum inferentes, per expeditos equites fugati sunt ad Pontem, quem procul à Christianis in superiori parte fluminis construxerant, & ibi interemti sunt ad numerum quingentorum, sicut transfugæ retulerunt. Post hæc in Vigilia Sancti Andreæ media nocte intumuerunt fluctus maris crescentes, & excursum terribilem facientes usque ad castra Fidelium. Ab illa

B parte fluvius inundans Christianos occupavit incautos. Natabant tentoria, perierunt cibaria, pisces fluviales & marini quasi nihil timentes cubiculis se ingerebant, quos etiam Christiani manibus capiebant. Et nisi consilio Spiritus Sancti ante provisum esset, in fossato, quod tamen in alios usus factum fuerat, mare conjunctum flumini, homines cum jumentis, naves cum armis & victualibus detraxisset ad hostes. Nec tamen hoc periculum evaserunt quatuor Cogones, super quos ædificabantur propugnacula ad capiendam Civitatem qui uno impetu cum quinta navi, quæ intus hærebat, ad oppositam ripam vi

C ventorum præcipitati, ante oculos Christianorum sunt igne Græco combusti. Pepercit Dominus operibus Frisonum, & Theutonicorum, quibus Turris capta fuerat. Naves oneratæ, quæ in Portu maris stabant, ruptis repentè funibus perierunt. Duravit hæc tempestas per triduum continuum. Invasit præterea quædam pestis multos de exercitu, contra quam Physici nullum ex arte sua remedium poterant invenire. Dolor repentinus pedes occupavit, & crura, & convictum caro corrupta & dentes obduxit, masticandi potentiam auferens. Tibias horribilis nigredo fuscavit; & sic longo tractu doloris afflicti cum patientia multa migrarunt ad Dominum plu-

D rimi. Quidam usque ad tempus vernale durantes, beneficio caloris evaserunt, liberati non sinè grandi lætitia Christiani exercitus. Post dictam tempestatem naves parabantur ad transitum fluminis, quæ cum magno periculo sursum ascendentes inter Civitatem & Turrim captam, machinis & igne Græco cum jaculis plurimùm sunt impeditæ. Unde accidit, ut una navis Templariorum vi torrentis rapta prope ripam Civitatis præcipitaretur ad hostes, qui cum barbottis & uncis ferreis ipsam impugnaverunt diutiùs, ignem Græcum cum lapidibus desuper de turribus projicientes; & quum sic præcipites in eam descenderunt ad Templarios, ubi quum diutiùs pugna-

E rent, tamdem navis perforata, (sive ab hostibus, sive à Christianis incertum habetur) profundum petiit, submergens Ægyptios cum Christianis, adeò ut vix mali summitas appareret super aquam. Cives autem Damiatæ cruentam victoriam suam ferè septem diebus planxerunt; exinde Pontem reparantes, aperturam in tantum reliquerunt angustam, ut naves Christianorum sinè periculo ascendere non valerent. Theutonici verò & Frisones zelo justæ indignationis accincti, cum minori navi, cujus ministerio Turris capta fuerat, quam Gallici Sanctam Martyrem appellabant, Pontem

tem viriliter invaserunt, auxilium non habentes nisi de cœlo. Pauciores autem viri quàm decem de gente prædicta contra omnem fortitudinem Babyloniorum Pontem ascendentes, spectante multitudine Christianorum, & hanc audaciam plurimùm extollente, fregerunt eumdem, & sic cum quatuor navibus, super quas erat Pons fundatus, reversi sunt cum triumpho, liberam viam & apertam sursum velificantibus relinquentes.

CAP. CXCV.

Qualiter Christianorum exercitus Nylum transivit ut Damiatam obsideret.

His ita gestis Saraceni periculum, quod eis imminebat, attendentes, ripam Christianis oppositam fossatis, & argillosam natura cum propugnaculis ligneis altis munierunt, machinas & petrarias collocantes ibidem, Christianis spem auferentes per locum illum transeundi. A Casali verò, quod per milliare distat à Civitate, ubi hæc nova munitio terminabatur, per transversum fluminis immersionem fecerunt cum palis infixis gurgiti. Nihilominus Apostolicæ Sedis Legatus desiderium bonum habens obsidendi Civitatem, naves superiùs congregatas urgebat ad transitum, unde Cogones propugnaculis & castellulis, viris etiam armatis muniti, cum galêis, & aliis navibus sequentibus, Christo Duce, præscriptas immersiones evaserunt. Hostes autem dissimulato metu tres ordines armatorum stationi navium Christianorum contra posuerunt, unam peditum super ripam cum clypeis, quos targias appellant, lineariter ordinatam: secundam post dorsum illorum, similem priori: tertiam equitum longam & terribilem; ictibus lapidum & telorum plurimùm vexantes stationem Christianorum. Sanè nocte solemnitatis Sanctæ Agathæ Virginis & Martyris, Anno scilicet Gratiæ MCCXIX. quum coadunatus esset Populus Fidelium, qui sequenti die transiturus erat, pluviæ & venti multum descriminis & difficultatis addiderunt Christianis. Sed fidelis Deus, qui non patitur suos tentari supra id quod possunt, respiciens ad castra servorum suorum, quod secundùm causas inferiores difficile fuerat vel impossibile, convertit in facilitatem & gaudium, suæ virtutis innovans miracula. Post mediam siquidem noctem tantum pavorem Conradino filio Saphadini Soldano Babylonis & Satrapis ejus incussit, ut relictis castris, ignorantibus etiam Ægyptiis, quos ad resistendum ordinaverat, in sola fuga spem poneret. Quidam Apostata, Simon nomine, qui multo tempore Christianorum legem transgressus cum Soldano militaverat, stans in ripa Gallicè clamabat: *Quare moramini? quid trepidatis, quid hæsitatis? Soldanus abiit*. Et hoc dicto se in navicula Christianorum recipi postulavit, ut in potestate ipsorum positus fidem dictis faceret. Summo igitur diluculo, quum inchoatum esset Missæ diei festum officium per Oratoria Christianorum: *Gaudeamus omnes in Domino*, nuntiata sunt hæc Legato, & Regi, & aliis. De discessu Soldani & suorum talem causam assignat Bernardus Thesaurarius, quòd inter Soldanum, & Admiratum quædam fuit orta discordia. Volebat enim Soldanus eum ad custodiam Damiatæ præficere; ille verò recusabat dicens, quòd quum Saladinus patruus ipsius patrem ipsius Admirati ad Acon custodiam præposuisset, passus illum fuerat à Christianis captivari. Sicque Admiratus clam de nocte discessit cum suis, timens à Soldano violentiam pati. Saracenorum verò excubiæ quum audissent equorum strepitum, suspicati proditionem, se in fugam converterunt. Mane facto Christiani, quum neminem in opposita fluminis ripa conspexissent, transierunt. Soldanus verò quum cognovisset Admirati discessum, timens cum Christianis congredi, statim castris relictis discessit. Itaque fugientibus Ægyptiis Christiani certatim & alacriter absque omni impedimento hostium & sanguinis impensa transierunt. Sed adeò limosa & profundioribus aquis difficilis fuit ad applicandum terra hostilis, ut vix sinè sessoribus & sellis ejecti possent ascendere. Templarii præduces in ascensu equorum erectis signis propero cursu ad civitatem festinaverunt, sternentes perfidos, qui audacter de Portis egressi venientibus occurrerunt. Exercitus Christianorum tentoria, & manubias fugientium diripuit; targias plurimas, & omnes galêas cum barbottis & aliis navibus, quæ inter Casale usque ad civitatem inveniebantur, cum aliis spoliis victores occupaverunt. Multi bellatores, relictis uxoribus ac parvulis, territi propter inopinatum transitum de Damiata fugerunt. Et sic per gyrum ac firmiter obsessa est civitas, exercitu continuato per Pontis compositionem, utramque ripam fluminis contingente. Simon ille leprosus, de quo mentio facta est, postmodum deprehensus in proditione Christianitatis, tractus est per caudam equinam ad patibulum, & suspensus cum quodam Æthiope, quem ministrum iniquitatis habebat.

CAP. CXCVI.

De inertia quorumdam Christianorum.

Per desidiam autem & inertiam eorum, quorum nomina scit Deus, factum est, ut hostes resumtis viribus & animis, advenientе etiam Conradino cum Alepinis in magna multitudine locum illum occuparent, à quo Christiani transitum miraculosum fecerant; & sic Christianos obsidentes civitatem ipsi periculosiùs obsederunt, & nisi per divinum consilium prima castra, quæ erant inter mare & fluvium, retenta fuissent, maximè per Theutonicos & Frisones, Portus à Christianis ablatus fuisset, & negotium plurimùm periclitatum vacillasset. Ut autem miraculum transitus magis clarescеret, ac soli Christo firmiter adscribatur, ad tantam Saraceni temeritatem pervenerunt, ut diluculo Sabbati ante Dominicam, *Oculi mei semper ad Dominum*, Christianis tale periculum non prævidentibus, cum multitudine gravi propiùs accederent, & usque se præcipitarent; sed divino auxilio cum damno equitum & peditum repulsi sunt. Eodem Anno regina civitatum Hierosolyma, quæ videbatur inexpugnabiliter munita, destructa est à Conradino filio Saphadini foris & intus. Muri cum Turribus redacti sunt in acervos lapidum, præter Templum ac Turrim David. De Sepulcro glorioso destruendo consilium habuerunt Saraceni, & per literas commi-

minati sunt, quas civibus Damiatæ transmiserunt ad ipsorum solatium. Sed huic temeritati nemo præsumsit manum apponere propter loci reverentiam. Sicut enim in Alcorano Libro Legis eorum scriptum habent, Jesum Christum Dominum nostrum credunt de Maria Virgine conceptum & natum, quem sine peccato vixisse Prophetam, & plusquam Prophetam protestantur, cœcos illuminasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse firmiter asserunt. Verbum, & Spiritum Dei vivum ad Cœlos ascendisse non discredunt. Unde ante tempora treugarum Sapientes ipsorum Hierosolymam ascendebant, Codices Evangeliorum sibi postulabant exhiberi, & osculabantur, & venerabantur propter munditiam Legis, quam Christus docuit, & maximè propter Evangelium; *Missus est* &c. quod Literati inter eos sæpiùs repetunt & tractant. Divinam naturam in Christo, & Passionem ejus negant. Trinitatem in personis non distinguunt. Unde veriùs hæretici, quàm Saraceni nominarentur, nisi prævaluisset appellatio. Die autem Palmarum anni præscripti inimici multa comminatione præmissa, quòd se ipsos vel Christianos omnes una die perderent, collecto terribili exercitu equitum & peditum, irruerunt super Christianos, undique fossatum eorum invadentes, & maximè Pontem Templariorum, & Ducis Austriæ, quem ipse cum Theutonicis defendere studuit. Hostes autem electis militibus suis de equis descendentes, cum Christianis atrociter pugnaverunt. Ceciderunt hinc inde vulnerati & mortui multi. Tamdem prævaluerunt qui pontem ascendentes, partem ejus combusserunt. Dux Austriæ præcepit suis, ut Ponte relicto aditum darent instantibus & introitum. Sed intrare non præsumserunt propter Christianorum militiam, quæ acies suas ordinaverat in subsidium munitiones defendentium. Mulieres aquam, & lapides, vinum, & panes bellatoribus Christianis intrepidè ministrabant. Orationi Sacerdotes insistebant, vulnera fauciatorum ligantes & benedicentes. Eodem die non est datum Christianis spatium alias Palmas, quam balistas & arcus cum sagittis, lanceas, & gladios cum clypeis deferre: adeò instabant, & vexabant atrociter qui venerant ad perdendum Christianos studio liberandæ civitatis ab ortu Solis usque ad horam ferè decimam. Tamdem defatigati retraxerunt se cum damno maximo. Instabat jam passagium vernale. Recessurus erat Dux Austriæ, qui per annum & dimidium Christo fideliter militaverat, plenus devotione, humilitate, obedientia, largitate. Qui præter alios sumtus innumerabiles, quos in negotiis bellicis ac privatis eleemosynis fecerat, Domui Theutonicorum sex millia marcharum argenti vel ampliùs ad comparandum præsidium creditur contulisse. Kalendis itaque Maji multitudo Peregrinorum cœpit recedere, reliquis in summo periculo relictis. Sed defensor sperantium in se, cui facile est in paucis, sicut in multis vincere, non permisit incredulos simul, & Christianos irruere, donec novi recentesque Peregrini cum copioso succursu supervenirent, copiâ victualium & equorum nutu divino transmissâ, collectionem Fidelium lætificavit. Advenerunt Mantuanus, & Salpensis Episcopi, & alii multi Cruce-signati.

CAP. CXCVII.

De bello inter Saracenos & Christianos.

INstaurato igitur Fidelium numero, in festo Ascensionis Domini more suo per terram & aquam irruerunt perfidi, & multoties sic attentantes, prævalere non valuerunt. Particulariter etiam prope castra Christianos provocabant, damnificantes, & damnificati ferè quotidie. Pridie verò Kalend. Augusti omnem, quam habere poterant, adducentes copiam, post diutinos assultus contra militiam Templi transeuntes, & vallum violenter irrumpentes, Christianorum pedites verterunt in fugam, adeò ut totus exercitus Christianorum jam periclitaretur. Rex, & Milites de Francia seculares, & equites ter conati sunt ipsos repellere longiùs extra fossatum, sed non potuerunt. Saraceni siquidem intra mœnia Christianorum, fractis munitionibus ligneis, equitum ac peditum acies ordinaverunt. Clamor ortus est insultantium. Omnis multitudo eorum præparavit sequelam. Timiditas aucta est Christianis. Sed spiritus, qui induit Gedeonem, animavit Templarios. Magister Templi cum Marescallo, cæterisque Fratribus, qui tunc aderant, per exitum angustum impetu facto viriliter in fugam convertit incredulos. Domus Theutonicorum, & Comites, aliique milites de diversis nationibus, videntes Templi militiam in periculo constitutam, festinanter per exitus sibi oppositos tulerunt auxilium. Sic pedites Saracenorum abjectis clypeis interficiebantur præter eos, quos fuga præcipites percussoribus abstulit. Post equites Christianorum egressi sunt pedites quidam. Post modicum spatium retraxerunt se hostes. Acies hinc inde substiterunt armatæ, è regione se se respicientes, donec crepusculum vespertinum intervênit. Saraceni priores abierunt. Occisorum corpora perfidorum strata jacebant, juxta fossatum plurima præter eos, qui fauciati graviter vel leviter reducti sunt ad castra. Sic salvavit Dominus in die illa sperantes in se per virtutem Templariorum & eorum, qui in primis cooperati discrimini se commiserunt. Pauci de Christianis interfecti sunt & capti. Instrumenta contra Civitatem parata combusta sunt à defensoribus ejus ferè omnia præter scalas. Januenses, Pisani, Veneti firmiter asserebant, se Civitatem expugnaturos per quatuor naves, super quas scalæ pendebant. Sed ipsi non fuerunt de genere virorum illorum, per quos facta est salus in Israël. Volebant enim sibi facere nomen, cum tubis, & zalamillis, & vexillis multis progressi. Rex & alii funes & anchoras, pro ut requirebant, exhibuerunt abundanter. Aggredientes itaque Civitatem, primo die multos occiderunt & vulnerarunt. Quanto sæpiùs postmodum assultum fecerunt, tanto magis muri firmati sunt ligneis castellulis ac liciis. Defensores etiam robustiùs & efficaciùs se venientibus opposuerunt; & sic scalæ mutilatæ per ignem ac pluries reparatæ. Tamdem infecto negotio reductæ sunt ad ripam, & tunc deprehensum est veraciter ac intellectum, sola virtute divina Damiatam in manus Christianorum fore tradendam.

CAP.

CAP. CXCVIII.

De Christianorum strage in obsidione prædicta ex eorum desidia.

CHristiani verò insensati & immemores beneficiorum Dei, ac mirabilium quæ fecit, provocarunt oculos Divinæ Majestatis contra eos per desidiam majorum, & murmurationes minorum. Pedites equitibus improperabant ignaviam: Equites pericula peditum, quando contra Saracenos egrediebantur, dissimulabant. Unde factum est, ut communibus exigentibus culpis, in Decollatione Sancti Johannis Baptistæ, licèt vix invenirentur qui in custodia castrorum remanerent, navalem & terrestrem exercitum educentes, ad castra Babyloniorum tenderent Christiani inter mare & fluvium, ubi dulcis aqua reperiri non poterat ad bibendum. Ipsi verò sublatis tentoriis simulabant fugam. Et quum processum fuisset à Christianis adeò, quòd appareret adversarios directa fronte velle confligere, Capitanei Christianorum longum inierunt consilium, utrum procederent, an redirent. Discors inter eos sententia fuit. Interim solutæ sunt acies præter ordinem illorum, quos in disciplina militari ligavit obedientia. Equites Cypri in dextro cornu constituti, Saracenis incursum facientibus à latere, timiditatem suam ostenderunt. Italici pedites primò fugierunt. Post eos equites de variis nationibus, & quidam Hospitalarii Sancti Johannis, Legato Romanæ Sedis, & Patriarcha, qui Crucem bajulabat, multum sed frustra supplicantibus, ut substiterent. Æstus Solis erat vehemens. Pedites armorum pondere premebantur. Calorem auxit labor viæ, & qui secum vinum detulerant, in angustia sitis illud bibebant purum propter defectum aquarum. His omnibus concurrentibus qui subsistentes se defenderunt, & post primitivos fugientes anhelo cursu terga dederunt, extincti sunt, sinè vulneribus corruentes. Rex verò cum Templariis, & Domo Theutonicorum, & Hospitalarii Sancti Johannis, & de Hollandia, de Woite, de Sarebruce, & Cestriæ Comitibus, Galtero Bertoldi, Francigenis, Pisanis, aliisque militibus impetum fugientium sustinuit. Rex igne Græco ferè combustus fuit. Hi omnes ferè pro muro fuerunt fugientibus; quoties facies suas ostendebant hostibus, illi fugerunt. Quando verò gradatim revertebantur, ictus & tela sustinuerunt inimicorum. Capti sunt in illa defensione Christianitatis Belluacensis electus, & frater ejus, Andreas de Nantolio, Camerarius Franciæ, Galterus, & filius ejus, frater Andegavensis Episcopi, cum Johanne de Arcis viro nobili & valde strenuo, Henricus de Ulmo, & alii multi, qui trucidati sunt, & in captivitatem ducti. Templarii XXXIII. capti vel occisi sunt cum Marescallo Hospitalis Sancti Johannis, & quibusdam aliis fratribus ejusdem Domus. Nec evasit sinè damno Domus Theutonicorum. Militia Templi, quæ prima solùm in congressu, ultima fuit in regressu, quum ad fossatum Christianorum rediret, substitit foris, ut interiores intra mœnia, quantum possibile fuit, reduceret. Persequutores ad captivos deducendos, & spolia colligenda tamdem redierunt. Sicut autem postea cognitum à Saracenis fuit, quingenta capita Christianorum Soldano præsentata sunt. Constitit autem Christianis, quòd in præcipua militia sua luctuosa sibi damna sustinuerunt increduli. Sanè miserator Dominus luctum Christianorum convertit in gaudium, & insuper quoque mœrorem in lætitiam. Nam Soldanus unum de captivis mittens, de pace vel treuga cum Christianis tractare cœpit, in quo tractatu fossatum suum Christiani aliasque munitiones repararunt alacriter. Interim nautæ Christianitatis proditores, & cum eis Peregrini plurimi, magis se ipsos amantes, quàm fratribus compatientes, ante tempus consueti passagii agonistas Christi in summo periculo reliquerunt. Elevatis velis, abjecto portu, Christianis mœstitiam, Babyloniis audaciam contulerunt, qui tractatum pacis intermittentes, in Vigilia Sanctorum Cosmæ & Damiani, & aliquibus diebus sequentibus cum gatêis & barbottis per flumen cum manganellis, targiis, fruticibusque pro implendo fossato, per terram feritate barbarica & impetu consueto Christianos impetierunt. Sed Christiani non trepidantes ad prœlium, sed viriliter resistentes, interfectos, sauciatos, & confusos ab insultu triduano recedere cœgerunt virtute divina.

CAP. CXCIX.

De miseria obsessorum in Damiata.

INterea quoque Civitas obsidione longa, ferro, & pestilentia graviter & ultra quàm scribi possit afflicta, in sola pace, quam Soldanus civibus promisit, spem posuit. Adeò in ea fames invaluit, ut cibi desiderabiles deessent. Panis corruptus abundavit in ea. Durabilis non est annona Ægypti propter molles glebas, in quibus crescit, nisi superiùs circa Babylonis partes artificiosè servetur in annos. Et sicut audivimus, coctanum unum quadraginta Bysantiis vendebatur in ea. Ex angustia famis diversa morborum genera vexabant eos, & inter cætera incommoda, quæ sustinuerunt, noctibus velut acrisia percussi, apertis oculis nihil videre dicebantur. Soldanus de die in diem vanis promissionibus ipsos à deditione dehortatus decepit miseros. Postremò Portas suas obstruxerunt intrinsecus, ne aliquis ad Christianos veniens de suis nuntiaret, quomodo dies afflictionis possederunt eos. Si qui verò per posticum, vel per murum per funes evadere potuerunt, inflati & famelici civium suorum angustiam probabant evidenter. Illi etiam, qui foris in exercitu Christianos obsederunt, copia panis & pabuli cœperunt decrescere. Nilus siquidem, qui post festum Sancti Johannis Baptistæ usque ad Exaltationem Sanctæ Crucis solebat excrescere, & Ægypti planiciem irrigare, hoc anno more suo non ascendit ad signum, quod ponere solent Ægyptii, sed magnam partem terræ siccam reliquit, quæ nec arari nec seminari poterat suo tempore. Unde Soldanus caristiam timens & famem, amore retinendæ Damiatæ talem pacem cum Conradino fratre suo Christianis obtulit, ut Crucem Sanctam, quæ olim capta fuit in victoria Saladini cum Civitate Sancta, & omnibus captivis, qui per Regnum Babylonis & Damasci vivi reperiri possent, sumtus etiam ad reparandos muros Hierusalem redderet præter Cacrum, & Montem Regalem,

pro

pro quibus retinendis obtulit tributum, quamdiu treuga duraret. Sunt autem hæc duo loca in Arabia sita, septem munitiones firmissimas habentia, per quæ Negotiatores Saracenorum & Peregrinorum ipsorum Mecham tendentes, vel ab ea reverentes, transire solent. Et qui hæc potenter tenuerit, Hierusalem, quum voluerit, graviter nimis cum agris & vineis lædere poterit. Hanc autem compositionem acceptandam & utilem esse Christianitati Hierosolymorum Rex Johannes, & Francigenæ, Comes Cestriæ, cum Capitaneis Theutonicorum censuerunt pertinaciter. Nec hoc mirandum fuit, quia longè minori pace, quàm priùs oblata fuerat, contenti fuissent, nisi sano B consilio eis esset obviatum. Legatus verò cum Patriarcha, & Archiepiscopis, & Episcopis, Templariis, & Hospitalariis, ac omnibus Italiæ Capitaneis, multisque aliis prudentibus viris efficaciter huic tractatui se opposuit, rationabiliter ostendens, ante omnia Damiatam fore capiendam. Opinio diversa peperit discordiam, quæ citò sedata fuit propter communem necessitatem.

CAP. CC.

De captione Damiatæ, & qualis fuit obsessorum status, & de situ ejusdem.

INterea Soldanus magnam multitudinem peditum clanculo per loca palustria misit ad C Civitatem, quorum penè CCXL. Christianis dormientibus Licias fuerunt ingressi Dominica nocte post Festum Omnium Sanctorum. Tamdem clamore vigilum occisi sunt, & capti, qui ad ducentos & plures connumerati sunt. Nonis autem Novembris Salvatore Mundi regnante, Anno videlicet ab ortu ipsius MCCXIX capta est Damiata absque deditione, sinè defensione, sinè violenta deprædatione & tumultu, ut soli Filio Dei victoria adscribatur, qui Populo suo ingressum in Ægyptum Christianis inspiravit, & ibidem vires ministravit. Et quum caperetur Civitas in oculis Regis Babylonis, more solito non fuit ausus Christi D milites ad defensionem paratos per fossatum eorum aggredi. Eodem etiam tempore flumen excrevit, uberrimè aquis fossatum implens. Ipse verò Soldanus confusus castra propria combussit & fugit. Deus ergo qui tertia die aquas sub firmamento in locum unum congregavit, ipse Agonistas suos per aquas maris, ad Portum Damiatæ perduxit mense Majo Feria III. mense Februario milites suos traduxit per Nilum Feria Tertia. Idem cepit Damiatam inter aquas sitam mense Novembri Feria Tertia. Tali Duce Christi milites Civitatem ipsam ingressi, occurrit fœtor intolerabilis, aspectu miserabilis; mortui vivos interfecerunt.

Additamentum in margine.

E *Scribit Bernardus Thesaurarius de modo intrandi: quòd quum excubiæ Christianorum solito more tumultuantes in nocte in Urbe viros audirent, manè scalis ad mœnia appositis, quum ferè neminem vidissent, descenderunt, & Portas aperuerunt, & sic Civitatem ingressi sunt Christiani.*

Vir & uxor, dominus & servus, pater & filius se mutuis fœtoribus interemerunt. Non solùm plateæ mortuis erant plenæ, sed in domibus, in cubiculis & lectis jacebant defuncti. Extincto viro mulier impotens surgere, & sublevantis carens solatio, putredinem non ferens exspiraverat. Filius juxta patrem, vel econtra; Ancilla juxta dominam, vel vice versa, languore deficiens jacebat extincta. Plurimi petierunt panem, nec erat, qui frangeret eis. Infantes ad ubera matrum pendentes inter amplexus morientium oscitabant. Delicati divites inter acervos tritici interierunt fame, deficientibus cibis, in quibus erant nutriti, Pepones, & allia, cepas, & altilia, pisces, & volatilia, fructus arborum, & olera frustra desiderantes. Multitudo vulgi contracta, vel oris molestia diutiùs fatigata deficiens aruit; octoginta ferè millia, sicut captivis referentibus cognitum est, à tempore quo perfecta est obsidio, perierunt in Civitate, exceptis iis, quos sanos, vel languidos Christiani invenerunt, quasi tria millia & ampliùs, quorum trecenti spectabiles utriusque sexus ad redemtionem captivorum Christianorum reservati sunt. Alii mortui sunt post victoriam, alii magno pretio venditi, alii baptizati Christo donati sunt. Aurum & argentum multum nimis, pannos sericos, negotiatores in abundantia, vestes pretiosas, & ornatum seculi cum varia suppelectile invenerunt victores. In commune quoque juratum est, ut asportata de Civitate spolia redderentur inter victores dividenda. Hoc etiam sub anathemate terribili fuit præceptum à Legato. Verumtamen concupiscentia oculorum plurimos fures fecit. Receptæ autem sunt ad utilitatem Reipublicæ pro majori parte Ægypti deliciæ in auro & argento, & pomis, perlis, ambræ filis aureis, & filacteriis variis, ut supra dictum est, & quæ enumerat Isaias, quæ omnia nemo dinumerare poterat. Sed ad ponderandum multum temporis impenderunt, & ea distributa sunt per exercitum Domini cum annona, quæ reperta colligebatur in Civitate. Legatus autem Damiatam cum appendiciis suis & pertinentiis Regno Hierosolymitano contulit in perpetuum. Mahumeria Damiatæ commutata fuit in Ecclesiam Beatæ Mariæ in quadrum posita. Tanta ferè latitudo ejus, quanta longitudo; columnis sustentabatur marmoreis centum quinquaginta minus una: septem porticus habens, & in medio aperturam longam & latam, in qua pyramis sursum ascenderat alta. Quatuor in ea principalia fundata sunt altaria. Titulatorium Beatæ Mariæ primum; Principis Apostolorum Petri secundum; Sanctæ Crucis tertium; Sancti Bartholomæi quartum, in cujus festo Turris Nili capta fuit. Inventi sunt in Damiata trabuculi quatuor cum petrariis, & manganellis, balistæ cum corio fortissimo, & omne genus armaturæ fortium; aurum & argentum cum perlis & aliis rebus mobilibus non solùm inter Clericos & milites, sed etiam inter satellites & mulieres & pueros dividebatur proportionaliter. Turres quoque distributæ sunt inter Regna, quorum bellatores convenerant ad ejus captiones, deducta primo loco sicut decuit & oportuit, una Turri, quæ Romanæ assignata fuit Ecclesiæ cum Porta ipsius, quæ olim dicta fuit Babylonis, & tunc appellata est Romana. Alia Archiepiscopo Damiatæ. Fuit autem antiquitus dicta Eliopoleos, sive Eliopolis, quæ interpretatur Solis Civitas. *Elios* enim Sol Græcè: *Polis* Civitas; ædificata à filiis Israël, in qua Petefres Sacerdos

dos fuit, cujus meminit Ezechiel. Hanc Solinus antiquum appellat oppidum Ciliciæ, patriamque fuisse dicit Chrysippi Stoicæ sapientiæ potentissimi; quod à Tigrane Armenio subactum, & diu solum Pompejopolim devictis Cilicibus Pompejus Magnus cognominavit. Ipsa autem civitas præter natalem situm loci, quo muniebatur, triplici erat muro cincta. Primum murum habet humilem ad custodiam fossati, secundum altiorem, tertium eminentiorem secundo. Murus medius viginti octo Turres habet lateritias principales, binas vel ternas testudines continentes: quæ omnes remanserunt integræ cum muris, præter unam, quæ crebris ictibus trabuculi Templariorum concussa fuit aliquantulum. Adeò enim exercitus Christianorum ad pigritiam resolutus fuit, ut milites otio dediti negligerent opus Dei. Vulgus ad tabernas & negotiationes fraudulentas se convertit. Igitur Civitas hæc clavis & antemurale erat totius Ægypti, inter Ramesse, & campum Thaneos, sita in terra, ut conjici potest, Gersen, quæ pascualis est, piscibus, avibus frumento, hortis, & pomœriis abundans. Quam petierunt filii Israël à Pharaone tempore famis.

CAP. CCI.

De Libro reperto antè captionem Damiatæ & morte Soldani Iconii.

ANte verò captionem hujus civitatis Damiatæ Liber Christianis apparuit, Arabicè scriptus, cujus Auctor se Judæum, vel Christianum, vel Saracenum fuisse negat in illo. Quisquis autem ille fuerit, prædixit mala, quæ Saladinus Populo Christiano crudeliter intulit in destructione Tiberiadis, in victoria, quam habuit de Christianis, quando Regem Hierusalem & Principes captivos duxit, Civitatem ipsam Sanctam possedit, Ascalonem destruxit, & quando conabatur Tyrum comprehendere, sed non profecit, & alia multa, quæ peccata temporis illius meruerunt. Prædixit & destructionem hortorum & Palmeti Damiatenæ Civitatis, quam factam Christiani viderunt, quando Librum hunc per Interpretes aspexerunt. Addidit etiam, Damiatam à Christianis fore capiendam. Saladini nomen non ponit, sed per nigros oculos & crocea vexilla ipsum designat. Insuper prædixit Regem Christianum Nubianorum Mecham Civitatem debere destruere, & ossa Mahometi Pseudoprophetæ dispersa projicere, & quædam alia, quæ nondum evenerunt; & si completa fuerint, ad exaltationem Christianitatis & depressionem Agarenorum evenient. Scimus, quosdam gentiles Ethnicos Spiritum Sanctum in ore habuisse & non in corde, & manifestè de Christo prophetasse. Unde non miramur, si per canales lapideos pertransit purior aqua. Computandum insuper fuit inter beneficia tutoris nostri Jesu Christi, quòd à Sicariis persecutorum primores exercitus Christianorum defendit. In hac obsidione Damiatæ usitatum siquidem habebant assassini, & eorum Præceptor Vetulus de Montanis, cultellos emittere contra Christianos ad intercipiendum vitam eorum, qui negotium Christianitatis propensiùs procurabant. Ejusdem obsidionis tempore Rex Armeniæ Levo defunctus est in senectute bona. Mortuus est etiam Soldanus Iconii, qui creditur baptizatus fuisse, & qui tantæ benignitatis erat in Christianos, ut guerram habens cum Saracenis, solvi juberet Christi cultores, quos vinculatos invênit in munitionibus, quas expugnavit, & in optione eorum posuit, utrum in patriam suam redire vellent, an acceptis ab eo solidis sub ipso militare potiùs eligerent. Idem Christianos in tantum familiares habebat, ut custodes sui corporis constitueret eosdem, licèt pater ipsius à Lascaro Græco fuisset interfectus. Manutenuit etiam Miralum filium Saladini exhæredatum contra filios Saphadini, quantum Caliphus permittebat de Baldach, Papa suæ gentis. Melchiseratus filius Saphadini multa damna Templariis intulit, quum essent in ipsa obsidione Damiatæ. Combussit enim oppidum Castri Albi, & Turres munitas destruxit, sed quum rediret in Terram suam, victus est à Saracenis. Eisdem temporibus Bojamundus Comes Tripolitanus Antiochiam ingressus, Rupinum consanguineum suum de Principatu Civitatis illius violenter ejecit, magìs eligens potiùs temporalem habere jucunditatem, quàm affligi cum Populo Dei. Unde Legatus excommunicationis & interdicti sententias in ipsum, & Tripolim, ac terras, in quibus deliquit, publicè promulgavit.

CAP. CCII.

Qualiter Christiani Civitatem Thanis obtinuerunt, & de situ ejus.

NOn minore præterea miraculo, immo majori, donavit Dominus Christianis Thanis mense Novembris in Festo Clementis, qui habet habitaculum in mari. Nam missi sunt exploratores numero quasi mille viri in naviculis per parvum fluvium, qui fluvius Thanis appellatur, ut de Casalibus sibi tollerent victualia, & statum prædicti loci diligenter explorarent. Saraceni, qui in præsidio erant Castri, putantes adventare exercitum totum, serratis intrinsecus Portis fugerunt. Christiani verò solum Christum Ducem ibidem habentes, rumpentes claustra & interiora repagula intraverunt Castrum. Testati sunt redeuntes, se numquam in plano fortius Castrum vidisse. Septem Turres habet firmissimas, testudinatas desuper; per girum duplici fossato & utroque murato cingitur, habens antemurale. Lacus se se diffundit in latum per circuitum in tantum, ut aditum equitibus hyeme sit impossibile, æstate difficile, adeò ut per exercitum Christianorum obsidione numquam captum fuisset. Lacus piscosus est valde, de cujus piscariis Soldano Babylonis solvebantur annuatim quatuor millia Marcharum argenti. Avibus insuper, & salinis abundat. Casalia multa per circuitum serviebant ei. Civitas ante Castrum diffunditur, major Damiata, olim famosa, nunc ruinosa. Olim Ægypti Metropolis, ubi Pharao fuit, & Moyses cuncta signa fecit. Quam construxisse dicunt Titanes, idest Gigantes, & inde dicta hæc est Thanis; cujus campi meminit Propheta David: *Coram patribus eorum fecit mirabilia in Terra Ægypti, & campo Thaneos.* Et Isaias: *stulti Principes Thaneos.* Hæc est Thanis, in qua lapidatus asseritur Hieremias. Destructa enim Hierosolyma à Babyloniis, & Go-

Godolia ab Ismaële interfecto; reliquiæ Populi contra consilium Hieremiæ profectæ sunt in Ægyptum, Hieremiam secum ducentes, qui mansit in Thanis. Et quum prophetasset ad Populum, lapidatus est ab eo, quem Ægyptii honorantes sepelierunt eum juxta tumulum Regum, memores beneficiorum, quæ præstiterat Ægypto. Oratione enim sua fugaverat bestias, quas Græci Cocodrillos vocant, de quibus multas invenientes Christiani in obsidione Damiatæ eas occiderunt. Est autem bestia crudelis, homines, & jumenta devorans, apertis oculis, solo visu, ova sua fovet. Exclusi pulli statim fugiunt parentem. Quos enim rapere potest in momento glutit & devorat. Alexander autem Macedo veniens ad sepulcrum Prophetæ, cognoscens loci mysterium, transtulit illum in Alexandriam, & sepelivit gloriosè. Distat Thanis à Damiata itinere diei unius per mare versùs terram Promissionis, ut facile sit de Acon, vel de Damiata, per mare, vel terram, vel fluvium, præsidium ibi ponere, vel victualia transmittere. Damna multa Christianis intulit in obsidione Damiatæ, quando naves ad Christianos accedentes vel recedentes vi ventorum delatæ sunt illuc. Nam ante Thanis litus maris arctuosum, & importuosum sinum facit amplum & latum, in quem naves devolutæ sinè vento multùm eis opportuno recedere non valent.

CAP. CCIII.

De quibusdam processibus Conradini Soldani Damasci.

Conradinus ex Ægypto reversus in Palæstinam, Cæsariense Castrum obsedit, quod erat in custodia Regis Johannis, ac brevi cepit illud, & destruxit, defensoribus ipsius negligenter agentibus, qui tamen ferè omnes evaserunt, quia liberum introitum & exitum habebant per mare. Deinde processit ad Castrum Filii Dei, quod dicitur Peregrinorum, cum toto suo exercitu, & considerans illud ab omni parte sagaciter, intellexit, quòd comprehensibile non erat. Insuper Templarios ad omne periculum paratos invênit, qui Castrum victualibus & omni armatura fortium sufficienter munierant. Eodem tempore Templarii latrunculos Saracenorum ab Acon repellerunt, viriliter occidendo quosdam, alios captivando. Conradinus autem auxilium postulabat à Saracenis, ut ab ortu Solis venientes Acon obsiderent, quod efficere non poterat, propter inexorabilem discordiam Principum Terræ ipsorum, Christianis plurimùm opportunam, quam Caliphus eorum Papa sedare laboravit. Post hæc Anno scilicet Incarnati Verbi MCCXX. Conradinus Princeps Damasci destruxit Saphet. Fuit autem Saphet Castrum Templariorum firmissimum, quod Saladinus flagellum Christianorum per longam obsidionem in tantum arctavit, ut defensores fame deficientes, requisitâ licentiâ Magistri Militiæ Templi, redderent illud Tyranno. Quæ igitur vox, quæ valeat lingua retexere Christianis multiplicata beneficia Salvatoris, quem bonitas inclyta & clementia naturaliter insita, extrinsecus etiam adveniens continuata supplicatio benignitatis oculo respicere castra Fidelium suavitate devotionis induxerunt!

CAP. CCIV.

De discessu Regis Johannis, & qualiter Damiata capta, & perdita est.

Factum est autem vertente Anno, quando solent Reges ad bella procedere, Johannes Rex Hierusalem castra Fidelium reliquit, multas causas prætendens ad excusationem sui; & festinatum reditum promittens, anteriorum oblitus ad posteriora se convertit, aperiente manu Domino, qui Portum Damiatæ replevit ubertate frumenti vini & olei ad vitam Peregrinorum, & equorum copiam numerosam, ut ad progrediendum in negotio nulla locum haberet excusatio. Supervenerunt in Sexto Passagio Mediolanensis Henricus de Setara, & Trecensis, Archiepiscopi; Faventinus, & Reginus Episcopi, & Nuntii Regis Friderici, deferentes literas cum aureis Bullis, & adventum ipsius etiam nuntiantes. Aderat enim Episcopus Brixiensis, & Italiæ militia copiosa. Legatus autem considerans non sinè magno gratiæ privilegio divino munere sufficienter fuisse provisum in omnibus, quæ requirebat negotii processus, angebatur dolore, quòd tempus inutiliter præteriit, & opportunitas tanta periit; unde convocatis Majoribus, ipse primo loco, deinde Mediolanensis Archiepiscopus, & alii similiter Episcopi persuadere studebant progressum contra Soldanum, qui castra sua posuerat supra Nilum, itinere unius diei à Damiata. Sed milites habita deliberatione huic exhortationi contradixerunt, hanc causam maximè prætendentes, quòd Rex Hierusalem aberat pro suo voluntatis arbitrio, nec alius Princeps militaris aderat, cui gens diversarum nationum obedire vellet, ad educendum Populum Domini, & sic concordabant ad otium, ex quo mala multiplicata sunt in castris. Mense Julio supervênit Comes Matthæus de Apulia cum octo galêis, quarum duas cursarias insidiantes Christianis in via marina. Deinde Damiata cum multis laboribus capta, & per annum vel ampliùs à Christianis possessa, postmodum Pelagio Cardinali & Legato, Templariis, & Hospitalariis toto exercitu Christianorum, excepto Rege Johanne, qui ob quamdam discordiam inter ipsum & Legatum motam ab exercitu recessit, à Soldano per infortunium captis & afflictis graviter, pro redemtione eorum, & omnium Christianorum captivorum, qui erant sub potestate Soldani, reddita est Paganis. *Hæc ex Historia Damiatæ sumta sunt. Sed de discessu Regis Johannis, & qualiter Christiani Damiatam Soldano reddiderunt, & nonnulla, quæ sequuta sunt postmodum, sic scribit Bernardus Thesaurarius.*

CAP. CCV.

Qualiter idem Rex excommunicatus à Legato Papæ uxorem occidit.

Captâ à Christianis miraculosè, ut dictum est, Damiatâ, & contributa singulis portione debita Civitatis & prædæ, contigit faciente hominis inimico, ut inter Legatum Pelagium Portugallensem Cardinalem, & Regem Hierosolymorum Johannem contentio oriretur. Et quum tamdem Legatus Regi adhæ-

adhærentes excommunicasset, Rex, ex hoc vehementer turbatus est. Interim verò Nuntii ad Regem Johannem venerunt, significantes socerum suum Armeniæ Regem viam universæ carnis ingressum. Rex igitur causam discessus sub hujusmodi titulo libenter amplexus, ob ortam videlicet inter eum & Legatum discordiam, non sinè multorum displicentia in Armeniam profectus est. Sed quum Regni Primores dicerent, se illum non recognoscituros in Dominum, nisi demum quondam Regis Domini eorum filiam suamque conjugem cum eo viderent, reversus est Acon, ubi commorabatur Regina, ut eam secum in Armeniam duceret, Regni jura percepturus. Porrò secus evênit. Suggestum siquidem illi fuit, Reginam ipsam necem Regis filiæ, quam ex alia uxore quondam Marchionis Conradi relicta genuerat, procurasse veneno. Propter quod Rex corde nimium amaricatus, tantis eam affecit verberibus, ut exhalaverit miserè spiritum. Nec in Armeniam reversus est, per annum moratus Acon.

CAP. CCVI.

Qualiter Christiani Carras Babylonis obsederunt, & quibus conditionibus Soldanus recuperavit Damiatam.

CHristiani inter hæc, qui apud Damiatam erant, audito quòd Romanorum Imperator Fridericus hujus nominis Secundus, grandi expeditione se ad Passagium præparabat, obsidere interim Carras oppidum statuerunt, quæ quidem obsidio plurimùm Christianis discriminosa, illos magis obsedit. Quod ita provênit. In universa siquidem Ægypti Terra constructæ sunt restæ, sivè clusæ, quæ aquam Nili retinent, quum suo more succrescit. Fluvius autem in partes sivè ramos septem dividitur. Major omnium habetur, qui prope Carras in Terram Babyloniæ labitur. Est enim Carras oppidum, Babylon Civitas. Et ille quidem ramus supra Babyloniam divisus bifariam prope Damiatam in partem divertit, & influit mare. Intra hanc verò divisionem Christiani à Damiata procedentes ad obsidionem oppidi Carras sua castra fixerunt mense Augusti, quo tempore Nilus magìs solet excrescere, Anno Incarnati Filii Dei MCCXXII. Babylonii verò supra flumen ferreum Pontem habebant optimè munitum, ne Christiani transgredi possent. Cardinalis inter hæc Legatus nuntios misit Regi Johanni apud Acon, quòd Damiatam veniret processurus obsidere Carras. Rex verò venire renuit, dicens se potiùs instare velle Terræ suæ custodiæ. Soldanus quoque nuntiavit Legato, quòd si redderet ei Damiatam, restitueret ei totam Terram Hierosolymitanam, quam possidebat, excepto Krach, & daret ei sumtus necessarios ad reparationem urbium & oppidorum, quæ ab obsidione Damiatæ diruptæ fuerant, ac universos relaxaret captivos, & tricennales cum Christianis firmaret treugas. His conditionibus annuebant Templarii, & Hospitalarii, & omnes incolæ Damiatæ. Cardinalis sinistro pertinax voto (pro una enim Civitate unum respuit Regnum) illas obaudivit. Iteratò quoque per Nuntios suos rogavit Johannem Regem, ut ad obsidendas Carras veniret, promittens se soluturum pro eo centum millia Bysantiorum, quibus pro obsidione Damiatæ erat obnoxius. Tamdem Rex Johannes multis considerationibus Legati precibus victus cum omnibus copiis ad obsidionem ipsam pervênit. Soldanus autem galêas armari mandavit, & super eas pontes fabricari, cum quibus Babylonii Christianis insciis versùs Damiatam transierunt, inter civitatem & exercitum consistentes, & sic itinere præcluso deferentibus victualia, Christianorum exercitus in maxima fuit famis angustia diebus octo. Insuper cognito Soldanus, quòd centum galêæ Imperatoris Friderici in Portu Damiatæ applicuerant, timens ne exercitui præstò adessent, jussit clusas omnes confringi. Et sic aqua Nili exundavit, ut qui in exercitu erant, multi submersi sint, & victualia deperdita. Excreverant enim in tantum, ut multi usque ad guttura in ea consisterent, nec patere poterat exercitui aditus remeandi. Rex igitur Johannes in maxima constitutus angustia prœlium à Soldano petiit, qui renuit illud, dicens, se nolle cum eis confligere, quos jam cernebat in ipsis mortis faucibus constitutos. Tamen cum Rege colloquium non negavit. Veniens igitur Rex de assensu Legati ad Soldanum, Magistrum Jacobum de Vitrico Episcopum Aconitanum, virum eruditissimum, secum duxit. Soldanus autem Regem gratulabundus excipiens, miserabili statui Christiani exercitus, quibus famis & aquarum afflictio sæva mortem comminabatur, se compati dixit, Regemque posse à tali eos discrimine liberare. Rege verò modum sciscitante, respondit: si ei redderet Damiatam. Tamdem consentientibus Legato & aliis, qui in exercitu crudeliter affligebantur, fœdus pacis his conditionibus actum est, ut videlicet Christiani Damiatam & omnes captivos restituerent Soldano. Soldanus verò captivos universos, quos ipse & Conradinus frater ejus tenebant, similiter relaxaret & restitueret vivificæ Lignum Crucis, non tamen quod apud Tabariam perditum fuerat, & treugæ octennales servari deberent. Firmatis conditionibus Rex Johannes pro Christianis se obsidem constituit unà cum Aconitano Episcopo. Misit quoque Christianis, qui in Damiata erant, ut omnes urbem egrederentur, & eam cum captivis Soldano restituerent. Soldanus instrui fecit pontes, quibus exercitus Christianorum permearet ad aridam; & dum vidisset Regem pro suo exercitu lacrymantem, pietate motus misit eis panum triginta millia, ut inter pauperes contribuerentur, quod & sequentibus tribus diebus fecit. Egressis etiam aquam, rerum venalium forum competens dedit, & pauperibus multis victum concessit per quindecim dies, quibus moratus est exercitus, dum exspectarent Soldani nuntios, qui missi sunt, ut reciperent Damiatam. Quibus reversis & Soldano nuntiantibus civitatem redditam, & captivos liberatos, discessit exercitus. Captivi quoque Christianorum ubilibet relaxati sunt.

CAP. CCVII.

De adventu Regis Johannis in Italiam, & à se gestis ibidem, & transfretatione Friderici.

HIs peractis Rex Johannes quum venisset Acon, relicto inibi Oddone de Monte Ba-

Baliardo ad terræ custodiam, mare intrans venit Apuliam, & à Friderico Imperatore hujus nominis Secundo, qui superato Ottone Regnum Siciliæ obtinebat, multo honore susceptus est, & datis ei regalibus muneribus concomitatus est eum usque ad Urbem. Papa verò horum adventu cognito (tunc enim præsidebat Romanæ Cathedræ Innocentius hujus nominis IV.) cum solemni processione obviam ei occurrens, in hoc volens honorificare Principem Regni Sacri Regem Johannem. Deposità tamdem ab ipso Rege Johanne querelâ coram Pontifice, & Imperatore Romanorum, quanto videlicet discrimini & jacturæ Legatus summiserit Sacrum Regnum, decretum fuit, ut si de cætero contingeret Christianos civitates aut oppida recuperare in Regno Hierosolymitano, cuncta liberè & absolutè spectarent ad Regem. Post hæc regresso Imperatore in Siciliam, Rex Johannes in Franciam ad Regem Philippum, demum in Angliam ad Regem Johannem fratrem quondam Regis Ricardi profectus est, regaliterque susceptus. Et dum de Anglia reversus esset in Franciam, contigit eo moram inibi habente, Philippum Regem vita defungi, qui Regi Johanni ad Terræ Sanctæ subsidium thesaurum magnum reliquit. Deinde Rex Johannes Hispanias adiit, visitaturus Basilicam gloriosi Apostoli Jacobi, cui Rex Castellæ apud Burs obviam veniens, grandi eum excepit lætitia, & sororem suam cum magno dotalitio dedit uxorem. Quam secum ducens, Apuliam reversus est; & filiam suam, quam ex Regina Helisabet, quæ fuerat uxor Marchionis Conradi de Monteferrato, Imperatori Friderico dedit uxorem. Hanc Imperator successu temporis, quum amore illicito in ancillam impudicos oculos injecisset, maritali aliquando non tractavit affectu, sed nonnullis eam affecit molestiis. Unde factum est, ut adeò tantum inter ipsum Imperatorem, & socerum suum Regem Johannem excanduerit odium, ut ipsum Regem de Regno Siciliæ excluderet. Veniens autem Rex ad Urbem, Romani eum solemniter recipientes, obtulerunt ei, se daturos ad ejus subsidium equites mille. Pro oblatis igitur grates referens, transivit in Lombardiam, & in pingui Bononia cum Regina moram aliquot diebus contraxit. Ad quem de singulis Civitatibus provinciæ prædictæ venerunt Legati solemnes, & congratulantes ejus adventui, obtulerunt ei dominia civitatum, & se recepturos eum in Regem & Dominum, Regique traditoros coronam. Qui cum gratiarum actionibus oblata recipiens, respondit se nolle in eadem provincia, quæ ad Imperatricem filiam suam spectabat, aliquid innovare. Imperator verò his Regis Johannis soceri sui successibus agnitis, timens imminentia sibi discrimina, cum eo pacem composuit; actumque fuit, ut Lombardi tenerentur, quingentos equites in instanti Passagio mittere, duobus annis inibi Lombardorum sumtibus moraturos. His compositis Rex in Apuliam reversus est, cui Papa Patrimonii Beati Petri curam commisit, & pro ipsius sumtibus singulos ejusdem Patrimonii reditus assignavit Regi præfato. Inter hæc filia ipsius Regis, Imperatoris conjunx enixa puerum, vita defungitur. Cujus obitus Regem turbavit patrem, in hoc tamen consolationem resumens, quòd hæredem reliquerat. Non multò post quum Imperator Fridericus ad instantiam Papæ transfretasset, passus tamen antequam transfretaret excommunicationis sententiam, & nondum absolutus, & secundùm Papæ beneplacitum non se gereret in negotiis Terræ Sanctæ, inter alios processus suos mandavit Papa Regi Johanni, ut Siciliæ Regnum invaderet, Terrasque Imperii occuparet. Quod dum Imperator agnovisset, relicta civitate Hierusalem, terrisque Regni in custodia Marescalli sui, Apuliam reversus est. Composuerat enim Imperator cum Soldano pacem, in qua Hierosolymitani Regni terras, excepto Krach, & oppidis sitis in terra Tyri, & Sagittæ, Imperatori restituerat. Mille tamen Saraceni in Templo commorari debebant, ita tamen quòd Christiani liberè & absque tributo illud intrare possent. Treugas quoque firmaverant decennales. Quumque autem Imperator magnum in Apulia contra Regem Johannem congregasset exercitum, civitates & oppida, quæ Rex Johannes invaserat, recuperavit. Porrò dum Rex Imperatoris timeret potentiam, auxilium petiit à Rege Francorum, qui ad eum misit Belluacensem Episcopum cum magna militia. Interim Dux Austriæ inter Papam & Imperatorem pacem composuit, & sic tunc imminens cessavit quassatio. *Hæc de gestis Regis Johannis sumta sunt ex Historia Bernardi Thesaurarii. Qualis autem fuerit exitus, non inveni, vel quòd Historiam non compleverit, vel quòd Codex, unde sumsi, fuit imperfectus.*


CAP. CCVIII.

De obitu Conradini Soldani Damasci.

Conradinus iisdem temporibus Damasci, & Hierusalem Soldanus, quum Septimo Passagio Peregrini pervenissent Acon, de medio sublatus est. Reliquit autem filium impuberem, cui Militem quemdam Hispanum, non tamen Christianæ Fidei, apostatam, tutorem reliquit. Sua enim strenuitate sola Soldani benivolentiam & affectum familiarem sibi captaverat idem Hispanus. Christiani verò, Soldani morte agnita, treugas violassent, si Duce non caruissent, quas stabilierat Rex Johannes apud Damiatam. Venientes tamen apud Civitatem Sagittæ, quæ & Sidon olim dicta est, distantem à Tyro septem leucis, oppidum in parva Insula ante ipsam civitatem fundaverunt, quia nimis sumtuosum erat, Sagittam civitatem tenere munitam. In eo exercitu fuerunt multi Anglici, inter quos duo Episcopi multa ibi laudabilia peregerunt. Alemanni verò tunc erant apud Hospitale, quod dicitur Alemannorum distans ab Acon tribus leucis, ubi & aliud oppidum fundaverunt, quod Castellum Francum nuncupatum est. His expediendis tranquilliùs mors profuit Conradini Soldani Damasci, & quia etiam Hispanus Regni ejus Balivus, Soldani Babyloniæ timens insidias, se à Christianorum offensionibus abstinebat. De humanitate autem & clementia ejusdem Conradini Soldani idem *Bernardus* tale refert exemplum. Erant in obsidione Damiatæ, dum eam Christiani tenerent, viri duo literati, qui zelo Fidei succensi proposuerunt Soldanum adire, Fidem prædicaturi. Et quum licentiam peterent à Legato, respondit eis: *Ignoro quidem, quo zelo ducamini, an videlicet Dei Spiritu movemini, an Satanæ tentatio vos*

vos apprehendat. Quòd autem pergatis, *nec hortor, neque dissuadeo. Si tamen contingat vos proficisci, satagit, ut actiones vestræ fructificent apud Deum.* Quum autem ad castra Saracenorum venissent, ducti sunt ante conspectum Soldani; & dum sciscitaretur ab eis, an haberent legationem explere, an vellent fieri Saraceni: *Nos*, inquiunt, *Domini nostri Jesu Christi sumus Legati, qui pro animarum salute advenimus, parati verissimis rationibus demonstrare, quòd nisi in observatione Legis Christianæ poterit quis salvari*. Et pro hac Lege dispositi erant mortis subire discrimen. Soldanus ut erat corde mitis, benignè eos audiens, convocavit Archiepiscopos, Episcopos, & alios Legis suæ peritos, aliosque exercitus sui Primates, & quum causam, cur in unum convocati erant, narrasset Soldanus, unus vice omnium ait: *Imprudenter actum esse, ut qui propugnator esse Legis eorum tenebatur, & se contra adversarios gladium ultionis opponere, passus fuerat profanationibus Legis eorum audientiam dare in conspectu tantorum*. His dictis adjuraverunt eum sub obtestatione Legis suæ, ut eos sententiæ capitali submitteret, & sic discesserunt. Soldanus verò ad Christianos ait: *Absit, ut vos morti subjiciam, qui pro mea vita venistis*. Et quum illis, si morari vellent, magnos reditus se esse assignaturum esset pollicitus, & in præsenti auri, & argenti laminas proferri coram eis mandasset, singula abdicarunt, dicentes, se non temporalia sed spiritualia quærere, & accepto à Soldano comitatu reversi sunt ad castra suorum.

FINIS.



CHRONICON
FOSSÆ NOVÆ

AB ANNO PRIMO NOSTRÆ SALUTIS USQUE AD ANNUM MCCXVII.

AUCTORE ANONYMO

JAM PRIDEM

FERDINANDUS UGHELLUS

SUB NOMINE

JOHANNIS DE CECCANO

VULGAVIT,

Nunc verò ab innumeris mendis purgatum.

IN CHRONICON FOSSAE NOVAE
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

CHronicon hoc ex MSto Codice Monasterii Fossae Novae descriptum primus typis evulgavit Anno 1644. Ferdinandus Ughellus celeberrimus Italiae Sacrae illustrator, ipsumque addidit Appendici Tomi I. pag. 450. Si ipsum Ughellum audimus, & Caveum, illius Auctor fuit *Johannes de Ceccano*, quo etiam nomine utitur plerumque Clarissimus Pagius, ubi ejus verba laudat in Critica Baroniana. Mihi tutius visum est *Anonymum* appellare; neque enim occurrunt mihi sat firmae rationes, cur certo Auctori Chronicon hoc tribuam. *Ceccanum* Campaniae Oppidum est, ad praeclarissimam Anagniensium Comitum Familiam olim spectans. Ibi vero temporibus Scriptoris hujus dominabatur nobilis vir *Dominus Johannes de Ceccano*, cujus complura Acta & Chartae in hoc eodem Chronico laudantur, ut propterea illius Scriptor non injuria credatur *Comitum Ceccani familiaris fuisse*. At non idcirco ejusdem Castri Domino *Johanni de Ceccano* adscribenda haec Historia; neque Historico idem nomen, quod Comiti, seu Domino Ceccani proprium fuit, nostra liberalitate donandum. Certe fatetur ipsemet Ughellus, *Ceccani* nomen inscriptum fuisse, *ob laudatos in eo saepius Ceccani Comites*: quae verba satis ostendunt, non revera, sed quadam fallaci conjectura, huc irrepsisse *Johannis de Ceccano* epigraphen. Praeterea magnus Annalium parens Baronius, & Camillus Peregrinius, quibus ad manum fuit idemmet Chronicon, antea quam ab Ughello ederetur, non alia appellatione ipsum memorant, quam *Chronici Fossae novae*, aut *Chronici Ceccanensis*, ut illud innuerent aut in Coenobio Fossae novae adservatum, aut in Ceccanensi Oppido ab Auctore concinnatum. Quamobrem omnino veri videtur simile, sciolum aliquem, quod non uno in loco hujus Chronici ea verba legerit *Ego Johannes de Ceccano*, statim credidisse hunc Auctorem Libri, quum tamen ea verba non in Auctoris narratione, sed in Chartis donationum a Johanne de Ceccano factis, ibique commemoratis, tantummodo occurrant. Atque haec sunt, quae *Anonymum* Chronici hujus Auctorem adhuc appellandum mihi persuadent.

Ceterum a Nativitate Domini & hic Scriptor suum exorditur Librum, eumque deducit ad Annum usque 1217., & quum ante Annum Millesimum Epochae Christianae nihil nisi vulgaria habeat, ea pars sine ulla Literarum jactura sane omitti potuisset. Sed quando totum Ughellus produxit, & cursim decem illa Secula expediuntur, nihil demere aut immutare placuit. Quod solum dolere cogor, Historiam hanc, uti & reliqua a se edita, parum accurate descriptam dedit nobis Ughellus. Et quamquam enim Viri illius generoso animo, multiplicique labori multum debeamus, quod tot monumenta ad Episcopos Italiae spectantia nobis dederit: attamen is in Criticæ Artis studio infirmum valde se prodidit, atque innumeros errores cum suos, tum Typographorum, eosque interdum palmares, in suos Libros irrepere est passus. Ex iis quidem nonnullos facile auferas, uti dicis causa quum ad Annum 883. *Diarinum pro Marino Papa*, ad Annum 996. *Ottonem IV.* pro *Ottone III.* & his similia nobis obtrudit. Verum nimis multa sunt, quae aliis in locis nonnisi magno labore restituas. Exempli gratia ad Annum 1160. haec ibi leguntur; *In eodem mense accepit filiam Comitis Berardi de Albe, Andreas Comes Comitum in conjugio prædictus Berardus reddit Comiti Andreae pecunia, ex qua recuperavit terram suam. Insuper & dedit sibi totum dominium terrae suae.* Proh quanta in his paucis hominis negligentia! Ea autem fortasse legenda atque interpungenda: *In eodem mense accepit filiam Comitis Berardi de Albe Andreas Comes Comini* (heic divinare cogimur.) *In eo conjugio praedictus Berardus reddidit Comiti Andreae* pecu-

pecuniam, ex qua recuperavit Terram suam. Insuper & dedit sibi totum dominium Terrae suae. Plura non attingo. Ista vero minime impedire possunt, quin Chronicon Fossae novae, seu Ceccanense, uti a majoribus nostris magni factum est, & multa laude nobis commendatum, ita a nobis quoque magni aestimetur atque laudetur; quippe quod ex eo non parum lucis defluxerit, & adhuc defluere possit ad concinnandam Neapolitani Regni ac finitimarum regionum veterem Historiam. Chronico huic adjeci alterum breve *Chronicon Atinensis Ecclesiae ab eodem Ughello* evulgatum. Heic etiam sphalmata non pauca animadvertas, quorum partem adscribas Auctori, seu Auctoribus in vetustissima Historia non satis peritis, reliquam Ughello, aut amanuensibus ineptis utenti, aut non eam diligentiam adhibenti, quæ eruditum virum decet, quum aliena describit ac edit.

CHRO-

CHRONICON FOSSÆ NOVÆ
AUCTORE ANONYMO
Ab anno primo nostræ salutis usque ad annum MCCXVII. ex pervetusto MS. exemplari Cœnobii Fossæ Novæ.

CHRONICA ROMANORUM PONTIFICUM, ET IMPERATORUM.

Chronicon græcè, latinè dicitur tempus: inde Chronica (idest) tempora. Octavianus Augustus imperavit annis LVI. Anno nono Imperii ejus ab eodem Octaviano Augusto annus bissextus inventus est, & cyclus solaris constitutus est XXXIII. anno Imperii ejus.

Postmodum autem trigesimo nono anno Imperii ejusdem facta est descriptio universi Orbis per Edictum Cæsaris sub Præside Syriæ Cirino. Hoc anno in Syria prima facta descriptio à Præside Cirino; quæ, vel sic dicitur æra, à solvendo ære, vel ab hoc, quod est ibi scriptum.

Exiit Edictum, dicta est Indictio prima,
In cujus quarto rerum Davidica Virgo
Parturiit solem Syon inducens Salomonem.
Ungitur in Regem, pacis præfert tibi legem.
Sicque tenens apicem dijudicat hic meretricem.

Anno Domini primo Indictione IV. anno quadragesimosecundo Imperii Octaviani Augusti natus est JESUS CHRISTUS Filius Dei in Bethleem Judæ ex Maria Virgine. Post Nativitatem Domini nostri JESU CHRISTI Octavianus Augustus imperavit annis XIV.

12. Indict. XV. Hoc anno remansit puer Jesus in Hierusalem, quando invenerunt eum parentes ejus in templo in medio Doctorum audientem illos, & interrogantem. Ann. XV. Ind. III. Tiberius imperavit annis XVIII. usque ad annum, quo passus est Dominus noster Jesus Christus.

30. Indict. III. Hoc anno baptizatus est Dominus noster Jesus Christus à Joanne.

33. Indictione VI. Hoc anno passus est Dominus noster. Post passionem Domini Tiberius Imperator imperavit annis V.

34. Indictione VII. post passionem Domini Beatus Petrus Apostolus Princeps Apostolorum, filius Joannis provinciæ Galilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ, tenuit Sacerdotalem Cathedram annis VII. in Antiochia.

39. Indictione duodecima Gajus, qui & Caligula, annis III. mens. X. diebus VIII.

42. Indictione decimaquinta Claudius imperavit annis quatuordecim, mens. septem, dieb. XXVIII.

44. Indictione secunda. Deinde venit Romam, ibique viginti quinque annis, & mens. septem, & diebus octo Cathedram Sacerdotalem tenuit.

56. Indictione XIV. Nero imperavit annis tresdecim, mens. septem, diebus viginti octo.

69. Indictione duodecima Linus Italicus de regione Tusciæ patre Æsculano sedit annis undecim, mensibus tribus, diebus undecim. Hic constituit ex præcepto Beati Petri Apostoli, ut mulieres in Ecclesiam velato capite introirent. Galba mensibus sex.

70. Indictione decimatertia Vespasianus imperavit annis novem, mensibus undecim, diebus viginti duobus.

80. Indictione octava Cletus natione Romanus de regione Vicopatritii, patre Æmiliano sedit annis undecim, mens. uno, diebus undecim. Titus annis tribus.

83. Indictione undecima Domitianus imperavit annis tresdecim, mensibus quinque.

91. Indictione quarta Clemens natus Romæ de regione Cælio monte, ex patre Faustino, sedit annis novem, mens. duob. dieb. decem. Hic dum multos libros zelo Fidei Christianæ religionis adscriberet, martyrio coronatur. Hic fecit septem regiones, divisit notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum sollicitè, & curiosè, unusquisque per regionem suam diligenter perquireret.

96. Indictione IX. Nerva ann. uno, & mensibus tribus.

98. Indictione undecima Trajanus annis decem & novem.

100. Indictione decimatertia Anacletus natione Græcus de Athenis, ex patre Antiocho sedit annis novem mens. duob. dieb. decem, & cessavit Episcopatus ejus diebus tresdecim. Hic memoriam Beati Petri construxit, & composuit.

109. Indict. septima Evaristus natus Græcus ex patre Judæo nomine Juda de civitate Bethleem, sedit annis decem. Hic titulos in Urbe constituit, & divisit Presbyteris, & septem Diaconos constituit, qui custodirent Episcopum prædicantem propter stilum veritatis.

118. Indictione prima Hadrianus imperavit annis viginti uno.

120. Indictione tertia Alexander natus Romanus ex patre Alexandro, de regione Caput Tauri, sedit annis octo, mens. uno, dieb. duobus, & cessavit diebus triginta quinque. Hic passionem Domini miscuit in prædicatione Sacerdotum, quando Missæ celebrantur. Hic constituit aquam sparsionis cum sale benedici in cubiculis hominum.

128. Indictione undecima Sixtus natus Romæ ex patre Pastore, regione Via lata, sedit annis decem, mensib. trib. dieb. viginti & uno, & cessavit dieb. duobus. Hic constituit, ut ministeria sacrata non tangantur nisi à ministris. Hic constituit, ut quicumque Episcoporum evocatus fuisset ad Sedem Apostolicam, & rediens ad Parochiam suam, non susciperetur nisi cum literis Patriarchæ salutationis plebi, quod est formata.

139. Indictione septima Telesphorus natus Græcus ex Anachoreta, sedit annis undecim mensib. trib. dieb. viginti duobus, & cessavit dieb. septem. Hic constituit, ut septem hebdomadæ ante jejunium celebrarentur, & tres in Natali Domini Missæ celebrarentur. Nam omni tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumat celebrare, qua hora Dominus noster ascendit Crucem, & ante Sacrificium hymnus dicatur angelicus, hoc est, Gloria in excelsis Deo. Antoninus Pius cum filiis suis imperavit annis viginti duob. mensibus tribus.

150. Indictione tertia Hyginus natus Græcus de Athena, cujus genealogia non invenitur, sedit annis quatuor mens. trib. dieb. sex. Hic Clerum composuit, & distribuit gradus.

154. Indictione septima Anicetus natione Syrus ex patre Joanne de Vico Mirra, sedit annis novem, mensib. trib. dieb. quatuor. Hic constituit ut Clerus comam non nutriret secundùm præceptum Apostolorum.

161. Indictione decimaquarta Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio imperavit annis decem & novem.

163. Indictione prima Pius natus Italicus de Civitate Aquileja, ex patre Rufino, sedit annis undecim, mens. trib. dieb. viginti uno, & cessavit dieb. quatuordecim, sub cujus temporibus Episcopus Hermen librum scripsit, in quo mandatum continet, quod ei præcepit Angelus Domini, cùm venit ad eum in habitu pastoris, & præcepit ei, ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur. Hic constituit à Judæo hæreticum venientem suscipi, & baptizari, & constitutum fecit de Ecclesia.

174. Indictione duodecima Soter natione Campanus, ex patre Concordio de civitate Fundi, sedit annis novem, & mensibus duobus, diebus viginti uno, & cessavit diebus viginti duobus. Hic constituit, ut nulla Monacha pallia sacrata contigeret, nec incensum poneret in sancta Ecclesia.

180. Indictione tertia Commodus post Antoninum imperavit annis tresdecim.

183. Indictione sexta Eleutherius natus Græcus ex patre Abundio de oppido Nicopoli, sedit annis quindecim, mens. sex. dieb. quinque, & cessavit dieb. sex. Hic accepit epistolas à Lucio Rege Britonnio, ut Christianus fieret per mandata. Et hoc iterum firmavit, ut nulla esca usualis à Christianis repudiaretur, maximè fidelibus, quòd Deus creavit, quæ tamen rationalis, & humana est.

193. Indictione prima Ælius Pertinax, & Severus imperavit annis decem & novem.

199. Indictione septima Victor natus Afer ex patre Felice, sedit annis decem, men. duob. dieb. decem, & cessavit dieb. duodecim. Hic constituit ut sanctum Pascha, die Dominico celebraretur, sicut & Pius. Hic fecit frequentes Clericos, & constituit, ut necessitate faciente, ubi inventus fuisset, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantùm Christiana confessione credulitatis clarificata, quicunque hominum ex gentili veniens, ut baptizaretur.

209. Indictione secunda Zepherinus natione Romanus ex patre Abundio, sedit annis novem, & mensib. sex, dieb. decem, & cessavit Episcopatus diebus sex.

212. Indictione quinta Antoninus Caracalla imperavit annis septem.

218. Indictione undecima Calixtus natus Romanus ex patre Domitio, de regione urbe Ravennatium, sedit annis quinque, mensibus duobus, diebus decem, & cessavit dieb. sex. Hic constituit jejunium die Sabbati ter in anno fieri, frumenti, vini, & olei, secundùm prophetiam. quarti, septimi, & decimi. Hic fecit Basilicam Sanctæ Mariæ in Transtiberim.

219. Indictione duodecima Martinus anno uno.

220. Indictione decimatertia Antoninus Aurelius imperavit annis tribus.

223. Indictione prima Alexander imperavit annis tresdecim.

225. Indictione tertia Urbanus natus Romanus ex patre Pontiano, sedit annis octo mens. undecim, diebus duodecim, & cessavit diebus triginta. Hic fecit misteria sacrata omnia argentea. Hic sua traditione multos convertit ad Baptismum.

233. Indictione undecima Pontianus sedit annis quinque, mensibus duobus, diebus duobus.

236. Indictione decimaquarta Maximus imperavit annis tribus.

238. Indictione prima Antheros sedit annum.

239. Indictione secunda Fabianus natus Romæ ex patre Fabio. sedit annis quatuordecim, mens. undecim, dieb. undecim, & cessavit diebus septem. Hic regiones divisit Diaconibus, & fecit septem Diaconos, qui septem Notariis imminerent, & gesta Martyrum in integrum colligerent, & multas fabricas per cœmeteria fieri præcepit. Gordianus imperavit annis sex.

245. Indictione octava Philippus cum Philippo, filio suo imperavit annis septem. Hic primus Imperator Christianus fuit.

252. Indictione decimaquinta Decius anno uno, mensibus tribus.

253. Indictione prima Cornelius sedit annis duobus, mensibus quinque, diebus decem. Gallus cum Volusiano annis duobus, mensib. quatuor.

255. Indictione tertia Lucius sedit annis tribus, mens. trib. dieb. tribus.

257. Indictione quinta Valerianus cum Galieno filio imperavit annis quindecim.

258. Indictione sexta Stephanus sedit annis quatuor. mensibus tribus, diebus duobus.

262. Indictione decima Sixtus sedit annis duobus, mensibus sex, diebus octo.

264. Indictione decimasecunda Dionysius sedit annis duobus, mensibus tribus.

266. Indictione decimaquarta Felix sedit annis duobus, mensibus decem, diebus vigintiquinque.

268. Indictione prima Euticianus sedit annis novem, mensibus decem, diebus quatuor, & cessavit diebus octo.

272. Indictione quinta Claudius imperavit anno uno, mensibus undecim.

275. Indictione octava Aurelianus imperavit annis quinque.

277. Indictione decima Gajus sedit annis undecim, mensibus tribus, diebus novem, & cessavit diebus undecim.

280. Indictione decimatertia Tacitus mensibus sex.

281. Indictione decimaquarta Probus imperavit annis sex, mensibus tribus.

287. Indictione quinta Carinus, & Numerianus annis duobus.

289. Indictione octava Marcellinus sedit annis septem, mensibus duobus, diebus viginti-quinque, & cessavit annis septem, mensibus sex, diebus vigintiquinque. Diocletianus cum Maximiano annis duobus, Constantio, & Licinio imperavit annis quindecim.

304. Indictione septima Marcellus sedit annis sex.

306. Indictione nona Maximus Galerius imperavit annis tribus.

309. Indictione duodecima Constantinus imperavit annis triginta, mensibus decem.

310. Indictione decimatertia Eusebius sedit annis duobus, mensibus duobus.

312. Indictione decimaquinta Melchiades sedit annis tribus, mensibus septem, diebus octo, & cessavit diebus sexdecim.

316. Indictione quarta Silvester sedit annis viginti tribus, mensibus decem, diebus undecim, & cessavit diebus quindecim.

339. Indictione duodecima Constantinus cum Constantino, & Constante fratribus imperavit annis vigintiquatuor.

340. Indictione decimatertia Marcus sedit annis duobus, mensibus octo, diebus viginti. S. Hilarius claruit, primus Latinorum Theologus.

343. Indictione prima Julius sedit annis undecim, mensibus duobus, diebus septem, qui sub Constantino Imperatore decem mensibus exilia & tribulationes perpessus, post mortem cum magna gloria ad suam sedem reversus, quievit in pace. Hic constituit, ut nullus Clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in Ecclesia, & sinè causatione, vel instrumenta, aut donationes, aut manumissiones à Clericis in Ecclesia celebrarentur.

354. Indictione duodecima Liberius sedit annis decem, mensibus septem.

363. Indictione sexta Julianus annis duobus, mensibus octo.

364. Indictione septima Felix anno uno.

365. Indictione octava. Iterum Liberius sedit annis quinque. Jobinianus mensibus septem.

366. Indictione nona Valentinianus cum fratre Valente imperavit annis decem.

370. Indictione decimatertia Damasus sedit annis decem & octo, mensibus duobus, diebus decem, & cessavit diebus viginti uno.

376. Indictione prima Valens cum Gratiano, & Valentiniano imperavit annis quatuor.

380. Indictione octava Gratianus cum Valentiniano fratre Theodosio imperavit annis sex.

386. Indictione decima quarta Theodosius Imperator cum Valentiniano imperavit annis undecim.

388. Indictione prima Siricius sedit annis quindecim, mensibus undecim, diebus vigintiquinque, & cessavit diebus viginti.

397. Indictione decima Arcadius Imperator cum Honorio imperavit annis tresdecim.

405. Indictione tertia Anastasius sedit annis duobus, diebus vigintiduobus, & cessavit dieb. viginti uno.

407. Indictione quinta Innocentius sedit annis quindecim, mensibus duobus, diebus viginti, & cessavit diebus viginti duobus.

410. Indictione octava Honorius Imperator cum Theodosio imperavit annis quindecim.

422. Indictione quinta Zosimus anno uno, mensibus octo, diebus vigintiquinque, & cessavit diebus undecim. Hic constituit cereum Sabbato Sancto benedici in Ecclesia.

425. Indictione octava Bonifacius sedit annis tribus, mensibus octo, diebus tresdecim, & cessavit diebus novem. Theodosius minor Imperator cum Valentiniano genero imperavit annis viginti sex.

428. Indictione undecima Cœlestinus sedit annis octo, mens. uno, diebus undecim, & cessavit diebus vigintiuno. Hic constituit psalmos David antiphones ad sacrificium.

436. Indictione quarta Sixtus sedit annis octo, diebus decem & novem. Hic accusatus de adulterio fecit Synodum, purgatus est damnatis accusatoribus.

444. Indictione duodecima Leo primus Doctor sedit annis vigintiuno, mens. uno, diebus vigintiseptem, & cessavit diebus septem.

452. Indictione quinta Martianus, & Valentinianus imperaverunt annis septem.

459. Indictione duodecima Leo Primus Imperator imperavit annis decem & septem.

465. Indictione tertia Hilarius sedit annis sex mensibus tribus, diebus decem, & cessavit diebus decem.

471. Indictione nona Simplicius sedit annis quindecim mense uno diebus septem, & cessavit diebus sex.

476. Indictione decimaquarta Zeno imperavit annis viginti sex.

486. Indictione nona Felix Tertius sedit annis octo, mensibus duodecim, diebus decem & septem, & cessavit diebus quinque.

492. Indictione decimaquinta Anastasius imperavit annis vigintisex.

495. Indictione tertia Gelasius sedit annis quatuor, mensibus octo, diebus decem & novem.

499. Indictione septima Anastasius sedit anno uno, mensibus undecim, diebus vigintiquatuor.

501. Indictione nona Symmachus sedit annis quindecim, mensibus septem, diebus vigintiocto, & cessavit diebus septem.

516. Indictione nona, Hormisda sedit annis decem, diebus decem & octo, & cessavit diebus sex.

518. Indictione undecima Justinus imperavit annis novem.

526. Indictione quarta, Joannes Primus sedit annis duobus, & mensibus novem.

527. Indictione quinta, Justinianus Imperator imperavit annis triginta & octo.

528. Indictione sexta, Felix Quartus sedit annis quatuor, mensibus duobus, diebus tresdecim.

532. Indictione decima, Bonifacius sedit annis duobus.

534. Indictione duodecima, Joannes Secundus sedit annis duobus, mensibus quatuor.

536. Indictione decimaquarta, Agapitus sedit mensibus undecim.

537. Indictione decimaquinta, Silverius sedit

dit anno uno, mensibus quinque. Hujus temporibus obsessa est Roma à Gothis anno uno in circuitu, sed liberatur à Belisario Patritio.

540. Indictione tertia, Vigilius sedit annis decem & septem, mensibus sex, diebus vigintisex, & cessavit mensibus tribus, diebus quinque. Hujus temporibus capta est Roma à Gothis, sed à Narsi Patritio postmodum occiso Totila recepta est.

558. Indictione sexta Pelagius Primus sedit annis quatuor, mensibus decem, diebus decem & octo, & cessavit mensibus tribus.

563. Indictione undecima, Joannes Tertius sedit annis tresdecim, mensibus undecim, diebus vigintiseptem, & cessavit mensibus decem, diebus tribus.

565. Indictione decimatertia, Justinus imperavit annis undecim.

566. Indictione nona, Tiberius imperavit annis duobus.

577. Indictione decima, Benedictus Primus sedit annis tribus, mense uno, diebus decem & octo. Hujus temporibus Longobardi invaserunt Italiam.

580. Indictione decimatertia, Pelagius Secundus sedit annis decem, mensibus duobus, diebus decem, & cessavit mensibus, seu diebus vigintiquinque.

583. Indictione prima, Mauritius imperavit annis viginti.

591. Indictione nona, Gregorius Doctor Primus sedit annis tresdecim, mensibus sex, diebus decem, & cessavit mensibus quinque, diebus sexdecim. Hic adjunxit in Canone: *Diesque nostros in tua pace dispone*, & ab eodem incœpta est Litania in festo Sancti Marci ad S. Petrum.

603. Indictione sexta, Phocas imperavit annis septem.

606. Indictione nona, Sabinianus imperavit anno uno, mensibus quinque, diebus decem & novem.

608. Indictione undecima, Bonifacius mensibus octo, diebus viginti & octo.

609. Indictione duodecima Bonifacius sedit annos sex, mensibus octo, diebus duodecim, & cessavit mensibus septem, & diebus vigintiquinque.

610. Indictione decimatertia, Heraclius Imperator cum Constantino filio suo imperavit annis triginta uno.

616. Indictione quarta, Deusdedit sedit annis tribus, diebus viginti, & cessavit mense uno, & diebus decem & septem.

619. Indictione septima, Bonifacius sedit annis quinque, diebus tresdecim, & cessavit mensibus septem.

625. Indictione decimatertia, Honorius sedit annis duodecim, mensibus undecim, diebus decem & septem, & cessavit mensibus septem, & diebus decem & octo.

638. Indictione undecima, Severinus sedit annis duobus, mensibus quatuor, diebus viginti & octo.

641. Indictione decimatertia, Joannes sedit anno uno, mensibus octo, diebus decem & novem, & cessavit mense uno, diebus tresdecim.

641. Indictione decimaquarta, Constantinus cum Eraclona fratre ejus imperavit annis viginti & octo.

642. Indictione decimaquinta, Theodorus sedit annis sex, mensibus quinque, diebus

A octo, & cessavit diebus quinquaginta duobus.

648. Indictione sexta, Martinus Martyr sedit annis sex, mense uno, diebus viginti sex, & cessavit diebus viginti octo.

654. Indictione duodecima, Eugenius sedit annis duobus, mensibus novem, diebus vigintiduo, & cessavit mensibus duobus.

656. Indictione decimaquarta, Vitalianus sedit annis quatuordecim, mensibus sex, diebus tresdecim.

670. Indictione decimatertia, Constantinus Imperator imperavit annis decem & septem.

671. Indictione decimaquarta, Deodatus sedit annis quatuor, mensibus duobus, diebus quinque, & cessavit mensibus quatuor, diebus vigintiquinque. B

676. Indictione quarta, Donus sedit anno uno, mensibus quinque, diebus decem, & cessavit mensibus duobus, & diebus quindecim.

678. Indictione sexta, Agatho sedit annis duobus, mensibus sex, diebus tribus, & cessavit anno uno, & mensibus septem, diebus quinque.

681. Indictione nona, Leo II. mensibus decem, diebus sexdecim.

682. Indictione decima, Benedictus mensibus decem, diebus undecim.

685. Indictione decimatertia, Joannes sedit anno uno.

C 687. Indictione decimaquinta, Conon mensibus undecim. Justinianus Imperator imperavit annis decem.

688. Indictione prima, Sergius sedit annis tresdecim.

697. Indictione decima, Leo Imperator imperavit annis tribus.

700. Indictione decimatertia, Tiberius imperavit annis septem.

701. Indictione decimaquarta, Joannes sedit annis tribus, mensibus duobus, diebus tresdecim, & cessavit mense uno, diebus tresdecim.

704. Indictione secunda, Joannes sedit annis duobus, mensibus sex, diebus sex, & cessavit mensibus quatuor. D

707. Indictione quinta, Sisinnus diebus viginti. Justinianus II. imperavit annis sex.

708. Indictione sexta, Constantinus sedit annis septem, diebus quindecim, & cessavit diebus quadraginta.

713. Indictione undecima, Philippus anno uno.

714. Indictione duodecima, Anastasius imperavit annis tribus.

715. Indictione decimatertia, Gregorius sedit annis sexdecim, mensibus octo, diebus vigintiduo, & cessavit diebus trigintaquinque. Hic statuit quinta feria in quadragesima jejunari, & Missarum celebritatem sicut tota hebdomada per totum annum in Ecclesia fieri, quod antea non agebatur. E

717. Indictione decimaquinta, Theodosius anno uno.

718. Indictione prima, Leo cum Constantino filio imperavit annis vigintiquinque.

731. Indictione decimaquarta, Gregorius II. sedit annis decem, mensibus novem, diebus vigintiquatuor, & cessavit diebus octo. Hic adjunxit in secreta: Quorum solemnis hodie in conspectu gloriæ suæ celebratur triumphus in toto Orbe terrarum. Et fecit recedere totam Italiam à potestate Leonis Au-

Augusti Hæretici ob depositionem imaginum. A

742. Indictione decima, Zacharias sedit annis decem, mensibus quatuor, diebus quindecim, & cessavit diebus tresdecim. Hic ob infestationem Astulfi Regis Longobardorum pergens in Franciam, unxit Pipinum filium Caroli Regis, & duos filios ejus in Reges Francorum. Qui Rex simul cum eo veniens in Italiam abstulit Ravennam, & viginti alias Civitates eidem Astulfo, & sub jure Sancti Petri redegit: unde etiam Patritius Romanus factus est.

743. Indictione undecima, Constantinus cum Helena matre imperavit annis decem, mensibus duobus, diebus duobus.

752. Indictione quinta, Stephanus II. sedit annis quinque, diebus vigintiocto, & cessavit B mense uno, diebus quinque. Hinc Francorum Regem Carolum Magnum fratrem Pipini fecit Clericum, & misit eum ad Casinense Monasterium fieri Monachum, cui etiam Monasterio dona plurima cum Privilegio Sedis Apostolicæ contulit.

753. Indictione sexta, Constantinus, & Leo filius ejus cum Pipino Rege Francorum, & Carolo Magno filiis suis imperavit annis sexdecim.

757. Indictione decima, Paulus sedit annis decem, mense uno, & cessavit anno uno, & mense uno.

768. Indictione sexta, Constantinus anno C uno.

769. Indictione septima, Stephanus Primus sedit annis vigintitres. Hic obiit Pipinus Rex Francorum, & Patritius Romanorum.

773. Indictione undecima, Adrianus I. sedit annis vigintitres, mensibus duobus, diebus vigintitribus. Hujus precibus vocatus Carolus filius supranominati Pipini Regis, obsedit Longobardos in Apulia, ubi cepit Desiderium Regem, & uxorem ejus, quos captivos portavit in Franciam. Et veniens Romam reddidit omnia, quæ Pater ejus Pipinus dederat D. Petro, adjuncto ei quoque Ducatu Spoletino, & Beneventano: & ob hoc ipse Patritius Romanus dictus est. D

796. Indictione quarta, Leo III. sedit annis viginti, mensibus quinque, diebus sexdecim, & cessavit diebus tribus. Hic dum pergeret die Sancti Marci cum litania ad Sanctum Petrum captus est, & obcæcatus est, præcisâ ejus etiam linguâ. Sed Deus Omnipotens reddidit ei visum, & loquelam: & pergens ad Carolum Regem Francorum susceptus cum honore rediit Romam cum præfato Rege, & factâ vindictâ de inimicis suis, purificavit se Papa per Sacramentum de quibusdam criminibus sibi illatis. Idem Rex est coronatus in Imperatorem Romanorum.

796. Indictione quarta, Constantinus Imperator excæcatus est. E

801. Indictione nona, Carolus I. accepit Imperium Romanorum, & imperavit annis tresdecim, mense uno, diebus quatuor.

811. Indictione quarta, Michaël Imperator imperavit annis sexdecim.

816. Indictione nona, Stephanus III. mensibus septem. Ludovicus cum Lothario filio imperavit annis 25.

817. Indictione decima, Paschalis I. sedit annis septem, diebus decem & septem.

824. Indictione undecima, Eugenius II. sedit annis tribus, mensibus duobus.

827. Indictione quinta, Valentinus sedit diebus quadraginta.

828. Indictione sexta, Gregorius IV. sedit annis sexdecim.

841. Indictione tertia, Lotharius imperavit annis novem.

844. Indictione septima, Sergius II. sedit annis tribus, & cessavit mensibus duobus, diebus quindecim.

847. Indictione decima, Leo IV. sedit annis octo, mensibus tribus, diebus sex, & cessavit mensibus duobus, & diebus quindecim.

850. Indictione decimatertia, Lotharius cum Ludovico filio imperavit annis quinque.

855. Indictione tertia, Ludovicus imperavit annis decem & novem.

856. Indictione quarta, Benedictus III. annis duobus, mensibus sex, diebus decem, & cessavit diebus quindecim.

858. Indictione sexta, Nicolaus I. sedit annis octo, mensibus duobus, diebus viginti.

868. Indictione prima, Hadrianus Secundus sedit annis quinque.

873. Indictione sexta, Joannes Octavus sedit annis decem, diebus duobus.

876. Indictione nona Carolus Secundus imperavit anno uno.

881. Indictione decimaquarta, Carolus Tertius Imperator imperavit annis viginti duobus.

883. Indictione prima, Marinus anno uno, mensibus quinque.

884. Indictione secunda, Hadrianus Tertius anno uno, mensibus quatuor.

885. Indictione tertia, Stephanus Quintus sedit annis sex, & diebus octo.

891. Indictione nona, Formosus sedit annis quinque, mensibus tribus.

896. Indictione decimaquarta, Bonifacius Sextus, diebus quindecim.

897. Indictione decimaquinta, Stephanus an. 1. mensibus quatuor.

898. Indictione prima, Romanus mensibus tribus, diebus viginti duobus.

899. Indictione secunda, Theodorus diebus triginta.

900. Indictione tertia, Joannes Nonus sedit annis undecim, diebus quindecim.

902. Indictione quinta, Benedictus Quartus sedit annis tribus, mensibus duobus. Ludovicus imperavit annis quatuor.

905. Indictione octava, Leo V. diebus quadraginta, Christophorus mensibus septem. Hic ejectus de Pontificatu factus est Monachus.

906. Indictione nona, Sergius III. sedit annis septem, diebus sexdecim.

908. Indictione undecima, Berengarius imperavit annis sex.

913. Indictione prima, Anastasius III. sedit annis duobus, mensibus duobus.

915 Indictione tertia, Lando mensibus sex, Joannes X. sedit annis tresdecim, mensibus duobus diebus tribus.

916. Indictione quarta, Berengarius imperavit annis quatuor.

921. Indictione nona, Hugo imperavit annis sex.

928. Indictione prima, Leo VI. mensibus septem.

929. Indictione secunda, Stephanus VII. sedit annis duobus, mense uno.

931. Indictione quarta, Joannes XI. sedit annis

annis quatuor, mensibus decem. Hic fuit filius Sergii Papæ. Berengarius imperavit annis octo.

936. Indictione nona, Leo VII. sedit annis tribus, mensibus quatuor, diebus quindecim.

943. Indictione prima, Marinus II. sedit annis tribus, mensibus sex, diebus quatuordecim.

946. Indictione quarta, Agapitus II. sedit annis decem, mensibus sex, diebus decem.

948. Indictione sexta, Lotharius imperavit annis duobus.

950. Indictione octava, Berengarius cum Adelberto filio suo imperavit annis undecim.

956. Indictione decimaquarta, Joannes XII sedit annis septem.

962. Indictione quinta, Otto I. imperavit annis sex.

963. Indictione sexta, Benedictus V. sedit anno uno, mensibus sex.

964. Indictione septima, Leo VIII. sedit anno uno, mensibus quatuor.

965. Indictione octava, Joannes XIII. sedit annis septem, mensibus undecim. Hic à Petro Præfecto Romanæ Urbis comprehensus & in Castellum Sancti Angeli, deinde in Campaniam in exilium missus, post decem menses & dies viginti & octo Romam reversus est, & de persecutoribus ejus ab Ottone Imperatore supplicium sumptum.

968. Indictione undecima, Otto II. cum Ottone filio imperavit annis octo.

973. Indictione prima, Benedictus VI. sedit anno uno, mensibus sex. Iste comprehensus est à Cintio Theodoræ filio, & in Castello Sancti Angeli retrusus, ibique strangulatus est.

974. Indictione secunda, Donus II. sedit anno, mensibus sex.

975. Indictione tertia, Bonifacius VII. sedit anno uno, mense uno.

976. Indictione quarta, Benedictus VII. sedit annis novem, mensibus septem.

985. Indictione decimatertia. Joannes XIV. mensibus novem. Hic in Castello Sancti Angeli retrusus, & per quatuor menses fame afflictus, mortuus est, & fertur occisus.

986. Indictione decimaquarta, Joannes XV. sedit annis decem, mensibus sex.

996. Indictione nona, Gregorius V. sedit annis duobus. Otto III. imperavit annis quinque.

998. Indictione undecima, Joannes XVI. mensibus decem.

999. Indictione duodecima, Sylvester II. sedit annis quatuor, mense uno, diebus novem. Otto Imperator puer Beneventum vênit.

1001. Indictione decimaquarta, Otto III. Imperator Sutri, & Henricus filius Patrui sui fit Rex.

1002. Indictione decimaquinta, Sarraceni venerunt super Capuam.

1003. Indictione prima, Joannes XVII. mensibus quinque.

1004. Indictione secunda, Joannes XVIII. sedit annis quinque.

1007. Indictione quinta, à tempore Longobardorum usque in hunc annum sunt anni CCCC. Landulfus Princeps Capuanus obiit.

1009. Indictione septima, Sergius IV. sedit annis duobus, mensibus novem.

1010. Indictione octava, Joannes Abbas obiit Beneventi.

1012. Indictione decima, Benedictus VIII. sedit annis duodecim.

1013. Indictione undecima, Solis defectus, & fames valida fuit.

1014. Indictione duodecima, Henricus Rex vênit Romam, & coronatus est à Papa Benedicto. Pandulphus Princeps obiit.

1016. Indictione decimaquarta Luna quasi sanguis facta est.

1017. Indictione decimaquinta Normanni Melo Duce cœperunt expugnare Apuliam.

1022. Indictione quinta, Henricus Imperator vênit Italiam, & creavit Principem Theobaldum, qui fuit Comes Teani, & Pandulphum Principem vinctum secum portavit. Sed mortuo Imperatore iterum solutus rediit. Uno obsedit Capuam cum Græcis, & vi recepit eam. Idem ingressus est Neapolim, & obtinuit eam anno uno, mensibus quinque. Obiit Arnulphus Abbas.

1024. Indictione septima, Joannes XIX. sedit annis novem, mensibus octo.

1025. Indictione octava, à tempore Ludovici Imperatoris sunt anni 159. quando Capua capta est à Græcis, & Comite Pandulpho.

1028. Indictione undecima, Conradus coronatus est.

Hic nonnulla desiderantur.

in Papam Clementem constituit. Adinulphus Comes Cannetum dissipavit. Anno Domini 1084. Indictione septima. Henricus Rex à Romanis intromissus Romam 12. Kalendas Aprilis, & stetit usque 12. Kalendas Junii, Et vênit Robertus Dux cum ingenti exercitu, & tradita est ei Roma à quibusdam Romanis, & multa mala ibi commisit. Accepto Papa Gregorio egressus est.

1085. Indictione octava, fames, & mortalitas maxima fuit. Gregorius Papa apud Salernum moritur. Robertus Dux moritur. Jordanus fit Princeps. Henricus imperavit annis sexdecim.

1086. Indictione nona, 13. Kalendas Martii primâ horâ noctis stella clarissima in circulum Lunæ prima ingressa est.

1087. Indictione decima, Victor III. mens. undecim. Hic fuit Desiderius Abbas Sancti Benedicti, eodem die Corpus Sancti Nicolai vênit Barium 16. Kalend. Octobris Pisani apud Aphricam debellaverunt, & vicerunt Saracenos.

1088. Indictione undecima, Augustinus fit Abbas Casæmarii.

1089. Indictione duodecima, Urbanus Secundus sedit annis undecim, mensibus quatuor.

1090. Indictione decimatertia, obiit Jordanus Princeps Capuæ, & Capuani debellaverunt. Ecclesia Sancti Martini dedicata est à Joanne Tusculanense Episcopo, ubi interfuerunt Episcopi 6. numero.

1093. Indictione prima, 8. Kal. Octob. Sol obscuratus est hora sexta usque ad horam nonam.

1094. Indictione secunda, obiit Jonathas.

1095. Indictione tertia, Stellæ de Cœlo visæ sunt cadere; pridie nonas Aprilis feria quarta motio magna in Hierusalem Christianorum. Claustra Casæmarii incœpta.

1096. Indictione quarta innumera Francorum,

rum, & Ultramontanorum, aliarumque gentium multitudo ad expugnandum Sarracenos mare transierunt.

1097. Indictione quinta, circundata est Antiochia in die media.

1098. Indictione sexta, Antiochia capta est 3. Nonas Junii feria 5. & Stella cometes apparuit, & Cœlum igneum, & Sol obscuratus est.

1099. Indictione septima, Rogerius Comes vênit super Capuam. Postea filii Gerardi recuperaverunt Soram.

1100. Indictione octava, Paschalis II. sedit ann. 18. mens. 5. dieb. 7. Hierusalem capta est à Christianis.

1103. Indictione undecima, Sora cremata est cum septem Ecclesiis Sanctæ Mariæ. Luna Eclypsim passa est 14. Kalend. Octob. cùm nulla nubes appareret.

1104. Indictione duodecima, Robertus filius Jordani Principis surrexit contra Principem, videlicet germanum ejus. Ecclesia Sancti Dominici in Oct. S. Mariæ dedicata est à Papa Paschali. Obiit Gregorius Comes Ceccani 12. Kal. Octob. feria tertia.

1105. Indictione decimatertia, Marchion vênit Romam consentientibus quibusdam Romanis, & elegit Adanulphum in Papam Silvestrum ad Sanctam Mariam Rotundam infra Octavā Sancti Martini, sed sinè effectu reversus est, & Boëmundus transfretavit in Apuliam.

1106. Indictione decimaquarta Abbas Augustinus Episcopus factus est, Joannes fit Abbas Casæmarii, & Henricus Rex obiit.

1108. Ind. prima. Obiit Joannes Abbas Casæmarii, & Placidus fit Abbas Casæmarii. Apparuit Stella cum cauda per dies XL. Vênit Robertus Princeps in Campaniam Junio, & accepit tributum à Ceperano usque Signum. Obiit Joannes Abbas Sancti Clementis.

1109. Ind. secunda Princeps Robertus vênit super Anagniam.

1110. Ind. tertia Legati Regis Henrici Romam venerunt, orantes, ut Papa concederet Regi. Abbas Placidus renunciavit Abbatiam, qui fuit Episcopus Ferentinus, & Amatus fit Abbas.

1111. Indictione quarta. Hoc anno mortui sunt Rogerius Dux, & frater ejus Boëmundus, & Richardus de Aquila. Rex Henricus in Italiam cum magno exercitu vênit, & cepit, & incendit Novariam, & vênit Romam, & susceptus est à Papa honorificè, & intromissus in Ecclesiam Sancti Petri, ut eum coronaret. Tunc ipse Rex dolosè peragens unà cum suis ceperunt Papam, Cardinales, Episcopos, nobiles. Papa jubente juraverunt Cardinales non excommunicare cum Papa, quòd non in suo officio violaret eum tenere Regnum; quòd nulli personæ meritum redderet de eis, quæ Rex fecerat eis: Henricus imperavit annis quindecim.

1113. Ind. sexta Ceperanus crematus est 11. Idus Augusti, & arcem Ceccani in S. Mariæ.

1114. Ind. septima Pisani debellaverunt Majoricam, & Minoricam Insulas. Paschalis Papa fecit Synodum apud Ceperanum, & dedit insignia Duci Wilielmo.

1116. Ind. nona Abbas Amatus renunciavit Abbatiam Casæmarii, & Benedictus fit Abbas.

1117. Ind. decima. Terræmotus magnus per totam Longobardiam, & submersa sunt multa ædificia. Henricus Imperator Romam rediit, & Paschalis Papa fuit Beneventum.

1118. Indictione undecima Gelasius Secundus sedit annis 1. Hoc anno 11. Kalend. Februarii, obiit Papa Paschalis. Joannes Cancellarius in Papam Gelasium ordinatur eo die. Eodem die Henricus Rex ordinavit alium Papam in Roma invitu Clericorum, Mauritium nomine, in Papam Gregorium VI. Id. Martii.

1119. Ind. duodecima, obiit Gelasius Papa. Calixtus Secundus sedit annis quinque, mensibus decem, diebus tredecim. Guilielmus Archiepiscopus Viennæ ordinatus est in Papam Calixtum.

1120. Ind. decimatertia Calixtus Papa vênit Romam, inde Beneventum, & Dux Willelmus, & Princeps Jordanus, & Magnates Apuliæ fidelitatem ei fecerunt, & perrexit Bari, & liberavit de captivitate Reginam Boamundi.

1121. Indictione decimaquarta Calixtus Papa cum Romanis, & cum maxima gente vênit super Arenariam, sed fallaciter hoste suo prœliante vacuus revertitur.

1122. Indictione decimaquinta Stellæ innumerabiles visæ sunt cadere per totum Orbem pridie . . . . Aprilis horæ matutinæ. Ticclena cremata est.

1123. Indict. prima Benedictus Abbas Casæmarii renuntiavit Abbatiam, & Petrus Præpositus factus est Abbas. Eodem anno Calixtus Papa pacem cum Henrico Rege per Legatos, & Synodum fecit ferè quingentorum Episcoporum. Iterum, & iterum congregato exercitu post alia castra, quæ expugnavit, cepit Magentiam, & Baro capite truncatus est, uxorque illius, & filii expositi, quia interfecerant apud Pipernum Crescentium Comitem Domini Papæ. Idem fecit Aqueputiæ.

1124. Ind. secunda. Obiit Calixtus Papa 19. Kalend. Januarii; consensu omnium Clericorum Romanorum post septem dies ordinaverunt Lambertum Ostiensem Episcopum in Honorium Papam, qui sedit annos quinque, mensem unum, dies vigintiquinque.

1125. Ind. tertia. Hoc anno Idus Martii vênit Honorius Papa cum maxima gente, & cepit Trevem, atque Magentiam, & crematavit priùs Tertium, & Roccamsiccam, & Julianum, & Sanctum Stephanum, & Prosseum, & abstulit Sanctum Laurentium. Postea comites Godefridus, Landulphus, Rainaldus juraverunt Papæ.

1126. Indictione quarta, Honorius Papa cepit Segnis, & Viculum. Interfecto Otto Lotharius imperavit annis undecim.

1127. Indictione quinta, Honorius Papa vênit super Supinum, & plurimis interfectis, cum dedecore reversi sunt Romam.

1128. Indictione sexta Godefridus, & Raynaldus Comites Ceccani, quamplurima oppida ceperunt. Homines castri Frabr. . . . & Supini reddiderunt se Guidoni, & Joanni. Mortuo Duce Guilielmo Papa cum exercitu rediit Beneventum.

1129. Ind. septima Bipæ crematus est.

1130. Indictione octava, Innocentius Secundus sedit ann. tresdecim, mens. septem, dieb. 7. Obiit Honorius Papa, & divisa est Ecclesia. Alii ordinaverunt Innocentium Papam, atque alii Anacletum. Obiit Placidus Episcopus Ferentinensis, & electus est Dominus Gisus, sacratus ab Anacleto.

1131. Indictione nona, Obiit Gottefridus Co-

Comes; hoc anno fecit Rogerius per terram suam clamari Rex.

1132. Indictione decima, Sol visus est habere circulum, ut arcus.

1133. Indictione undecima, Rex Lotharius vênit Romam cum Innocentio Papa, & ab eo coronatus recessit. Sol obscuratus est, & terræmotus grandis.

1135. Indictione decimatertia, Rex Rogerius incendit Aversam, & tulit terram Comitis Raynaldi, & Unfridi, & obsedit Neapolim.

1137. Indictione decimaquinta, Innocentius Papa vênit cum Eleutherio Rege, & ceperunt totam terram usque Varim, & ordinaverunt Raynonem Comitem Ducem, & reversi sunt. Tunc Rex pugnavit cum Duce, & perdidit. Conradus imperavit annis quindecim.

1138. Indictione prima, Obiit Anacletus. Depositus est Dominus Gisus Episcopus Ferentini, & electus est Episcopus Transmundus Signinus. Kalend. Octob. fuit ventus validus, ita quòd multa ædificia, & arbores prostravit. Innocentius excommunicavit Regem Rogerium cum omnibus suis fautoribus, & Gulielmum filium. Tunc Papa, & Præfectus, & Dux Robertus cum multis venientes apud Sanctum Germanum, & incendentes omnia, veniunt Gallutium, ibi captus est Papa cum multis, & facta est redemptio tacenda.

1139. Indictione secunda, Innocentius Papa congregavit Synodum in Roma, & damnavit partem Anacleti. Mense Junii vênit Papa cum Romanis ad expugnandum Regem Siciliæ, & incensa sunt à Romanis Salvaterra, & Insula, & S. Angelus in Tudicis. Et cùm esset Gallucium, captus est Papa à Rege Rogerio cum multis; factâ treguâ cum Rege reversus est Romam.

1140. Indict. tertia, vênit Rex Siciliæ, & filii ejus mense Julio ceperunt Soram, Arcem, & usque Ceperanum.

1141. Indictione quarta, hoc anno factus est Diaconus 8. Kalend. Martii hebdomada in Quadragesima in Ecclesia S. Joannis de Ciccano.

1142. Indictione quinta, Luna 14. obscurata est 2. Id. Februarii.

1143. Ind. sexta Cœlestinus Secundus, mens. quinque, diebus quatuordecim; hoc anno cecidit turris Arenaria, 4. Kalend. Febr. & obscurata est Luna 14. in 4. Non. Febr. incipiente nocte per tres horas. Obiit Landulphus de S. Joanne 4. Non. Septembris. Obiit Innocentius Papa 4. Id. Septemb. Guido Cardinalis in Papam Cœlestinum ordinatur. Rex Siciliæ vênit Arcim, & misit in suo jure. Obiit Godefridus filius Domini Landulphi 16. Kalend. Novembris, & filii Regis ceperunt totam terram Marsorum.

1144. Indictione septima, Lucius Secundus sedit mens. undecim, diebus septem. Obiit Landulphus Pusanus undecimo Kalend. Aprilis feriâ sextâ. Vênit Rex Siciliæ in mense Junio Ceperanum, & Dux filius ejus intravit in terram S. Petri, & cepit eam.

1145. Indictione octava, Eugenius Tertius sedit ann. 8. mens. 4. diebus 20., & cessavit diebus 2.

1146. Indictione nona. Obiit Petrus Abbas S. Clementis 14. Kal. Aprilis in Parasceve, & intravit Leo Abbas 16. Kal. Julii. Romani venerunt super Tiburim, & multos ex eis decollaverunt.

1147. Indictione decima, Papa perrexit ultra montes.

1148. Indictione undecima, 11. Kal. Aprilis interfectus est Transmundus Ferentinus in Vinculum. Dedicata est Ecclesia Sancti Clementis à duobus Episcopis 14. Kal. Septemb. Feriâ quintâ Michaël Episcopus Aletrinus benedixit Altare majus, quod est desuper. Leo Episcopus Verulanus benedixit Altare Sancti Stephani, quod est in confessione. Postea Ferentinati elegerunt Ubaldum Episcopum, qui fuit Pratensis.

1149. Indictione duodecima Ceccanus crematus est Id. Sept. Feriâ tertiâ. Rex Franciæ revertitur à transmarinis partibus. Cùm esset Florentini, Gregorius Fummonensis ivit invisere eum, & captus est à Papa, & abstulit ei Fummonem.

1150. Indictione decimatertia, Eugenius Papa Florentinum vênit infra mens. Octob. & multos Archiepiscopos, & Episcopos ordinavit. Terracina capta est 6. Kalend. Decembris.

1151. Indictione decimaquarta, hoc anno Bartholomæus presbyter ejectus est de Ecclesia Sancti Clementis 4. Non. Februarii die Sabbati, perdidit omnia sua, & officium, sed receptus est 7. Idus Julii feriâ secundâ. Eugenius Papa ivit Castrum, & dedicavit ibi Ecclesiam Sanctæ Crucis, 10. Maji, & 6. Kal. Novembris dedicavit Ecclesiam Casæmarii, & reversus est Segnim.

1152. Indictione decimaquinta, Eugenius Papa reversus est Romam octavo Idus Septemb. Exiit Leo Abbas, & electus est Landulphus Abbas 12. Kalend. Octob. die Sabbati Quatuor Tempora: ipso die in ipsa Ecclesia Sancti Clementis ordinatus est Subdiaconus, & conversus. Fridericus Imperator imperavit ann. 38. qui excessit alios in malum contra Ecclesiam.

1153. Indictione prima, Anastasius Quartus sedit ann. 1. mens. 4. diebus 25. Obiit Ptolomæus Tusculanus 5. Kal. Martii. Obiit Landulphus Comes Ceccani 3. Id. Aprilis Sabbato in Palmis. Obiit Eugenius Papa Non. Julii Tiburim. Deportatus est Romam, sepultus in Ecclesia Sancti Petri. Conradus Episcopus Savinensis consensu omnium eligitur in Papam Anastasium. Scalona capta est à Christianis 14. Kal. Septembris.

1154. Indictione secunda, 13. Kal. Julii vênit fulgur de Cœlo in valle, quæ est subtus Ecclesiam Sancti Clementis, & occidit ibi Joannem presbyterum, & Petrum, & Benedictum, & Mariam die Sabbati. Obiit Anastasius Papa Tertio Non. Decemb. Albanensis Episcopus eligitur in Papam Hadrianum. Hadrianus sedit ann. 5. mens. 8. diebus 27.

1155. Indictione tertia, hoc anno Cancellarius Guilielmi Regis Siciliæ cum maxima gente infra mensem Maji vênit Ceperanum, & in tertio Kal. Junii crematum est. In Kal. Junii in terram S. Petri, & ivit ad Montem Sancti Joannis, & ibi 3. Non. Junii cremavit Castrum Babuci. Postea vênit Frusinunem, & cremavit Tuderiam, & sic reversi sunt. Deinde vênit Rex Romam, & coronatus est à Papa Hadriano in festivitate S. Petri, & reversus est Spoleti, & cremavit illum, & reversus est in terram suam. Et duodecimâ Kal. Septemb. Mariburellus cremavit arcem. Postea vênit Apostolicus cum Cardinalibus in 7. Id.

Id. Octobris ad Civitatem Soranam, & dedicavit ibi Ecclesiam S. Mariæ. Et Domnus (A) Apostolicus unà cum Principe recepit Capuam, & aliam terram, & in festivitate Sancti Martini crematus est Pophe.

1156. Hîc vênit Fridericus Romam, & accepit coronam apud Sanctum Petrum ab Hadriano Papa.

1156. Indictione quarta. Hoc siquidem anno Guilielmus Rex Siciliæ pugnavit cum Græco apud Brundusium, & devicit eum, dehinc vênit Barim, & destruxit eum, & fecit ex eo villas. Inter hæc Robertus Princeps fugit, & captus est à Comite Richardo cum suo filio, & filia in Trajectu, & datus est in manu prædicti Regis. Deinde vênit Beneventum, (B) ubi erat Hadrianus Papa cum Comite Roberto de Rotellu, & cum Comite Andrea, & cum multis aliis, & ejecit eos inde, & fecit finem cum Domino Papa, & fecit ei jusjurandum, & Dominus Papa concessit ei totam terram, quam in se tenebat. Mense Madio Simon Soranus interfectus est à suis hominibus; filius ejus Simon fecit vindictam pro eo, fecit cremare, & prædare totam Civitatem. Post hæc ascendit in arcem Surelle, & rebellavit se Regi. Tunc Rex fecit obsidere eam per totum annum, & eo ampliùs, & non potuit eam acquirere, & Papa reversus est Romã.

1157. Indictione quinta, hoc anno Gregorius Comes Ceccani acquisivit Carpinetam in (C) octava Sanctæ Mariæ. Mens. Novemb. vênit Comes Andreas cum Romanis, & Græcis, & aliis multis. Aquisivit totam terram Fundanam, & cremavit Trajectum. Pro vindicta Principis acquisivit terram Sancti Benedicti. Post hæc intravit Cominum, & cremavit Portam, & Campuri, & perrexit usque Atinum, & reversus ad Aquinum.

1158. Indictione sexta, hoc anno in festivitate Innocentum, Feriâ quartâ post Ephiphaniam, perrexit Comes Andreas super Civitatem S. Germani, & pugnavit cum militibus Regis, & devicit eos, apprehendit ex illis plusquam ducentos, & omnia spolia eorum: alii fugerunt ad Monasterium Sancti Benedi- (D) cti, & Comes misit Civitatem in suo jure, & ascendit in Montem, & possedit Monasterium usque in festo Quadraginta Martyrum, dimisit omnem terram, & ivit Anconam; deinde ivit ad Imperatorem, qui obsidebat Mediolanum. In hoc anno in festo Sancti Bartholomæi Ciccanenses pugnaverunt inter se: miles Landi de Valle de Montone, & miles Jonathæ Tusculanæ, qui perdidit alio die. Rogerius Abbas Sanctæ Mariæ obiit.

1159. Indictione septima, hoc anno Papa Hadrianus vênit Anagnim, & ibi defunctus est Kal. Septemb. Feriâ tertiâ, & divisa est Ecclesia. Omnes Cardinales elegerunt Cancellarium in Papam Alexandrum. Guido de (E) Crema, & Raymundus, & Episcopus Tusculanus elegerunt Octavianum Cardinalem in Papam Victorium, & sacratus est Pharphum, & Alexander priùs sacratus est Nimpha. Hoc anno crematus est Pipernus, & Fummone. Ubaldus Episcopus Ferentinus ivit cum Vicario ad Imperatorem.

1160. Indictione octava, in hoc anno Fridericus Imperator destruxit Cremam, & totam fecit cremare, & possedit Placentiam, & Mediolanum.

1160. Indictione octava, Alexander Tertius sedit annis vigintiuno, duobus diebus minùs, & cessit die septima. Hic vênit Anagnim, & acquisivit totam Campaniam, & misit in suo jure. Hoc anno ordinavit Flaimundum Monachum de Monasterio Casæmarii in Verulana Ecclesia, 6. Nonas Octob. ordinavit Rodulphum presbyterum, & consecravit eum Episcopum in Ferentinensi Ecclesia. In eodem mense accepit filiam Comitis Berardi de Albe Andreas Comes Comini. In eo conjugio prædictus Berardus reddidit Comiti Andreæ pecuniam, ex qua recuperavit terram suam. Insuper & dedit ipsi totum dominium terræ suæ, & ivit in Cominum, & spoliavit Sclavos. (*) Et postea perrexerunt in terram Sancti Vincentii, & cremaverunt plures villas. Sexto die intrante mense Madio apparuerunt tres Soles. Id. Octob. fuit terræmotus magnus. Hoc anno Episcopus Narniæ ivit per Episcopatum Ferentinensem, & chrismavit pueros.

1161. Indictione nona, hoc anno 17. Kal. Febr. in aurora fuit ingens terræmotus. Comes Robertus intravit terram usque Tarentum. Comes Andreas relictâ terrâ ivit Constantinopolim, & multi Comites conjunxerunt se Comiti Roberto.

1162. Indictione decima, in mense Martio Imperator Henricus accepit Mediolanum.

1162. Indictione decima, Alexander Papa ivit in Francia. Et mense Martio vênit Rex Guilielmus Siciliæ, & vicit Comitissam, Lathementium, & cepit Tabernam, & multi Comites amissis terris fugerunt, quos persecutus est exercitus Regis usque Abrutium, cui præerat Richardus Ilajæ, & Rex vênit in colle Aponis, & constituit milites in Montem Casinum in custodiam. Et misit Comitem Lauri cum exercitu, & ceperunt Montem Archanum, & uxorem Comitis Richardi, & multos, qui ibi inventi sunt. Comes Gregorius Ceccani obiit, & Episcopus Landulphus de Sora obiit in Arpinum.

1163. Indictione undecima, hoc anno 3. Non. Jan. ventus evertit domos, & arbores quamplurimas.

1164. Indictione duodecima, hoc anno Victor Papa obiit mens. Aprilis apud Lucam Civitatem, & elegerunt Dominum Guidonem Cardinalem in Papam Paschalem. Eodem anno Ecclesia Sãctæ Mariæ de charitate ab Alatrinis, & à Frusinonibus cremata est, & ibi multi servientes Regi Siciliæ mortui sunt, & cõbusti.

1165. Indictione decimatertia, Christianus Cancellarius, & Comes Gotheolinus ceperunt Maritimam, & Campaniam, præter Anagniam, quam devastaverunt, & incenderunt Cisternam, & Castrum, & fecerunt jurare totam terram ad fidelitatem Paschalis, & Imperatoris, & sic redierunt in Tusciam. Post eversionem illorum Comes Gilibertus, & Richardus de Gaja venerunt cum exercitu Regis Siciliæ, & intraverunt in Campaniam, & Verulani se reddiderunt, postea possederunt cum Romanis Aletrum, Ciccanum, & Arenariam, & non potuerunt illam capere. Et sic intraverunt in Vallem Sancti Laurentii, & incenderunt Castrum Sancti Stephani, & Pressei, & unusquisque postea rediit ad propria. Hoc autem anno Ripe, Turrice, & Castrum Sancti Laurentii, & Insula cremata sunt, & Alexander

 Papa

(*) Vide Præfat. ad hocce Chronicon.

Papa reversus est Romam.

1166. Indictione decimaquarta, Guilielmus Rex obiit mens. Madio, & filius ejus Guilielmus successit in Regnum, cum matre sua Margarita Regina. Et eo anno obiit Raynaldus Casinensis Abbas, & Dominus Theodinus de Scarpa electus est in Abbatem. Comes Andreas intravit terram Regis Siciliæ cum Comite Richardo, & obsederunt Pastinam, & non potuerunt eam capere. Tunc perrexerunt ad Picam, & incenderunt eam, & ceperunt Itrum, & Trajectum, & reversi sunt Ceccanum, & milites Regis incenderunt Trajectum.

1167. Indictione decimaquinta, hoc anno 7. Kal. Januarii Arenaria incensa est: hoc anno mens. Madio Cancellarius Imperatoris Friderici vênit super Romanos cum grandi exercitu, & pugnavit cum eis 3. Kal. Junii, in qua pugna fuerunt mortui de Romanis sex millia, & capti multa millia. Deinde prædictus Cancellarius devastavit, & obsedit Romam. Ipso mense Simon de Sorella devênit homo Regis Siciliæ, cui concessa est tunc Sorella, & Sora, & Pesclum Sodolum, & Broccum. Deinde jussi reædificare Soram ceperunt omnes homines, qui fuerunt ex ea ibidem reversi. Imperator Fridericus vênit Romam, & obsedit eam. Papa autem Alexander ob metum Imperatoris per flumen Tiberis exivit de Roma, & ivit Beneventum. Romani autem cùm vidissent impetum Imperatoris non posse se sufferre, fecerunt illi fidelitatem, & dederunt illi obsides præter majores, qui erant in munitionibus suis. Post hæc Imperator discessit à Roma cum omni exercitu suo, quia æstas erat fervida, plurimi de ejus exercitu infirmabantur, & tot moriebantur, quòd aliquis vix enumerare posset, ita ut cum paucis redierit in Alemanniam. In hoc anno pluit ab octavo Kal. Augusti sæpiùs usque in quinto Id. Novembris, & postea non pluit usque in 13. Kalend. Februarii, & flabat ventus Aquilo, eratque frigus tam forte, ut sata non nascerentur, & stagna coagulabantur, etiam Lacus Fucini penè totus ita glacie coopertus fuit, ut super eum in alteram partem homo transire posset. Hoc anno Episcopatus Soræ concessus est Conrado, qui fuerat Archiepiscopus Maguntinæ Civitatis.

1168. Indictione prima, mense Aprili, Romani cum Cancellario Imperatoris, & cum Præfecto Romæ perrexerunt super Civitatem Albanensem, & destruxerunt illam à fundamentis, & non sinebant illam reædificare. Prædictus Conradus Archiepiscopus voluit introire in Campaniam cum exercitu Alexandri Papæ, ut subjugaret illam, sed non valuit, quia Comites de Ceccano resistebant ei fortiter. Hoc anno fuit fervida æstas, & non pluit, ideo sata non impleverunt in plurimis locis. Mense Septembris, die vigesima obiit in hæresim Paschasius Papa, & pars ejus elegit electum de Albanis in Papam Calixtum.

1169. Indictione secunda, mense Febr. Adinulphus de Arpino obiit apud Ceccanum; mense Martio Comes Robertus de Loretello profectus est in Siciliam facere concordiam cum Rege. Obiit Guido de Ceccano Comes Non. Kal. Octob.

1170. Indictione tertia, mense Martio, die 15. Kal. Aprilis vênit Alexander Papa Verulas, ordinavit ibi Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios ordines. Hoc autem anno misit Imperator Constantinopolitanus Nepotem suam cum Episcopis Græcis, & cum Comitibus, & cum multis militibus, & cum magna pecunia ad Alexandrum Papam, ut daret eam in conjugio Odoni Frajapanis de Roma, qui apud Verulas eam conjugavit, & tunc ipse Odon cum ea reversus est Romam. Postea prædictus Papa Alexander fecit fabricare Ecclesiam apud Verulas ex sua pecunia pro elephantiosis, in qua obtulit multa dona. Quinto Id. Martii Papa Alexander vênit ad Ecclesiam Sancti Petri de Canneto, & profectus est ad Verulas. Septimo Id. Madii tam vehemens fuit terræmotus, quòd plerosque muros Civitatis destruxit, quòd etiam per se sonaverunt campanæ decem diebus; stante mense Madio pars Ripæ arsit.

1172. Indictione quinta, Alexander Papa fecit finem cum Romanis, qui destruxerunt muros Civitatis Tusculanæ mense Novemb.

1173. Mense Novembris, Alexander Papa vênit Signias 6. Kal. Februarii, & dedit Ecclesiam Sancti Paterniani cum omnibus pertinentiis suis Templariis octavo die intrante mense Febr. & in æstivo tempore Sulforaco radicitus tota siccavit.

1174. Indictione sexta, 16. Kalend. April. Mons S. Joannis arsit. 16. Kal. Septemb. fuit tam ventus validus, ut innumeras domos, & arbores à radicibus diruit, & in Insula Ponti Sollarati arsit mense Augusto.

1176. Indictione octava. 12. Kal. Novemb. vênit Cancellarius Imperatoris ad Anagniam ad Papam Alexandrum. Octavo Idus Decembris ibat Papa ad Venetiam, Cancellarius Imperatoris Theutonicorum vênit super Cellas, & eas obsedit. Comites verò Regni Siciliæ cum ingenti exercitu insurrexerunt in eum, & gens quidem Alemannorum fuit super eos, & plerosque cepit, atque fugam verterunt 6. Id. Martii.

1177. Nono Kalendas Augusti, vênit Imperator ad Papam Alexandrum ad Venetias, & receptus honorificè à Papa juravit Imperator ad Papam Alexandrum, & reversus est Anagniam. Rex Guillielmus filiam Regis Angliæ in conjugio recepit mense Decemb.

1178. Hoc anno, 4. Kal. Septemb. Joannes Strumi Tusculanum vênit, & Alexandro Papæ satisfecit, pœnitentiam egit, circa eum permansit. 3. Kalend. Octob. quidam de Secta Schismatica inito consilio Landum Sitinum elegerunt in Papam Innocentium: ab eisdem est consecratus. 4. Idus Madii ibat Papa Romam cum Cardinalibus, & Episcopis, quem receperunt Romani honorificè. Id. Septemb. Sol obscuratus est.

1179. Alexander Papa Romæ in Ecclesia Lateranensi universale fecit Concilium, totius Orbis ferè congregatis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, militibus, in quo de Ecclesiæ Dei statu, & augmento compendiosè tractavit, imitatus Sanctorum Patrum decreta, & exempla, quæ per universum Mundum noviter sunt diffusa, & honorificè à quibusdam recepta. Et maxima aquarum innundatio extitit, 14. Kalendas Septembris Luna obscurata est.

1180. Tiber fluvius nimium inundavit, & multas domos subvertit, & serpentes innumeros duxit in inundatione. Unde Romæ maxima mors extitit, & per totam Campaniam. Insu-

Insuper in Ecclesia Sanctæ Mariæ Rotundæ tanta aqua ex abysso emanavit, quæ non poterat minus, nisi conamine Dei, & bonorum virorum, ac mulierum expulsa fuit inde aqua. Mens. Jan. eodem anno Pseudo-Lando Sitinus falsò Papa dictus, captus ab Alexandro Papa, & illaqueatus est, & apud Caveam cum complicibus suis in exilium ductus est. Eodem anno Non. Octob. Ecclesia S. Joannis de Ceccano, peccatis exigentibus, tota combusta est cum sua Parochia.

1181. Tertio die intrante mense Septembris, Alexander Papa obiit. Et communicato omnium Cardinalium Consilio Ubaldus Ostien. Episcopus, apud Vilitrias in Papam ab omnibus diligenter ordinatur Lucium.

1182. Indictione decimaquarta, obiit Landulphus Comes Ceccani decimoseptimo Kalendas Junii, die Dominico. In mense Novembris castrum reddiderunt filii Landulphi de Ceccano Papæ Lucio.

1183. Indictione decimaquinta, Kalend. Februarii, Rex Gulielmus apud Sanctum Germanum vênit. Septimo Kalendas Junii à corpore puellæ visibiliter in Ecclesia de Canneto Beatus Petrus dæmonium expulit. Romani venerunt super Tusculanum Kalendas Julii, ut eam caperent, sed minimè potuerunt. Interea Cancellarius cum magno exercitu Alemannorum vênit apud Tusculanum, & Romanos ibi non invênit, sed remansit ibi cum exercitu, & cœpit valde infestare Romam, & deprædare. Tandem mense Aug. ibi mortuus est, & sepultus.

1184. Indictione prima. Hoc anno mensis Aprilis venerunt Romani super Tusculanum, & vastaverunt fortiter Tusculanum decimotertio Kalendas Maji incederunt Palianum, & Ferronem Penestrum, & sic Romani reversi sunt. Postea Dominus Papa ivit in Lombardiam, & misit Comitem Bertoldum Legatum Imperatoris Frederici pro defensione Tusculanæ, & ad recolligendam Roccam de Papa, quam ipse callidè, & dolosè expugnavit, & eam capere potuit. tamen de bestiis Rom. sæpè sæpius prædam capiebat.

1185. Indict. secunda, hoc anno Guilielmus Rex Siciliæ fecit stolium maximum per mare, & terram; super stolium maris ordinavit Capitaneum Comitem Tancredum; super stolium terræ fecit Capitaneos Comitem Alduinum, & Comitem Richardum de Cerra, & mandavit eos omnes in Romaniam ad acquirendum Imperium Constantinopolitanum. Totum stolium intravit in mare tertio Idus Junii. In festo S. Joannis Baptistæ ceperunt Durazzi. In festo S. Bartholomæi adepti sunt Saloniciam cum multis Civitatibus, & Castellis, & Roccis de Romania, jurantes fidelitatem Regi Siciliæ. Tandem exercitus Imperatoris Isaac, super quem exercitum erat constitutus quidam Princeps, qui dicebatur Granatus, obvians eis cum verbis pacificis, dicens: quòd ultra procedere non poterant, tamen si vellent ad propria reverti promisit eis securitatem, & dedit firmam pacem, ipsi tamen acceperunt securitatem, & versa vice pacem promittentes comites Regis Siciliæ in festo Sancti Leonardi à Græcis decepti sunt, & Constantinopolim in captione callidè ducti sunt. Sed Imperator cognita rei veritate, securitatem considerans, & pacem à Græcis non observatam Latinis, condoluit valde, & erubuit, & sic demum omnes deliberavit, & unusquisque supervivens reversus est ad patriam.

1186. Indictione tertia, hoc anno surrexit quædam secta in Regno Siciliæ de vanis hominibus, qui faciebant se nominare Vendicosos, & mala omnia, quæ facere poterant, non in die, sed in nocte faciebant. Ad ultimum Adinulphus de Ponte Corvo, qui fuerat magister, & princeps hujus sectæ, sententia Regali judicatus, suspensus est, & multi alii ferro ardenti signati sunt. Et quidam Presbyter nomine Sinnorito depositus est ab Aquinense Episcopo; plangens Episcopus, & ferè omnes homines Sancti Germani promittentes, & volentes eum redimere, ut non deponeretur, sed non potuerunt. Octavo Idus Decembris venerunt Romani in Campaniam, incenderunt Montem longum, & deprædati sunt sylvam mollem, & sic reversi sunt Romam. Urbanus Tertius sedit anno uno, mens. decem, & diebus vigintiquinque. Hoc anno ante Ascensionis Dominicæ festum, sextâ feriâ, & Sabbato, & Dominico die mare ubicunque probatum est, inventum est dulce. Hoc anno vênit Rex Henricus filius Friderici Imperatoris, & subjugavit sibi totam Campaniam præter Fummonem, & Castrum Ferentinum obsedit per novem dies, & ivit super Guarcinum; ibi commissum est bellum inter Theutonicum militem, & Latinum hominem nomine Malpenza, & superatus est miles Theutonicus à milite Latino; vidente, & astante Rege cum toto exercitu in circuitu. Quidam Comes nomine Henricus Roccisburgæ de fidelibus Regis, discedens à Rege cum magna parte exercitus Regis fregit securitatem Babuco, & Terræ Pufanæ, & abstulit omnem robbam, & animalia omnia, quæ in Babuco, & in Terra Pufana invênit. Et Rc habuerat fodrum ab ipsis Castellis, hospitatus est in pede Castri per novem dies, omnibus tam Ecclesiis, quàm Castellis per circuitum omnia mala. quæ inferre & facere potuit, fecit. Ceperanum reddidit Richardus Reberi. Peccatis exigentibus capta est Terra Hierosolymitana à Sarracenis.

1187. Indictione quarta, Gregorius Octavus sedit mense uno, diebus vigintiseptem. Hoc anno Lanterius Mediolanensis miles erat Ballivus per totam Campaniam, & tenebat in sua potestate Roccam de Lariano, & Castrum. Cognita morte Urbani Papæ & sui Patrui, Mediolanum redire volente, ad notitiam Domini Jordani Abbatis Fossæ novæ pervênit. Unde ipse Dominus Jordanus considerans, ne ad Curiam Romanam de supradictis Roccis eveniret perdendæ impedimentum, convênit ipsum Lanterium amicabili pacto, & dedit ei lib. pro vend. Postea Dominus Jordanus recepit prædictas Roccas in sua cura, & conservavit integras, & assignavit Clementi Papæ.

1188. Indictione quinta. Hoc anno Clemens III. sedit annis tribus, mensibus tribus, diebus vigintiseptem. Dominus Jordanus Abbas Fossæ novæ 4. Id. Martii ordinatus est Diaconus Cardinalis, 4. Non. Aprilis consecratus est Presbyter Cardinalis Tit. Pastoris Sanctæ Pudentianæ. Mense Junii missus est in Legatione Alemanniæ. 8. Idus Novembris Mabilia filia Landulphi de Ceccano data est in uxorem Comiti Jacobo de Tricario. 5. Id. No-

Novembris combusta est Tecclena à populo Ferentino.

1189. Indictione sexta. Hoc anno Dominus Jordanus Cardinalis reversus est de Legatione Alemanniæ, & applicuit Ceccanum in vigilia Sancti Petri 11. Kal. Julii. Et Imperator Fridericus in festo Sancti Georgii cœpit ire ultra mare cum maximo exercitu ad expugnandum Saladinum, qui ceperat Terram Hierosolymitanam, & tenebat eam in sua ditione, & perrexit per Hungariam, & Romaniam, ubi multa mala operatus est. Joannes de Ceccano accepit in uxorem Rogasiatam filiam Comitis Petri de Celano. Mense Novembris Guilielmus Rex Siciliæ absque hærede, quod magnum periculum fuit, mortuus est. Et sic omnes Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & universi Aulici Comites Siciliæ invicem convenientes elegerunt Comitem Tancredum, & honorificè in Regem coronaverunt.

1190. Indictione septima, 10. Kal. Januarii Joannes de Ceccano gladio militiæ accinctus est, 8. Id. Maji Comes Bertoldus Legatus Imperii Alemanniæ ingressus est Regnum Apuliæ cum magno exercitu, & ivit usque ad Arianum, cui obviantes Comes Richardus de Cerra, & Jordanus Petri Leonis Romanus cum exercitu Regis Tancredi mense Septembris, prædictus Comes Bertoldus ultra proficere non valens, sua voluntate exivit de Regno. 6. Idus Septembris Domina Ægidia peregrè profecta est ad Sanctum Jacobum.

1191. Indictione octava, Henricus Imperator imperavit annis quinque, & mensibus undecim. Tertio Kalendas Maji ingressus est Regnum Apuliæ, obsedit civitatem, quæ dicitur Arcis, alio die cepit eam, & incendit cum Rocca, & Castello Ancii, ejecit Castellanum Mazzeon Burrellum cum omnibus Latinis, & sic omnis Terra redacta est in sui potestate usque Neapolim, & cum magno, & innumerabili exercitu ipsam Civitatem circumdedit, & obsedit, & cum multis, & diversis machinis eam debellavit.

1191. Indictione octava, Cœlestinus III. sedit annis septem, mensibus novem, 7. Kal. Martii Domina Ægidia de peregrinatione prosperè regressa est. Episcopus Rodulphus Ferentinus 5. Kal. Martii mortuus est. 18. Kal. Maji Rex Henricus cum conjuge sua Constantia in Ecclesia Beati Petri à Cœlestino Papa Imperialem Coronam acceperunt 3. Kal. Maji.

1192. Indictione nona. Hoc anno Diopuldus post reversionem Imperatoris in Alemanniam, cœpit infestare Regnum, primo loco cepit Sanctum Germanum, quantum potuit expoliavit, & omnia mala, quæ facere valebat, faciebat, per totum Regnum deprædabat, & homines vendebat. Hunc rangorem recipit à Decano Montis Casini, & à Joanne Monacho ejusdem loci.

Inter multa quidem mala, quæ Rex gesserat isdem,
Quatuor advénit Napolim Lunisque resedit:
Urbs manet invicta, rediit sinè conjuge missa.
Salerni produnt, capiunt, misére Panormum
Regi Tancredo de tanto munere læto.
Morbo devicti remeant ad propria dicti.
Judicio Christi remanent per rura relicti.
Vix superest tellus morientibus his sinè ferro.
Rex Capuam vénit, feretro se ponere fecit,
Et Dux multorum lecto defertur equorum.

A *Muscam Cerbellum jubet hic assumere bellum,*
Qui sic incœpit pro me Conrade manebis.
Innuit, & vitam pro quo nec ponere vitat,
Et Roccæ Soræ Conradus dulcis in ore.
Discessu cujus arci remanet Diopoldus;
Et Dux multorum cum paucis Theutonicorum,
Et patrios lares repetit sinè conjuge, quam Rex
Duxerat in Regno secum remanere paterno.
Quos Comes Acerræ sequitur, caput est quia guerræ.
Hunc statuit dictus Regni Dominumque magistrum.
Corde quidem parvus fuit hic, sed corpore magnus,
B *Pulcher in aspectu, viso velut angue receptus*
Et fugit in bello vel ferrum jungere ferro,
Nomine Richardus nimìs ad certamina tardus.
Fallax fortuna quæ dat post prospera dura,
Deseruit dictum, de quo satìs est modò dictum.
Hic Capuam vénit, hancque dolo non Marte recepit:
De quibus invénit nullum plus vivere quærit.
Dantur & aquæductus monentibus his sinè jussu.
Quod plaustro ponunt canis est & fluminis onus.
Et de Castello Capuæ fit pax sinè bello,
Liberet ut dictus Conradus se dedit ipsum.
Nil modo plus dicam, rediit gens pestis iniqua:
Ad mala multorum remanent duo Teutonicorum.
Hi patriæ fulgur Conradus est, & Diopuldus.
C *Hi renovant bellum perturbant undique Regnum.*
Hi via cunctorum radix, doctrina, malorum,
Ad famam quorum rediit gens Teutonicorum,
Per mare, per terras reparantur & undique bella.
Ad Siculum ducat calamum nostrum mea Musa,
Mentibus adducat quæ sit fortuna secuta.
Tancredum Regem cum commissa sibi gente,
Reddat ut ablatam Romæ mandat cui Papa:
Reddidit, hancque citò missi retulere marito,
Et pater, & natus à Summo Rege vocatus,
Deserit addicta puerum cum matre relicta,
Cui fuit & nata pro multis luce creata;
Quam sibi conjunxit, rapuit, de carcere duxit
In bello doctus frammæ Gualterius hostis.
Hæc quia fama volans Gallorum duxit ad oras,
D *Rex diversorum collecta gente virorum*
Apuliam quærit, sulcavit & æquora remis.
Hic & Marcaldum jussit percurrere magnum
Æquoreos fluctus cum centum navibus, aut plus,
Insimul has proras Messenæ duxit ad oras.
Rex juramentis carta vadissque receptis
Tunc ad Messinam gaudet venisse carina.
Hanc Urbem tollunt, mare pervenere Panormum,
Hos intraverunt portus simul applicuerunt.
Colloquio dulci sibi primo allicit Urbis,
Et tactis sacris dedit omnibus oscula pacis,
Per Dominum veri, per cætera numini cœli
Unicuique sua servare per omnia jurat.
Ne fallax veri Comitem Richarde Caleni
Dirigit ad dictam pueri matremque relictam.
Urbs ut reddatur monet ut pateat hoc Comitatum.
Cui Liviæque datur puero pro Rege Ducatus.
E *Per Sacramentum puero donare Tarentum,*
Si modo Castellum reddat sibi Calatabellum,
Cur nimis infœlix natorum tristia quæris?
Tu fraudes morum non nostis Teutonicorum?
Omnia turbantur, pueri cum matre ligantur;
Jussit ut eis carcer custos ducantur, & arcet,
Gallia multorum fuit istis pœna dolorum.
Flumine turbato puero post multa necato
Mater & imbelles binæ vixere puellæ,
Quas Comes ad lucis duxit portumque salutis,
Fertur & ad Brammam per quem dependit adragma.

Hic

Hic & oves ipsas ad caulas detulit istas.
Si plus vixisset, mala quot, & quanta tulisset,
De jussu cujus mors vitam prævenit hujus.
Nemo scire potest nisi solus qui regit omnes,
Omnia cum Papa gaudent de morte tyranni.
Mortuus est mitis Leo, raptor vel Lupus Agni
Mortuus est verè, qui multos perdidit ære.
Si cui dixit Ave, fuit hoc ut ab hoste cavendum.
Mors necat, & cuncti gaudent de morte sepulti
Apulus, & Calaber, Siculus, Tuscusque, Ligurq;
Italicis ictus Henricus nomine dictus
Teutonicorum natu Rex, & origo malorum,
Imperio Romæ sexto decessit ab anno,
Mille Dei centum bis demptis tribus ab istis
Transierant anni periit cùm pessimus anguis.
Ad Siculas partes vitam dimisit & arces.
Ductus Messenis cupiens pœnas dare pœnis
Subditur infelix ibi mox, & ad infima vénit.
Discere justitiam magna res vivere recto,
Istius exemplo poterunt perpendere certo,
Quem rota fortunæ, quem fallax gloria lunæ
Eclypsim passum demersit ad infima lapsum.
Re patris invisus puer Regnum Rex Fredericus
Quod tenet infidus vastat Diopuldus iniquus;
Additur huic Soræ Conradus dulcis in ore;
Marchio Marchaldus cupit his se jungere magnus,
Quem Pater ad curam pueri Regni dare curat,
Cui parvum Regni parvissima cura,
Hunc necat obscura quæ nulli parcere curat.
Hic quia Celani Comitem devicerat, agris
Ceperat, & natum per quem putat esse beatum,
Non timet, inflatur, insanit, glorificatur.
Hunc qui sublimat, qui ditat ducit ad ima.
Nobilis istorum mala vir sed tanta luporum
Atterit & fraudem quibus offers Apule laudem.
Mille centum bis primo cum quibus anno
Per vim Francorum Capuæ, Terræque laborum
Est data magna salus, est ubi multa palus.
Theutonicorum Brammæ Diopuldum vicit ad amnem
Agnellæ pontis Francis Gualterius ortus,
Hisque die deno vénit victoria Cœlo
De Junii mense quo multos vulnerat ense.
Ad Cavios victi fugiunt Castrisque relictis.
His Aquilæ, Fundi Comes & Richardus in undis
Effugiens lethum cupiens redire Traitum.
Voce petit Cœlum: Socii remeate Calenum,
Nemo tantorum valet ictus ferre virorum.
Fortes insistunt quos spero vincere vincunt.
Annus idem Domini fuerat, sed pugna secunda.
Victus ab hoste fuit primo Diopuldus ad undam
Ponte Catinarum prope Barulum Sulpia Salum.
Fulserat undena lux Francis illa serena,
Octubrii mensis ubi Christus pugnat & ensis,
Apuliæ molles Comitis fugat ille cohortes
Per quem Scifridus octo Laviensis iniquus
Carcere cunctorum sua lugent & sociorum.
Vénit ad hæc lætus Veneris certamina Petrus
Auri nummorum quem copia solum equorum
Interfectorum nescimus nomina quorum.
Corpora rure jacent omnibus illa patent.
Laudem sublimem fers Apule, tuque Latine
Regi cunctorum, qui traxit ab ore luporum.
Et nos per Francos facit amodo vivere francos.
Annus erat quartus Domini cum mille ducentis
Quando summa Diopuldus in arce retentus,
Fur lupus invisus, laqueatus per Lodoicum.
Hanc decet & Jani lucem prima venerari,
Qua fuit impulsus, cui tam pius extitit usus
Quatent hunc axis qui se conjunxerat astris,
Quem rota sublimat, eadem deduxit ad ima.
Cujus opus gessit, hinc munus ritè tepescit.

A *Tristitiam tristi Dominus modo duplicat isti.*
Nil faciendo moræ Conradus tunc citò Soræ
Custodum fraude Roccam suscepit & arcem.
Gaudeat & caveat nec nimium paveat.
Sunt quia divisi consortes ad mala nisi.
De domibus Regno veteri de Turre memento.
Tertius annus erat Domini cum mille ducentis
Quando Salerni Gualterius ille receptus,
Urbis per stultum medium fugat & Diopuldum.
Prospera mensis erat lux Francis & duodena
Quam decet à Regni venerari gente Novembri.
Quintus & annus erat Domini cum mille ducentis,
Et fuit undena Junii lux in prima mensis.
B *His octava datur, judicio quæ renovatur,*
Cum Comes est Brammæ Sarni devictus ad amnem
Stultitia casu nec Marte dolo superatus.
Multos Francorum dolor angit, & Italicorum.
Est Runcevalli similis devictio Sarni,
Quando Nepos Magni Caroli fortissimus armis
In campo victus, Ganulus cùm prodidit ipsum,
Qui revocare tuba Dominum sociosque refutat.
Heu regale genus, jubar & decus omne Quiritum.
Heu genus Opposum vitiis virtute potitum!
Quo citò sic cecidit multorum gloria, virtus?
Multis Apuliæ caput est à corde rescissum.
Et datur ut culmo viridi sedeat Diopuldo,
Qui nunquam novit quæ sit natura leonis
Indulgere quia cujus scit nobilis ira.
C *Parcere prostratis hic novit & humiliatis.*
Culmus, idest, mundus, auriga Deus, rota currus,
Quos si quando volet ditat, terit, & levat ore.

1193. Indictione decima. Hoc anno Dominus Cœlestinus Papa misit Dominum Ægidium Diaconum Cardinalem Anagniæ Panormum; retulit Imperatricem Constantiam, quam Salernitani dederant Regi Tancredo, & honorificè duxit eam Romam, & sic Dominus Papa honorificè remandavit eam cum suis expendiis Imperatori in Alemanniam.

1194. Indictione undecima. Hoc anno Imperator præparato magno stolio per mare misit in Siciliam, & ipse cum magno exercitu D per terram veniens Oct. Kal. Septemb. Campaniam applicavit, & eam totam foderavit, & data securitate & pace totius Campaniæ fecit Babucum expoliare, & deprædari. Postea ivit Salernum, & fecit magnam partem murorum diruere, & omnes homines, quos ad manus potuit habere, captivavit, & totam Civitatem expoliavit pro vindicta uxoris suæ, quam dederat Regi Tancredo, & sic transivit in Siciliam.

Mense Decembris cum multis falsis promissionibus recepit Panormum, & palatium, & cum multis fallaciis, & deceptionibus, & Sacramentis abstraxit Regem Rogerium de Castro Catabellocte, ubi ipse securè, & abun- E danter in divitiis, & in cibaliis permanebat.

1195. Indictione duodecima. Hoc anno Imperator Henricus per Sacramenta decepit Regem, & omnes Comites, & posuit eos in vinculis, & in ergastulis, & omne aurum, & argentum, quod de Regno ad manus habere potuit, congregavit, & per terras, & per mare in Alemanniam misit, & ipse per terram reversus est in Alemanniam, deducens secum ligatos Regem, & Comites, & quamplurimos alios in captivitatem.

1196. Indictione decimatertia. Hoc anno gratiâ & misericordiâ Dei Omnipotentis tempore Domini Joannis de Ceccano Ecclesia Sanctæ

ctæ Mariæ Fluminis honorificè dedicata est & consecrata. Ad quam consecrationem fuit tamquam pater Dominus Jordanus Presbyter Cardinalis, & Dominus Berardus Ferentinus Episcopus, Dominus Joannes Anagninus Episcopus, Dominus Petrus Signinus Episcopus, Dominus Oddo Verulanus Episcopus, Dominus Taddæus Alatrinus Episcopus, Dominus Tedelgarius Tarracinensis Episcopus. Officium sicut incœptum est Nono Kal. Augusti post cœnam convenientibus Episcopis cum Domino Cardinali, & cum maxima multitudine Clericorum, & Laicorum, tam Campaniæ, quàm Maritimæ, & aliarum Provinciarum ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Fluminis ordinata est processio, in qua processione fuerunt septem paria facularum accensa, viginti thuribula argentea cum igne, & aromatibus, quatuor Evangelistaria argentea, duodecim Cruces argenteæ, & quatuor cagæ cum Reliquiis, quas Reliquias deportaverunt ad quatuor papiliones, qui permanebant in Canapinis extra circuitum Ecclesiæ, cantantes resp. *Hæc est vera fraternitas*, & in unoquoque papilione septem lampades erant ardentes, & sic in papilionibus vigilatæ, & custoditæ sunt Reliquiæ à Clericis cantantibus, & laudantibus, & benedicentibus Dominum, & undique cantus, & laus Laicorum virorum, & mulierum per totam noctem non defecit.

Octavo Kalendas Augusti, facto mane convenientibus Episcopis, & congregatis cum Domino Cardinale secundùm rationem consuetudinis primo loco consecraverunt Corpus Ecclesiæ Beatæ Mariæ semper Virginis. Deinde reparantes processionem, euntes ad papiliones tulerunt inde Reliquias, & portaverunt eas in Ecclesia Sanctæ Mariæ, precibus omnium Episcoporum. Dominus Cardinalis locutus est tam benè, & subtiliter, quòd omnes qui heri, & nudius tertius eum agnoverant, incredibili admiratione mirati sunt. Nondum finito sermone ecce Dominus Joannes de Ceccano, qui graviter infirmabatur in domo sua, advênit sanus intus in Ecclesiam, quod videntes omnes homines, pro maximo miraculo recipientes, & quasi per mediam horam stupendo cum ingenti voce gratiarum, laudaverunt, & benedixerunt Dominum, qui vivit & regnat in Cœlis. Sermone finito altare majus, quod est in medio Ecclesiæ Sanctæ Mariæ situm consecratum est per manus Domini Berardi Venerabilis Ferentinatis Episcopi, assistentibus, & cooperantibus ei Domino Jordano Venerabili Cardinali S. R. E., & Domino Joanne Venerabili Anagnino Episcopo ad honorem Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & gloriosissimæ Virginis Mariæ Matris Domini nostri Jesu Christi. De Reliquiis istis, de ligno Domini. De vestimento Beatæ Mariæ, Petri Apostoli, Jacobi Apostoli, Marci Evangelistæ, Laurentii Martyris, Sebastiani & Sociorum ejus, Sanctorum Innocentum, Marii, Marthæ, Audifax, & Abacuc, Stephani Papæ, de lapide Sancti Stephani Protomartyris, Chrisanthi, & Dariæ, & Sociorum ejus, Eventii & Alexandri, Cæsarii Martyris, Aureliæ, Superantiæ. De vestimento Sancti Thomæ Cantuariensis Episcopi. Ipso die, & ipsa hora consecratum est Altare Sancti Pauli, quod est situm in porticu prædictæ Ecclesiæ per manus Domini Oddonis Venerabilis Verulani Episcopi. De Reliquiis istis: Marcelliani, Mauritii Martyris, Naboris Martyris, Abundii, Nerei, de Sanguine Beatæ Lucillæ, Secundinæ Virginis. Eò die, & eadem hora Altare Sancti Quirici, quod est situm in alio porticu sæpe nominatæ Ecclesiæ consecratum est per manus Domini Thaddæi Venerabilis Alatrini Episcopi. De Reliquiis istis: De ligno Domini, de petra Sepulchri, Sebastiani, quadraginta Martyrum, Sanctæ Barbaræ. Ipso die, & ipsa hora Ecclesia Beati Matthæi Apostoli, quæ est juxta sæpe dictam Ecclesiam cum Altare consecrata est per manus Domini Petri Venerabilis Episcopi Signini, assistente, & cooperante ei Domino Tedelgario Venerabili Tarracinensi Episcopo. De Reliquiis istis: De vestimento Virginis Mariæ, Philippi & Jacobi, Marci & Marcelliani, Chrisanthi & Dariæ, Concordii Martyris, & aliorum Sanctorum, quorum nomina Deus novit. Expletis Divinis Officiis reversus est unusquisque Episcopus ad propria hospitia. Dominus Cardinalis reversus est ad Curiam. In apparatu ciborum, centum panes, sex urnæ vini, una vacca, duo porci, duo castrati, sex gallinæ, quindecim pulli, unus anser, media libra piperis, & cinnamomi, & sofferanæ. Dominus Episcopus Anagninus ad Ecclesiam Sancti Joannis, nonaginta panes, quinque urnæ vini, una vacca, unus porcus, quatuor gallinæ, decem pulli, unus anser, novem qua.... de annona, unum par bacilium, duæ tuallæ, una libra de cera pro candelis, & duæ pro faculis. Dominus Episcopus Alatrinus tantundem ad Ecclesiam Sancti Petri. Dominus Episcopus Verulanus tantundem ad Ecclesiam Sancti Quintiani. Dominus Episcopus Tarracinensis ad Ecclesiam Sancti Nicolai quinquaginta panes, duæ urnæ vini, media vacca, medius porcus, duæ gallinæ, sex pulli, unus anser, tres unciæ piperis, & cinnamomi, tres qua.... annonæ, duo bacili, duæ tuallæ, una libra de cera pro candelis, duæ pro faculis. Dominus Episcopus Signinus tantundem ad domum Stephani de Natoni. Magister Joannes Ferentinus, unus porcus, viginti panes, una urna vini, tres pulli, una qua... de annona, una uncia piperis ad domum Joannis Gagetani. Omnes Ecclesiæ de Ceccano secundùm quantitatem habuerunt panem, & carnem. Dominus Berardus Episcopus Ferentinas remansit ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ propter Ferentinates, quibus volebat dare expensas, & dedit omnibus illis, qui recipere voluerunt, & corpus Ecclesiæ tantis hominibus dedit cibalia, ut illi qui scribere vellet fastidium generaret, sed gratiâ Dei nullus vênit eo tempore pro cibaliis, qui vacuus recederet.

Finita consecratione Ecclesiarum, & Altarium, primam oblationem, quæ ibi oblata fuit, Dominus Cardinalis obtulit, & manibus suis posuit super majus sæpe nominatum Altare, suum paratum pretiosum, videlicet, bonum amictum frisatum, bonum camisium frisatum, bonum cingulum frisatum, pulchram stolam cum manuale, optimam Tunicam cum dalmatica, & planetam frisatam cum tali friso, quod Dominus Cardinalis emerat in Colonia pro novem marcis de argento, optimam tirallam frisatam super Altare, pulchra sandalia cum caligis, bonum faldestorum. Secundam oblationem Dominus Joannes de Ceccano obtulit, videlicet chartam libertatis, quam ipse

ipse manibus suis supra sæpe nominatum Altare posuit taliter scriptam.

In nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis M. C. nonagesimo sexto, Pontificatus Domini Cœlestini III. Papæ anno sexto Indict. XIV. mense Julii, die XXIV. Hac die Ego Joannes de Ceccano in præsentia Domini Jordani Cardinalis Sanctæ Pudentianæ charissimi patrui mei, & Venerabilium Episcoporum, Berardi Ferentinatis, Petri Signini, Joannis Anagnini, Thaddæi Alatrini, & Oddonis Verulani, Tedelgarii Tarracinensis, & multorum hominum totius Campaniæ, & Maritimæ, tam Clericorum, quàm etiam laicorum, inductus amore divino, & pro redemptione animæ meæ, atque meorum parentum, præteritorum, præsentium, & futurorum, concedo Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Flumine, & Domino Landulpho dilecto Abbati ejusdem Ecclesiæ, & universæ familiæ ejus, tam Clericis, quàm etiam laicis præsentibus, & futuris plenam, & perpetuam libertatem, abrenuntiando datæ malo usui, & omnibus exactionibus; & si quis pro quocunque crimine commisso ad Ecclesiam istam confugerit, nec ego, nec successores mei per me, vel per ministros meos, ei dum ibidem fuerit, nec violentiam aliquam, nec injuriam inferemus, nisi in mortem meam, meorum hæredum, vel in proditione Castrorum meorum, vel in combustione Castrorum ipsorum fuerit machinatus. De ordinatione Clericorum, & destitutione me nullatenus intromittam. Si verò Clericus, aut laicus ejusdem Ecclesiæ in aliquo offenderit, Abbas cum Clericis in eorum Capitulo cogent ipsum ad justitiam exhibendam, salvo jurepatronatus. De consilio igitur communi Domini Jordani Cardinalis, & omnium Episcoporum, & consensu Joannis de Ceccano institutum est, ut quicunque contra hanc concessionem fecerit, vinculo anathematis innodetur, & partem cum Nathan, & Abiron habeat. Ad majorem itaque cautelam, ne quod factum est, diuturnitate temporis in oblivionem veniat, presbytero Benedicto dilecto Notario nostro id scribere mandavimus, & chartam ipsam fecimus sigilli nostri munimine insigniri.

1197. Hoc ipso anno Henricus Imperator egressus Alemanniam pridie Kal. Decemb. advênit Ferentinum, & per septem dies ibi moratus cum pace, & æquitate, postea ivit Capuam, & invento ibi Comite Richardo de Cerra in ergastulis, fecit eum judicare. & per pedes ad caudam equi ligare, & per lutum omnium platearum Capuæ fecit deducere: & jussit eum post hoc per pedes appendi, & tam diu in patibulo mansit appensus, quousque Imperator mortuus est. Post Nativitatem Domini Henricus Imperator egressus Capuam, ivit in Siciliam. XVII. Kal. Febr. Cœlestinus obiit. Eodem die Lotherius Diaconus Cardinalis electus; VII. Kal. Martii consecratus est in Innocentium III. Papam.

1198. Hoc anno Henricus Imperator obiit in Sicilia. Philippus, & Oddo electi Reges in Alemannia. Hoc anno Mercoaldus, & Diopuldus, & Conradus Sorelle congregato magno exercitu Teutonicorum ceperunt Sanctum Germanum, & deprædaverunt, & omnes homines, & mulieres fugientes ad montem Casinum, quos capere potuerunt, in vinculis tenuerunt, & vendiderunt, & Monasterium obsiderunt per octo dies. Adveniente nocte festi Sancti Mauri, Dominus misit super eos tan-

A tam tempestatem ventorum, & aquarum, quòd diruit omnes papiliones, & fugientes ad Sanctum Germanum multi mortui sunt per viam. Populus, qui erat intra Monasterium egressus manè, videns miraculum, quod factum fuerat, deferens gratias Deo remiserunt papiliones, & omnia, quæ ibi invenere. Et Teutonici ultra non fuerunt ausi ibi ascendere, sed custodiebant vias, ne innumerabilis populus virorum, mulierum, parvulorum Sancti Germani, & Abbatiæ fugere posset. Sciebant inopiam panis ibi esse, sed Abbas Roffridus, & Magister Gerardus Cardinalis cum consilio multorum nobilium arma-
B torum, qui ibi erant pro defensione Monasterii dederunt CCC. uncias auri Mercoaldo, & sic reliquit Sanctum Germanum valde vastatum, & cum toto exercitu ivit in Siciliam. Quot & quanta mala ibi fecit, & successores sui, magis generaret fastidium tristitiæ, quàm affectum lætitiæ. Secundo Kalend. Decembris vênit Diopuldus in Campaniam cum exercitu, & cepit Ripas, & Turricem, & sedit ibi per tres hebdomadas, & deprædavit, & vastavit quantum potuit ipsa tantummodo Castella.

1199. Hoc anno vênit Comes Gualterius Francigena, mense Junii ingressus Regnum ivit Capuam. Diopuldus cum Comite Fun-
C dano, & cum magno exercitu ivit super Capuam ad capiendum Comitem Gualterium. Comes Gualterius cum parvo suo Comitatu, 4. Idus Junii egressus foràs confidens in misericordia Dei ivit super Diopuldum, & expulit eum, & fugavit de castris, multis interfectis, & captis. Videntes Capuani tantum miraculum valde obstupuerunt, & laudaverunt Deum. Cùm Comes Gualterius omnia castra videret vacua de hominibus, plena magna suppelectile, & animalibus; primo loco milites omnes, quos habebat captos misit in custodiam Tianum. Postea de castris, & equis pro suo velle, & gratia dedit benedictionem Capuanis. Alio die omnes mortuos, qui jace-
D bant per Campos, fecit eos sepelire in magnum Vallum. Diopuldus, Sifridus, & Oddo Laviensis, & alii quamplures in Apuliam fugientes eodem anno, & tempore vires, & animum resumentes, & viriliter confortantes, cœperunt congregare exercitum, & præparare se ad pugnam Campestrem in Territorio Barlettæ prope pontem Cannarum. Quod audiens Comes Gualterius, similiter congregavit exercitum cum Domino Roffrido Abbate Casinensi, & cum Magistro Rogerio Apuliæ Cardinali, ivit super exercitum Diopuldi paratus ad bellum; adveniente fine mensis Octob. Comes Gualterius cœpit pugnare fortissimè Diopuldum, & exercitum ejus, in qua pugna
E Diopuldus devictus, & fugatus, captus est Sifridus, & Oddo Laviensis, & quamplures alii parvi, & magni. Tanta strages mortuorum ibi facta est, quæ præ multitudine numerata non fuit. Et sic Comes Gualterius in Campo Dei misericordia victor extitit.

In nomine Domini. Amen.

ANno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo primo, Indictione IV., Pontificatus Domini Innocentii Tertii Papæ, Anno ejus IV. Kalend. Maji. Hac die, in præsentia nobilissimi viri Domini Joannis de Ceccano

ante Portam Sanctæ Mariæ Fluminis. Ego Robertus quondam filius Domini Rayn. vice Comitis miles, & habitator Ceccani vendo tibi presbytero Landulpho, & Abbati Sanctæ Mariæ Fluminis de Ceccano, & tuis successoribus in sempiternum unam terram, quæ est in Territorio Ceccani, in loco, qui dicitur Campus amici pro VI. libris proven. & si plus valet dono ipsi Ecclesiæ præscriptæ pro anima mea, & parentum meorum, cujus latera sunt hæc; à primo, secundo, & tertio latere terra Benedicti Joannis Papæ, à quarto latere via publica, & promitto me ipsam terram defendere ab omni homine, qui calumniam facere vellet jam dictæ Ecclesiæ: & si non defendero obligo me, mesque hæredes in pœna duplum, & pœnâ solutâ venditio firma permaneat. Hujus venditionis hi sunt rogati testes.

Benedictus de Land.
Magister Spinellus.
Magister Raynon.
Petrus de Viguerla.
Magister Raynulphus.

Anno Domini Millesimo ducentesimo primo, Indict. IV., Pontificatus Domini Innocentii III. Papæ, Anno ejus IV., mense Augusti, die vigesima secunda. Quoniam humana natura imbecillis, & debilis, ea, quæ ab hominibus aguntur, de facili diuturnitate temporis oblivioni mandat, ideo in legibus, & consuetudinibus introductum est, ut scriberentur. Ego Joannes de Ceccano proprio, & spontanea mea bona voluntate trado, & dono in perpetuum tibi Domino Landulpho Abbati Venerabili S. Mariæ de Flumine de Ceccano, duas petias terræ in Territorio Ceccani, unam in loco, qui dicitur Campus amici, cujus latera sunt hæc; à primo latere terra Roffridi de Marina, à secundo via publica, à tertio latere terra de Landulpho de Suffla, à quarto flumen. Alia verò terra in loco, qui dicitur Cosa, à primo latere terra Sancti Clementis, & terra Sancti Nicolai, à secundo latere Cosa, à tertio latere terra Domini Beraldi, & terra Girardi, à quarto latere via publica, pro qua donatione recipio unum molendinum in Territorio Ceccano, in loco, qui dicitur Vadum in locatione in vita mea, à te jam dicto Abbate, & sociis tuis, presbytero Helia, presbytero Nicolao Capella, presbytero Magistri Joachim, presbytero B. de Alberto Diacono, Christophoro Diacono, Nicolao, Subdiacono Guidone, Clerico Jacobo, & Clerico Adinulpho. Tali siquidem conditione prædictum debeo molendinum tenere, & habere in vita mea, quòd post mortem meam totum integrum revertatur molendinum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ cum ferramentis, & petris, quæ tunc temporis ibi erunt. Et si aliquis fortè, quod non credo, litem aliquam, vel calumniam Ecclesiæ jam dictæ inferre attentaverit, do tibi, tuisque successoribus plenam potestatem eos sub vinculo anathematis innodare. Ad majorem igitur cautelam præcepi presbytero Benedicto Notario meo, ut hoc totum in scriptis redigeret, & sigilli mei munimine roboraret.

Hi sunt vocati testes.
Dominus Joannes Domini D. D.
Dominus Trasmundus Sarracenus.
Dominus Siginulfus.
Dominus Joannes Domini Radulphi.
Dominus Philippus Domini Rainaldi.

In nomine Domini. Amen.

ANno Dominicæ Incarnationis MCCII. Indict. V. Pontificatus Domini Innocentii Tertii Papæ, Anno ejus V. mense Aprili die XV. Joannes de Ceccano dilecto Cellerario suo Noë salutem, & amorem. Volentes diligere Ecclesiam S. Mariæ Fluminis de Ceccano, & in veneratione ejusdem Ecclesiæ Abbatem Dominum Landulphum, & ejus socios habere, atque in justis petitionibus tuis te in hac parte audire, admittimus preces tuas, atque damus tibi licentiam vendendi terram, quam tu habes in territorio Ceccano in loco, qui dicitur Pariti; secundùm quod petisti. Ego Noë nullo me prohibente, neque vim faciente, sed propria spontaneaque mea bona voluntate vendo tibi Domino Landulpho Abbati S. Mariæ de Flumine prædictam terram & tuis successoribus, in prædicto Territorio, & loco Ceccano pro viginti solidis, & si plus valet dono ipsi Ecclesiæ in perpetuum, cujus latera sunt hæc: à primo latere terra Transmundi de Aczo, à secundo latere terra Domini Simonis de Mauro, à tertio, & quarto latere via publica.

Hi sunt testes.
Dominus Siginulfus.
Dominus Philippus Domini Rainaldi.
Dominus Guido Domini Rainaldi clericus.

1200. Terræmotus grandis.

1202. Indictione quinta. Hoc anno tertio Kalendas Januarii fuit nimia tempestas ventorum, quæ arbores eradicavit innumeras, ædificia diruit, domos evertit, atque eversione domorum, & allisione sua plurimos interemit. Hic annus ab omnibus dictus est annus famis. Mensura grani de Ceccano assiduè vendebatur pro sedecim solidis proven. & hæc inopia frumenti fuit per totam Lombardiam, & Thusciam, Romaniam, & Campaniam, per Regnum Apuliæ, & Terrælaboris.

1203. Indictione sexta undecimo Kalendas Februarii Berardus Episcopus Ferentinus obiit; Nonas Maji indignatione Romanorum Dominus Papa vênit Ferentinum, undecima Kalendas Junii fecit ibi & consecravit Dominum Albertum Longium Canonicum Anagninum Episcopum de Ferentino.

1204. Indict. septima. Hoc anno septimo Kalendas Februarii Conradus Comes Sorelle genere Theutonicus vênit Babucum nocte cum multitudine armatorum, & per scalas, quas secum detulerant, ascendentes introgressi sunt, nemine sentiente; expergefacti tandem ad quorundam suorum clamores Babucani, & se invicem cohortantes, divino nutu expulerunt omnes. Atque interfectis ex eis ampliùs sexaginta vulneratisque nonnullis inanes ac vacuos remiserunt.

1206. Indictione nona, septimo Kalend. Martii Dominus Jordanus Presbyter Cardinalis Sanctæ Pudentianæ obiit; secundo Idus Maji, Dominus Papa Innocentius Ferentinum vênit, & ab Ecclesiis fodrum recipere noluit dicens, quia ultra modum Ecclesiæ gravarentur: undecimo Kalendas Junii Stephanus Diaconus Sancti Heliæ de Ceccano factus est Camerarius Domini Papæ.

1208. Indictione undecima, decimoquinto Kalendas Martii anno decimo Domini Innocentii Papæ Tertii Sorella capta est; & Nonas Januarii Sora tradita est, & à Theutonicorum tyran-

tyrannide liberata. Factum est hoc per Domini Papæ Innocentii Tertii solers studium & laborem in manu Camerarii sui Domini Stephani, germani sui Richardi, Domini Cardinalis Petri de Sasso Rectoris Campaniæ. Sora autem tulta est per Abbatem Casinensem Rosfridum, & Malgerium Sorellum, & quosdam alios. Duravit hoc Theutonicorum jugum gravissimum decem & septem annis, per quos tota regio multifariè, multisque modis afflicta est, & depauperata perplurimum. Celebrato Festo Ascensionis Domini Innocentius Papa Tertius egressus Roma vênit Anagniam; decimosexto Kalendas Julii egressus Anagniam invênit Dominum Joannem de Ceccano cum 50. militibus pulcherrimè præparatis ad Maprum ad conducendum, & ludendum coram Domino Papa usque ad fontem castri Juliani, ubi inventus est Clerus totius terræ Domini Joannis de Ceccano, paratus ad processionem usque intro castrum Juliani. Ante januam Ecclesiæ Dominus Albertus Ferentinus Episcopus cum Clericis de Ceccano honorificè paratis, & indutis vestibus Ecclesiasticis recepit Dominum Papam, cantando responsorium: Tua est potentia. Finita Apostolica Benedictione, unusquisque rediit ad propria hospitia, Clerici de Ceccano redierunt ad papilionem extra castrum, ubi honorificè, & abundanter pro suo velle in platea, in pane, & vino, & parvis, in vaccis, in castratis, in porcellis, in gallinis, in anseribus, in pipere, in cinnamomo, in soffrania, in cera, in hordeo, & herba. Post nonam usque in hora cœnæ cum suis militibus Dominus Joannes de Ceccano in præsentia Domini Papæ jocavit buburbando. Feriâ tertiâ alio die Dominus Papa ivit Pipernum, & comedit ibi, & dormivit; & Dominus Joannes de Ceccano cum toto comitatu suo similiter Pipernum ivit. Ad auram post meridiem Dominus Papa cum omnibus ivit ad Monasterium Fossæ novæ, solemniter cum processione receptus, in refectorio cum Conventu cœnavit. In sero inventi sunt ducentum equi ad hordeum, paleam, & herbam. Feriâ quartâ clarente die Dominus Papa dedicavit altare majus Ecclesiæ novæ prædicti Monasterii. Eâdem horâ, & in ipso loco Dominus Richardus Frater Domini Papæ factus est Comes Soræ, & exaltatus, & buccina vociferatus per Protonotarium à Domino Federico Rege Siciliæ pro hoc delegatum. Et per totum diem ibi Dominus Papa moratus est cum Conventu Monachorum usque ad portam Monasterii cum processione celebre conductus, ivit ad castrum Sancti Laurentii; die, & nocte permansit ibi. Feria quarta adveniente ivit castrum, & die, & nocte ibi pernoctavit. Sabbato transivit ad Ceperanum, die & nocte permansit ibi. Dominico die proximante, à Clero totius Abbatiæ Casinensis solemniter in Sanctum Germanum Dominus Papa receptus est, & ibi permansit usque in septimo Kalendas Augusti. Præter quod Festum Beati Joannis Baptistæ, Sancti Petri Apostoli, & Sancti Jacobi Apostoli celebravit ad Montem Casinum. Septimo Kalendas Augusti Dominus Papa ivit Soram, & ibi recepit Ecclesiam Sanctæ Mariæ Fluminis de Ceccano sub sui protectione, & Beati Petri Apostoli, & memoriales literas suo sigillo signatas in hunc modum fieri præcepit.

A

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei. Dilectis filiis Abbati, & Clericis S. Mariæ de Flumine de Ceccano salutem, & Apostolicam benedictionem.

JUstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Flumine, in qua divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis tam Ecclesiasticis, quàm mundanis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis dante Domino poteritis adipisci, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Sancti Stephani, & Sanctæ Mariæ Ecclesias cum omnibus tenimentis, & pertinentiis suis, forestam juxta Ecclesiam Sancti Stephani, & de capite pontis de prato, & de tineis molendina, vineas juxta Ecclesiam ipsam, & aliam, quam emistis in loco, qui appellatur Marana, redditus, decimas, oblationes, homines, hortos, & possessiones alias ad vestram Ecclesiam pertinentes, sicut hactenus justè, ac pacificè possidetis, vobis, & per vos eidem Ecclesiæ auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, libertates quoque, & immunitates, nec non & exemptiones sæcularium exactionum à dilecto filio nobili viro Joanne de Ceccano, tam piè, quàm providè vobis, & Ecclesiæ vestræ concessas, sicut in ejusdem nobilis authentico perspeximus contineri, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas decernimus permanere, cujus tenorem de verbo ad verbum præsenti paginæ duximus inserendum: In nomine Domini. Anno Domin. Incarn. millesimo centesimo nonagesimo sexto. Pontif. Domini Cœlestini III. Papæ anno sexto, Indictione decimaquarta mense Julii die vigesimaquarta. Hac die ego Joannes de Ceccano in præsentia Domini Jordani Cardinalis Sanctæ Pudentianæ charissimi patrui mei, & venerabilium Episcoporum Berardi Ferentinatis, Petri Signini, & Joannis Anagnini, Thaddæi Alatrini, & Oddonis Verulani, & Tedelgarii Tarracinensis, & multorum hominum totius Campaniæ, & maritimæ tam Clericorum, quàm etiam Laicorum. Inductus amore divino, & pro redemptione animæ meæ atque meorum parentum, præteritorum, præsentium, & futurorum, concedo Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Flumine, & Domino Landulpho dilecto Abbati ejusdem Ecclesiæ, & universæ familiæ ejus, tam Clericis, quàm etiam Laicis præsentibus, & futuris plenam, & perpetuam libertatem, abrenuntiando datæ, malo usui, & omnibus exactionibus; & si quis pro quocumque crimine commisso ad Ecclesiam istam confugerit, nec ego, nec successores mei, per me vel per ministros meos, ei dum ibidem fuerit, violentiam aliquam, nec injuriam inferemus, nisi in mortem meam, meorum hæredum, vel in proditione castrorum meorum, vel in combustione ipsorum castrorum fuerit machinatus. De ordinatione Clericorum, & destitutione me nullatenus intromittam. Si verò Clericus, aut Laicus ejusdem Ecclesiæ in aliquo offenderit, Abbas cum

cum Clericis in eorum Capitulo cogent ipsum ad justitiam exhibendam salvo jure patronatus. De consilio igitur communi Domini Jordani Cardinalis, & omnium Episcoporum, & consensu Domini Joannis de Ceccano institutum est, ut quicunque contra hanc concessionem fecerit, vinculo anathematis innodetur, & partem cum Natan, & Abiron habeat. Ad maiorem itaque cautelam, ne quod factum est diuturnitate temporis in oblivionem veniat, Presbytero Benedicto dilecto Notario nostro id scribere mandavimus, & chartam ipsam fecimus sigilli nostri munimine insigniri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Soræ decimaquarta Kalendas Septembris Pontificatus nostri anno undecimo.

Audita fama, & cognita rei veritate Dominus Papa de morte Philippi dicti Regis Alemanniæ, condoluit miseriæ mortis ejus, eo quòd ita subitò sub papilione in lecto nudus jacens per manus cujusdam fidelis sui, qui dicebatur Falsusgrave mortuus est. Eâdem horâ constituit duos Legatos, videlicet Dominum Hugulinum Ostiensem Episcopum, & Dominum Leonem Branceleonis Presbyterum Cardinalem Sanctæ Crucis, & misit eos in Alemanniam ad conducendum Oddonem Regem Romæ pro accipienda ibi Imperiali Corona. Undecima Kalendas Octobris Dominus Papa egressus Sora vênit ad Monasterium Casæmarii, & pernoctavit ibi. Alio die valde manè Dominus Papa ivit Ferentinum, & mansit ibi per mensem, & ab Episcopo Alberto noluit recipere fodrum, dicens: Ego scio statum Ecclesiarum, Episcopi autem si tot, & tantis vicibus quantis ego Ferentinum venio, à vobis fodrum recipere vellent, Ecclesiæ vestræ ultra modum gravarentur, ob hæc recipere nolo. Dominus Papa reversus est Romam, & hyemavit Romæ.

1209. Indictione duodecima adveniente tempore æstatis, post Ascensionem Domini Papa Innocentius ivit Viterbium, aliquando visitans vicinas terras, tamen Viterbium revertebatur, & tamdiu ibi stetit quousque advênit Oddo Rex cum magno, & inusitato exercitu. Dominus Papa pro sua voluntate cum Oddone Rege multa locutus, reversus est Romam, & Rex Oddo post eum cum exercitu. Quinto Kalendas Octobris Dominus Papa in Ecclesia Sancti Petri honorificè coronavit prædictum Oddonem Imperiali Corona. Celebrato sacrificio coronationis Dominus Papa volens reverti Romam non poterat propter innumerabiles armatos equites Theutonicos, qui manebant extra januam Sancti Petri, usque in portam Romæ pontis Sancti Petri. Oddo coronatus Imp. vestitus Imperialibus vestimentis sacratis, mitratus, & coronatus ivit cum Domino Papa usque ad portam Romæ, & Dominus Papa ibi eum benedixit, licentiavit & rogavit eum, ut alio die adveniente recederet à territorio Romano; quod ipse minimè fecit, sed deficiente Romano fodro, & adveniente in castris panis & vini inopia, volens, nolens recessit à Roma; & ab ipso tempore Oddo Imperator pejurando cœpit habere irrita & vacua omnia præcepta Domini Papæ, & infestare, & minuere omnia jura Ecclesiæ; sed quia Dei judicio exercitus ejus fame consequente decrescebat quotidie, ferocitatem animi sui non poterat perficere. Unde Dominus Papa cœpit eum monere per Archiepiscopum Pisanum, & alios Episcopos, & Abbates, ut recederet ab iniquitate, & infestatione Ecclesiæ, quod facere contempsit, & recognosceret Deum, & viveret secundùm Legem Dei Omnipotentis, & rationem, & justitiam, & obedientiam Ecclesiæ observaret, & perficeret quæ jurejurando promiserat. Omnia vilipendens facere recusavit, tandem Dominus Papa eum excommunicavit. Per Lombardiam, & per Thusciam Oddo dictus Imperator hyemavit.

In nomine Domini Amen.

ANno Domini 1209. Pontificatus Domini Innocentii Tertii Papæ anno ejus duodecimo, mense Martii, die octava. Hac die ego Magister Rainolfus nullo me prohibente aut vim faciente, sed propria spontaneaque mea bona voluntate trado, & vendo tibi Domino Landulpho venerabili Abbati Sanctæ Mariæ de Flumine, & sociis tuis omnibus vestrisque successoribus in perpetuum pro jam dicta Ecclesia, idest, vineam unam positam in territorio Ceccano in via Sancti Stephani; propter quod accepi à vobis tres libras provent. concessá mihi licentiá à Domino Joanne Comite Ceccano. Et si ego, vel mei hæredes vobis vestrisque successoribus litem aliquam intulerimus, & ab omni homine eam non defenderimus, obligo me, meosque hæredes vobis vestrisque successoribus in pœna dupli, & venditio hæc firma permaneat. Et ego Joannes Comes Ceccani inductus utriusque partis precibus, & pro redemptione peccatorum meorum concedo, & confirmo hanc venditionem hujus vineæ fieri, quæ his lateribus terminatur. A primo latere est via publica, à secundo latere est vinea Petri Versagranum, à tertio est terra Semmacocæ, à quarto est vinea magistri Bellonis. Ad majorem itaque cautelam præcepi Presbytero Benedicto dilecto Notario meo, ut hoc in scriptis redigat, & mei sigilli impressione consignet. Hi sunt rogati testes.

Magister Spinellus testis.
Magister Amatucius testis.
Amato Joannis Bovis testis.

In nomine Domini Amen.

ANno Dominicæ Incarnationis 1209. Pontificatus Domini Innocentii Tertii Papæ anno duodecimo mense Novembris die tertia. Hac die ego Bar .... mali Nepotis nullo me cogente, aut vim inferente, sed proprio motu, & mera voluntate, atque tributa mihi potestate à Domino Joanne Comite Ceccani, trado, & vendo tibi irrevocabiliter, & in perpetuum Domino Landulpho venerabili Abbati Sanctæ Mariæ de Flumine, & sociis tuis omnibus vestrisque successoribus, idest, vineam unam positam in territorio Ceccano, quæ his terminatur lateribus. A primo latere est rivus balnei, à secundo est vinea Baronis Gaudibilis, & terra Joannis Sarraceni, à tertio est terra Raynaldi Mucidi, & vinea Rachelis, à quarto est vinea Petri Majoris. Propter quod accepi pretium à vobis quatuor libras provent. & dimid. & quod plus

plus valet do vobis pro Ecclesia pro redemptione peccatorum meorum. Et si ego, vel mei hæredes vobis vestrisque successoribus litem aliquam intulerimus, & eam ab omni homine non defendemus: obligo me, meosque hæredes vobis vestrisque successoribus in pœna dupli, & venditio hæc firma permaneat. Et ego Joannes Dei gratia Comes Ceccani inductus utriusque partis precibus, & pro redemptione meorum peccatorum, concedo, & confirmo hanc venditionem hujus vineæ fieri. Ad majorem itaque confirmationem, præcepi Presbytero Benedicto, dilecto Notario meo, ut hoc in scriptis redigat, & mei sigilli impressione consignet.

Hi sunt rogati testes.

Magister Jacobus S. Heliæ testis.
Guido Clericus Ferentinus testis.
Robertus Domini Raynaldi testis.

In nomine Domini Amen.

ANno Dominicæ Incarnationis 1209. Pontificatus Domini Innocentii Tertii Papæ anno ejus duodecimo Kalendas Maji. Hac die consecratum est Altare Ecclesiæ Beati Jacobi Apostoli, quæ posita est juxta pontem Ceccanum, per manus Domini Alberti venerabilis Episcopi Ferentini. De reliquiis Sanctorum Apostolorum Philippi, & Jacobi, Sancti Stephani Protomartyris, Sancti Nicolai Confessoris, Sancti Blasii Martyris, Sanctæ Barbaræ Virginis, & Sanctorum Martyrum Chrysanthi, & Dariæ, & Sociorum ejus, Eleutherii Episcopi & Martyris, Ambr. Martyris, Pontiani Martyris, Marcellini & Petri, & aliquorum, quorum nomina Deus novit. Et ego Albertus de Dei misericordia confisus, & meritis Gloriosæ Virginis Mariæ, & Beatorum Apostolorum, & Sanctorum Martyrum Joannis & Pauli, atque Ambr . . . & omnium Sanctorum, omnibus, qui ad prænominatam Ecclesiam in hujus consecrationis die cum devotione, & reverentia venerint ad rogandum Deum pro remissione peccatorum, de injuncta sibi pœnitentia quadraginta dies, & quartam partem venialium relaxamus per Christum Dominum nostrum. Et hanc chartam nostri sigilli munimine confirmamus.

In nomine Domini nostri Jesu Christi anno ejus 1209. Pontificatus Domini Innocentii III. Papæ anno ejus XII. mense Augusti die IV. Quoniam humana natura debilis est & infirma, ideo introductum est, & sapienter provisum, ut ea, quæ inter homines contrahuntur, in scriptis redigantur, ne oblivioni perpetuò tradantur. Ego Joannes de Ceccano propria, spontaneaque mea bona voluntate, nullo me cogente, aut vim faciente, pro redemptione animæ meæ irrevocabiliter trado, & dono in perpetuum Ecclesiæ Sancti Jacobi Capellulæ Sanctæ Mariæ de Flumine, & Domino Landulpho venerabili Abbati ejusdem loci, & sociis ejus quendam hominem meum Joannem Bonum nomine, cum toto tenimento suo mobilibus, & immobilibus suis, & omnibus ad eum pertinentibus reservata mihi meisque hæredibus hac conditione, ut quando colligere faciam majorem datam, ab ipso Joanne Bono competens quæratur adjutorium, ita quòd non sit gravatus. Facta est itaque talis donatio in præsentia Joannis Abbatis Sancti Clementis, Beraldi Abbatis Sancti Angeli de Catume, & Georgii Sancti Heliæ Capellani, & in præsentia Philippi de Raynaldo, Philippi Domini Heliæ, & Samsonis militum, & hi omnes vocati sunt testes. Ad majorem quoque cautelam, & corroborationem facti mandavi Presbytero Benedicto, dilecto Notario meo, ut hæc in suis scriptis redigeret, & mei sigilli impressione consignet.

Anno Dominicæ Incarnationis 1209. Pontificatus Domini Innocentii III. Papæ anno ejus XII. mense Decembris die VI. Joannes de Ceccano dilecto familiari suo Raheli & Joanni filio ejus salutem, & amorem. Volentes diligere Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Flumine, & in veneratione ejusdem Abbatem Dominum Landulphum, & ejus socios habere, atque in justis petitionibus tuis te in hac parte audire; admittimus preces tuas, atque damus tibi licentiam vendendi vineam, quam tu habes ad rivum balnei, secundùm quod petisti. Et ego Rahel nulla vi coactus, sed propria spontaneaque mea bona voluntate, & filii mei Joannis, trado, & vendo tibi Domino Landulpho, tuisque successoribus pro Ecclesia Sanctæ Mariæ de Flumine vineam unam in territorio Ceccano in loco qui dicitur Rivus balnei, cujus latera sunt hæc. A primo latere vinea Petri Majoris, à secundo latere vinea præscripta Ecclesiæ, à tertio latere terra Rainaldi de Sergia, à quarto latere terra Rosæ de pesa.

Hi sunt vocati testes.

Petrus de Guerra,
Benedictus de Rainon, &
Crescentius Monasterialis.

1210. Oddo dictus Imperator per Thusciam æstivo tempore permanens mense Novembris prohibitus à Domino Papa, & excommunicatus consilio Domini Perci Comitis de Celano & consilio Diopuldi ingressus est Regnum Apuliæ. Celebrato festo Sancti Martini super Soram tota terra usque Capuam redacta est in suo Imperio; & citiùs quàm potuit ivit super Aversam, & obsedit eam usque ad Nativitatem Domini, non valens eam capere reversus est Capuam, & hyemavit ibi, faciendo machinas ad capiendas Civitates, quæ nolebant venire ad suam fidelitatem.

1211. Adveniente tempore æstate, tota Apulia, & terra Laboris, & maxima pars Calabriæ devenerunt ad fidelitatem Oddonis dicti Imperatoris. Interim Nuntii Alemanniæ venerunt ad Oddonem dictum Imperatorem, qui dixerunt ei totam Alemanniam rebellatam fore. Et omnes Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Duces, Principes, Comites, & omnes Barones Alemanniæ elegerunt Fridericum Regem Siciliæ in Imperatorem, & mandaverunt in Sicilia Nuncios, qui conducerent dictum Fridericum salvum & incolumem ad recipiendum Imperium in Alemannia. Quo audito prædictus Oddo Imperator congregavit Comites Apuliæ, & terræ Laboris, confirmavit cum eis pacem, & suam bonam voluntatem. Tactus dolore cordis intrinsecus reversus est in Alemanniam, insidiando qualiter jam dictum Fredericum Regem Siciliæ capere posset, si ausus foret arripere iter, vel per mare, vel per terram.

1212. Fredericus Rex Siciliæ sola misericordia Dei vocatus in Alemannia electus Imperator, arripiens iter eundi in Alemanniam XVI. Kalend. Aprilis, quod fuit Sabbato Palmarum, applicavit Beneventum, ibique honorificè receptus, & . . . . . mansit per

per mensem . . . . ivit Romam, quem Dominus Papa Innocentius . . . . & benignè suscipiens cum maxima . . . . . omnes expensas in Civitate, & extra . . . . as auri dedit & omnia necessaria . . . . . galêis usque Genuam . . . . & licentiavit & commendavit . . . . rerum quæ pervenient . . . . Papien. cum al . . . . cum ditantes . . . . . . salvum . . . . . . niam . . . . incredibile haberetur . . . . . .

1213. Dominus Innocentius III. Papa cum fratribus suis Cardinalibus constituit, & ordinavit Concilium, & misit literas per omne seculum, ut omnes qui debebant interesse Concilio, in tertio anno, in mense Novembri parati essent Romæ.

1215. Tempore Domini Innocentii III. Papæ anno ejus octavo decimo, Mense Novembri. III. Idus Novemb. Papa Innocentius primò ascendit in thalamum, & celebrata oratione, & benedictione super conventum sic exorsus est, dicens: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam moriar &c. Interfuerunt huic Concilio CCCCXII. Episcopi. Primates autem, & Metropolitani LXXI. exceptis Patriarchis. Abbates verò, & Priores ultra octingenti, exceptis omnibus Nuntiis Archiepiscoporum, & Episcoporum, & aliorum Prælatorum absentium: nec non Regum, & Principum. Initiatum, & completum est hoc Concilium in Ecclesia Salvatoris Romæ, quæ Constantiniana vocatur.

1216. Decimo Kal. Junii tempore Domini Innocentii III. Papæ, vênit Comes Rogerius de Aquila cum exercitu suo in territorio Ceccano, devastavit segetes Sanctæ Mariæ Fluminis, & incendit ei unam molam, & duas molas Sancti Clementis, & sic rediendo hospitatus est in territorio Castri. Alio die cœpit reverti Fundum, & Dominus Joannes de Ceccano insecutus est eum, invênit eum in territorio Castri Vallis Vursæ, prævaluit super eum, fugatus est Comes, & Dominus Joannes cepit de exercitu suo Robertum de Aquila patruum Comitis cum septuaginta militibus electis & aliis hominibus: præda animalium fuit . . . . bestiis alia præda robba fuit infinita, & Comes . . . . . . sic fugiendo usque Fundum cum reliquis . . . . Domini Joannis de Ceccano non detulit secum . . . . Domini Joannis de Ceccano in campo re . . . . ntes, & exultantes de tanta . Perusinam civitatem . . . .

III. Idus Augusti consecratus est. Pridie Kal. Septembris reversus est apud Romam ad Sanctum Petrum. Pridie Non. Septembris receptus est in Ecclesia Lateranensi cum tanto gaudio & veneratione, gloria, & jucunditate, quòd omnes videntes dixerunt, quòd nullus de prædecessoribus suis in receptione similis ei fuisset.

XI. Kal. Augusti die Sabbati castrum Morol. per fortiam Domini Joannis de Ceccano captum est & combustum. Captus est ibi Oddo Novellus Columna cum undecim suis militibus, & soror ejus Mabilia cum quadam filia sua ducti sunt in captionem apud Ceccanum. Peccatis exigentibus de castro Morol. CCCCXXIV. Capita tam virorum, quàm mulierum, tam senum, quàm parvulorum combusta sunt. Omnes autem reliqui milites, & laici redacti sunt sub potestate, & fidelitate Domini Joannis de Ceccano sacramento. Dominus Thomas de Supinon dolens, & tristans dereliquit Campaniam Comitis Rogerii de Aquila, & dedit Domino Joanni de Ceccano mille libras proven. & fecit se fidelem cum Sacramento in sempiternum Domino Joanni de Ceccano, & dedit ei filium suum obsidem ad fidelitatem, & veritatem conservandam. Dominus Joannes de Ceccano primo loco reddidit Domino Thomæ uxorem suam cum filia. Dominum Oddonem de Columna cum suis militibus dedit in potestate Domini Joannis Cardinalis de Columna.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati, & Clericis Sanctæ Mariæ de Flumine de Ceccano salutem, & Apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis precibus grato concurrentes assensu, ad exemplar felicis memoriæ Innocentii Papæ prædecessoris nostri personas vestras, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Flumine, in qua Divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis tam Ecclesiasticis, quàm mundanis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Sancti Stephani, & Sancti Quirici Ecclesias cum omnibus tenimentis, & pertinentiis suis. Forestam juxta Ecclesiam Sancti Stephani, & de capite pontis, de prato, & de tineis molendina, vineas, reditus, decimas, oblationes, homines, hortos, cannapinas, & possessiones alias ad vestram Ecclesiam pertinentes, sicut ea omnia justè, ac pacificè possidetis, vobis, & per vos eidem Ecclesiæ authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Libertates quoque, & immunitates, necnon & exemptiones secularium exactionum à dilecto filio nobili viro Joanne de Ceccano tam piè, quàm providè vobis & Ecclesiæ vestræ concessas sicut in authentico ejusdem nobilis perspeximus contineri, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas decernimus permanere, cujus tenorem de verbo ad verbum præsenti paginæ duximus inserendum.

In nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis 1196. Pontificatus Domini Cœlestini III. Papæ anno VI. Indictione XIV. mense Julii die XXIV. Hac die ego Joannes de Ceccano in præsentia Domini Jordani Cardinalis Sanctæ Pudentianæ charissimi patrui mei, & Venerabilium Episcoporum Berardi Ferentini, Petri Siginini, & Joannis Anagnini, Thaddæi Alatrini, & Oddonis Verulani, & Tedelgarii

garii Tarracinensis, & multorum hominum totius Campaniæ, & maritimæ, tam Clericorum, quàm etiam laicorum. Inductus amore Divino pro redemptione animæ meæ, atque meorum parentum, præteritorum, præsentium, & futurorum, concedo Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Flumine, & Domino Landulpho dilecto Abbati ejusdem Ecclesiæ, & universæ familiæ ejus tam Clericis, quàm laicis, præsentibus, & futuris perpetuam libertatem, abrenuntiando datæ, malo usui, & omnibus exactionibus. Et si quis pro quocunque crimine commisso ad Ecclesiam confugerit, nec ego, nec successores mei per me, vel per ministros meos ei, dum ibidem fuerit, violentiam aliquam vel injuriam inferemus, nisi in mortem meam, vel meorum hæredum, vel in proditionem Castrorum meorum, vel in combustionem ipsorum castrorum fuerit machinatus. De ordinatione Clericorum, & de institutione me nullatenus intromittam. Si verò Clericus, aut Laicus ejusdem Ecclesiæ in aliquo offenderit, Abbas cum Clericis in eorum Capitulo cogent ipsum ad justitiam exhibendam, salvo jure patronatus. De consilio igitur communi Domini Jordani Card. & omnium Episcoporum, & consensu Domini Joan. de Ceccano institutum est, ut quicunque contra hanc concessionem fecerit vinculo anathematis innodetur, & partem cum Nathan, & Abiron habeat. Ad majorem itaque cautelam, ne quod factum est diuturnitate temporis in oblivionem veniat, Presbytero Benedicto dilecto Notario nostro id scribere mandavimus, & chartam ipsam fecimus sigilli nostri munimine insigniri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani 13. Kal. Octob. Pontificatus nostri anno primo.

1217. Mense Aprili quidam Comes Francigena, nomine Petrus de Asurla à Græcis vocatus, & electus in Imperatorem Constantinopolitanum, applicuit Romam cum uxore, & filiis, & alio comitatu. Honorificè à Domino Papa Honorio, & à Clero, & à cuncto Populo Romano est receptus. Quinto Idus prædicti mensis in Ecclesia S. Laurentii foris murum cum magna gloria, & decore coronatus est à Summo Pontifice cum uxore sua. Postea Dominus Papa dedit ei conductorem itineris, & defensorem Dominum Joannem de Columna Presbyterum Cardinalem, Tit. Sanctæ Praxedis. Incipientes iter transierunt mare euntes per Imperium Romaniæ gaudentes . . . potestas Imperii Romaniæ . . . invitavit prædictum Imperatorem, ut dignaretur ire per terram suam promittens ei omnes expensas usque in Civitatem Constantinopolitanam eundem insidians, & decipiens Imperatorem cum Imperatrice, & Domino Cardinale ingressi sunt terram prædictæ potestatis, quæ potestas . . . apud nos dicitur dominio, nomine Theodorus, qui postquam recepit Imperatorem, & Dominum Cardinalem voluit eos occidere. Sed responsum est ei ab amicis, & fidelibus dicentibus. Si istos occideris, semper habebis guerram ab Imperio, & à Summo Pontifice, & tu, & hæredes tui si servaveris eos vivos non erit qui te debellet. Posuit eos audacter in custodiam, & constrictè custodivit eos in logastulos. Imperatrice nolente declinare à recto itinere, perrexit salva & gaudens in Constantinopolim, & tanquam Domina, & Imperatrix recepta dominabatur.

Id. Maji Dominus Papa Honorius egressus Roma venit Anagniam. Pridie Non. Julii dedicata est Ecclesia Sancti Petri de Villa Magna per manus Summi Pontificis Domini Honorii. Decimoquarto Kalend. Augusti Dominus Papa venit Ferentinum. Octavo Id. Septembris Dominus Papa Honorius ivit Aletrum. Decimoseptimo Kalend. Octobris dedicata est Ecclesia Casæmarii honorificè per manus Domini Papæ Honorii, ubi fuit ipse cum omnibus Cardinalibus, Notariis, & cum tota Curia sua. Interfuerunt huic dedicationi duo Archiepiscopi Hispanenses, undecim Episcopi. Per gratiam Jesu Christi tanta fuit ibi abundantia ciborum in pane, & vino, in piscibus, in caseo, & in ovis, quòd omnes sinè murmuratione plenariè receperunt cibaria in sero, & in mane, plusquam mille equi inventi sunt ad annonam; tot & tanti equitantes adhæserunt Domino Joanni de Ceccano, quòd in Castri ejus ultra CD. equi adnumerati sunt.

Sexto Non. Octobris Dominus Papa reversus est Romam.

Hoc anno tanta multitudo Christianorum coadunata est in Hierosolymitanis partibus in campo super Arce, quòd volentes numerare, numerati sunt ultra vigintimillia equitantes, alia turba non poterat præ multitudine numerari: per bonam existimationem dictum fuit, quòd plusquam CC. millia peditum erant. Peccatis exigentibus in . . populo Christiano tanta inopia panis advenit, quòd unus parvus panis vendebatur duodecim denariis. De communi igitur consilio Domini Patriarchæ, & aliorum, qui præerant populo, Præceptum est omnibus pauperibus, ut redirent ad propria . . . in mense Septembris tot, & tanti fuerunt, quòd naves eos reducentes fuerunt 66. Per bonam æstimationem communiter dicebatur ab omnibus præter corpora mortuorum cruce signatorum in eundo, & redeundo supra centum millia fuere . . . . . .

In nomine Domini. Amen.

Infrascriptæ sunt constitutiones, ac antiquæ, & approbatæ consuetudines, à tempore cujus in contrarium memoria non existit, habitæ, & ordinatæ inter majorem Ecclesiam Ferentinam, & Reverendam Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Flumine de Ceccano.

In primis, quòd ipsa Ecclesia S. Mariæ, seu Abbas, & Capitulum ejusdem Ecclesiæ pro parte, & nomine ipsius tenentur, tempore Visitationis faciendæ, prout consuetum est, per Reverendum in Christo Patrem, & Dominum, Dominum Episcopum cum competenti familia si sibi placuerit, in eadem Ecclesia, & ejus domibus præfatæ Ecclesiæ sumptibus, & expensis, secundùm quod facultates supradictæ Ecclesiæ patiuntur, in comestibilibus, & potabilibus recolligere, & sibi humiliter, & devotè nihilominus ministrare.

Item, quòd dum eidem Domino Episcopo cum prædicta sua competenti familia placuerit in prælibata Ecclesia, & ejus prædictis domibus laudabiliter commorari. Item comestibilia, & potabilia sibi exeniata, vel præsentata, intrare debent ad usum communem Domini Episcopi memorati, ejusque familiæ supra-

ſupradictæ, nec non Abbatis, & Capituli prædictorum in Cellarium Eccleſiæ ſupradictæ.

Item quòd prætitulata Eccleſia debet ſua libertate, & immunitate gaudere, nec ad aliquid aliud aſtringi niſi ad quartam partem duntaxat decimæ, & commutationem; aliis verò franchitiis, libertatibus, & immunitatibus ſuis ſucceſſuris perdurare debet ſecundùm tenorem, & formam Papalium privilegiorum.

FINIS CHRONICON FOSSÆ NOVÆ.

CHRO-

CHRONICON BREVE ATINENSIS ECCLESIÆ

AUCTORIBUS ANONYMIS DUOBUS ATINATENSIBUS

Ex Codice perantiquo MS. Monasterii Fossæ novæ.

BREVE CHRONICON ATINENSIS ECCLESIÆ

AUCTORIBUS ANONYMIS DUOBUS ATINATENSIBUS

Ex Codice perantiquo MS. Monasterii Fossæ novæ ab anno primo Julii Cæsaris, ad annum usque nostræ salutis MCCCLV.

Accedit donationis monumentum Leonis Episcopi Atinatis, Clericis suis concessum ann. MLVI.

Romanorum primus Julius Cæsar regnavit ann. 4. mens. 10.

Quarto anno ejus Romæ tres Soles exorti sunt, & bos locutus est frustra se urgeri, non enim frumenta, sed homines brevi tempore defecturos.

Octavianus regnavit ann. 57. mens. 6.

Tertio anno Imperii ejus, Transtyberim oleum terræ erupit fluxitque toto die, & in decimo anno ejus Regnum & Sacerdotium Judæorum destructum est, & quadragesimo secundo anno JESUS CHRISTUS Dominus noster in Bethelem nascitur, & in quadragesimo sexto anno Herodes universos parvulos jussit interfici.

Tiberius regnavit ann. 24.

Quintodecimo anno ejus Joannes filius Zachariæ in deserto juxta Jordanum fluvium prædicat Christum. Initium prædicationis anno decimo sexto. Christus crucifigitur anno Tiberii decimo octavo. Solis facta defectio, & terræmotus ingens fuit per totum Orbem.

Cajus regnavit ann. 11. mens. 10.

Tertio anno ejus in toto Orbe Romano figuræ, & imagines Cæsaris sunt consecratæ.

Claudius regnavit ann. 13. mens. 8. dieb. 18.

Secundo anno ejus Petrus Apostolus, cùm primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ibique Evangelium prædicans vigintiquinque annis ejusdem Urbis Episcopus perseverat. Sed inter eundum, ad Atinensem se contulit Civitatem, hospitatusque est in domo cujusdam nobilis, & præclarissimi viri, Palatianus nomine, juxta templum Jovis prope Portam majorem, ubi nunc est Ecclesia ipsius Apostoli; cujus domus parietes usque hodie integri permanent ob memoriam tanti Hospitis, & Principis. In quo loco minuit sibi sanguinem idem Apostolus, & barbam rasit. Invenit autem in eadem domo Galilæum quendam, vitam in peregrinatione ducentem, Marcus nomine, à quo genus, patriamque requirens, Hebræum se esse asseruit in Galilæis finibus ortus. Quem Apostolus futurum Christi discipulum intuens, Apostolicis verbis eum instruere cœpit, qui ejus suscipiens monita, & lavacrum suscepit Baptismi. At Apostolus cœptum peragere cupiens iter, eundem Marcum, novum discipulum Romam secum adduxit, ibique in Fide Christi perfectè instruens eum, ad olim quam deseruerat civitatem, Pontificatus insulis decoratum, remisit illum, dans in mandatis Evangelium Christi inibi prædicare. Cùmque prædictus vir sanctus ab urbe Roma fuisset egressus, officium suscipiens prædicandi, miraculorum signa illum comitari cœperunt. Appropinquans autem ad mœnia civitatis prædictæ stationem fixit in Villa, quæ Septa Jani vocabatur, non longè à Civitate, in qua Idolum aureum, & argenteum ejusdem colebatur Jani. Habebat quoque eadem Villa portas septem, quia undique muris erat vallata; in quo Idolo Sanctus dum insufflasset, mox illud Divina potentia redegit in pulverem. Alio die Urbem ingressus Atinam, ad illud, quod quondam habuerat hospitium, rediit. Cujus Palatiani uxore defuncta, prædicatione viri Dei conversus est ad Dominum unà cum quamplurimis aliis. Templum denique, quod Jovis dicebatur, juxta domum quam habuerat, octavo anno post passionem Apostoli in ejus consecravit honorem. In qua nimirum Ecclesia septem Presbyteros, totidemque Diaconos ordinavit. Prædictus quoque vir Palatianus omnes possessiones, & facultates suas eidem Ecclesiæ conferens, in secreta confessione Domino spiritum reddidit, & sepultus est juxta eandem Ecclesiam in introitu ejus. Sedit autem prædictus Pontifex ann. 20. mens. 5. diebus 13. In quo spatio quinque millia, & eo ampliùs hominum ad Fidem Christi convertit usque ad tempora Domitiani perseverans, Præsidente in Sede Apostolica Beato Clemente Summo, & universali Papa.

Nero regnavit ann. 13. mens. 8. dieb. 28.

Ultimo anno ejus Romæ Petrus, & Paulus ab eo sunt interfecti.

Post Petrum verò primus Romanam Ecclesiam tenuit Linus ann. 11. mens. 3. dieb. 13.

Prima Persecutio.

Vespasianus regnavit ann. 8. mens. 11. dieb. 22.

Secundo anno ejus Titus filius ejus cepit Judæam, & Hierosolymis subversis, sexcenta millia virorum interfecit.

Titus regnavit ann. 2. mens. 5.

Primo anno ejus Mons Vesuvius eructavit incendium.

Domitianus regnavit ann. 15. mens. 5.

Quinto anno ejus construxit Templum Romæ sinè lignorum admistione, & quartodecimo anno Jo: Apostolus in exilium mittitur in Insula Pathmos.

Romanæ Ecclesiæ præfuit Cletus ann. duodecim, mens. 1. dieb. 11.

Sub hujus temporibus passus est Beatiss. Marcus Atinensis Episcopus, discipulus B. Petri Apostoli, à Maximo Præside totius Campaniæ, anno post Passionem Domini sexagesimo tertio, 4. Kal. Maji. Qui Præses dum famam Sanctissimi Præsulis percepisset, missa apparitione, coram se Sanctum exhiberi præcepit. Quem cùm à Fide Christi nequaquam divellere posset, post macerationem carceris, & famis inopiam, verberibus etiam, & flammis adhibitis, in amphiteatrum ejusdem Urbis Tribunal sibi parari constituit. Qui ut erat nequissimus, & ad peragendum scelus promptus, & avidus, coram universis civibus, in ejus capite duos jussit clavos infigi: quorum unum in fronte, alterum in ejus corona infixerunt. Demum verò cum duobus Presbyteris, cum quibus coram Judice fuerat præsentatus, ductus est extra Urbem in campestri loco juxta monumentum, quod vocatur Imperiale: ibique capita eorum à corporibus recidentes, ea inhumata reliquerunt. Fideles autem, qui intra Urbem absconsi degebant, noctu pergentes, Corpus B. Martyris separatim à capite posuerunt: alia verò duo in uno condiderunt sepulcro, & sic ubi posita sunt permanserunt usque ad tempora B. Sylvestri Papæ, Præsidente in Sede Atinensi Maximo Episcopo, imperante verò Constantino Imperatore.

Secunda Persecutio.

Romanæ Ecclesiæ præfuit Clemens annis 9. mens. 2. dieb. 10.

Hic secundo anno Pontificatus sui ordinavit in Civitate Atinensi Fulgentium Episcopum, qui sedit ann. 31. mens. 7. dieb. 28. Iste sepelivit Corpora SS. Nicandri, & Marci juxta Corpus Christi Martyris Marci constituens sibi parvum habitaculum. Hujus etiam cura fuit studiosiùs recondere Corpus B. Marci Martyris, & separatim caput à corpore ponere. Obiit autem tertio Kal. Octobris, & positus est juxta Ecclesiam B. Petri Apostoli.

Nerva regnavit ann. 1. mens. 4. Eodem anno Senatus decrevit, ut omnia, quæ Domitianus statuerat, in irritum deducerentur.

Romanæ Ecclesiæ præfuit Anacletus annis 12. mens. 1. dieb. 11. Ultimo anno Pontificatus ordinavit in Civitate Atinensi Hilarium Episcopum, qui sedit ann. 27. dieb. 4. Obiit octavo Idus Decembris, & positus est juxta Ecclesiam B. Petri à Septentrionali parte.

Trajanus regnavit ann. 19. mens. 7. Septimo anno hujus Romæ Aurea Domus incendio conflagravit.

Romanæ Ecclesiæ præfuit Evaristus ann. 13. mens. 7. dieb. 2. post quem Alexander ann. 10. mens. 7. dieb. 2.

Tertia Persecutio.

Adrianus regnavit annis 21. Primo anno ejus Judæos cepit contra Romanos rebellantes.

Romanæ Ecclesiæ præfuit Xystus ann. 10. mens. 3. dieb. 21. Primo anno Pontificatus sui ordinavit in Civitate Atina Urbanum Episcopum, qui sedit annis 28. dieb. 10. al. d. 15. Obiit autem secundo Kal. Martii, & sepultus prope Ecclesiam B. Petri.

Sub hujus temporibus Adrianus Imperator Atinam veniens templum Dianæ continuò fecit in eo loco, ubi Balnea dicebatur Imperialia, non longè ab Amphitheatro contra Meridianam plagam, subtus viam aquæductus.

Thelesphorus sedit annis 11. mensibus 3. diebus 22.

Antoninus regnavit ann. 22. mens. 7. dieb. 26.

Romanæ Ecclesiæ præfuit Hyginus ann. 4. mens. 3. dieb. 8.

Post hunc Anicetus ann. 8. mens. 3. dieb. 3. Septimo anno Pontificatus sui ordinavit in Civitate Atina Lucium Episcopum, qui sedit ann. 31. mens. 4. dieb. 8.

Quo Præsidente præcepta Antonini Imperatoris ad coërcendam Civitatem Atinam directa sunt. Dedicatum in eadem Urbe Palatium in eo loco, ubi nunc dicitur Palatium Antonini in Monte juxta arcem ejusdem Civitatis.

Romanæ Ecclesiæ præfuit Pius ann. 11. mens. 4. dieb. 21.

Romanæ Ecclesiæ præfuit Sother ann. 9. mens. 4. dieb. 20.

Eleutherius sedit ann. 15. mens. 7. dieb. 5. Anno sexto Pontificatus sui ordinavit in Civitate Atina Salomonem Episcopum, qui sedit ann. 36. mens. 10. dieb. 25.

Hic cùm esset natione Romanus, facundiùs cæteris Præsulibus apicem sui Præsulatus tenebat. Composuit autem gesta Sanctorum Martyrum Nicandri, & Marciani, & Marci Præsulis; Pasicratis quoque, & Dariæ, super quorum corpora parvum construxit templum, & erexit à latere. Fecit & Ecclesiam in honorem ejusdem Pasicratis, & Dariæ, in eo loco, ubi Horrea vocantur, in quadam Villa, quæ erat ibidem. Unde usque hodie dicitur locus ille, mutato nomine, Broila. Prædictus itaque Pontifex die noctuque juxta eadem corpora psalmis & orationibus vacans, Domino spiritum reddidit Kal. Augusti, & sepultus est ibi ante januam ipsius domus.

Victor sedit ann. 10. mens. 11. dieb. 10.

Zephyrinus sedit ann. 16. mens. d. 10.

Sub Antonini Caracallæ Imperatoris temporibus dedicatum est in Atina Forum ejusdem Antonini, non longè ab amphitheatro, magnis lapidibus, & politis marmoribus: juxta quod forum situm est, & templum Saturni, ante cujus fores aquæductus distenditur variis operibus insignitus, habens Idola septem, & septem absidas, in quibus posita erant. Constructum est etiam ibi & sepulchrum ejusdem Saturni variis & diversis marmoribus ornatum, in quo ejus ossa posita sunt, missa in quodam æreo loculo in modum reticulæ factum. Quod templum, & forum Gentilium ritu dedicatum est 10. Kal. Junii imperante Severo & Antonino.

Calistus sedit ann. 5. mens. 11. dieb. 10.

Hic

Hic autem primo anno sui Pontificatus ordinavit in civitate Atina Dimitrium Episcopum, qui sedit ann. 31. al. 38. mens. 5. dieb. 19. Sed senectute gravatus, oculorum lumine caruit annis 26. Sepultus est autem in Cœmeterio prædecessorum suorum in Ecclesia B. Petri.

Urbanus. Anterus. Pontianus. Ultimo anno Pontificatus sui ordinavit in civitate Atina Carum Episcopum, qui sedit ann. 22. mens. 3. dieb. 22. Qui cùm orationi cum quibusdam Fidelibus vacaret juxta Corpus B. Marci pro quodam dæmoniaco, inruentibus Paganis, ipsum interfecerunt: cujus sanguis in dæmoniacum prosiliens, illico mundatus est. Sepultus est autem ibidem tertio Kalendas Maji.

Fabianus. Cornelius. Lucius. Stephanus. Primo anno Pontificatus sui ordinavit in civitate Atina Vigilantium Episcopum, qui sedit ann. 20. al. 21. mens. 7. dieb. 26. Hic autem toto vitæ suæ tempore in Ecclesia deorsum apud Martyres mansit, jejuniis & orationibus vacans. Sepultus est autem ibi 4. Kal. Junii.

Xystus. Dionysius. Felix. Eutychianus. Gajus. Secundo anno Pontificatus sui ordinavit in civitate Atina Prudentium Episcopum, qui sedit ann. 25. al. 30. mens. 2. dieb. 5. Hic cùm quodam die Idolum Junonis, quod erat in templo, quod situm est juxta Thermas Antonianas, evertere vellet, tentus à Paganis occiditur. Cujus corpus ante ipsum Templum inhumatum relinquentes diebus tribus à Christianis rapitur, & in Ecclesia Beati Petri humatur ipso die Kal. Aprilis.

Marcellinus. Marcellus. Eusebius. Melchiades. Ultimo anno sui Pontificatus ordinavit in civitate Atina Maximum Episcopum, qui sedit annis 30. al. 25. mens. 5. dieb. 10. In hujus temporibus constructa est Ecclesia in honorem B. Mariæ semper Virginis, & B. Marci Martyris, & Pontificis in eo loco, ubi dicitur Pes Silicis, juxta monumentum, quod vocatur Imperiale, circa viam, quæ dicitur Monumentorum, eo quòd hinc inde plena sit monumentis, magnis lapidibus, diversis marmoribus, & excelsis columnis in longitudine pedes centum sexaginta tres, in latitudine pedes quadraginta duo, habens in gyro murum excelsis lapidibus: in qua posuit corpus prædicti martyris Marci subtus Altare majore, in quodam sepulcro marmoreo, cum lapideo titulo nomen Christi Martyris intimante. Posuit & caput ejus separatim à corpore in vasculo vitreo simul cum clavis, in angulo ipsius Basilicæ ab occidentali parte. Posuit & juxta idem corpus Venerabilium Episcoporum corpora prædecessorum suorum. Fecit in gyro domos ad susceptionem hospitum: Fecit & domos ad utilitatem Clericorum suorum. Construxit quoque Ecclesiam in honorem Sancti Nicandri Martyris in Pedemontis, ubi nunc est Castrum Vitalbi. Obiit autem 8. Kal. Maji, & sepultus est in Ecclesia sua.

Constantinus Imperator cùm totam Scythiam Romano subjugasset Imperio in suo reditu in Urbe Atina Templum Saturni construi jubet, ubi & corpus ejusdem Saturni humatum reperit in tumulo marmoreo; Sacerdotes cujus primatum censuit habere.

Julius Papa. Primo anno sui Pontificatus ordinavit in civitate Atina Eugenium Episcopum, qui sedit ann. 31. mensib. 9. dieb. 16. Sub hujus temporibus constructa est arca, ubi requiescunt corpora SS. Nicandri, & Marciani juxta majorem Ecclesiam, à parte Septentrionali, quam texit plumbo: sic mansit tempore multo: ab intus verò arcam Porphyreticis, & variis lapidibus vestivit, portisque ferreis, æneisque fortiter clausit illam. Posuit & supra fornicem arcæ ossa quorundam Sanctorum, quorum nomina ignorantur. Posuit & in vestibulo arcæ ossa Pasicratis Martyris, in ingressu illius Basilicæ. Fecit & in circuitu murum lapidibus magnis ad munitionem ejus, in modum circuli. Venerabatur autem . . . . . . locus ille honore congruo & frequentatione assidua, quia virtus de illo exibat, & sanabat multos. Obiit autem decimo Kalend. Februarii, & sepultus est in eodem loco.

Liberius. Damasus. Duodecimo anno Pontificatûs sui ordinavit in civitate Atina Romanum Episcopum, qui sedit ann. 41. mens. 10. dieb. 26. usque ad tempora Arcadii Imperatoris perseverans, cujus gladio necatus est, in prædicta Ecclesia Beati Marci Martyris in suburbio ejusdem Urbis sita, 7. Idus Septembris. Iste siquidem Romanus Martyr mortuus est ab exercitu Arcadii Imperatoris in prædicta Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ nunc Ecclesia Sancti Bartholomæi Apostoli dicitur, quæ sita est in loco, qui dicitur Pes Silicis, ubi & B. Marcus recepit martyrium, & per multa tempora quievit, & hîc etiam erat Episcopatus, quæ quoque Ecclesia in ejus honorem, & B. Mariæ dedicata est à supradicto Maximo.

Arcadius prædictus Imperator cùm filium suum ad regendam, & dominandam civitatem Atinam misisset, agentibus nuptiis cujusdam præclaræ Virginis, in quibus nobiliores, & pulchriores totius Urbis convenerant, contigit ipsum Imperatoris filium interesse, qui inter ipsa gaudia nuptiarum quandam nobilissimam, & pulcherrimam conspiciens puellam, ejus amore adustus in concupiscentiam prædictæ Virginis vehementer exarsit. Quam adhibitis nunciis ad concubitum suum, quandoque blanditiis, quandoque minis, quandoque muneribus curavit allicere. Sed virgo verba pro verbis reddens immobilis permanebat. Verùm labor improbus omnia vincit. Invênit prædictus filius Imperatoris artem, qua artem deluderet. Finxit sese infirmari, & gravibus doloribus cruciari, misso autem nuncio, prædictam puellam ad se venire præcepit, quæ cùm ejus cubiculum ingressa fuisset, eam ad suum cœpit coarctare concubitum. At illa pro viribus retinens, ipse suis viribus virginem oppressit. Cujus sceleris famam dum parentes ipsius mulieris comperissent, ad domum Imperatoris irruentes Imperatoris filium interfecerunt. Quod cùm Imperator audiisset, paravit exercitum valde terribilem, & expugnavit civitatem Atinensem septennio, quam cùm minimè capere posset, rediit Romam. At Imperator paciscens cum Atinensibus, post tempus omnes nobiles, & nobiliores ejusdem Civitatis ad se venire mandavit; qui cùm coram eo præsentati fuissent, omnes interfícere jussit; equos autem eorum, & arma aliis militibus præcepit donari, & eos coram exercitu suo præire constituit; ipse verò sequebatur cum multitudine sua. Appropinquantes itaque milites prænominati ad urbem Atinam (quia erant induti vestimentis suorum, & sedebant equos eorum) aditum intrandi Civitatem datum est eis. Quam cùm fuissent ingressi, omnes, quos inveniebant, trucidabant. Im-

Imperator autem, nec mora, supervênit, qui mortem filii sui morte crudelissima vindicavit, in qua cæde mortuus est Episcopus ejusdem Urbis Romanus nomine, simul cum Clero suo. Cives siquidem partim gladio corruentes, partim fuga evaserunt, quosdam verò duxere captivos, quorum hæreditas ad alienos devênit, & domos eorum ad extraneos. Imperator verò deputatis fossoribus omnia mœnia, & muros Civitatis pariter dirui fecit. Habebat autem Civitas in gyro muros, tres portas cum viis suis, & turribus tres, porterolas septem; magna autem porta dicebatur Aurea, in qua erat Idolum Herculis, quod oportebat ab omnibus introëuntibus adorari. Hæc est porta, quæ est juxta templum Jovis, ubi nunc est Ecclesia Sancti Petri in vico majore, sub qua ductus aquæ influebat. Alia porta erat ab Orientali parte Civitatis in via, quæ dicitur Balnearia, quæ erat etiam ab utraque parte murata, & desuper cooperta. Tertia autem porta erat à parte Meridiana, in via, quæ dicitur . . . . juxta quam Lapis est Imperatoris, & multæ aliæ historiæ in lapidibus ibi cernuntur. Habebat etiam Amphitheatrum Romano opere constructum; habebat etiam templum Saturni, templum Dianæ, templum Jovis, & templum Junonis, Forum Antonini, Thermas Antonianas, & Balnea Imperialia. Civitas verò ad solum redacta multis temporibus mansit inculta.

Papa Anastasius. Innocentius. Bonifacius. Cœlestinus. Xistus. Leo Primus. Tempore Leonis majoris Imperatoris Atinenses cives post destructionem, quam fecerat Arcadius Imperator, revertentes reædificaverunt eandem Civitatem, & muris fortissimis vallantes ipsam binas munitiones inibi construxerunt, quarum una in monte juxta palatium Antonini, altera verò in colle, qui nunc collis turris dicitur, sita est. In ea verò, quæ sursum est, Ecclesiam S. Mariæ ædificarunt, in qua Episcopus ejusdem urbis temporibus belli morari consueverat. In illa autem dorsum Consules, & Duces bellorum inhabitabant. Fecerunt & Ecclesiam Sanctæ Mariæ, quæ parva dicitur, juxta forum Antonini.

Tertio anno Pontificatus Hilarius Papa ordinavit in civitate Atina Bonifacium Episcopum, qui sedit ann. 34. mens. 6. d. 9. In hujus autem temporibus Episcopium ejusdem urbis reædificatum est eo opere, quousque hodie cernitur, ibique cum Clero suo psalmis, & orationibus vacans quievit in Domino 7. Kal. Maji, & sepultus est in eadem Ecclesia.

Papa Simplicius. Felix. Quo tempore Anianus Eremita super Eufratem fluvium oratione podagras curari. . . .

Gelasius. Anastasius. Symmachus. Decimo anno hujus Pontificatus ordinavit in civitatem Atinam Vindemium Episcopum, qui sedit ann. 18. mens. 9. d. 6. Hic autem cùm per aliquantulum temporis in Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ in Arce est, moratus fuisset, Oratorium ibi construxit Sancti Onuphrii, in quo loco ob infestationem bellorum permanens quievit in Domino 2. Id. Octob. & sepultus est in eodem loco.

Pelagius Papa ordinavit in civitate Atina Felicem Episcopum, qui sedit ann. 30. d. 19. Iste construxit Ecclesiam Sanctæ Mariæ, quæ parva dicitur, & mortuus est Martyr à Duce Beneventano, destructa etiam civitate, & Ecclesia majore.

Post tempora verò reparata est civitas, & ordinatus est in Episcopatu suo in Ecclesia Sancti Sylvestri, quæ sub ejus tempore dedicata est, Gaudentius, vel sicut alius Catalogus animadvertit, postea vênit Dux Beneventanus, & destruxit civitatem Atinam post destructionem Arcadii Imperatoris. Post hæc reconciliaverunt civitatem Pinnenses, & Furconenses. Ipsi autem inierunt, & rogaverunt Papam Honorium, ut illis secundùm consuetudinem Civitatis daret Episcopum: & Honorius Papa ordinavit in Ecclesia Sancti Sylvestri Gaudentium.

Gaudentius Episcopus sedit ann. 15. mens. 3. sub quo fabricata est Ecclesia Sancti Laurentii, Sancti Blasii, & Sancti Stephani, quæ nunc Ecclesia Sanctæ Crucis dicitur, juxta Amphitheatrum ejusdem urbis.

Successu temporis Carolus Magnus Imperator concessit privilegium, cujus summa est.

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis.

Incipit præceptum Sedis Atinensis, quod fecit Karolus Imperator, filius Pipini, anno quo vênit Romam, ac junxit ad B. Petrum Ducatum Spoletanum, & Beneventanum, qui & dictus est Patricius Romæ. Prima fine hujus præcepti Viride, postea Alicetum fluvium, qui dicitur Carum, Montem Ferrugium, Pantana, Lapis Alfedene, Rivum Scuruli ubi nascitur Rapidu, Lacu Benecusa, fluvium Berdarum, rivum Vereclara, & fluvium Melfa.

Benedictus Papa ordinavit in prædicta Ecclesia Gaidulphum Episcopum, qui sedit ann. 33. Tempore Aligerni Abbatis Casinensis decimo octavo anno, Joannes 17. Papa de Roma profectus, vênit Capuam, & rogatus à Pandulpho Principe, tunc primum in eadem Civitate Archiepiscopum constituit, consecrato ibi Joanne fratre ejusdem Principis Archiepiscopo. Cui etiam tradidit cum multis aliis Civitatibus Episcopatum Atinensem, & ordinatus est in eodem Episcopatu ab Adenulfo Capuano Episcopo Leo Episcopus, qui vixit in Episcopatu annis vigintiocto. Hujus tempore à civibus constructa est Ecclesia Sanctæ Mariæ in Templo Saturni; hujus etiam tempore inventum est corpus Christi Martyris Marci, quod latuerat in Episcopio Atinensi sub altare majore, quod postea dedicavit in honorem Sancti Bartholomæi juxta corpora SS. Nicandri, & Marciani.

Quintodecimo anno Pontificatus Domini Leonis Episcopi, religiosus Comes D. Oderisius ad hunc locum veniens, obtulit in sacrosanctum altare per chartulam donationis molendinum unum.

D. Comes Raynaldus obtulit terram, quæ fuit Benedicti Texitorii, idest quinque petias terræ, & alii alia multa.

Cùm enim resideret religiosissimus vir, & Deo amabilis Leo Sanctæ Sedis Atinensis Episcopus, quæ ab ipso fuerat condita, atque benedicta, nec non & restaurata de rebus, quæ tunc habere videbatur, in eadem Ecclesia construxit cameras, in quibus ipse, & sui successores habitarent juxta majorem Ecclesiam ab occidentali parte, fecit totam domum ubi nunc est cella vinaria; fecit & dormitorium Canonicorum; fecit & refectorium ad utilitatem Fratrum, fecit & coquinam cum pi-

pistrino, & palatium ad susceptionem nobilium virorum. Super hæc autem libros plurimos eidem Ecclesiæ conferens, quod superfluum credimus nominare; pallia, & ornamenta non pauca ad ornatum Ecclesiæ studuit conquirere; fecit Ciborium super altare majore, quod versibus curavit ornare in circuitu ipsius laboris. Posuit & coronulam deauratam super ipsum altare, & tres Iconas similiter deauratas ad honorem Sanctissimæ Trinitatis. Fecit & coronulam in medio Chori, & aliam coronam æream habens in gyro turres duodecim, in quibus duodecim sculpti erant Apostoli, quam catenis ferreis suspendit coram Crucibus in medio Ecclesiæ. Fecit & duos trabes ferreos, unum in Choro, & alium extra Chorum, ad appendendas candelas, fecit & Campanarium in janua Ecclesiæ à septentrionali plaga.

Tempore Victoris Papæ Secundi facta est congregatio Atinensis in Ecclesia S. Mariæ.

Tempore Henrici Imperatoris ordinatus est Episcopus Atinensis Palumbus, quo præsidente constructa est Ecclesia Sancti Angeli in Perclo, juxta Balnea in collibus Melfi, quam etiam ipse dedicavit 2. Non. Julii. Hanc siquidem Ecclesiam quidam Sacerdos Teuto nomine condidit, cùm totam possessionem suam in circuitu adjacentem tradidisset, per cartulam donationis supra hoc sacrosanctum altare eandem Ecclesiam obtulit, atque se ipsum in hoc loco ad serviendum Deo tradidit.

Alio quoque tempore eo præsidente Pontifice, Salomon quidam concivis noster cum filiis suis tradiderunt totam partem suam, quam habebant de Ecclesia Sancti Mauri sita prope Mellarinum in hoc venerabili loco. Ita fecit & Aldo filius Petri Presbyteri de parte nostra, quam habebat in supradicta Ecclesia in manu venerabilis Palumbi Episcopi.

Sedit autem ipse Palumbus Episcopus ann. 15. & sepultus est juxta Ecclesiam majorem à Septentrionali parte, prope januam ipsius Basilicæ, quæ ibidem consistit.

Eo defuncto successit Joannes Episcopus, qui sedit ann. 12. Hic autem venerabilis Episcopus ampliavit muros majoris Ecclesiæ, & eam depingere fecit, Historiam veteris ac novi testamenti cernentibus demonstrans. Fecit & Cruces magnas deauratas, & posuit eas ex utraque parte extra Chorum. Fecit & domum, quæ nunc horreum dicitur, quæ est supra portas ipsius Monasterii. Diruit etiam Altaria duo, quæ erant in porticibus ipsius Ecclesiæ, in absidis, ubi quondam Idola steterant, in quarum una, quæ est à parte Meridiana, positum est Corpus B. Martini Confessoris, & Eremitæ in sepulchro marmoreo, cujus vita satis claruit actibus, sicut in gestis ipsius legitur, & ejus ossa quotidie manifestant. In altera verò, quæ est à parte Septentrionali, constituit fontem ad benedicendum in Sabbato Sancto. Obiit autem Joannes Episcopus II. Id. Septembris, & positus est in porticu ipsius Ecclesiæ à parte Meridionali.

Anno Domini MCLV. Albericus Præpositus tertio die Martii fuit amotus à Præpositura; se scribebat in patentibus literis suis; Dei gratiâ, & Abbatis Casinensis, à quo Præpositus eligebatur Atinensis.

Anno Domini MCCII. Otto Imperator Regnum ingrediens Siculorum fultus auxilio Diupuldi Comitis Acerrarum, quem idem Imperator Ducem fecerat Spoleti, & Comitis Petri Celani totam Apuliam cepit, & Terram Laboris, tradentibus se sibi omnibus Comitibus, & Baronibus Regni præter Comitem Ricardum Fundanum. At Innocentius Papa Tertius Imperatorem, & sequaces hac de causa excommunicavit, & multas civitates, ac terras Regni officio Divino privavit.

Anno Domini MCCCXLIX. Nono Septemb. fuit magnus & terribilis terræmotus, itaut non remanserit lapis super lapidem, & percussit viros, & mulieres sinè numero.

Anno Domini MCCCLV. Præpositus Ecclesiæ Atinensis Matthias de Salomone fecit fundamenta Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Atinensis subtus terram palmos viginti.

Anno Domini MCCCLVI. quinto die Jan. apparuerunt tres Soles in Cœlo, & duraverunt per horam unam.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, anno ab Incarnatione ejus millesimo quinquagesimo sexto, mense Julio, Indict. VIII. residente in urbe Roma Summo & universali Pontifice Domino Papa Victore, & imperante Domino Conrado piissimo Imperatore, & Capuanam Ecclesiam gubernante Domino Adenulfo Archiepiscopo. Nos Leo, Divina gratia dispensante, Ecclesiæ Atinensis Episcopus, recto considerationis oculo, ea quæ ad utilitatem Ecclesiæ pertinent intuendo, ut Ecclesiasticus ordo justè, & piè in domo Domini vivere valeat, ordinantes, in mente statuimus, ut Atinenses Clerici ad Ecclesiæ Sanctæ Mariæ spontè, & voluntariè pariter convenirent, & divinum servitium unanimiter Domino exhiberent, hoc nostræ voluntatis arbitrium placuit; & ipse, à quo omne bonum procedit, hoc sua clementia tribuit, & concessit. Quoniam ipse, qui bonam voluntatem largitur, præbet & operationis pium effectum. Convocatis igitur universis Clericis unà cum Domino Lando Illustrissimo Comite, & nostro advocato Bernardo, pariter cum omni populo civitatis nostræ, voluntatis arbitrium disseruimus, & propositum in mente conceptum illis omnibus viva voce aperire curavimus, ut nihil in domo Domini absque digno consilio fiat, quia scriptum est: omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Patefacto denique consilio, dignum & justum visum est universis, ne Clerici per diversa vagantes, & sæculares curas, atque sollicitudines semper gerentes, in divino se famulatu exercere prout condecet minimè possent. Proinde Clerici consilio habito, quidam ex ipsis non inviti, neque coacti ad Ecclesiæ servitium gratuito pectore, & sincera voluntate se contulerunt, videlicet Theoto, Angelus, Joannes, Almundus, Albertus, Joannes, Leo, Benedictus, Petrus, & Joannes Presbyteri, & Benedictus Archidiaconus, & Gregorius, Marcus Primicerii, Dominicus, & Atinus. Hi omnes rationabile obsequium Domino repræsentantes, ut ambularent in Domo Domini cum consensu, ad Altare Sanctæ Dei Genitricis se se cum omnibus suis rebus humiliter obtulerunt. His ita peractis memoratus Comes cum omni populo sibi adjuncto unà cum prædictis Clericis supplices nobis preces deposuerunt, attentiùs exorantes, ut tam illi, qui se jam ad Ecclesiæ gremium contulerant, quàm & posteri, qui eorum fuerant vestigia secuturi, nostra dis-

discusarent : quorum preces benigno pietatis intuitu attendentes dignum eos duximus exaudiri, unde accepto, & deliberato consilio eidem Sanctæ Dei Genitricis Ecclesiæ omnibus Canonicis sicut præsentibus ita etiam & subsequentibus concedimus, atque donamus Ecclesiam Sancti Laurentii, Sancti Marciani, Sancti Blasii, Sancti Sylvestri, Sancti Petri, Sancti Stephani, & omnes Ecclesias, quas in finibus Atinæ civitatis construi possunt, scilicet cum decimis, primitiis, & oblationibus vivorum & mortuorum. Præterea ad honorem Sanctæ Dei Genitricis, & ob reverentiam corporis Beatissimi Martyris Marci hujus Civitatis Antistitis concedimus vobis vestrisque successoribus omnium vestrarum Ecclesiarum ordinationes, pariter & canonicas sanctiones. Concedimus insuper vobis, ut quoties nos, vel nostros successores absentes fuerimus, ex nostræ auctoritatis officio potestatis plenitudinem habeatis, ut Episcopali jure Clericorum judicium in vestro Capitulo obtineatis, & de universis criminalibus, videlicet de matrimoniis dissolvendis, vel conjungendis, & de oppressionibus canonicè judicandi. Et ut hujus nostræ paginæ instrumentum sicut & à nobis, ita etiam à successoribus nostris firmum, & illibatum in perpetuum conservetur, obligamus nos, & posteros nostros Curiæ centum libras auri componere, & hoc simili modo eodemque tenore inviolabiliter conservetur. Quòd si quis hujus nostræ constitutionis decretum aliqua ratione ausu temerario infringere, vel removere tentaverit, ex parte Dei omnipotentis, & Beatæ Mariæ semper Virginis, Beatique Michaëlis Archangeli, & ex parte Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium Apostolorum, & B. Marci Martyris omniumque Sanctorum perpetuò eum anathematis vinculo innodamus, ut in die judicii non resurgat in dextera parte coronatus, sed cum Juda Domini traditore, & cum Dathan, & Abiron, quos terra vivos absorbuit, suam sedem accipiat. Amen. Fiat. Fiat.

Hoc ego Benedictus Notarius per jussionem supradicti Venerabilis Episcopi scripsi. Actum Atinæ feliciter.

Leo Dei gratiâ Episcopus scripsi.
Ego Lando gratiâ Dei Comes.
Ego Petrus Adoni Judex.
Petrus Joanni Sergii Judex.
Ego Jubone testis sum.

FINIS CHRONICI ATINENSIS.

CHRO-

CHRONICON
CAVENSE
Ab Anno 569. uſque ad 1318.

NUNC PRIMUM EDITUM

E MANUSCRIPTIS CODICIBUS.

IN CHRONICON CAVENSE, ET RELIQUA EXCERPTA PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

EX Codice MSto, existente in Monasterio amplissimo Sanctissimae Trinitatis Cavae, desumtum est hoc breve Chronicon, ab Anno Christi 569. deductum usque ad Annum 1318. Legebatur ibi Chronicon Anglorum a Beda Presbytero compositum, & in margine addita erant Chronologica ista, quae in unum collecta *Chronicon Cavense* inscripsi. Subsequuntur Excerpta ex *Martyrologio Casinensi*, quod habetur in Bibliotheca celeberrimi Monasterii Casinensis Codice 62. olim 1020. Tum *Excerpta e Necrologio* itidem Casinensi, cui identidem inscribebantur quicumque Principes, & Nobiles devotiorem animum gerebant, aut gesserant erga sacrum Casini Templum, & Monasterium. *Martyrologium* ad memoriam Sanctorum Monastici Ordinis, *Necrologium* vero aliquid confert ad quamplurium eximiorum Virorum emortualem Annum indicandum: utrumque utile Italicorum Historiae. Alia accedunt *Excerpta* ex laudatae Casinensis Bibliothecae Codicibus, quae tum ad Ritus Monasticos, tum ad Historiam inclyti illius Coenobii aliquantulum lucis adferre possunt. Mihi sat fuerit edidisse, Eruditorum erit pro modulo suo eisdem uti.

CHRONICON CAVENSE.

An.Dom. Ind.

569. 2. Hoc anno egressi sunt Langobardi de Pannonia, & ingressi sunt in Italiam, & præerat illorum Rex Alboinus. A

570. 3. Zotto.

571. 4. Clapho.

576. 9. Autari.

578. 11. Tiberius Constantinus.

585. 3. Mauricius, Agilulphus.

604. 7. Focas. Hic, rogante Papa Bonifacio, concessit, ut Romana Ecclesia esset caput omnium Ecclesiarum, quia Constantinopolitana Ecclesia antea se scribebat caput omnium Ecclesiarum. B

611. 14. Adepaldus.

612. 15. Heraclius Imperator an. 26.

621. 9. Arioaldus.

626. 14. Mahumeth Rex Arabum, & Pseudo-propheta agnoscitur.

631. 4. Rothari.

633. 6. Moritur Mahumeth Princeps & Pseudo-propheta, & promovit in Principatu suo Abubacharo cognato suo. Moritur Abubachar, & Hummanus Principatum cepit. Hummanus Rex Arabum biennii tempore obsidens Hierosolymam cepit eam. C

638. 11. Heracleonas Imperator cum matre sua Martina an. 2.

639. 12. Rodoaldus. Ceperunt Arabes Antiochiam.

640. 13. Constantinus filius Heraclii, menses 6. Deinde Constantinus filius ejusdem Constantini, vel secundùm alteram Chronicam, Martina Noverca superioris Constantini cum filio Heracleona ann. 28. Hujus Constantini Imperatoris temporibus ann. 15. Mauchias Rex Arabum Rhodum abiens destruxit Colossum ejus post 1360. stabilitatis ipsius annos. Quæ cùm Judæus quidã Emesinus negotiator emisset, 900. Camelos ex ejus ære oneravit. D

643. Saraceni aciem direxerunt in Persida, & inierunt cum eis bellum potenterque vincentes, omnes sibi Persidas subditos reddunt. Hormidias autem, qui Persis imperabat, ad interiorem Persiam fugâ lapsus dimisit Regalia. At verò Saraceni captivas duxerunt Chosroës filias cum omni regio apparatu, & detulerunt ad Chummarum. E

An.Dom. Ind.

646. 4. Radoaldus.

648. 6. Moritur Hummarus, & statuitur Huthmam cognatus, qui filius Tuphan.

656. 14. Grimoaldus. Moritur Huthmam, & statuitur Maubias.

662. 5. Romoaldus.

669. 12. Constantinus filius Constantini superioris. Hujus tempore Anno V. igne adinvento marino à Callinicho Heliopoli Sydoniæ Civitate, qui profugus ad Romanos vênit. Hujus tempore, sive Imperii, gens Bulgarorum cum Rege suo nomine Asparuch, ingressi sunt in terram Romanorum, quæ nunc Bulgaria dicta est. Quibus auditis Constantinus exiit cum multo exercitu contra illos, & terga versus est Imperator; quem sentientes Bulgari, plurimos occiderunt, & castrametati sunt super Constantinopolim, & ceperunt Villas, & Castella dissipant. Unde vi coactus Imperator pacem fecit cum eis, annuales præbere pollicitus mansiones.

675. 3. Hoc anno Saraceni ascenderunt Constantinopolim, & septennio expugnaverunt eam, idest à mense Aprili usque in Septembrem, & semper hyemabant Cilicum.

680. 8. Grimoaldus. Moritur Mauchias, & statuitur Hilzit filius ejus.

6 2. 10. Cunipertus.

6 3. 11. Gisulfus frater ejus.

6 4. 12. Marucham. Agnoscitur Protosymbolum Arabum, & Abdellam per divisionem. Filius Luber moritur Marucham, & elegerunt pro eo Abimelech filium ejus, qui interfecit Abdila. Justinianus filius minor Constantini.

696. 9. Liudpertus.

697. 10. Leontius.

698. 11. Alipertus.

700. 13. Tiberius, qui & Alismanus.

702. 15. Romual filius ejus.

707. 5. Justinianus supradictus cum Tiberio filio recipitur in Imperio, unde fuerat à Leontio ejectus. Moritur Abimelech, & statuitur pro eo filius ejus Ubalet.

710. 8. Asprandus.

711. 9. Liutprandus.

713. 11. Philippus, qui & Bardarius.

714. 12. Anastasius, qui & Thremius.

Mo-

Ann.Dom. Ind.

Moritur Ubalet, & statuitur Gueliman.

717. 15. Theodosius.

718. 1. Leosuras cum Constantino persecutore.

719. 2. Hymmar. Protosymbolum habetur. Hilit Arabum habetur 721.

721. 4. Moritur Hilit, & ei successit Hisan frater ejus Gregorius. Hoc anno immenso exercitu Saraceni triennio obsiderunt Constantinopolim.

730. 13. Moritur Hisan, & statuitur Mandrias filius ejus.

732. 15. Andelachis.

734. 2. Godeladius.

736. 4. Ucheliman habetur.

737. 5. Gisulsus filius supradicti.

740. 8. Constantinus persecutor, solus.

742. 10. Hilid Arabum Dux habetur.

743. 11. Hilbrandus Marucham habetur. Haistolsus. Macamech agnoscitur.

747. 15. Rachis.

748. 1. Abrachim habetur.

754. 7. Liudprandus.

755. 8. Alim habetur.

756. 9. Desiderius.

757. 10. Abellas habetur.

764. 15. Arechis. Iste primus appellatus est Princeps.

765. 1. Banachas Dux Arabum habetur.

767. 3. Hoc anno facta est Eclypsis Solis pridie Nonas Junii, die Jovis hora 6. Lunâ vigesimâ nonâ.

774. 12. Leo qui & Calaris. Capta est Papia à Carolo Rege Francorum. Hoc anno facta est Eclypsis Solis 10. Kal. Septembris die Martis horâ nonâ, Lunâ quintâ.

778. 2. Constantinus.

787. 10. Hoc anno facta est Eclypsis Solis Kal. Octobris die Lunæ ab hora prima in horam quintam.

789. 12. Constantinus cum Irene matre sua.

790. 13. Grimoaldus filius ejus.

796. 4. Irene Sola mater ejus.

801. 9. Nicephorus.

807. 15. Grimoaldus.

809. 2. Stauratius.

810. 3. Michaël Curopalata.

812. 5. Leo.

818. 11. Sico.

840. 3. Michaël Porphyrogenitus.

843. 6. Radelchis. Hujus temporibus divisus est Principatus, & Sichenolfus factus est Princeps.

849. 12. Sico filius ejus, Salerni.

853. 1. Radelgerius filius ejus.

857. 5. Adelchis frater ejus. Ademarius Salerni.

862. 10. Guaiferius Salerni.

866. 14. Basilius Paracinumenius ejus.

877. 10. Leo & Alexander cum suprascripto Basilio patre eorum.

880. 13. Gaideris, Guaimarius filius ejus Salerni.

Ann.Dom.Ind.

882. 15. Radelchis.

885. 3. Ajo Subdiaconus frater ejus, ejecto fratre.

886. 4. Leo & Alexander, soli.

892. 10. Ursus filius Ajonis Sabbaticium, Patriciano, & Constantinopolim cepit Beneventum.

893. 11. Georgius Patricius.

896. 14. Guido Dux & Marchio.

896. 15. Guaimarius filius ejus Salerni.

898. 1. Radelchis.

900. 3. Atenulphus magnus Princeps.

901. 4. Landulfus filius ejus.

908. 11. Leo suprascriptus cum filio Constantino Porphyrogenito.

910. 13. Atenulphus frater ejus.

912. 15. Alexander cum Constantino nepote suo.

913. 1. Constantinus Porphyrogenitus filius suprascripti Leonis cum Zoi matre sua.

919. 7. Romanus de Heliopoli civitate cum suprascripto Constantino Porphyrogenito. Qui postquam cepit Imperium Romanum, dedit jam dicto Constantino Helenam filiam suam jugalem.

932. 5. Atenulfus filius Landulfi.

939. 12. Landulfus frater ejus.

944. 2. Constantinus Porphyrogenitus suprascriptus cum filio Romano.

946. 4. Pandolfus filius ejus.

954. 12. Hoc anno corpus B. Matthæi Apostoli translatum est apud Salernum.

959. 2. Landolfus frater ejus.

960. 3. Romanus filius, solus cum filio suo Basilio puerulo.

963. 6. Nicephorus.

969. 12. Landulfus filius supradicti Pandulphi. Hoc anno facta est Eclypsis Solis 11. Kal. Januarii horâ diei inter tertiam & quartam.

973. 13. Johannes cognomento Simischi, interfecto Nicephoro, regnat cum Basilio & Constantino pueris.

978. 4. Johanne defuncto, regnat Basilius, & Constantinus.

1034. 2. Solis pars maxima obscurata est in festo S. Petri.

1037. 5. Kalendis Februarii Mons Vesuvius eructavit incendium, ita ut usque ad mare discurreret.

7038. 6. Conradus Imperator ingressus est Capuam Pentecostes, & alia die coronatus est. Adenulphus Episcopus reconciliatur. Pandulfus Princeps Capuæ exiliatur, Guaimarius Princeps Salerni in loco ejus subrogatur. Et Richerius fit Abbas Montis-Casinensis.

1042. 10. Junii 13. Luna obscurata est per quinque horas, cùm nulla nubes appareret in Cœlo.

1045. 13. Richerius Abbas ejecit Normannos de Terra S. Benedicti.

1047. 15. Henricus Imperator vênit Capuam,

Ann.Dom.Ind.

puam, & reddidit eam Pandulfo Principi juniori.

1050. 3. Leo Papa ordinatus est. Et Domnus Adelferius Abbas Monasterii Sanctæ Trinitatis obiit.

1052. 5. Guaimarius Princeps Salerni efficitur, & Bonifacius Dux & Marchio.

1054. 7. Leo Papa cum Normannis dimicavit in Apulia.

1055. 8. Leo Papa obiit, & Victor Papa fit. Richerius Abbas Casinensis defungitur, & Petrus Abbas Casinensis statuitur.

1058. 11. Stephanus Papa obiit, & Nicolaus Papa fit. Et Desiderius Monachus Domni Adelferii Abbatis Sanctæ Trinitatis Cavensis Abbas eligitur.

1062. 5. Stella Cometes apparuit. Gotfridus Dux cum valido exercitu in Campaniam vênit usque Aquinum. Richardus Princeps Terram Marsorum intravit.

1071. 9. Ecclesia nova S. Benedicti dedicata est à D. PP. Alexandro die Kal. Octobris cum quinque Altaribus suis.

1073. 11. Alexander PP. defungitur, & Hildebrandus Archidiaconus in Papam Gregorium ordinatur mense Aprilis. Termino hujus anni, idest ipsa nocte Natalis Domini captus est prædictus PP. super Sanctum Altare à quibusdam Romanis infidelibus, sed vi & constantia omnium Romanorum eadem die receptus est.

1076. 14. Robertus Dux vênit super Salernum Prid. Non. Majas, & obsedit eam terra marique, & cepit eam die Idibus Decembris.

1077. 15. Richardus Princeps obsedit Neapolim mense Majo.

1078. 1. Richardus Princeps obiit V. feriâ Cœnâ Domini, & Jordanus ejus filius fit Princeps, & Neapolis est obsidione liberata.

1079. 2. Leo Abbas Sanctæ Trinitatis obiit, & Petrus Abbas statuitur, nempe Domni Adelferii Abbatis ejusdem Monasterii.

1081. 4. Henricus Rex cum magno exercitu vênit Romam: sed obsistentibus Romanis cum PP. Gregorio, sinè effectu reversus est. Robertus Dux transito mari Romaniam debellaturus ingreditur.

1083. 6. Henricus Rex iterum Romam veniens porticum S. Petri per vim cepit, & in magna parte destruxit. Archiepiscopum Ravennatem invasorem Apostolicæ Sedis absque consilio & voluntate Romanæ Ecclesiæ Papam constituit.

1084. 7. Henricus Rex Romam à Romanis intromissus 12. Kalend. Aprilis stetit ibi usque 12. Kal. Junii. Post hæc vênit Robertus Dux cum ingenti exercitu, & tradita est ei Roma à quibusdam Romanis, & multa ibi mala committens, accepto PP. Gregorio egressus est.

1085. 8. Fames & mortalitas maxima fuit. Gregorius PP. apud Salernum moritur. Robertus Dux in Romania.

1086. 9. 13. Kal. Martii incipiente nocte Stella clarissima in circulum Lunæ primæ ingressa est.

1087. 10. Desiderius Abbas Romæ in Victorem Papam invitus eligitur ab Episcopis & Cardinalibus Romanis ipso die Pentecostes 7. die Maji. Quo die S. Nicolai corpus Uliarium devênit. Idem Victor apud Casinū omnium Fratrum consensu ordinato Abbate Oderisio, post tertium diem defungitur. XV. Kal. Octobris Pisani apud Africam debellaverunt, & vicerunt Saracenos.

1088. 11. Oddo Ostiensis Episcopus in PP. Urbanum eligitur 4. Id. Maji.

1091. 14. Jordanus Princeps obiit, & Capuani rebellaverunt.

1092. 15. Ecclesia S. Trinitatis dedicata est ab Urbano Secundo Papa Nonis Septembris.

1096. 4. Luna XII. obscurata est, cùm Cœlum serenum esset, & Stella clarissima vênit in circulum Lunæ 8. Id. Augusti. Rogerius Comes Siciliæ cum exercitu valido Christianorum, & Saracenorum, Syleris fluenta pertransiens obsedit Nuceriam 2. Kal. Julii Vigilia Pentecostes, & tradita est. Inde Profectus Melfiam obsedit cum Rogerio Duce Apuliæ & Calabriæ terra marique. Mox Amalfitani Marinum Sebastos Ducem substituunt, reversusque est Comes sinè effectu iter quo venerat. Gens multa Normannorum & Italorum mare transierunt.

1097. 5. Ecclesiam S. Pauli dedit Urbanus Papa Petro Abbati S. Trinitatis de Cava. Antiochia capta est.

1098. 6. Rogerius Comes Siciliæ, & Rogerius Dux obsederunt Capuam cum magno exercitu, & ceperunt eam, & reddiderunt eam Riccardo filio Jordani. Jerusalem à Christianis capta est.

1099. 7. Urbanus Papa defungitur, & Paschalis Papa fit.

1100. 8. Rogerius Dux obsedit Amalfiam, & cepit eam. Boamundus in prœlio captus est à Saracenis.

1101.

Ann.Dom.Ind.

1101. 9. Rogerius Comes Siciliæ obiit. Paschalis Papa obsedit Beneventum cum valido exercitu Apuliæ & Calabriæ, & cum Rogerio Duce cepit eam.

1104. 12. Quando Domnus Abbas Petrus dimisit Ecclesiam S. Pauli.

1105. 13. Oderisius Abbas Casinensis defungitur, & inde statuitur...... Riccardus P. filius Jordani obiit. Stella Cometes apparuit de mense Februario.

1106. 14. Petrus Abbas S. Trinitatis Cavensis emit Casalem in Apulia, qui dicitur Fabrica mil. & C. Schifat. Robertus filius Jordanis invasit Capuam, & ex parte igne eam succendit.

1107. 15. Luna XIV. sanguinea facta est per totam noctem 3. Id. Januarii.

1110. 3. Paschalis Papa ab Henrico Rege est captus, & iterum reconciliatur. D. Abbas Petrus S. Trinitatis Cavensis emit Castrum S. Adjutoris 1500. Schifat de mense Februario. Eodem mense Rogerius Dux obiit, & Boamundus postea obiit 8. die.

1113. 6. Saraceni ab Africa venientes Lucaniam depopulantur. Salernum applicaverunt: auctore Deo Salernitani, Amalfitani, & Neapolitani ceperunt eos, & interfecerunt in mari.

1118. 11. Obiit Domnus Paschalis Papa, & Johannes Cancellarius in Papam Gelasium ordinatur.

1119. 12. Gelasius PP. obiit, & Calixtus Papa eligitur. Domnus Constabilis ordinatus est Abbas.

1120. 13. Tertio Non. Junii obiit Riccardus Princeps. 6. Kal. Jun. unctus est Riccardus filius ejus in Principem. 2. Id. Junii obiit Riccardus Princeps. 4. Nonas Julii unctus est Jordanus Princeps. Domnus Abbas venerabilis Petrus constructor atque institutor hujus Monasterii S. Trinitatis cum eo perenniter regnaturus migravit ad Dominum.

Eodem anno Indict. .... 3. temporibus nostri Domini Gulielmi magnifici Ducis atque religiosi Abbatis nostri Constabilis decimo die intrantis mensis Octobris Castellum nostrum S. Angeli in Cilentum firmare cœpimus. Gratias Deo, & B. M. semper V. Beato Michaëli Archangelo & omnibus Sanctis ejus. Amen.

1124. 2. Domnus Constabilis hujus Monasterii S. Trinitatis venerabilis Abbas obiit.

1126. 4. Domnus Simeon venerabilis Abbas ei successit. D. Callixtus PP. obiit 19. Kal. Januar. cui 3. die successit Honorius.

Ann.Dom.Ind.

1127. 5. Obiit Guilielmus Dux, & Jordanus Princeps.

1128. 6. Rogerius Comes Siciliæ, Calabriæ factus est Dux.

1129. 7. Henricus IV. Imperator obiit, cui successit Lotharius Dux Saxoniæ.

1130. 8. Honorius PP. II. defungitur, cui successit Innocentius PP. II. Quidam verò Romanorum subitò dixerunt filium Petri Leonis, qui obiit post octo annos, & Ecclesia quievit.

Rogerius Dux Rex efficitur 8. Kal. Januarii. Eodem anno dum Dux esset, obsedit Salernum terra marique, & cepit eam. Et anno, quo factus est Rex, obsedit Amalfiam, & cepit eam.

1132. 10. Rogerius Rex obsedit Barum terra marique, & cepit eam. Eodem anno obsedit Nuceriam, & pugnavit cum Principe apud Schifatum flumen, & aufugit.

1134. 12. Cepit Capuam, Aversam, & Nuceriam.

1135. 13. Idem Rex ad obsidendum Neapolim terra marique ivit. Pisani ceperunt Amalfin, sed ab eodem Rogerio Rege fugati sunt, & quamplures capti, nonnullique interempti.

1137. 15. Lotharius Imp. intravit Apuliam cum Papa Innocentio salvus cum Pisanis, & constituto Duce Raynone reversus est. Cui successit Conradus nepos Henrici Imperatoris. Eo anno factum est bellum inter Regem Rogerium & Ducem Raynonem, ubi multa millia hominum Regis interfuerunt, inter .... & Casale novum, & Rex aufugit. Mortuo Duce Raynone dum in Sicilia ageret, Malfia reddita est illi. Post hoc Salernum veniens, Mons Vesuvius magnum eructavit incendium, quod secutus est pulvis tantæ densitudinis, ut totum aërem obtenebraret, & totam hanc operuit regionem usque Principatum, & Calabriam, & cœpit paulatim decrescere. Per triginta dies, totidemque noctes siccus ventus eumdem pulverem asportabat, terram operiebat, qui quievit die Apostolorum Petri & Pauli. Post hęc Innocentius Papa cum exercitu Romanorum Campaniam adveniens, Rex egressus contra, & fugam Papa arripiens captus est à Rege, cum maxima parte exercitus Romanorum, qui coactus est .... non tantùm sui populi Romani Regi vexilla tria tradidit, unum Regni ...

Ann.Dom.Ind.

. . . . . . aliud Ducatus Apuliæ, tertium Principatus Capuæ. Postea Rex Barum proficiscens cum magna difficultate reddita est illi, ubi Principes & Barones interfecit. Et siluit terra in conspectu ejus. Et veniens Salernum, filium suum, quem Capuæ Principem fecerat, etiam Neapoli dominatorem constituit.

1141. 4. Domnus Simeon hujus Monasterii S. Trinitatis Cavensis Abbas obiit, & Domnus Falco Abbas successit ei.

1143. 6. Innocentius Papa defungitur, & unanimitate omnium Romanorum tam Clericorum, quàm Laicorum, Guido Cardinalis ejus loco eligitur, qui Cœlestinus II. dictus est. Qui sexto die suę ordinationis obiit; & Giraldus Cardinalis pro eo est ordinatus in Papam Lucium.

1145. 8. Obiit Lucius PP. II., XI. Kal. Martii, & ordinatus est Abbas S. Anastasii in Papam Eugenium.

1147. 10. Rex Rogerius stolium suum in Romaniam misit, & Corfu, & Cephaloniam, & Estivam, & Corinthum, omnemque illam maritimam usque ad Malvasiam cepit. Principes, & omnes majores, & cunctos Judæos illius terræ captivos ad Siciliam duxit.

1146. 9. Octavo Id. Junii obiit Domnus Falco nostræ Congregationis Abbas, & 7. Id. Julii Marinus Vestararius loco ejus successit. In præfato Mense Junio Rogerius Rex Siciliæ misit stolium suum.

1154. 2. Obiit Rogerius Rex, & Guilielmus filius ejus substituitur.

1160. 8. Obiit Adrianus Papa, & Alexander III. subrogatur; & factum est Schisma in Ecclesia per XX. annos.

1165. 13. Obiit Guilielmus Rex, & filius ejus Guilielmus Rex efficitur.

1169. 2. Mense Febr. terræmotus factus est magnus in Sicilia, & eversa est Catanensium Civitas.

1170. 3. D. Marinus Abbas S. Trinitatis obiit.

1171. 4. D. Benencasa eligitur Abbas S. Trinitatis 2. Kal. Februarii.

1178. 11. Sol obscuratus est ex magna parte media die. In hoc anno multitudo Saracenorum in partibus Tarentum ab habitatoribus . . . . . .

1179. 12. In hoc anno Synodus facta est in Urbe Roma.

1181. 14. Obiit Alexander PP. & Lucius III. Papa efficitur. In hoc anno facta est fames magna per totam Italiam.

1185. 3. Rex Guilielmus II. misit stolium suum in Romaniam, & apprehendit Durachium, & totum illum Ducatum usque Thessalonicam, & ipsam Thessalonicam cepit.

1186. 4. Obiit Lucius III. Papa, & Urbanus Papa III. efficitur.

1187. 5. 2. Kal. Octob. Obiit Urbanus III. Papa, & nonus Gregorius Papa efficitur, & hic obiit 4. Kal. Januarii, & Clemens Papa efficitur.

1190. 8. Rex Guilielmus II. obiit, & Tancredus Comes Rex efficitur. Primo anno Regni ejus vênit Henricus Testa cum Alemannis in Apuliam, & destruxit ibi Cornetum, & vênit usque ad Aquam pudridam, & postea reversus est. Imperator vênit usque Neapolim, & obsedit eam, & postea illic infirmatus rediit in Alemanniam.

1193. 11. 4. Id. Jan. obiit Benencasa Abbas S. Trinitatis.

1194. 12. Hoc anno reversus est Imperator Henricus, & misit ante se stolium in Siciliam, & ipse vênit per terram super Salernum, & obsedit eam, & eadem die obsidionis suæ capta est Civitas, videlicet 5. Kal. Octob. quarto die ante Festum S. Matthæi; & omnes fugerunt viri & mulieres; & Civitas depopulata est, & dispoliata. Et postea perrexit, & cepit totam Siciliam. Cepit etiam filium Tancredi, quem fecerant Regem, & matrem ejus, & sorores, & Archiepiscopum Salernitanum, & fratres ejus, & multos alios, & vinctos duxit secum in Alemanniam.

1197. 15. Hoc anno mortuus est Imperator Henricus in Civitate Messana.

1208. 11. D. Balsamus eligitur Abbas S. Trinitatis, 6. Id. Mar. & post tertiam diem obiit Abbas Petrus II. Trinitatis.

1215. 3. In hoc anno facta est Synodus in Urbe Roma.

1216. 4. Obiit Innocentius PP. III. & Honorius III. PP. efficitur.

1219. 7. Capta est à Christianis Civitas Damiata, in Festo videlicet Sancti Leonardi.

1220. 8. In hoc anno coronatus est Federicus Imperator, & Domina Constantia uxor ejus Imperatrix à D. PP. Honorio III. in Urbe Roma, in Festo videlicet S. Cæciliæ.

Eodem etiam anno recuperavimus Castrum S. Adjutoris in Vigilia scilicet Natalis Domini, Domno Balsamo Venerabili Abbate multùm perinde laborante.

Ann.Dom.Ind.

Et ipsomet anno Capuana Curia extitit celebrata per ipsum Dominum Imperatorem.

1232. 5. Octavo Kal. Decemb. obiit Balsamus nostræ Congregationis Abbas, & D. Leonardus Vestararius Abbas eligitur Idibus Decembris.

1240. 13. Obiit Gregorius Papa.

1243. 5. Innocentius Papa IV. eligitur.

1249. 7. In hoc anno destructa est Civitas Beneventana. In hoc etiam anno translatum est Corpus Bartholomæi, & alia multa corpora Sanctorum, & Reliquiæ à Domino Leonardo Abbate in Monasterio Cavensi, videlicet 19. Kal. Febr. Et in sequenti anno mortuus est Fredericus Imperator in partibus Apuliæ in Castello Florentini; qui anno 1245. depositus fuerat apud Lugdunum per Dominum Innocentium PP. IV. in Concilio Generali, & excommunicati sunt omnes adhærentes ei.

1252. 10. In hoc anno Conradus Rex vênit de Alemannia, & obedivit ei totum Regnum præter Neapolim, Capuam, & Nuceriam, & quasdam alias Terras.

1253. 11. In hoc anno omnes Terræ, quæ rebellatæ fuerant Conrado Regi, reversæ sunt ad eum præter Neapolim; unde iratus congregavit totum Regnum, & obsedit eam 18. Jun. à mari & terra, & circumdata est Civitas viriliter, & fecit contra eam multas machinas, & exquisita ingenia. Decimo itaque die intrante mense Octobris, cogente eos fame simul & exercitu, reversi sunt ad eum, & præcepit Rex, & destruxerunt totum murum ejus per circuitum usque ad solum, & multos ex eis exiliavit. Similiter fecit Capuæ.

1254. 12. Octavo Non. Dec. Obiit Innocentius PP. IV. in civitate Neapoli, & secundo die obiit idem Stephanus Cardinalis, quorum corpora tumulata sunt in majori Ecclesia prædictæ civitatis.

Eodem anno mortuus est Rex Henricus parvulus in civitate Melfiæ, videlicet in mense Decemb. In hoc anno mortuus est Rex Conradus.

1255. 13. Octavo decimo intrante mense Augusti obiit Leonardus Cavensis Abbas, & D. Thomas Prior magnus Claustralis eligitur Abbas.

1258. 1. In hoc anno Manfredus Princeps Tarenti vocavit omnes Prælatos, cùm esset Bajulus Regis, & apud Panormum .... in festo S. Laurentii.

1259. 2. In hoc anno Trapani de terræmotu destructa est. In nocte S. Francisci plures civitates, & castra terræmotu concussa sunt.

1264. 7. Octavo Kal. April. obiit Thomas Abbas Cavensis, & Jacobus Abbas S. Benedicti ex mandato Urbani PP. IV. effectus est Abbas Cavensis.

1265. 8. Stella Cometes apparuit à festo S. Jacobi usque Kal. Octobris.

1266. 9. In hoc anno Carolus Comes Provinciæ intravit Romam XIII. Kal. Jan. & Senator effectus est. Nonis Octob. Manfredus, qui vocabatur Rex, destruxit Terram Cavæ, & depopulavit eam. In die S. Epiphaniæ per voluntatem S. Ecclesiæ Carolus coronatus est Rex, & vênit cum exercitu magno, & in Purificatione S. Mariæ intravit Regnum, & VIII die cepit S. Germanum per vim, & expugnavit exercitũ Manfredi. Tunc Manfredus fugit de Capua, & Carolus Rex persecutus est eum usque Beneventum; & III. die stante mense Februarii pugnavit cũ eo; & cecidit exercitus Manfredi. Tunc Manfredus mortuus est, & totum Regnum obedivit Carolo Regi, & omnes homines reversi sunt in Terram Cavæ.

1267. 10. Sexto Februarii Saraceni Luter, & multi alii perfidi Christiani contra Illustrissimum Dominum Carolum filium Regis Franciæ Regem Siciliæ, rebellionis spiritum assumpserant, habentes spem in Conradino filio Regis Conradi, qui de Alemannia cum Duce Austriæ, & pluribus Theutonicis recesserat, & venerat Veronam, & ab inde recedens venerat Papiam, & postea Pisas, & ibi tam Theutonicorum, quàm Hispanorum, & Pisanorum, nec non & Italicorum exercitu maximo congregato, cum ipsis se contulit Romam, & ibi stetit per paucos dies cum ipso Duce, & Comite Galvano, & adjuncto sibi Domino Henrico filio Domini Ferrantis Regis Castellæ Senatore Urbis, & etiam Romano Populo, de ipsa urbe recedens cum toto exercitu dicto, Regnum cœpit invadere, & intrare. Quod idem Dominus Rex Carolus audiens, cum gente sua versùs eumdem Conradinum, & gentem ejus iter suum direxit. Et cùm idem Conradinus

dinus callidiosè vellet intrare Regnum, seque conjungere Saracenis, vênit inter Albam, & Pontum, & ibi castra sua defixit. Ad quem dictus Dominus Rex Carolus cum dicta gente sua se conferens castrametatus est ibi. Cùmque uterque exercitus se ad invicem videret, XXIII. Augusti initum est prœlium pluribus ex utraque parte cadentibus in prœlio præfato. Dictus Dominus Carolus Rex cum Divino auxilio, prosequente, & adjuvante fide, quam habebat in S. R. E. prœlium ipsum vicit; & facta fuit tanta strages hominum Conradini, quòd innumerabilis fuit numerus eorumdem, & alii per valles, & nemora fugerunt. Quod Romanus Populus audiens eumdem Dominum Regem Carolum elegêre Senatorem eorum. Postmodum verò cùm ipse Conradinus unà cum Duce Austriæ, præfato Comite Galvano, & filio ejusdem Comitis, de ipso prœlio fugissent, iverunt Asturam, & ibi volentes per mare evadere, ibi capti fuerunt, & adducti ad dictum D. Regem Carolum, & in carcere mancipati. Quibus in sua potestate habitis, & detentis, & adductis ad eum apud Senaganum, ibi dictum Comitem Galvanum, ejusque filium coram omni populo decapitari jussit. Quo facto idem Dominus Rex contulit se ad Urbem. Dictus autem Dominus Henricus, dum de ipso prœlio similiter fugisset, accessit ad quoddam Monasterium, quod dicitur S. Salvatoris, & ibi captus fuit, & adductus ad ipsum Dominum Regem Carolum. Qui Dominus Rex ducens secum captum Conradinum, & Ducem prædictos, & Dominum Henricum, ut ipsos sic captivos videret omnis homo, intravit Regnum, & vênit Neapolim, ubi idem Dominus Rex post paucos dies dictum Conradinum, & Ducem, publicè decapitari jussit; quorum corpora sepulta fuerunt juxta sepulchrum Judæorum. Quo facto idem Dominus Rex ducens secum dictum Dominum Henricum captum, ab ipsa civitate recessit, & ivit ab obsidionem Luceriæ supra præfatæ.

1268. 11. Hoc anno 23. Januarii mortuus est Frater Amicus Abbas Venerabilis Cavensis Monasterii Neapoli, & eodem die delatum est corpus ejus ad ipsum Monasterium, & sequenti die traditum sepulturæ. Altero verò die, scilicet in festo Conversionis B. Pauli Apostoli, congregato Collegio ipsius in unum, unanimi voluntate Fratrem Leonem Monachum, & Camerarium ejusdem Monasterii elegerunt in Abbatem eorum, & Monasterii supradicti, & post paucos dies idem electus per Dominum Rodulphum Episcopum Albanensem Apostolicæ Sedis Legatum fuit apud Beneventum vocatus, & ibi confirmatus per eum, & ab eo ibi munus benedictionis accepit V. Febr.

1269. 12. In hoc anno mortuus est Dominus Clemens PP. & stetit Ecclesia per duos annos sinè Pastore.

1275. 3. Hoc anno factum est Concilium apud Lugdunum per Dominum PP. Gregorium X. in quo Concilio affuit Abbas Leo Secundus.

1281. 9. Hoc anno mortuus est Rex Carolus Primus 4. Maji, & Carolus filius ejus Primogenitus coronatur in Provincia in civitate Avinioni à D. Clemente Papa Primo die Dominico mensis Augusti.

1283. 11. Die Veneris ultimo mensis Octobris Dominus Carolus filius Regis Caroli Primi exivit de carcere, & de manibus quondam Petri, & hæredum ejus dicti Regis Aragonum gentis.

Anno Dominicæ Incarnationis 1281. die Junii 2. stante mense Martio, civitas Panormitana, occidit omnes Francos, quos invenire potuit in dicta Civitate, & exinde rebellata est tota Sicilia. Anno Dominicæ Incarnationis 1283. die Lunæ 9. mensis Junii Dominus Carolus Princeps apud Neapolim pugnavit cum galêis Siciliæ, & captus est in ipso prœlio cum Baronibus, & pluribus aliis, & deportati sunt in captivitate in Sicilia.

1291. 4. Hoc anno mortuus est Nicolaus PP. IV.

1293. 6. Hoc anno eligitur Frater Petrus de Morone in Papam mense Junii, qui vocatus est Cœlestinus V. & vênit Neapolim.

1294. 7. In hoc anno mense Julii stella Cometes apparuit.

Eodem anno Cœlestinus PP. V. præfuit in Papatu mensibus septem, numerandos à mense Junii, quo fuit electus, usque ad mensem Decemb. sequentis, quo mense apud Neapolim in Castronovo coram omnibus

Ann.Dom.Ind. A

nibus Cardinalibus renunciavit Papatui. Et eodem mense eligitur in Papam D. Benedictus Cajetanus, qui vocatus est Bonifacius VIII. apud Neapolim.

1296. 9. Hoc anno 14. Kal. Septembris. mortuus est Abbas Leo hujus nostræ Congregationis, & de gratia, non de consuetudine expectaverunt Fratres presentes absentes, qui commodè potuerunt venire, & nono Kal. Septembris concorditer elegerunt Fratrem Raynaldum Monachum, & Præpositum ejusdem Monasterii in Abbatem ejusdem Monasterii, cujus electio per Venerabilem Patrem Dominum L. Sancti Angeli Diaconum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum fuit confirmata 4. Idus Septembris in Hospit. Mon. Viginti 4. Kal. Octobris apud Rapellam fuit consecratus.

B

1299. 12. Hoc anno per Dominum .... Pipinum depopulata est civitas Nuceria Saracenorũ mense Augusto.

C

1301. 14. In hoc anno mense Januarii die Jovis decimo octavo ejusdem mensis in sero in noctis tenebris, arenam plurimam pluit Dominus super terram; & in eadem nocte ante auroram usque ad diem pluit cinerem mixtum cum sulphure in aliquibus partibus in maxima quantitate. Et eodem die Jovis Insula Isolæ ardere cœpit, ita quòd homines habitantes in ipsa Insula abinde recesserint.

Ann.Dom.Ind.

1307. 5. Hoc anno dictus Dominus Bonifacius Papa VIII. devênit ad lites cum duobus Cardinalibus de Domo Columnensium de urbe Roma, & cum tota Domo eorum, & deposuit eos à Cardinalatibus suis, & expulit eos de urbe Roma cum tota progenie eorum, & privavit eos Castris, Terris, & Villis omnibus, quas intra Romam, & extra, ubilibet possidebant easdem. Qui Cardinales restituti sunt ad gratiam per Dominum Clementem Papam anno II. Papatus ipsius.

1315. 13. Hoc anno Stella Cometes apparuit à festo S. Thomæ Apostoli usque ad Epiphaniam.

1318. 1. Hoc anno factum est Concilium apud Viennam per Dominum Clementem PP. V. quo cùm Prælati de Regno de mandato dicti Summi Pontificis affuissent, Frater Robertus hujus Monasterii Venerabilis Abbas in ipso itinere apud Marsiliam graviter infirmatus 20. Octob. diem clausit extremum; unde ipsius Monasterii Monachi in unum more solito congregati Fratrem Bernardum Priorem S. Mariæ Montis-Serrati concorditer elegerunt; cujus electio per quinque annorum curricula prorogata per Dominum Joannem Papam XXII. tamdem extitit annullata; & de ipsius mandato Frater Philippus Abbas S. Joannis in Venere in Abbatem dicti Monasterii est translatus.

F I N I S.

EXCERPTA
EX MARTYROLOGIO
ET
NECROLOGIO CASINENSI
MANU EXARATIS
UNA CUM ALIIS
AD MONASTERIUM CASINENSE
SPECTANTIBUS

Nunc primùm prodeunt.

EXCERPTA
EX ANTIQUO MARTYROLOGIO CASINENSIS ECCLESIÆ,

Quod olim à Monachis ibidem publicè in Sacris legebatur.

XVIII. KAl. Febr. Natale Sancti Mauri Abbatis. A

XI. Kal. Febr. Octava S. Mauri Abbatis. Apud Campaniam transitus S. Dominici venerabilis Sacerdotis, & Monachi.

III. Kal. Febr. Hìc in Casino Dedicatio Ecclesiæ S. Andreæ Apostoli.

IV. Idibus Febr. In Casino Natale S. Scholasticæ Virginis.

II. Kal. Mart. In territorio Lugdunensi locis Jurensibus Natale S. Romani Abbatis, qui primus illic vitam Ereminticam duxit, quique Beatissimo Patri Benedicto in initio conversationis ejus adjutor, & cooperator extitit, B ac multis virtutibus miraculisque præclarus, plurimorum postea Monachorum Pater effectus in pace quievit.

II. Non. Mart. Dedicatio Ecclesiæ S. Nicolai de Ciconia.

Nonis Martii. Apud Fossam novam, Natale S. Thomæ Confessoris viri eruditissimi, qui oriundus de Aquino, primò Casinensis Monachus factus, postmodum de Ordine B. Dominici Frater Prædicator effectus, sua multiplici & fructuosa Doctrina illuminavit valde Ecclesiam Sanctam Dei.

IV. Idus Mar. Romæ Natalis S. Gregorii Papæ præclari Doctoris, & Apostoli Anglorum. C

XIV. Kal. April. Apud Pinnarensem Urbem Natale S. Joannis magnæ sanctitatis viri, qui de Syria oriundus pervênit in Italiam, ibique apud præfatam Urbem constructo Monasterio multorum servorum Dei per quatuor & quadraginta annos Pater existens multis clarus virtutibus quievit in pace.

XIII. Kal. April. Vigiliæ S. Benedicti Abbatis. *Extat item ejusdem Vigiliarum memoria in Missali Monastico perantiquo MS. Longobard. sign. n. 61. &c. Et est Missa de proprio.*

XII. Kal. April. Hìc in Casino Natale S. P. N. Benedicti. D

V. Kal. April. Octava S. Benedicti Abbatis.

II. Idus April. Apud Veronam S. Zenonis Episcopi, qui sub Gallieno Imperatore martyrio coronatus est.

XIV. Kal. Maji. Apud Messanam Siciliæ Urbem Natalis SS. Martyrum Eleutherii Episcopi, & Antiæ matris ejus. Qui B. Episcopus cùm esset & sanctimonia vitæ, & miraculorum virtute illustris, sub Trajano Principe in confessione Christi lectum ferreum ignitum, craticulam, & sartaginem, oleum, picem, & resinam ferventem superans, leonibus quoque projectus, sed ab his illæsus, novissimè unà cum matre gladio jugulatur.

XIII. Kal. Maji. Romæ depositio S. Leonis Papæ Noni, qui sedit in Pontificatu annis quinque.

III. Non. Maji. S. Godehardi Episcopi, & Confessoris.

VIII. Id. Maji. Romæ B. Benedicti Papæ, qui præfuit Ecclesiæ mensibus decem, imperante Constantino.

VI. Id. Maji. S. Cataldi Episcopi & Confessoris.

II. Id. Maji. In Syria SS. Martyrum Victoris, & Coronæ sub Antonino Imperatore Judice Sebastiano. Erat autem Victor miles à Cilicia, cui Sebastianus Judex ob confessionem Fidei confringi digitos, & evelli jussit à cute, deinde &c.

XIV. Kal. Jun. apud Ferentinum Campaniæ. Natale S. Petri Confessoris.

VII. Kal. Jun. In Britanniis S. Augustini Episcopi & Confessoris, qui missus à B. Gregorio PP. primus genti Anglorum Evangelium prædicavit, atque illic virtutibus & miraculis gloriosus quievit.

VI. Kal. Jun. Apud Soram Campaniæ Civitatem S. Restitutæ Virginis & Martyris.

Kal. Jun. Thessalonicæ S. Luciæ Virginis.

XII. Kal. Jul. S. Romualdi Abbatis, & Anachoretæ.

XI. Kal. Jul. Apud Siciliam Civitatem Syracusis SS. Martyrum Ruffini, & Marthæ.

VII. Kal. Jul. Romæ S. Luciæ Virginis cum aliis viginti duobus.

XV. Kal. Aug. Depositio S. Bruni Episcopi, & Confessoris.

XIII. Kal. Aug. in Casino Natale S. Severi Episcopi.

II. Non. Augusti. Hìc in Casino Dedicatio Ecclesiæ S. Bartholomæi Apostoli.

Nonis Augusti. In Britanniis S. Osnaldi Regis Anglorum.

XV. Kal. Sept. Apud Constantinopolim S. Elenæ matris Constantini Imperatoris.

XIV. Kal. Sept. Natalis S. Magni, & S. Andreæ Martyrum cum sociis suis duobus millibus quingentis nonaginta & septem.

XIII. Kal. Sept. Civitate Corduba SS. Monachorum Levigilli, & Christophori, quorum corpora post abscissionem capitis igni tradita fuerunt.

XII. Kal. Sept. S. Bernardi Abbatis.

V.

V. Id. Sept. Romæ Natale S. Sergii Papæ, qui præfuit Ecclesiæ annis 13.
IV. Id. Sept. Hîc in Casino, Dedicatio Oratorii S. Michaëlis Archangeli, & S. Petri.
Id. Sept. Sancti Amati Abbatis.
XVI. Kal. Octob. Hîc in Casino, Dedicatio Ecclesiarum S. Mariæ, S. Adalberti. Romæ SS. Martyrum Luciæ, & Geminiani.
III. Kal. Octob. In Pontecurvo S. Grimoaldi Confessoris.
Kal. Octob. Hîc in Casino, Dedicatio Ecclesiæ B. P. N. Benedicti.
VI. Non. Octob. Hîc in Casino, Dedicatio Ecclesiæ Sanctissimæ Eucharistiæ.
III. Non. Octob. Apud Siciliam, Natale S. Placidi Beatissimi Martyris cum Sociis suis Eutichio, Victorino, & aliis triginta, pro quo pater ejus Tertullus Patricius decem & octo patrimonii sui Curtes Beatissimo P. Benedicto obtulit.
VIII. Id. Octob. Hîc in Casino Octava Dedicationis Ecclesiæ S. Benedicti.
IV. Id. Octob. Octava S. Placidi, & Sociorum ejus.
XVII. Kal. Novem. In Alemannia, depositio S. Galli Confessoris.
XIII. Kal. Novem. Puteolis S. Lotimi Episcopi.
XI. Kal. Nov. Hîc in Casino Natale S. Bertharii Abbatis Casinensis, qui in Altari S. Martini in Ecclesia S. Salvatoris Missarum solemnia celebrans à Saracenis capite truncatus martyrio coronatus est. Eodem die hîc in Casino Natales plurimorum SS. Martyrum Monachorum.
IV. Kal. Nov. Octava S. Bertharii Abbatis & Martyris.
III. Non. Nov. apud S. Petrum de Avellona S. Amici Monachi, & Eremitæ.
Nonis Nov. Hîc in Casino, Dedicatio Ecclesiarum S. Stephani, & S. Adalberti.
XIV. Kal. Dec. Hîc in Casino Dedicatio Ecclesiæ S. Martini, & Octava ipsius.
XIV. Kal. Januarii, Aurelianis S. Amati Abbatis.

Apud hoc Martyrologium est alligata Regula S. Benedicti literis Langobardicis conscripta, & Lectiones Evangeliorum Dominicalium, & Festorum, quæ in Capitulo legebantur. Unde nota, quòd in Vigilia S. Benedicti in Capitulo legebatur Evangelium proprium, & Lectiones super: Vos estis sal terræ &c. *Festivitatis verò die:* Nemo accendit lucernam &c. *In Festo S. Placidi, & in Octava:* Videns Jesus turbas. *In Festo S. Berthari, & in Octava:* Nolite arbitrari &c. *In Festo S. Amici Confessoris:* Nemo accendit lucernam &c. *In fine harum Lectionum, & ante Kalendarium, in quo legebantur Fratrum, & Benefactorum mortuorum nomina in Capitulo, hæc memoria literis aureis & minio notatis habetur.*

Dominus Ludovicus de Flisco Diac. Card. S. Adriani obtulit se B. Benedicto, & sociavit se nostræ Congregationi sub Anno Dom. MCCCCXXI.

Postquam in Capitulo persolvissent Martyrologium, dicebant: Obierunt &c.

Notata

Notata ex Necrologio, sive Kalendario Mortuorum tum Monachorum, tum Benefactorum, Casini adservato.

JANUARIUS.

KAl. Jan. Landulphus Princeps. Hugo Abbas.
4. Non. Jan. Joannes Abbas. Commemoratio Fratrum nostrorum S. Stephani in Percellis.
3. Non. Jan. Rainaldus Abbas S. Joannis in Ramis.
2. Non. Jan. Obiit Dominus Optatus Sac. & Abb. hujus loci. Commemoratio Fratrum nostrorum Hildesemensium. Amicus Card. & Abb. S. Vincentii. (1)
8. Id. Frater Remigius Prior hujus Monasterii 1487.
Tinnarius Abbas, Zacharias Episcopus. Domina Berardessa de Palena.
7. Id. Karolus Rex. A. D. 1285.
5. Id. Lando Episcopus, & Monachus. Gregorius Romanorum Consul.
3. Id. Jan. Petrus Sac. & Abb. Item Petrus Sac. & Abb. Oldamundus Sac. & Abb. D........ de Plumbajola Sac. & Abb. S. Lauri in Aversa 1295.
Id. Jan. Albertus Archiepiscopus, & Monachus.
18. Kal. Febr. Marinus Episcopus, & Amicus Sac. & Abb. Clemens Sac. & Abb. Bartholomæus de S. Angelo Subdiac. Domini PP.
16. Kal. Febr. Obiit Domnus Gerardus Sac. & Abb. hujus loci, & Fratres nostræ Congregationis Albertus Sac. & Abb. D. Malfredus Prænestinensis Episcopus.
15. Kal. Febr. Petrus Sacerdos & Abbas. Obiit Dom. Guillelmus Episcopus Portuensis.
16. Kal. Feb. Ob. Gerebertus Archiepiscopus & Monachus.
13. Kal. Feb. Gregorius Sac. & Abb. Et 1336. Ob. Abbas Joannes de Aquafundata.
12. Kal. Feb. Ob. Gerebertus Archiepiscopus & Monachus. Otto Imperator, & Fratres nostræ Congregationis. Ob. D. Stephanus Sac. & Abb. hujus loci A. D. 1248.
8. Kal. Jan. Ob. Domnus Torniellus Sac. & Abb. hujus loci. Ob. Rex Ferdinandus 1494. die XXV. Jan. in Conversione S. Pauli in 18. hora. Et Commemoratio Fratrum.
6. Kal. Febr. Ugo Episcopus & Monachus.
5. Kal. Ob. D. Petrus Comes Sac. & Abb. hujus loci.
4. Kal. Febr. Ob. Dominus Gelasius II. PP.
3. Kal. Octob. Ob. D. Pelagius Albanensis Episcopus A. D. 1230.
2. Kal. Ob. D. Maurus Sac. & Mon. & Abb. S. Mariæ in Pielano.

A B C D E

FEBRUARIUS.

Kal. Febr. Leo Sacerd. & Abb. Obiit D. Antonius Caraffa Neapoli Abb. hujus loci 1454. & Commemoratio Fratrum S. Stephani in Monopoli.
4. Non. Pandulphus Episcopus Abb. Item Angelus de Trinitate de Atino Sac. & Mon. 1467.
3. Non. Joannes Sac. & Abb. Et commemoratio Fratrum nostrorum S. Guilelmi in Castellione.
2. Non. Febr. Ob. D. Senioretus Sac. & Abb. hujus loci. Rainaldus Baren. Archiepiscopus & Monachus. Heluina Regina.
Non. Febr. Goffridus Episcopus & Monachus. Rainaldus Episcopus Aquinensis.
8. Id. Giraldus Archiepiscopus.
4. Id. Antonius Sac. & Abb. Theodinus Sac. & Abb. S. Matthæi Servorum Dei.
3. Id. Atto Episcopus & Monachus.
2. Id. Joannes Bonus Episcopus.
16. Kal. Mar. Ob. D. Honorius II. PP. Lambertus Sac. & Abbas.
15. Kal. Ob. D. Lucius II. PP. Gislerius Episcopus & Monachus. Guilielmus Sac. & Abb. S. Januarii. Obiit D. Joannes Presbyter & Abb. S. Pauli in Urbe.
13. Kal. Benedictus Episcopus, & Monachus.
11. Kal. Rainaldus Diac. & Abb. S. Joannis in Venere.
10. Kal. Ob. Domnus Authpertus Sac. & Abb. hujus loci. Pandulphus Princeps & Monachus.
9. Kal. Herveus Episcopus. Rogerius Dux.
8. Kal. Mar. Obiit Venerandæ memoriæ Dominus Petrus Hostiensis Episcopus.
7. Kal. Jacobus Episcopus Suessanus.
5. Kal. Ob. D. Ratherius III. Episcopus Casinensis A. D. 1343. Ptolomæus Romanorum Consul. Ignatius Sac. & Monachus 1481.
4. Kal. Allo Sac. & Abbas.
3. Kal. Ob. Rogerius Rex Siciliæ.

MARTIUS.

Kalendis Martii. Amatus Episcopus, & Monachus. Petrus Sac. & Abbas. Adalbertus Sac. & Abb. Commemoratio Fratrum nostrorum in Reynenson. Ricardus Sac. & Abbas. An. Domini 1262. Conradus Marchio.
6. Non. Mart. Ob. Deusdedit Card. & Mon. Petrus Sac. & Abb. Commemoratio omnium Fratrum. Sancti Cyriaci de Altorf.
5. Non. Commemoratio Fratrum nostrorum. S. Michaëlis in Clusis.
3. Non. Joël. Sac. & Abb.

Nonis

(1) *Haud dubium quin de Vulturno.*

Nonis Martii . Laurentius Archiepiscopus & Mon. B. Theodinus Portuensis Episcopus . Boamundus Antiochenus Princeps.
8. Id. Mart. Obiit D. Manso Sac. & Abbas hujus loci. Et Fratres nostræ Congregationis. Joannes Episcopus & Monachus. Gemma Utroma de S. Germano prima Abbatissa S. Scholasticæ 8. mensis Mar. sub An. D. 1498. in Urbe.
7. Idus Pandulphus Archiepiscopus. Et D. Joannes Presbyter Card. & Abb. Sancti Pauli.
5. Id. Bonitus Abbas (2).
3. Idus Commemoratio Fratrum nostrorum. S. Mariæ de Gariten.
2. Id. Mart. 66. D. Joannes Sac. & Abb. hujus loci.
Idibus Mart. Albericus Sac. & Abb. Martinus Sac. & Abb. Adenulphus Miles de Aquino. Tomasius de Aquino Comes Acerrarum.
17. Kal. April. Frater Benedictus Abb. Sancti Matthæi An. Domini 1306. Rainaldus Abbas S. Vincentii (3). Christophorus Abbas. Et Commemoratio Fratrum nostrorum. S. Martini in (4) Vineis in Alamannia.
16. Kal. D. Bassarius Sac. & Abb. hujus loci. Et Commemoratio Fratrum nostrorum. S. Mariæ de Sellis.
15. Kal. D. Joannes Sac. & Abb. hujus loci. Et Atto Sac. & Abb. Petrus Sac. & Abb. Et Commemoratio Lateranensium.
14. Kal. D. Honorius PP. III. Joannes Sac. & Abbas.
13. Kal. Commemoratio Fratrum nostrorum in Gratia Dei. Rainaldus Ernebaldi Subdiac. Domini Papæ.
10. Kal. Rogerius Sac. & Abb. O. Odericius Valvensis Episcopus. D. Petrus de Capua Diac. S. Georgii, & Cardinalis.
9. Kal. Benedictus Sac. & Abb.
8. Kal. Ob. D. Leonas Diac. Card. & Abb. S. Clementis.
7. Kal. Ubaldus Episcopus, & Monachus. Et Ardericus Abbas.
5. Kal. Obiit memorandæ memoriæ Clemens PP. III.
4. Kal. Obiit D. Stephanus PP., qui & Federicus Abbas hujus loci. Federicus Sac. & Abbas de Albeto 1290.
3. Kal. Obiit D. Atenulphus Sac. & Abbas hujus loci.
2. Kal. Ob. D. Joannes Presbyter Card. & Mon.

APRILIS.

Kal. Aprilis. Maraldus Episcopus, & Monachus. Romualdus Salernitanus Archiep.
4. Non. April. Obiit Dominus Guido Pomposianus Abbas. Balduinus Hierosolymorum Rex. Commemoratio Fratrum nostrorum S. Agapiti de Cremismunster.
3. Non. Landulphus Princeps, & Monachus.
2. Non. Obiit D. Bernardus Sac. & Abbas hujus loci Anno Domini 1252. Jonathas Episcopus. Bartholomæus de Messana Sac. & Monachus Præpositus Sancti Angeli in Formis A. D. 1373.
8. Idus. Ob. Frater Benedictus Abbas, & Monachus hujus loci An. Domini 1329. Richardus Princeps.
7. Id. Ob. Dominus Odorisius Card. & Abb. S. Joannis in Venere.
5. Id. Ob. D. Benedictus Papa.
7. Id. Ob. D. Theodinus Cajetanus Episcopus.
3. Id. Leo Episcopus. D. Angelus de Posta octavus Episcopus, ac Reformator, & Reparator Monasterii Casinensis. An. Dom. 1361.
Id. Aprilis. Ob. venerandæ memoriæ D. Paulus Diaconus, & Monachus.
16. Kal. Sicelgaita Ducissa.
12. Kal. Commemoratio Fratrum nostrorum S. Martini de Aliusen.
11. Kal. Ob. D. Alexander II. Papa.
9. Kal. Bernardus Episcopus Segninus, & Monachus.
7. Kal. Dominicus Sac. & Abb. hujus loci.
4. Kal. Ob. Fr. Thomas Presbyter Cardinalis, Ord. Minorum. An. Domini 1300.
3. Kal. Adam Episcopus. Ugo Abb. Cluniacen., & Commemoratio Cluniacensium Fratrum.
2. Kal. Joannes Episcopus, & Monachus. Riccardus Triventinus, & Mon. Anno 1249.

MAJUS.

6. Non. Ob. D. Petrus de S. Georgio Sac. & Abb. Monasterii de Benevento Mon. hujus loci An. Dom. 1311. Rogerius Dux.
5. Non. Petrus Episcopus Petrus Sac. & Abb. S. Mariæ de Valle Josaphat.
4. Non. Obiit Carolus II. Rex Siciliæ An. Dom. 1309.
3. Non. D. Numbertus Episcopus, & Mon.
2. Non. D. Petronax Sac. & Abb. hujus loci. Commemoratio omnium Fratrum S. Floriani.
Nonis Maji. Nicetus Episcopus, & Monachus. Carolus Episcopus. Nicolaus Episcopus.
7. Idus Berardus Comes de Oloritu. D. Angelus de Ursinis Nonus Episcopus Casinensis An. Dom. 1367.
6. Id. Commemoratio Fratrum nostrorum, Michaëlis de Messina.
3. Id. Philippus Thomacellus Neapolitanus miles. Commemoratio Fratrum nostrorum S. Colomannis de Mellito.
Id. Maji. Ob. Guilielmus Rex Siciliæ.
17. Kal. Landeluphus Episcopus & Monachus.
14. Kal. Jaquintus Subd. & Abb. Bartholomæus Subdiac. & Capellanus Domini Papæ, & Archidiaconus S. Germani 1248.
13. Kal. Lando Spinella miles.
12. Kal. Commemoratio Fratrum nostrorum S. Mariæ Sertorum de Vienna.
8. Kal. Obiit D. Gregorius VII. PP. Ludovicus item Rex Siciliæ.
11. Kal. Ob. Ven. mem. D. Leo Hostiensis Episcopus.
5. Kal. Gaidolfus Episcopus, & Mon. Jaquintus Episcopus, & Mon.
3. Kal. Roffridus Presbyter Card. & Abb. hujus

(2) *Casinensis credo.*
(3) *Haud dubium quin de Vulturno.*
(4) VVeingarten.

hujus loci. Commemoratio Fratrum nostrorum in Medebure.

A

JUNIUS.

4. Non. Gisulphus Princeps.
3. Non. Ob. D. Theobaldus Sac. & Abb. hujus loci. Albericus Episcopus, & Mon.
2. Non. Ob. D. Petrus de Urbe Sac. & Abb. ac Reformator hujus loci An. Dom. 1395. die 3. mensis Jun. Ind. 3. & Cunradus Imperator, & Guaimarius Princeps.
Nonis. Obiit D. Theodemarius Abb. hujus loci. Landulphus Episcopus & Mon. Gregorius Episcopus, & Mon. Thomas de Quinquemilliis Abb. hujus loci.

B

6. Id. Jun. Ob. D. Angelus de Ursinis Nonus Episcopus Casinensis An. Dom. 1365.
5. Id. Fr. Rainaldus de Morreo Abb. S. Nicolai in Frotino 1315.
4. Id. Jaspidus Episcopus, & Monachus.
3. Id. Federicus Imperator.
Id. Jun. Gualterius Gentilis Comes.
18. Kal. Lucius Sac. & Abb. S. Matthæi de Pinnatario. Leo Consul & Mon.
17. Kal. Landulphus Comes.
16. Kal. Enricus Capuanus Princeps.
6. Kal. Petrus Episcopus, & Mon. Commemoratio Fratrum nostrorum Laureacensium. Ob. D. Jacobus Prænestinus Episcopus, & Mon.

C

4. Kal. Maria Turritanorum Regina. Riccardus de Bonohomine miles.
3. Kal. Ob. D. Poto Abb. hujus loci. Et D. Gentilis Neapolit. Archiepiscopus, & Monachus.
2. Kal. Benedictus Episcopus, & Monachus.

JULIUS.

Kal. Jul. Cencius Cardinalis. Et Ricchardus Consul, & Dux.

D

5. Non. Nicolaus Episcopus, & Mon. Gregorius Diac. & Cardinalis. D. Angela de Posta Uxor Viri Magnifici Nicolai de Cerado, quæ dimisit Ecclesiæ Casinensi Tobaleam unam deauratam pulcherrimam, & pannum unum deauratum pro Altari summo An. Dom. 1363.
Reverend. P. Dominus Fr. Oddo Patriarcha Alexandrinus, & Administrator hujus Casinensis Ecclesiæ.
Non. Jul. D. Wilelmus Salernitanus Archiepiscopus.
8. Id. Jul. D. Eugenius III. Papa. Et D. Petrus Presbyter, & Abb. hujus loci An. Dom. 1186. Ind. 4. Fer. 3. Fr. Gentilis Reginus Archiepiscopus. Laurentius Archiepiscopus, & Monachus.

E

5. Id. Commemoratio Fratrum nostrorum in Wilenbure. D. Gregorius Episcopus, & Monachus.
3. Id. Adelgisius Episcopus. Henricus Imperator. Ob. D. Joannes Portuensis Episcopus, & Monachus.
Idibus. Obiit Ven. mem. Dominus Rainaldus Presbyter Cardinalis, & Abbas hujus loci. Otto Pennensis Episcopus, & Monachus. Rogerius Comes.
17. Kal. Aug. Obiit D. Innocentius Papa III. Tertullus Romanorum Patritius, benefactor noster.
16. Kal. Obiit Robertus Guiscardus Dux. Obiit D. Anibaldus de Ceccano Episcopus Tusculanus, S. R. E. Cardinalis in Regno Siciliæ Legatus apud Sanctum Georgium An. Dom. 1350. Ind. 3.
15. Kal. D. Bernardus Tripolitanus Episcopus. Hermerisius Abb. hujus loci.
14. Kal. Aug. Obiit D. Nicolaus Papa. Dominus Roffridus Sac. & Abb. S. Joannis in Venere An. Dom. 1290.
13. Kal. Vitellius Diac. Card. & Mon.
12. Kal. Obiit D. Stephanus Sac. & Abb. hujus loci.
8. Kal. Joannes Thomacellus Miles Neapolitanus.
7. Kal. Obiit D. Raimundus primus Episcopus Casinensis An. Dom. 1340.
5. Kal. Aug. Obiit Ven. mem. D. Paulus Papa II. An. Dom. 1471. Ind. 4. die 23. Julii. Et D. Landulphus Sac. & Abb. hujus loci. Leopoldus Dux Austriæ & Styriæ An. Dom. 1308. Guilielmus Dux. Rainaldus Teat. Comes.
4. Kal. Aug. Obiit D. Urbanus II. Papa.
3. Kal. Tancredus Diac. & Abbas.

AUGUSTUS.

Kal. Aug. Ptolomæus Romanorum Consul.
4. Non. Andreas Episcopus, & Monachus. Obiit D. Guido II. Episcopus Casinensis An. Dom. 1341.
2. Non. D. Gregorius Sacerd. & Monachus Abb. S. Vincentii de Vulturno.
Nonis. Philippus Coloniensis Archiepiscopus.
8. Id. Joannes de Placia Sac. & Mon. Reformator Monasterii Casinensis. Carolus Ungariæ Rex An. Dom. 1295. Ind. 8. Franciscus de Lombardia Sac. & Mon. Prior Casinensis 1376.
7. Id. Obiit Leo Archiepiscopus, & Monachus. Jacobus Episcopus, & Monachus. Et Commemoratio Fratrum nostrorum in Scontiva.
5. Id. Aug. Obiit D. Damasus Papa.
2. Id. Lando Sac. & Abb. S. Erasmi.
18. Kal. Sept. Benedictus Episcopus, & Mon.
16. Kal. Obiit D. Leo Abb. hujus loci.
15. Kal. Obiit D. Bernardus Portuensis Episcopus.
14. Kal. Obiit D. Bernardus Episcopus, & Monachus.
13. Kal. Philippus Comes de Janvilla 1315.
12. Kal. Obiit Fr. Martialis de Forti ...... Prior Pedenatis, ac Commendatarius istius Monasterii, missus à D. N. Papa Urbano V.
11. Kal. Obiit D. Gratianus Abb. hujus loci. Obiit Ven. mem. D. Gregorius IX. Papa. D. Guido Prænestinus Episcopus. D. Thomas Capuanus Presbyter Card. S. Savinæ.
3. Kal. Sept. Obiit D. Oderisius Card. Diac. & Abb. hujus loci. Theodinus Episcopus, & Monachus. Obiit Ven. mem. D. Alexander PP. Tertius. Landulphus Soranus Episcopus, & Monachus.

SEPTEMBER.

Kalendis. Obiit D. Adrianus PP. IV.
4. Non. Gregorius Epifcopus, & Monachus.
Non. Sept. Rogerius Comes Thufciæ.
7. Id. Landulphus Epifcopus, & Monachus.
6. Id. Adenulphus Abb. S. Pauli in Urbe An. 1322. Gregorius Romanorum Conful.
5. Id. Guala Epifcopus, & Monachus.
4. Id. Otto Dux Boëmiorum. Thomas Spinellus.
3. Id. Gilbertus Thefaurarius Lingonienfis Ecclefiæ, nepos Domini Joannis Cardinalis. (B)
2. Id. Joannes Epifcopus, & Monachus. Obiit D. Innocentius PP. VI. An. Dom. 1362. Ind. 1. Petrus Epifcopus, & Monachus.
Id. Sept. Egilricus Epifcopus, & Monachus.
18. Kal. Octob. Obiit D. Theodinus Card. & Abb. hujus loci. Conftantia Regina.
17. Kal. Bartholomæus Sac. & Abb. S. Matthæi.
16. Kal. Octob. Obiit Ven. mem. D. Victor Papa, qui & Defiderius, Abbas, & Renovator hujus loci.
15. Kal. 1345. Andreas de Ungaria Rex Siciliæ ftrangulatus Averfæ. Obiit D. Pandulphus Norvvicienfis Epifcopus. (C)
14. Kal. D. Thomas de Rivo-frigido Sac. & Abb. hujus loci An. Dom. 1288.
13. Kal. Obiit bonæ mem. Andreas Sac. & Abb. & Reformator hujus loci An. Domin. 1373.
11. Kal. Gregorius Epifcopus, & Monachus. D. Gregorius Sipontinus Archiepifcopus, & Monachus. Et D. Petrus Presbyter Cardinalis S. Savinæ.
10. Kal. Andreas Barenfis Archiepifcopus.
9. Kal. Hartemannus Epifcopus. Simon de Ogenti Epifcopus, & Monachus. Jacobus Spinellus Miles.
8. Kal. Octob. Obiit D. Innoc. II. PP. Commemoratio Fratrum Hofpitalis S. Joannis in Hierufalem. (D)
5. Kal. Dominicus Sac. & Mon. Præpofitus de Albaneto, ubi & Monachi manebant. Hîc quoque habetur, viros quofque nobiles habitaffe Caftrum Plumbariolæ.
4. Kal. Adam Epifcopus, & Abb. Heinricus Rom. Imperator.
2. Kal. Carolus Epifcopus. Pontius de Catania Abb. hujus loci.

OCTOBER.

Kalendis. Obiit D. Otto Diac. & Abb. hujus loci, & Frater noftræ Congregationis. (E) Joannes Epifcopus, & Monachus. Commemoratio Augienfium Fratrum.
6. Non...... N..... (5) de S. Liberatore Brundufinus Archiepifcopus, & Mon.
5. Non. Commemoratio omnium Confanguineorum noftrorum.
4. Non. Commemoratio Fratrum noftrorum S. Laurentii in Averfa.
3. Non. Obiit Henricus Imperator, & Frater noftræ Congregationis.

(5) *Abfciffum erat nomen.*

(A) 2. Non. Rainaldus Epifcopus, & Monachus.
7. Id. Octob. Obiit D. Deufdedit Abb. hujus loci. Et Alfanus Archiepifcopus Salernitanus, & Frater noftræ Congregationis. Roffridus Subdiac. & Notarius Domini Papæ.
6. Id. Clemens Epifcopus. Commemoratio Fratrum noftrorum S. Mariæ de Affifio. Amfufus Capuanus Princeps.
2. Id. Obiit D. Angelus de Plumbarola Sac. & Abb. S. Laurentii in Averfa Ann. Dom. 1282.
17. Kal. Nov. Adelacrus Epifcopus.
15. Kal. Nicolaus Epifcopus, & Monachus. Commemoratio Fratrum noftrorum S. Mariæ Sylvæ Majoris.
14. Kal. Nov. Obiit D. Bonifacius PP. VIII. An. Dom. 1303. Ind. 2. Obiit ven. mem. Joannes de Aragonia Presbyter Cardinalis, & Commendatarius hujus Sacri Monafterii 1485. Commemoratio Fratrum noftrorum S. Mariæ Othenifia.
10. Kal. Roffridus Teanenfis Epifcopus Magifter Stephanus de S. Georgio Scriptor Domini Papæ, & Confiliarius, & Secretarius Dominorum Regum Angliæ, & Siciliæ. Et D. Angelus de Florentia Epifcopus Cafinenfis, & Cancellarius Regis fub Anno Domini 1356. Indict. 2.
8. Kal. Joannes Epifcopus, & Monachus.
6. Kal. Valdericus Archiepifcopus.
2. Kal. Magifter Girardus Scriptor Domini Papæ. Pirrus Abb. & Sac. hujus loci.

NOVEMBER.

4. Non. Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum. Dicitur Officium.
3. Non. Berardus Epifcopus.
2. Non. Joannes Epifcopus, & Monachus. Gentilis Acerrarum Epifcopus.
Nonis. Obiit D. Joannes Presbyter Cardinalis.
8. Id. Obiit D. Ragenbrandus Levita, & Abbas hujus loci. Petrus Epifcopus, & Monachus. Albertus Turritanus Archiepifcopus, & Monachus. Obiit D. Aiglerius Neapolitanus Archiepifcopus & Monachus.
6. Id. Lando Epifcopus, & Mon.
4. Id. Romualdus Epifcopus, & Mon.
2. Id. Ob. vener. mem. Ludovicus de Borfis Epifcopus Aquilanus 1485. Gubernator hujus facri Monafterii.
18. Kal. Dec. Ingelbertus Epifcopus. Soror Margarita de Aquino A. D. 1340.
16. Kal. Albericus Epifcopus, & Mon.
14. Kal. Bernardus Diac. & Mon. & Abbas S. Nicolai in Montino. Jonatas Comes Romanorum. Et Gulielmus II. Rex Siciliæ.
13. Kal. Conftantia Imperatrix.
12. Kal. Joannes Epifcopus. Jordanus Princeps.
11. Kal. Ambrofius Epifcopus, & Mon.
9. Kal. Decemb. Ob. D. Aligernus Sac. & Abb. hujus loci.
8. Kal. Nicolaus Sac. & Abb. S. Laurentii de Averfa.
7. Kal. Benedictus Epifcopus, & Mon.
6. Kal. Petrus Gravinenfis Epifcopus, & Mon.

5. Kal.

5. Kal. Ob. D. Apollinaris Sac. & Abb. hujus loci. Commemoratio Fratrum nostrorum S. Pauli Urbis Romæ.
4. Kal. Trasmundus Episcopus, & Mon. Rogerius de Calinulu Comes & Monachus. Commemoratio Fratrum nostrorum S. Mariæ de Cranumo.

DECEMBER.

4. Non. Decembr. Ob. Vener. mem. D. Oderisius Cardinalis & Abb. hujus loci.
3. Non. Ob. Ven. mem. D. Anastasius PP. IV. Et D. Lotharius III. Imperator.
2. Non. Commemoratio Fratrum nostrorum Casinensis Monasterii. Stephanus Presbyter Cardinalis.
Non. Decemb. Ob. D. Argelarius Sac. & Abb. hujus loci. Item D. Leonardus Cardinalis,& Episcopus Albanensis.
7. Id. Ob. D. Otto Imperator.
4. Id. Ob. D. Richerius Sac. & Abb. hujus loci.
Id. Decembr. Ob. D. Nicolaus Archiepiscopus.
19. Kal. Jan. Ob. D. Callistus PP. II. Et Fratres nostræ Congregationis Joannes Episcopus, Agnes Imperatrix.
18. Kal. Fredericus Episcopus, & Mon.
17. Kal. Lanfrancus Episcopus. Ob. D. Bernardus . . . . . . decimus Casinensis, demum Aquinas Episcopus, postea Fanensis in Anno 1305.
16. Kal. Girardus Archiepiscopus.
14. Kal. Petrus Episcopus. Ob. D. Marinus Sac. & Abb. hujus loci A. D. 1317. Ind. 2. Clemens Episcopus, & Monachus. Obiit bonæ mem. D. Urbanus V. Jordanus II. Princeps.
13. Kal. Petrus Archiepiscopus, & Monachus.
10. Kal. Transmundus Episcopus Cajetanus, & Monachus.
9. Kal. Ob. D. Gisulfus Sac. & Abb. hujus loci. Landulphus de Aquino miles.
8. Kal. Ob. Petrus Sac. & Abb. Cluniac. Rogerius . . . . . .
2. Kal. Jan. Ob. D. Odilo Sac. & Abb. Cluniacensis, & Fratres nostræ Congregationis Helias Diaconus, & Abbas.

Hactenus ex MS. Codice 62. & Kalendario Casinensi. Nunc ea, quæ sequuntur, excerpta sunt ex MSto Martyrologio Monasterii, ut puto, Venusini Ordinis S. Benedicti, quod adhuc legitur in Fratrum illorum Capitulo signato in Bibliotheca Casinensi n. 450. Et primò ex Necrologio, seu Kalendario mortuorum Monasterii illius, quod est ante Martyrologium positum.

Id. Jan. Obiit Ugo Abbas nostræ Congregationis.
17. Kal. Joannes nepos D. Petri Abbatis.
8. Id. Febr. Giraldus Archiepiscopus.
6. Id. Ob. Helberia Regina, Uxor magni Regis Siciliæ, & Apuliæ. Officium plenum duodecim justitiæ.
13. Kal. Depositio Domini N. Monasterii Casinensis. Officium plenum.
8. Kal. Rogerius Dux.
3. Kal. Ob. Rogerius Rex Siciliæ.
4. Non. Mart. Obiit Petrus Abb. Cavensis.
5. Kal. Depositio D. Egidii nostræ Congregationis Abbatis.
Kal. Maji Landulfus Miles. Frater D. Petri Abbatis.
9. Kal. Ob. Petrus Mon. Pater D. Petri Abbatis.
2. Id. Jun. Depositio D. Ingelberti nostræ Congregationis Abbatis.
10. Kal. Ob. Rogerius Comes Siciliæ. Officium plenum.
5. Id. Jul. Depositio D. Petri nostræ Congregationis Abbatis.
4. Id. Ob. Leo Abb. Cavensis. Ob. Joannes Regius Senescalcus.
3. Id. Ob. Joannes frater D. Petri Abbatis.
2. Id. Depositio D. Petri nostræ Congregationis Abbatis secundi.
16. Kal. Robertus Dux Apuliæ.
10. Kal. Ob. Paganus Abbas.
7. Kal. Ob. Kurala mater Madii magni Ammirati Ammiratorum.
6. Kal. Rogerius Miles frater D. Constantini Venerabilis Abbatis.
8. Id. Aug. Ob. Nicolaus pater D. Constantini Abbatis.
7. Id. Ob. Majore Abbatissa S. Thomæ.
3. Id. D. Rogo Comes.
14. Kal. Depositio D. Nicolai nostræ Congregationis Abbatis.
6. Kal. Gualterius Episcopus. *Venusinus puto ego.*
6. Id. Sept. Ob. Leo pater Ammirati Ammiratorum.
2. Id. Octob. Ob. Maria mater Simonis Senescalchi.
4. Id. Nov. Petrus de Vinealibus.
10. Kal. Jan. Depositio D. Berengarii nostræ Congregationis Abbatis.

Ex Martyrologio, quod Calendarium sequitur, hæc notavi.

4. Non. Jan. S. Odilonis Abbatis.
8. Non. Jan. S. Simeonis Monachi.
8. Id. Antonii Presbyteri.
7. Id. Translatio S. Athanasii Conf., atque Abbatis.
6. Id. Natalis S. Severini Conf.
3. Id. S. Martianæ Virginis.
3. Id. Jan. Natalis S. Theodori Confessoris, atque Abbatis.) In hac Ecclesia fit Octava S. Agnetis.
18. Kal. Febr. Natalis S. Mauri Confessoris, atque Abbatis.)
5. Id. Febr. Natalis S. Sabini Canusini.)
4. Id. Natalis S. Scholasticæ Virginis.
3. Id. Febr. S. Severini Abbatis.
Id. Febr. S. Antonini Confessoris.
10. Kal. Febr. S. Agili Abbatis.
12. Kal. Mar. Natale S. Barbati Episcopi, & Confessoris.
8. Kalend. S. Galli Presbyteri, & Confessoris.
7. Id. Mar. S. Ugonis Archiepiscopi, & Confessoris.
4. Id. Mar. Natalis S. Gregorii PP.
12. Kal. Aprilis Natalis S. Benedicti Abbatis, & S. Lupicini Confessoris.
8. Kal. Natale S. Hermelandi Abbatis.
6. Kal. A. Natalis S. Marciani, & S. Joannis Eremitæ.
Pridie Non. Maji. Translatio S. Matthæi Apostoli.
15. Kal. Julii. Translatio S. Bartholomæi Apostoli. Et Natale S. Romani Episcopi.

Kal.

Kal. Julii. S. Domitiani Abbatis.
5. Id. Jul. S. Arsenii Abbatis.
16. Kal. Aug. Natal. SS. MM. Sperati, & Sociorum ejus.
11. Kal. Aug. S. Wandrigili Abbatis.
16. Kal. Sept. Dedicatio Ecclesiæ S. Trinitatis Venusinæ.
3. Kal. Sept. S. Agili Confessoris.
17. Kal. Octob. Natalis SS. MM. Senatoris, Viatoris, Cassiodori, & matris eorum Donatæ.
13. Kal. Nov. Nat. S. Zosimi Episcopi, & Confessoris.
10. Kal. Nov. Translatio S. Theodori Confessoris, & Abbatis.
Kal. Nov. Commemoratio omnium Sanctorum.
Non. Nov. Natale Sanctæ Triphomenæ Virginis.
7. Id. Nov. Translatio SS. MM. Senatoris, Viatoris, atque Cassiodori.
14. Kal. Dec. Natal. S. Oddonis Confess. & Abbatis, & S. Romani.
9. Kal. S. Severiani Monachi.
Idibus Dec. Nat. Sancti Athanasii Confess. & Abbatis.
18. Kal. Jan. Nat. Sancti Agnelli Confess. & Abbatis.

In fine Martyrologii hæc nota scripta erat.

Robertus Guiscardus, Comes Drogo, Comes Rogerius Siciliæ, Boamundus Princeps, Comes Guilielmus de Principatu, Comes Robertus, Comes Rive Montis Scabiosi, Comes Henricus, Comes Goffridus, Comes Riccardus, Comes Nicolaus de Principatu, Guilielmus Maleconvenienti, Unfridus Montis Scabiosi, Robertus Scalone, Ugo de Claromonte, Goffridus filius Aitardi, Sardo Aringo, Guilielmus filius Ivonis, Ugo filius Guismanni, Guilielmus de Novanda, Goffridus de Sal. Zuel de Brachalla, Ugo de Poliniano, Alberada Domina Colubrarii, Albereda Domina Oriæ, Sichelgaita Ducissa.

Deus Omnipotens, pietate sua, & misericordia, dignetur hoc recipere ad honorem, & ad pacem Ecclesiæ suæ, & ut sit nobis, & cunctis fratribus nostris tam vivis, quàm defunctis ad remissionem omnium peccatorum, & omnibus familiaribus nostris vivis ad salutem, & mortuis ad indulgentiam, & requiem sempiternam.

Antiquitus primâ Dominicâ Adventus recitabatur apud Monachos S. Benedicti Evangelium: Erunt signa in &c. *ut in jam dicto Codice videre est. Et in Domin. Trinitatis illud:* Convocatis Jesus duodecim Discipulis &c. *In hoc Codice est Regula Sancti Benedicti, ubi in fine:* pervenies: *Facientibus hæc Regna patebunt superna.*

Forma recipiendi in Communionem bonorum operum, & participationem.

NOs ex parte Dei Omnipotentis, & Beatæ Mariæ semper Virginis, & B. Benedicti P. N. & omnium Sanctorum, & præcipuè eorum, qui in hoc Sancto Monasterio in suis Sanctis Reliquiis requiescunt, damus tibi partem & societatem omnium benefactorum, quæ fiunt in hoc Sancto Monasterio, & per loca nostra nocte & die, in jejuniis, in Missis, in eleemosynis, in vigiliis, & in aliis bonis; ut per intercessionem omnium Sanctorum suorum, & orationes servorum suorum, concedat tibi Omnipotens Deus ita custodire vitam tuam, ut in fine possis habere vitam æternam, unà nobiscum per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Professionis Forma est, sicut consueta aliorum Monasteriorum, ita & hujus. Videtur hoc Monasterium vocatum fuisse Sanctæ Mariæ in loco particulari. Nomina, & vocabula, ignorantium faciente invidia, sunt abrasa.

Ex Cod. MS. Longobard. lit. 452. sig. . .

Pro Hebdomadario Lectore Cap. V. Salvum fac servum tuum. R. Deus meus sperantem in te. V. Mitte &c. V. Domine exaudi &c. *Oratio:* Dominus custodiat introitum, & exitum tuum, & auferat à te spiritum elationis, & ignorantiæ. Qui vivit, &c.

In fine MS. Lit. Longobard. sig. 452. habetur memoria Reliquiarum, videlicet:

Hæ sunt Reliquiæ, quæ in alio scrinio sunt reconditæ: SS. Joannis, & Pauli, & S. Stephani Papæ, SS. Quadraginta, & SS. MM. Abdon, & Sennæ. Una petia grossior linea est de Vestimento Sanctissimi Petri Apostoli, & alia petia de aliis Sanctis, quorum nomina Deus scit. Quos Dominus PP. Benedictus ob amorem, & reverentiam Sanctissimi P. N. Benedicti de Archivo Lateranensis Palatii huc in Montem Casinum direxit, primo Anno Reverendiss. Abb. Domini Theobaldi, An. Dom. Incarn. Milesimo vigesimo tertio. Et hoc contradidit D. Papa: Ut nullus præsumat hinc aliquid auferre. Et aliæ Reliquiæ, de Ligno Domini, de Sanguine Domini, de Vestimento Domini, de Spinea Corona, de Velo Dei Genitricis Mariæ, de duodecim Apostolis, de S. Martino, de S. Stephano, de S. Jacobo Apostolo, de S. Anastasia, de S. Prudentia, de S. Juliano, de S. Augustino Episcopo, de S. Laurentio, de S. Christophoro, de S. Pelagio Papa, de S. Eugenia, de S. Joanne Evangelista, de S. Emiliano, de Spongia, & Sanguine S. Protomartyris Stephani, de SS. Nicandro, & Mariano, de lapide S. Sepulchri.

An. Dom. MCXXCVIIII. Ind. VI. mens. Aug. XXV. die ejusdem mensis, hoc est in Festo S. Bartholomæi Apostoli. Nos Roffridus Dei gratiâ Casinensis Abbas hæc tantùm invenimus, & recepimus in Sacristia hujus Monasterii, præsentibus Fratribus nostris Fr. Simone Græco, F. Joanne Bono, F. Rainaldo de Ficarola, F. Oder de Plumbarola, Fr. Oddone de Pont., F. Berat de Carsel., F. Juliano,

liano, F. Rogerio de Miniano, F. Dod. Marficano, F. Rogerio de Miniano, F. Odd. de Celano, F. Petro Comite, F. Ludovico, F. Philippo, F. Giberto, F. Bartholomæo de Sugio, F. Pand. de Antena, F. Theodoro de Stōpetro, F. Joanne de S. Elia, F. Matthæo de Antena, F. Joanne de Luca, F. Leonardo de Antena, F. Balduino, & F. Placido: Pluviales rubeos paratos X. nigros paratos XII. virides paratos XIV. albos paratos XI. non paratos de diversis coloribus LIX. Item planetas paratas rubeas VII. virides paratas II. albas paratas VI. nigras paratas III. Non paratas de diversis coloribus IX. Item pluvialem cum campanellis, pluvialem cum smaltis, vestem Imperatoris, cultram, circitoria II. & doxale I. dalmaticas XV. tunicas LII. pro Subdiaconibus, & tunicas XIII. pro Acolythis., doxales magnos IX. & rubeos doxales II. Item pallium magnum de Cœna Domini, pallia alba de Pascha III. cum coopertoriis II. coopertoria sex pro Altari S. Benedicti, & de aliis Altaribus. Circitoria IX. Circitorium de Altari S. Benedicti deauratum; coopertoria de aliis Altaribus VI. circitorium nigrum de Altari S. Benedicti cum coopertorio, de aliis Altaribus circitoria III. cum coopertoriis suis, de Capellis circitoria III. Tuallias sericas pro lecturili II. tabulam cum smaltis, & Crucem auream, quas fieri fecit Abbas Rainaldus, Cruces alias argenteas IV. Item tuallias de Altari S. Benedicti XVIII. de aliis Altaribus tuallias XV. libros paratos XIV. & libellum de Graduali I. candelabra parva IX. Virga pastoralis de cristallo I. & de ebore II. Sceptrum eburneum I. & de cristallo I. Gambuttam I. de Jaspide, & quasdam alias; Calices argenteas sex, thuribula argentea V., mitras paratas II., mitram non paratam I. stolas paratas cum manipulis XX. & sine manipulis III., fistulas argenteas III. Annulum Pontificalem I. cum chirothecis paratis, aliud par chirothecarum non paratarum, camisos paratos IV. cum amictis paratis V. Tuallias pro Abbate II. Flascones christallinos II. piscem christallinum I. & pernas duas.

In nomine D. Salvatoris nostri Jesu Christi Anno Incarnationis ejusdem MCCXVII. Nos Stephanus Dei gratiâ Casinensis Abbas, & totius ipsius Monasterii Conventus, communi dicto & consensu statuimus pro nobis, & successoribus nostris omni tempore per singulos menses pro vobis Domino Egidio, pro Patre, Matre, fratribus vestris Domino Pand. Norsiensi Episcopo, Domino Oddone eorum Nepote, & universo genere vestro in Officio Defunctorum diem celebrare ...... iam ad hoc vestra, & prædecessorum vestrorum merita me invitant.

Die Jovis XXVIII. Januar. Fuit receptus in Monachum, & in Fratrem hujus Monasterii Casinensis Fr. Joannes de Cannoto Monachus Bonævallis, Domini Regis Siciliæ Capellanus, assignato sibi stallo in Choro, & loco in Capitulo.

Nos recepimus Venerabilem Episcopum Sectoroensem Dominum Carolum nostra Societate, & promisimus ei post ejus mortem in nostra Regula, unà cum Fratribus nostræ Congregationis illum facere scribi.

An. Dom. 1270. die Jovis prid. Non. Sept. Ind. 14. Nos Abbas, & Conventus, recepimus Magistrum Nicolaum de Terracina in nostra Societate, atque Fraternitate, promittendo eidem Decretorum Doctori in Romana Curia constituto, ut audita morte sua...... Officium pro anima sua, sicut pro alio Fratre nostro. Actum est hoc in Capitulo Casinensi.

An. Dom. MCCCI. mense Aug. die XV. ejusdem mensis, Ind. XIV. Nos Frater Thomas Abbas, & Conventus Monasterii Casinensis, recepimus Excellentissimum D. N. Regem Carolum II. Magnificum Regem Jerusalem, & Siciliæ, Ducem Apuliæ, & Principem Capuæ, in nostram Societatem, & promisimus ei post ejus mortem in nostra Regula, unà cum Fratribus nostræ Congregationis illum facere scribi, & in orationibus ipsorum admittere, & Officium, & Commemorationem devotissimè peragere.

VI. Non. Sept. Dominus Ludovicus inclytus Rex Francorum in fata concessit in castris ante Carthaginem An. Dom. MCCLXX. Cujus exercitus remansit Capitaneus Dominus Carolus Rex Siciliæ frater ejus.

Pro his, qui se commendant in Orationibus.

Suscepimus Deus misericordiam tuam. Ps. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & Gloria. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos inducas &c. Salvum fac servum tuum. Mitte ei Domine. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oratio. Absolve quæsumus Domine delicta famuli (1) tui, & à peccatorum suorum nexibus, quæ pro sua fragilitate contraxit (2), tua benignitate liberetur (3). Per Christum &c.

Per istam Regulam donamus tibi, vel vobis, nostram Societatem, ut sis, vel sitis nostri particeps, vel participes in Orationibus, in Vigilis, in Psalmis, in Sacrificiis, in Eleemosynis, & in omnibus bonis, quæ ad salutem animæ pertinent. Per Christum &c.

In præsentia subscriptorum juravit Frater Senebaldus de Cellis, Abbas Sancti Nicolai in Trunto, Domino Roffrido Dei gratia Cardinali, & Casinensi Abbati in hunc modum. Ego Frater Senebaldus de Cellis Abbas Sancti Nicolai de Trunto, semper ero fidelis, & obediens B. Benedicto, & Ecclesiæ Casinensi, tibique D. Roffrido Dei gratiâ Venerabili Cardinali, Casinensi Abbati, tuisque successoribus regulariter intrantibus; non ero in facto, consilio, vel consensu, quòd vitam perdatis, aut membra, vel capiamini mala captione, aut amittatis dignitatem, quàm habetis, aut quòd Ecclesia S. Nicolai de Trunto Monasterio Casinensi subtrahatur, vel alia conditio, aut consuetudo imponatur, per quam prætaxata Ecclesia S. Nicolai alicui personæ Ecclesiasticæ, aut sæculari aliquando obnoxia teneatur. Possessiones ipsius Ecclesiæ non vendam, non alienabo, nec de novo infeudabo, neque locabo, absque voluntate, & consensu tuo, & successorum tuorum, & conscientia Conventus S. Nicolai. Hæc omnia fideliter, & sinè fraude juro observare. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Hi sunt, qui interfuerunt. Frater Petrus Comes Decanus Casin., Fr. Tancredus de Britiul., F. Bartholomæus de Sujo, F. Petrus Græcus, Fr.

(1) famulorum tuorum si plures.
(2) contraxerunt.
(3) liberentur.

Fr. Romualdus Pentiensis Casinensis Sacrista, F. Berardus de Cella, F. Joannes de Carale, F. Joannes de Catilvēr, F. Basilius de Albēt, F. . . . . . . de S. Germ., F. Stephanus de Marsi, F. Ambrosius Decanus S. Nicolai in Trunto, F. Censius, F. Nicolaus, F. Alexius, Monachi Ecclesiæ S. Nicolai in Trunto.

Nos Frater Ugo de Fonello Casinensis Monasterii Monachus.

AD futuram memoriam nos scribere curavimus possessiones, oblationes, quas spirituales viri pro suis redimendis peccatis, & eorum consanguineorum Casinensi obtulerunt Conventui pro habendis cultris. In primis est possessio, feudum in Capuana Civitate, quod emit Venerabilis Abbatissa D. Martha S. Mariæ in Capua, pro unciis centum decem, & octo, quas D. Theodinus S. Michaëlis bonæ memoriæ Casinensi judicavit Conventui; Et est domus cum balneo, & cum apothecis, quæ fuit de Domino Rainaldo de Bari, & sunt quatuor apothecæ in platea, in qua calceamentorum sutores laborant, & quatuor petiæ terrarum in cesa Battalla, quæ fuerunt emptæ de pecunia, quam judicavit Conventui bonæ memoriæ Gentilis infans, & Monachus. Est & alia petia in eodem loco, quam Zacchæus judicavit Conventui Filius Talgisci coci. Est & alia petia terræ, quæ fuit empta de eleemosynis Conventus à Talgiscio idiota. Est & domus in loco, qui dicitur Fons Græcorum, quam Dominus Pandulphus de Antena bonæ memoriæ construi fecit. & ex mandato Venerabilis Domini Casinensis Abbatis Petri de Insula Casinensi dedit Conventui pro cultris habendis. Et sunt duo molendina in Ponte Linulo, quæ studio & sollicitudine D. Vitalis Decani de Conventus eleemosynis sunt reædificata. Et sunt tres petiæ terræ, quæ dicuntur Climatæ in territorio Castri S. Ambrosii, quas D. Jonathas miles bonæ memoriæ habitator Castri S. Angeli in Tudici, unà cum Ecclesia constructa in honore Salvatoris pro suorum peccatorum absolutione Casinensi judicavit. Est & aliud molendinum prope S. Egidii Ecclesiam, quod studio prædicti Decani est ædificatum de pecunia, quam Magister Petrus, qui vocatus est Martellus ex mandato D. Stephani Casinensis Abbatis judicavit Conventui, de quo molendino in æstate Conventus in sero debet ova habere. Item est quædam Clausura in territorio S. Petri in Monasterio juxta Clausuram Regis, quam Presbyter Lucas bonæ memoriæ judicavit Casinensi Conventui pro cultris pro redemptione animæ suæ. Item sunt duo molendina apud Pontem ligneum, quæ reædificata sunt à Domno Vitali Decano Casinensi de eleemosynis Conventus, quæ molendina fuerunt empta de vigesima unciis aureis, quas dedit Dominus Landulphus de Aquino filius qu. bon. mem. Domini Aymonis, unde tenemur omni anno post ejus obitum facere Anniversarium pro anima sua.

Hertuidus de Hort, Ministerialis Ducis Austriæ detinuit multo tempore in animæ suæ periculum quoddam nobile prædium, ubi est Ecclesia, quæ dicitur Tronchir, quam tenet Vulcanus Ducis Austriæ Capellanus, & valuit in reditibus septem Marchas cum decimis minutis; & quæ spectabat ad Monasterium Casinense. Prædictus verò Hertuidus laborans in extremis recognovit se malè detinuisse, & fecit hæredem suum jurare, & milites suos, quòd de possessionibus illis largis & amplis, & de Militibus, & Vassalis ad idem prædium spectantibus cederent Monasterio Casinensi. Et istam ordinationem posuit in manu Domini sui Ducis Austriæ, & super animam ipsius. Sed quia res magna est, laborant dissimulare. Super hoc scribatur dicto Duci principaliter, & hæredi, scilicet filio dicti Hertuidi. Scribatur Pataviensi Episcopo, in cujus Diœcesi est prædium, & Patriarchæ, qui quondam fuit ibidem Episcopus, & res est sibi nota. Et Archiepiscopo Salysburgensi, ut Ducem, & puerum hæredem ad hoc admoneant exequendum, & inducant, vel si opus fuerit, cogant.

In nomine Domini nostri Jesu Christi An. Incarnationis ejus MCXXCVII. Anno Regni D. N. Guilielmi II. Gloriosissimi Regis, Mense Februario nona die ejusdem mensis, Ind. V. Ego Raino filius quondam Rainaldi de Adelmario in sana mente constitutus, ultimæ voluntatis meæ arbitrium declaravi in præsentia D. Petri Comitis Casinensis Cameræ, & D. Matthæi de Salerno Monachi, & subscriptorum testium in hunc modum.. Tuscanam filiam meam dominam universorum bonorum meorum constitui, tam eorum, quæ sibi tempore matrimonii sui in dotem dedi, quàm & omnium aliarum rerum mearum, quas hodie habui, & eam inde investivi, exceptis his, quæ Monasterio Casinensi, & Ecclesiæ Sanctissimæ reliqui. Hoc à me statuto de consensu, & voluntate Domini Roberti de Conca generi mei, & ipsius filiæ meæ, videlicet: Ut si contigerit, ipsam filiam meam sinè filio, vel filia mori, tota terra mea, quæ est in Limata de Bantra, deveniat ad Casinensem Ecclesiam. Omnes verò aliæ res suæ sint in libera dispositione ipsius filiæ meæ, ut si decesserit absque filiis, liberam habeat potestatem de omnibus ipsis rebus secundùm suum arbitrium disponendi, ut tamen, si vivente ipso Domino Roberto, decesserit, non auferat ei usufructum rerum ipsarum, sed fruatur Dominus Robertus toto tempore vitæ suæ; & eo moriente omnes res ipsæ ad eas personas, seu loca deveniant, quibus eadem filia mea se relinquere declaraverit. Ab ipso quoque tempore mortis filiæ meæ liceat ei pro anima sua exinde dare, secundùm quod personæ ipsius decuerit in hunc modum. Hæc omnia disposui ego Rayno de consensu & voluntate subscripti D. Roberti generi mei; & suprascriptæ filiæ meæ. Et ut hæc mea voluntas inviolabiliter observetur, & nullo tempore de ea dubitetur, tibi Riccardo Monasterii Casinensis, & Civitatis Sancti Germani publico Notario eam scribendam commisi. Actum in eadem Civitate Sancti Germani. Ego qui supra Rayno signo manus propriæ roboravi. Ego qui supra Robertus Coricæ Dominus subscripsi. Ego Adelmarius Gualterii Benedicti Græci interfui. Ego Benedictus Guastocalce interfui.

In nomine Domini. Amen. Die primo mensis Octobris, Ind. I. apud Sacrum Monasterium Casinense in præsentia mei Notarii Joannis Guadagnateni de Suessa publici Notarii auctoritate ubilibet, & testium infrascriptorum, videlicet D. Rogerii Vicarii, Notarii Alēmanni de Sancto Stephano, Notarii Antonii de Terano, & Geremiæ de Castro Novo Vallis frigidæ.

Con-

Constitutiones, & Statuta Synodalia edita per Reverendiss. in Christo Patrem, & Dominum D. Andream Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Venerabilem Abbatem Sacri Monasterii Casinensis.

Nos Andreas Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ humilis Abbas Sacri Monasterii Casinensis, cupientes, quantum cum Deo possumus, Regularem observantiam tam in nostro majori Monasterio Casinensi, quàm in aliis Monasteriis, Abbatiis, & Præposituris, nobis & eidem nostro Monasterio subjectis, per Abbates, & Priores, Subpriores, Præpositos, & Monachos, tam Claustrales, quàm alios, facere observari Regulam B. P. N. Benedicti, ac Constitutiones, & Statuta Summorum Pontificum ut plurimùm imitando, hodie, videlicet die primo Mensis Octob. Ind. II. sub Anno Nativitatis Domini MCCCLXXII. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Gregorii Divinâ Providentiâ PP. XI. in Dedicatione nostræ majoris Casinensis Ecclesiæ ejusdem P. N. Benedicti, in Capitulo Casinensi præsidentes, de consilio Abbatum, Præpositorum, & totius Sacri Conventus nostri Casinensis, ibidem more solito ad sonum campanæ capitulariter congregatorum, infrascripta Statuta, edita dudum à prædecessoribus nostris, & nobis innovanda, & alia de novo ordinanda censemus. Et ne aliquis crassam & supinam valeat ignorantiam allegare, tenore præsentium statuimus, & mandamus virtute sanctæ obedientiæ Priori, Subpriori ejusdem nostri Monasterii Casinensis, ut sæpiùs in dicto Capitulo Casinensi, eodem Casinensi Conventu præsente, hujusmodi Constitutiones, & Statuta faciant intelligibiliter publicari. Abbates verò, Præpositi, seu Priores copiam in mensem sub eadem inobedientiæ pœna, & alia pro arbitrio infligenda recipiant, & in suis Monasteriis, seu Ecclesiis, aut Capitulis pluries in anno solemniter publicent, & faciant publicari.

In primis. Ut Religiosis periculosa evagandi subtrahatur materia, & nullatenus malignandi occasio tribuatur; quia sicut piscis sinè aqua vitam perdit, ita Monachus sinè claustro Omnipotentis Dei sententiâ æternaliter moritur, & quamquam censeatur corporaliter vivere, tamen Mundo, & hominibus abominabilis reputatur, prout dudum in principio nostri adventus post promotionem nostram ad Ecclesiam Casinensem censuimus, nunc innovamus ipsam Constitutionem ad alios non contentos in ea pariter extendentes, præsenti tenore statuimus: Quòd Monachi per nos deputati in claustro, perpetuò, vel ad tempus, nec non & quicumque alii Abbates, Priores, Præpositi, Decani, quocumque dignitatis nomine censeantur, & Monachi alii undecumque venerint, nobis subjecti, postquam nostrum sacrum Monasterium Casinense intraverint, statim sint sub obedientia nostra, nostrique Prioris, vel Subprioris, qui pro tempore fuerint; & teneantur servare Regulam B. Benedicti P. N., & alia per nos provisa, & statuta, nisi per nos, vel alium, nostram potestatem super hoc habentem, cum aliquo ex causa fuerit dispensatum. Nec aliquis prædictorum prædictum nostrum Monasterium Casinense per portam, vel aliunde exire audeat sinè expressa licentia nostra, nobis in hujusmodi Monasterio personaliter residentibus, vel alterius literalem potestatem habentis, de qua contrafacienti onus probandi incumbat. Si quis autem prædictorum fuerit temerarius violator, ipso facto sententiam Excommunicationis incurrat; quam sententiam incurrens si infra dies XV. ad hujusmodi Sacrum Monasterium humiliter non redierit, de præmissis veniam, absolutionem, & correctionem Regularem petiturus, si talis Ecclesiam, Monasterium, Officium, vel Beneficium à nobis, & Monasterio nostro Casinense obtineat, eo ipso decernimus esse privatum. Si autem sit simplex Monachus, per unum annum efficiatur inhabilis ad quodcumque Officium, vel Beneficium obtinendum . . . . . ed, & profecto B. P. N. Benedicti Casinense Cœnobium, quod totius nostræ Religionis Caput esse dignoscitur, & norma, ubi ejusdem Corpus gloriosissimum, & Virginis Scholasticæ quotidie venerari debemus, ut ab illis veneratione condigna frequenti usu visitetur, quo majora ab ipso suscipiant incrementa, propter quod dignissimè duximus statuendum: quòd Monachi, & Religiosi quicumque Casinenses obtinentes Abbatias, Prioratus, Præposituras, Decanatus, Monasteria, Beneficia, vel Officia, quovis nomine censeantur, dicto nostro Monasterio, & nobis subjecta, ad minus bis in anno quolibet teneantur cum debita reverentia, & veneratione condigna dictam nostram Casinensem Ecclesiam visitare, videlicet in hujusmodi Festo dedicationis B. Benedicti, prima videlicet die Mensis Octobris, & in Festivitate B. Benedicti de Mense Martii occurrente; ita quòd in Vigilia semper ipsarum Festivitatum intersint in Ecclesia prælibata. Si quis autem præmissa adimplere neglexerit, nisi gravis infirmitas, vel alia justa, & rationabilis causa eum valeat excusare, de qua nos, si in Casinensi Abbatia præsentes fuerimus, vel nostrum Conventum Casinensem, ac Officialem, si extra Abbatiam nos esse contigerit, ante prædictam Festivitatem, vel saltem in dictis Festivitatibus faciat certiorē informatione legitima, ipso facto tenore præsenti decernimus esse privatum Abbatia, Præpositura, Prioratu, Decanatu, Monasterio, Beneficio, vel Officio, nobis, & Monasterio nostro subjecto, quod obtinuerit quoquo modo.

Et quia unusquisque Præsidens, præcipuè suæ

suæ conditionis, & famæ memor, debet honestum Conventum, & Religiosum habere, & nos in odore bonæ famæ subditorum nostrorum non immeritò delectamur, præsenti decreto statuimus: quòd unusquisque Abbas, Prior, Decanus, vel Præsidens quicumque Religiosus, Beneficium, vel Officium obtinens nobis subjectus, secum habens duos Monachos, aut plures, unum de antiquioribus, & honestioribus, ducere in dictis Festivitatibus teneatur, ut ab ipso possimus nostram conscientiam de iis, quæ expedierint, informare.

Cùm sit cautum jure, quòd astrictus venire certo die, non est propterea à mandato solutus, si die præfixa non potuit ex causa legitima comparere, quia illa cessante, etiam post diem venire tenetur; proinde statuimus: quòd si aliquis de prædictis Religiosis Beneficium, vel Officium obtinentibus, in dictis Festivitatibus, vel altera earumdem venire non possit, causa rationabili, & legitima suadente, volumus, & præsenti Constitutione mandamus, quòd causa ipsa cessante, etiam post hujusmodi Festivitatem, quamcitò commodè possit, modo prædicto præfatum nostrum Casinense Monasterium debeat personaliter visitare: alioquin, ut prædicitur, Beneficio, vel Officio, quod obtinet, sit ipso facto privatus:

Quia, prout etiam dictat ratio naturalis, membra debent capiti deservire, & longa antiquitas, & consuetudo nostræ Casinensis Ecclesiæ habetur diuturna, quòd nostri Casinenses Monachi, Monasteria, Ecclesias, Beneficia, vel Officia, nobis, & Monasterio nostro subjecta obtinentes, certas pensiones annuas anno quolibet in Festo Dedicationis Beati Benedicti, primo videlicet mensis Octobris solvere consueverunt, & debent; nonnulli verò gratiis, & beneficiis sibi concessis temerè abutentes, hujusmodi pensiones debitas, & consuetas postponunt solvere temporibus stabilitis; propterea præsenti Constitutione statuimus: quòd quilibet Abbas, Prior, Præpositus, Decanus, & quicumque Beneficia, vel Officia nostri Casinensis Monasterii obtinentes, prædicto die primo mensis Octobris in Festo Dedicationis B. Benedicti P. N. sive personaliter venerint, sive non, pensiones nobis, & Cameræ Casinensi, ac nostro Monasterio per eos debitas integraliter, & sinè diminutione qualibet solvere, seu mittere teneantur. Si quis verò contrarium fecerit, incurrat pœnam quartæ partis pensionis, ad quam tenetur. Si verò distulerit, seu non compleverit solvere per totum mensem Octobris tunc instantis: ipso facto Beneficio, vel Officio, quod obtinet, decernimus esse privatum.

Perpetuo prohibemus Edicto: Ne aliquis Abbas, Prior, Præpositus, Decanus, seu quivis alius Religiosus, vel Secularis, Beneficium, vel Officium nobis, vel Monasterio nostro subjectum obtinens, aliamque rem immobilem ad Ecclesiam, vel Monasterium, Beneficium, vel Officium spectantem, nec non libros, pannos, vasa tam Ecclesiastica, quàm profana, & quæcumque alia mobilia pro usu Ecclesiæ, vel Ministrorum ejus, ac Monasterii, & domorum eorumdem, quovis titulo alienare præsumat, nec etiam pignori dare, etiam in casibus aliàs à jure permissis; nec fructus Beneficiorum, vel Officiorum suorum vendant, vel locent, antequam sint separati à solo, sinè nostra expressa speciali licentia, & mandato, ne fraus, deceptio, vel simulatio in Ecclesiarum, Beneficiorum, vel Officiorum præjudicium, prout interdum experientia docuit, valeat inveniri: contrarium verò faciens, pœnam excommunicationis incurrat. Contractus autem super præmissis omnibus, vel præmissorum aliquo facti quibuscumque obligationibus pœnarum adjectionibus se, & suos scriptores obligantibus, ac juramentorum interpositionibus non obstantibus, quoquo modo, eo ipso nullius esse decernimus firmitatis. Monachi verò conversi, vel Idiotæ hoc scientes in XV. dierum spatium nobis, seu nostro Officiali per se, vel per alium debeant revelare: aliàs ipsos prædictæ excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.

Quia per honestatem extrinsecam intrinseca ut plurimùm demonstratur, nec liceat à capite membra aliquatenus variare, nostrumque Cœnobium, quod totius nigri Ordinis cognoscitur esse Caput, divina permittente clementia sit circa statum Monachorum ipsorum, circa vestimenta, & regulares observantias quoad proprietatis abdicationem, & silentium laudabiliter reformatum: dignum fore censemus, prout successivè, & commodè fieri poterit, quòd ejus membra, quæ multipliciter dignoscuntur esse collapsa, salubriter reformentur. Statuimus igitur: Ut omnes & singuli Abbates, Priores, Præpositi, Decani, & alii quocumque Præsidatus titulo censeantur, seu Beneficia, aut Officia nostri Monasterii Casinensis obtinentes, nec non & Monachi Casinenses quicumque de foris venientes, sinè Cuculla, cum manicis longis, quæ alibi in jure Floccum nuncupantur, ac sinè calcariis, vel stivariis, vel jurgiis portam Monasterii nostri intrare non audeant, nec secum in ipso Monasterio arma deferre præsumant sinè nostra speciali licentia, & mandato. In Oratorio verò, Refectorio, & Dormitorio continuum servent silentium nostro in Claustro, certis locis, & horis secundùm laudabilem consuetudinem, quæ in ipso Monasterio præsentialiter observatur. In Refectorio, vel alibi, nullatenus carnes vescantur, nisi in quantum observantia Regularis permitteret; & tunc à nobis, vel alio potestatem habente daretur expressiùs in mandatis. Si quis verò prædicti statuti contrarius fuerit violator, disciplinæ correctioni, & punitioni Regulari subjaceat Prioris, vel Superioris nostri Monasterii prædicti.

Insuper statuimus: quòd Abbates, Priores, Præpositi, Decani vel alii Beneficia, vel Officia Casinensis Monasterii obtinentes, si sub se habeant Monachos, sibi pecuniam pro vestibus & calceamentis aliquatenus non assignent, sed potiùs mandent, & operentur, quòd infra competens tempus Cucullam sibi emant, & calcarios modo prædicto, quam, & quos portent continuè in Monasterio suo, seu Terra, ubi conversationem habuerint. Quòd si infra tempus præfixum à suo Superiori prædicto non fecerint cum effectu, sibi panem, & vinum auferri jubemus.

Cùm per collationem, provisionem, institutionem, seu confirmationem Sedis Apostolicæ Legatorum, vel Delegatorum ejusdem, seu quorumcumque aliorum Superiorum, de Abba-

batiis, Prioratibus, Præpositituris, Decanatibus, Officiis, vel Beneficiis non eximantur prædicti à jurisdictionibus, Regulis, Ordinationibus, Constitutionibus, & Statutis nostris nostrique Monasterii Casinensis, prout dictat Extravagans Domini Benedicti Papæ, cujus tenor sequitur in hæc verba, & hic de verbo ad verbum inseri volumus. Statuimus, & ordinamus: quòd prædictis Statutis, & Constitutionibus adstringantur omnes & singuli Abbates, Priores, Præpositi, Decani, Officia, vel Beneficia obtinentes, nobis, & nostro Monasterio Casinensi subjecti .... Sedis Apostolicæ Legatorum, vel Delegatorum ejus obtinuerint, vel obtineant Officia, vel Beneficia supradicta. Tenor verò dictæ Constitutionis Domini Benedicti per omnia talis est.

Rubrica. De obtinentibus Beneficia ex collatione Apostolica, quòd sicut cæteri sint subjecti suis Superioribus, & quòd subsint eorum Statutis, & quòd ex causa legitima possint, sicut alii amoveri.

Benedictus Episcopus servus servorum Dei &c. Rursus declaramus: quòd omnes Monachi Beneficia obtinentes in Ordine, seu Religione hujusmodi ex collatione, provisione, vel ordinatione Sedis Apostolicæ, aut Legatorum, Executorum, vel Provisorum ejusdem Sedis, per ipsius Sedis, vel prædictorum literas, & qui ea obtinuerint in futurum, teneantur obedire Superioribus suis ejusdem Ordinis seu Religionis, eorumque subesse correptionibus, ordinibus, punitionibus, & Statutis; & Prioratibus, Administrationibus, Officiis, seu quibuscumque Beneficiis, quæ, ut præfertur, obtinent, & obtinuerint in futurum, ex causis rationalibus privari valeant, & ab illis etiam amoveri, ac si per Superiores suos de ipsis Beneficiis eis foret provisum.

Habetur in fine ejusdem Codicis.

NOs Theodinus Dei gratiâ Casinensis Abbas, licèt immeritus Divinæ Pietatis benigna providentia dispensante, super grege nobis commisso Pastoralem gerentes curam atque sollicitudinem, communi voto, & cunctorum Fratrum unanimi voluntate, Infirmorum obedientiam stabilimus, & ordinamus, misericorditer constituentes: ut Fratres, qui nimio senio laborant, & subsidiis naturæ destituuntur, tribus diebus in hebdomada, Dominico videlicet, tertia, & quinta Feria supra statutam annonam carnem habeant ad edendum, quam nimirum à deputato sibi ministro accipiant. Illi verò, qui aliqua ægritudine, vel aliqua corporis debilitate, annuente Decano, in infirmorum domo permanserint, singulis diebus pro imminentibus sibi necessitatibus carnem trium priviniesi, sive quod inde emere voluerint per Ministri manum accipiant; & hoc tamdiu habeant, quamdiu Decano visum fuerit necessarium. Fratres denique, qui vel aliqua debilitate, seu ingruente necessitate, Decano, sicut diximus, permittente, ad supradictam domum moraturi accesserint, supra id quod de communitate infirmarii dictas expensas trium proveniesi singulis diebus assequantur. Et ut hoc pleniùs executioni mandetur, & ne inde vel occasio, vel aliqua negligentia objiciatur, nos divina pietate provocati, procurationem, quam prædecessores nostri à memorata obedientia per annum ... . omnino remittimus, & relaxamus, & nullum deinceps ex ea adjutorium postulamus .... *Reliqua præ vetustate legi non possunt* ....

Anno Domini 1278. mense Augusto Archiepiscopus Neapolitanus ad hunc locum deveniens, secum detulit parum de Reliquiis Sancti Theodori Sedunensis Episcopi, quæ valent ad sedanda fulgura, & alias turbationes aëris: ita ut, cùm expedierit, cum eisdem Reliquiis signato aere, fulgura, & tempestates cessent. Hæ Reliquiæ reservantur ex tunc in Monasterio, & dicti Sancti Festivitas ex tunc celebratur in crastinum Assumptionis B. Virginis. Paucis verò diebus ante adventum dicti Archiepiscopi quemdam Laicum Gallicum, Abbatis famulum, in hora refectionis ante cisternam fulmen extinxerat.

Hæc notula habetur in MS. Langobard. Hist. Casinensis in Archivo, fol. 118. in margine ad cap. 22. lib. 3. de fulmine ad hoc Monast. Casinense.

Liber Anticimenon B. Berthari Martyris, Abbatis Casinensis de Quæstionibus veteris, & novi Testamenti. Sign. n. 478. in Bibliotheca Casinensi MS. Langobardici.

Bertharius Christi justus juvamine Sanctus
Presbyter, hunc Librum condere jussit amans.
Has bene scripturas satagis hinc discere Sãctas,
Qui legis, explora; mystica quæque tenet.
Posce piis precibus necnon super astra tonantẽ,
Ut famulo reddat præmia digna suo.
Postea quem Abba servavit tempore longo,
Et relegens semper doctus ab arte fuit.
Tu quoque Discipule solerti mente recurre
Illius ad schedas discere recta. Vale.

Habetur hoc Epigramma ante principium Operis ipsius S. Berthari. Titulus autem Operis hic est. Incipit Liber Anticimenon Quæstionum de Libris veteris, & novi Testamenti. In primis de Libro Genesis. Interrogatio. Cùm in Genesi septem primi dies legantur &c.

Ex Libro Florum mirabilium Casin. Fol. 114.

HOc modo debent Seculares viri offerre filios suos. Ego N. Princeps, vel Comes, in Dei omnipotentis nomine hunc filium meum N. coram Domino N. Abbate, & cuncta Congregatione hujus sancti loci trado in hoc Monasterio Sancti Confessoris Christi Benedicti, cujus corpus hic continetur, coram testibus, cum oblatione atque petitione, in hoc Sancto Cœnobio regulariter permansurum, & cum cæteris gratanti animo militaturum: Ita ut ab hac die non liceat illi collum excutere de sub jugo Regulæ, sed magis studeat ejus instituta servare. Et ut hæc mea traditio inconvulsa permaneat, promitto sub jurejurando coram Deo, & Sanctis ejus, numquam per me, numquam per suspectam personam, nec quolibet modo facultatem exeundi de hoc Monasterio me illi tribuere. Ad firmamentum hujus meæ petitionis manu propria eadem subter firmavi, & idoneis testibus affirmare curavi.

Ego N. subscripsi. Tunc faciet ibi manu sua signum ✠. Deinde roget testes, qui ibidem subscribant.

Promissio Novitiorum. Fol. 115.

EGo Frater N. Presbyter, vel Diaconus, promitto stabilitatem meam, & conversionem morum meorum, & obedientiam secundùm Regulam S. Benedicti in hoc ejus Venerabili Monasterio Casinensi, in præsentia Domni Abbatis N.

Hoc modo debent Monachi peregrini firmare stabilitatem suam. Fol. 115.

EGo Frater N. veniens de longinquis Provinciis in hoc Monasterium, quia placuit mihi conversatio Fratrum istius loci, & illis mea quoque placuit conversatio; ideo stabilitatem meam in hoc Monasterio per hanc scripturam, manu mea scriptam, in perpetuum confirmo.

Si autem nescierit literas, alter ab eo rogatus scribat: ipse verò dicat: inferiùs manu mea pro majori firmitate subscripsi, & faciat ibi signum ✠.

Et fol. 116. habetur formula dandi eleemosynam pro Fratre mortuo sic. Quia Ecclesiæ supplicationibus, & eleemosynarum suffragio est Defunctis post mortem subveniendum, quos impediunt peccata carnis, & sanguinis, ut talibus expiationibus, & propitiationibus eorum fiat pœna levior, & brevietur: ideo nos Frater Alexander Casinensis Monachus, & Præpositus S. Mariæ de Albaneto, concedimus, & indulgemus, atque statuimus vobis omnibus Monachis dictæ Ecclesiæ, & perpetuò stabilimus solvendam, & pauperibus erogandam pro quolibet defuncto Monacho ipsius nostri Monasterii à die obitus sui usque ad trigesimum justitiam panis, & vini, qualis datur viventi. Et ut utroque modo defuncto Fratri subveniatur, quicumque vestrûm Sacerdos fuerit, septem pro eo Sacrificia offerat omnipotenti. Et Frater, qui Sacerdos non fuerit, septem Domino Psalteria psallat. Acta Anno Incarnationis MCCXV. III. Kal. Decembris.

In Bibliothecâ Casinensis Codice Langobard. sign. 343. est Kalendarium compositum Anno Dom. 811. absque nomine Auctoris. Mox sequitur Opus Alcuini de Trinitate ad Carolum Imperatorem. Post quod est & aliud pariter Kalendarium, ubi annumerando Annos Domini, hæc ibidem notata sunt prope marginem.

DCCCXXIV. Indictione XV. Hoc Anno defunctus est Domnus Radelchis Abbas XIV. die mens. Februarii.

DCCCCXXXI. Indictione 4. In hoc Anno renovatum est Altare B. Benedicti ab Eidelperto Presbytero, & dedicatum est ab Episcopo de Parma nomine Sigefredus.

DCCCCXXXIV. Indictione 4. Defunctus est Joannes Abbas II. Kal. Aprilis fer. 2. Et in ipso Anno apparuerunt signa in Cœlo de stellis, quæ videbantur hominibus aliæ cadere, aliæ fulgere sicut faculæ XIV. die intrante mense Octobri Luna 2.

DCCCCXXXIX. Indictione 12. 13. die stante mense Julio fer. 6. Luna 29. Obscuratus est Sol ab hora tertia usque penè horam

A quintam. Aspiciebamus nos Solem, & non habebat ullam fortitudinem nec ad splendorem, nec ad colorem. Videbamus verò Cœlum, & mutatus erat color illius tamquam lividus, & alii dixerunt ut viderent Solem tamquam dimidium.

DCCCCLXIX. Indictione 12. Hoc Anno Sol obscuratus est, & Magnus Otto Calabriam ingressus est, & accepit conjugem filio suo Ottoni neptem Joannis Constantinopolitani Imperatoris, qui cognominatus est Cimiski.

DCCCCLXXXVI. Hoc Anno defunctus est D. Aligernus Venerabilis Abbas, idest Indictione XIV. & Manso in loco ejus constitutus est Abbas, & nobis invitis, ab Aloara (1) Principe cum filio suo adhuc puer Princeps.

B DCCCCXCII. Indictione V. Hoc Anno Landenolfus Princeps Capuæ à suis crudeliter interfectus est, & Laydolfum germanum ejus Principem constituerunt.

DCCCCXCVI. Indictione IX. Hoc Anno Manso Abbas à Capuanitis lumine privatus est; & Joannem Abbatem de Capelle hìc constituerunt An. (2) I. Postquam constitutus est D. Joannes Beneventanus Abbas.

MI. Indictione XIV. Hoc Anno Otto III. Imperator defunctus est in Oppido .... cujus corpus trans montes portatum est, & in Aquisgrani Palatio humatum est, atque in loco ejus Henricus Rex est constitutus à suis, qui erat filius patrui sui.

C MV. Indictione III. Hoc Anno Mons Avi terræmotu per 12. dies, & eo ampliùs ita exagitatus est, ut hanc Ecclesiam in quibusdam locis scinderet, & omnes hunc Montem obrui æstimaremus.

MVII. Indictione V. Hoc anno defunctus est Landolfus Princeps Capuanæ civitatis, qui habuit Principatum Annis IX.

MX. Indictione VIII. Hoc Anno D. Joannes Abbas defunctus est, cui quorumdam malignorum instinctu Beneventanus quidam Diaconus Canonicus, Joannes nomine, suus nepos indignè successit; sed tunc temporis à Beneventanorum, & Capuanorum piissimo Principe D. Pandulfo cum utriusque Civitatis Archiepiscopis D. Pandulfo, & D. Alfano, cuncto quoque Clero, & universo Populo Catholico, seu tota Congregatione Sanctissimi Benedicti turpiter expulsus est, eo quòd sinè electione jam dictæ Congregationis contra Regulam ordinatus atque Neophitus ab omnibus supradictis gradibus est judicatus. Hinc universorum votis, ac desiderio, & totius Congregationis canonica electione, ac prece cunctorum, præfati Principis filius D. Atenolfus voluntate Abbas est ordinatus.

D MXLII. Indictione VII. Hoc Anno 6. die Jan. obscurata est Luna per horas quinque cùm esset decima tertia, & facta est tota sanguinea; & cùm inciperet quasi aurora, rediit lumen illius ex illa parte, unde cœpit obscurari, quasi esset XXVIII. & sic obiit; & non videbatur nubes in Cœlo.

E *Kalendarium præsens finit in Annum MLXIII. Hic tractatur etiam de Cyclo, de Anno, de Epacta, de Luna, de Aureo numero, de Planetis.*

FINIS.

(1) Babaloara *habet MS.*

(2) V. *Non enim satis patet numerus.*

RICHARDI
DE S. GERMANO
CHRONICON
RERUM PER ORBEM GESTARUM
AB EXCESSU
GUILLELMI SICILIÆ REGIS
Anno ſcilicet Domini MCLXXXIX.
ad annum uſque MCCXLIII.

EX MEMBRANACEO CODICE
BIBLIOTHECÆ CASINENSIS
A FERDINANDO UGHELLO
JAM EDITUM,

Et in præſenti editione ab innumeris
fermè erroribus emendatum.

IN CHRONICON RICHARDI DE SANCTO GERMANO
MONITUM
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

CHronicon hoc *Richardi de Sancto Germano Notarii* primus publica luce donavit Anno 1647. Ferdinandus Ughellus, atque illud subjunxit Tomo III. Italiae Sacrae pag. 953. Auctor profecto magni apud Eruditos faciendus, tum quod res referat sua aetate gestas, tum etiam quod accurate; ut neminem tam facile reperias, quem tutius sequaris in Historia Friderici II. Augusti. Odorico Raynaldo ad contexendos Annales Ecclesiasticos praesto erat ejusdem Chronici exemplar MStum e Codice Casinensi desumtum, nondum quippe Librum evulgarat Ughellus. Quae is habeat de Richardo nostro ad Annum 1198. num. 70. suum heic merentur locum. *Illum*, inquit, *sive Veritas spectetur Historiae*, *sive diligentia*, *qua praecipua*, *quae in Orbe universo*, *maximeque in utriusque Siciliae Regno*, *e quo oriundus erat*, *gererentur*, *collegit*, *primis etiam Annalium Scriptoribus conferendum*. *In suo ille Historiae Prooemio testatur*, *Notarii se officio functum in Oppido*, *cui a S. Germano nomen inditum*, *ea suis Annalibus commendasse*, *quae vel hausisset oculis*, *vel a viris fide dignissimis accepisset*; *eaque ad scribendum ratione permotum*, *quo sequutura posteritas veterum factis erudita aliquam utilitatem delibaret*. Haec ille, cujus in hac re auctoritas majori in pretio nobis in posterum habenda, quam Ughelli ipsius, qui in calce ejusdem Historiae a se editae, sine ullo rerum examine, scripsit, Richardum *nimio in Federicum Secundum Imperatorem Principem suum amore seductum*, *aliquando a veritate deflexisse*. Non est aequi Judicis id statim culpare, aut falsum arbitrari, quod votis nostris adversari sentimus. Atque haec pauca sufficiant de Richardo nostro, Historico atque Poëta, quem Caveus in Histor. Liter. Scriptor. Ecclesiasticor. nulla, ut puto, solida ratione ductus, sed suo ingenio, *Regis Siciliae Secretarium* effinxit.



RICHARDI DE S. GERMANO CHRONICON

RERUM PER ORBEM GESTARUM AB EXCESSU GUILLELMI SICILIÆ REGIS,

Anno scilicet Domini MCLXXXIX. ad annum usque MCCXLIII. quibus Auctor se vixisse testatur,

Ex pervetusto exemplari ad fidem membranacei Codicis Bibliothecæ Casinensis.

Incipit Chronica de his omnibus, quæ in Regno Siciliæ gesta sunt, vel ubique per Orbem à tempore mortis Regis Guillelmi Secundi usque ad tempora Friderici Romanorum Imperatoris semper Augusti Hierusalem, & Siciliæ Regis, tractata per Notarium Richardum de S. Germano.



Olet ætas antiquior, ac provida priorum auctoritas digna memoriæ quæq; per Orbem gesta describere relinquenda posteris ad doctrinã, ac eorum instar adhuc prudens sequentium natio idem agit, ne omissa depereant, aut neglecta notitiam effugiant futurorum. Horum siquidem æmulator ego Richardus de Sancto Germano Notarius, cui, quæ servit Historiographis, Musarum prima obsequitur; de qua metricè scriptum reperi:

A *Explicat ingenio res gestas ordine Clio,* nisus sum pro viribus ingenioli mei, quæ ubiq; terrarum, & præsertim in Regno Siciliæ gesta sunt, diebus meis visa, cognita, seu fideli relatione percepta, veritate servata, literis tradere, & in hoc præsens compilare volumen, ut ex iis discat futura posteritas varios esse temporum cursus, memineritque prudenter bellum in pace timere, ac pacem iterum sperare post bellum. Quoniam ergo Regni filius ego sum, qui legerit, non me causetur detestando si Regni gesta scribo, diffusiùs autem de contingentibus quid de cunctis dicendo: & si non prosint singula, quæque juvant, &
B Dei potiùs est, quàm hominis, omnium habere memoriam. Sumens proinde à tempore quo Guillelmus Rex Siciliæ inclytus recolendæ memoriæ obiit, Pontificatus verò Clementis Papæ anno secundo, per Chronicam hæc in-

A inclusi, quibusdam præmissis in laudem Regis ipsius, & quæ Regni tangunt negotia, ac relatu digna sunt non omissis, in ejus nomine, qui os Zachariæ olim aperuit, os meum aperiat ad loquendum, & linguæ meæ vinculum solvat confidenter, singula quoque locum teneant sortita decenter. *Explicit Prologus.*

Tempore quo Rex ille Christianissimus, cui nullus in Orbe secundus, Regni hujus moderabatur habenas, qui inter omnes Principes Princeps sublimis, & abundans in omnibus opibus erat, stirpe clarus, fortuna elegans, virtute potens, sensu pollens, divitiis opulentus: erat flos Regum, corona Principum, Quiritum speculum, nobilium decus, amicorum fiducia, hostium terror, populi vita, &
B virtus, miserorum, inopum, peregrinantium salus, laborantium fortitudo; legis, & justitiæ cultus tempore suo vigebat in Regno, sua erat quilibet sorte contentus, ubique pax, ubique securitas, nec latronum metuebat viator insidias, nec maris navita offendicula piratarum. Sed licèt tot, & tantis eum ditaverit, & dotaverit bonis, per quem Reges regnant, & Principes dominantur, feceritque illum præ cunctis terræ Regibus gloriosum, in hoc tamen ingloriosum illum reddidit, quòd eum prolis negatione multavit. Conclusit enim uterum consortis illius, ut non pareret, vel conciperet filium, & ne relinqueret sui super-
C stitem super terram. Quapropter considerans Rex ipse felicitatis suæ tempora à Domino accepisse, & quòd eum absque liberis sors fecerat infelicem, cogitavit, ut sapiens sapienter placare Dominum, ut fœcundam redderet, quam sterilem fecerat, cogitavit de thesauris suis ædificare sibi domum in Monte-Regali ad honorem gloriosæ Virginis Matris ejus, quam ditavit, compsit, & auxit. Ditavit possessionibus, compsit auri ornatu, auxit & musivo opere, lapidumque pretiosorum colore diverso, & talem ad finem usque perduxit, qualem nullus Regum, aut Principum in toto terrarum Orbe construxit temporibus nostris.

D Erant ipsi Regi duo familiares præcipui, opere apud ipsum, & sermone potentes, Gualterius Panormitanus Archiepiscopus, & Matthæus Cancellarius Regni sui, quorum prudentia, & consilio tota ipsius Curia ducebatur. His duobus quasi duabus columnis firmissimis, omnes Regni Magnates obsequendo adhæserunt, cùm per eos quidquid à Curia Regia peterent, faciliùs impetrarent. Hinc factum est, ipso Cancellario suadente, ut Rex ipse in prædicta Ecclesia Beatæ Virginis in diœcesi Panormitana constructa, fieri à Romana Ecclesia Archiepiscopus impetraret, quod idem Archiepiscopus ad instinctum ipsius Can-
E cellarii factum intelligens (nam odio se habebant ad invicem, quamquam se in publico diligere viderentur, & per invidiam detrahentes, libenter unus alteri in occulto) hanc suam injuriam, & capitis diminutionem patienter portavit ad tempus. Qui tandem processu temporis cùm non posset, quod factum fuerat per Ecclesiam, revocare, hoc fide subdola procuravit. Erat ipsi Regi amita quædam in palatio Panormitano, quam idem Rex de consilio jam dicti Archiepiscopi, Henrico Alemannorum Regi filio Friderici Romanorum Imperatoris in conjugem tradidit. Quo etiam procurante factum est, ut ad Regis ipsius mandatum, omnes Regni Comites sacramentum præstiterint, quòd si Regem ipsum absque liberis mori contingeret, amodo defuncto Rege, tanquam fideles ipsi suæ amitæ tenerentur, & dicto Regi Alemanniæ viro ejus.

Anno MCLXXXIX. Accidit autem processu temporis, ut Rex ipse, cujus memoriale in seculum, sicut Domino placuit, sinè liberis mense Novembri decederet, cujus decessum à cunctis Regni filiis meritò deplorandum defleri hac Rhythmica lamentatione percensui.

Plange planctu nimio Sicilia,
Calabriæ Regio, Apulia,
Terraque Laboris, vox mœroris
Intonet & personet nostris oris,
Suspendatur organum omnis oris.
Rex noster amabilis virtute laudabilis,
Ævo memorabilis Guilielmus decessit.
Hunc oppressit mors crudelis, o infelix
Regnum sinè Rege, jam non es sub lege.
Præsules, & Comites, vos Barones plangite
Planctu lacrymali, planctum quæso ducite
de querela flebili.
Vos Matronæ nobiles, virgines laudabiles
Olim delectabiles, & voce cantabiles
Modulata, estote nunc flebiles re turbata.
Jacet Regnum desolatum, dissolutum & turbatum,
Sicque venientibus cunctis patet hostibus.
Est ob hoc dolendum, & plangendum omnibus.
Omnes Regni filii tempus exterminii
Vobis datum flere, hoc verbum gaudere
Vobis est sublatum, tempus pacis gratum
Est absorptum, jam ad ortum & occasum
sonuit:
Rex Gulielmus abiit, non obiit.
Rex ille magnificus, pacificus,
Cujus vita placuit Deo, & hominibus,
Ejus semper spiritus Deo vivat cœlitus. Amen.

Post hujus Regis obitum, quanta inter Regni Comites sit orta dissensio, & turbatio subsecuta, sequens hujus libelli lectio declarabit, nam nulli eorum fuit æqua voluntas. Omnes inter se cœperunt de majoritate contendere, & ad Regni solium aspirare, & obliti jurisjurandi, quod fecerant, eorum quilibet contra facere anhelabat. Factum est autem, ut cum suis complicibus, ne pars Archiepiscopi prævaleret, Cancellarius obtinuerit in hac parte, & tunc vocatus Panormum Tancredus Comes Licii, Romana in hoc Curia dante assensum, est per ipsum Cancellarium coronatus in Regem.

MCXC. Tancredus iste Ducis Rogerii filius fuerat naturalis, cujus pater Rogerius primus in Regno Siciliæ Regis sortitus est nomen, & hac de re, quia hunc tenebat titulum, quòd de stirpe Regia descendisset, inter alios Comites est electus in Regem. Qui postquam assumptus est, laboravit pro viribus, qualiter Regni fines in pace disponeret, & sibi rebelles, ac adversarios subjugaret. Et primùm quidem quinque Saracenorum Regulos, qui ob metum Christianorum ad montana confugerant, de montanis ipsis Panormum redire coëgit invitos, atque ut cæteros Regni Comites, ac Barones ad suam fidelitatem converteret, & mandatum, Regales effudit opes, & diu servatas est ausus frangere gazas. Hic Richardo Acerrarum Comiti, cujus soror sua conjux erat, de qua geminam susceperat prolem, auri talenta plurima expendenda transmittit, quibus omnes de Principatu, & Terra-

La-

Laboris eidem Regi contrarios, flexit ad mandatum ipsius. Tunc & Roffridus Casinensis Abbas ipsi Regi juravit.

Erat ea tempestate in Apuliæ finibus Rogerius quidam Andriæ Comes, qui se non reputabat dicto Rege inferiorem, cùm tempore memorati Regis Guillelmi totius Regni Magister Justitiarius fuerit, & in Apulia plenum tunc dominium exerceret. Hic telo percussus invidiæ de Tancredi Comitis promotione in Regem, sibique subesse dedignans, contra ipsum seditione facta turbare ad eum conversos pro viribus cœpit, misitque quamcitò ad Henricum Alemanniæ Regem, quòd veniret, vel mitteret, Regnum Siciliæ sibi jure uxoris pertinens, quod Tancredus Comes Licii usurpaverat, recepturus. Qui absque moræ periculo quendam Henricum Testam Imperii Marescalcum, cum multitudine gravi mittit in Regnum, & veniens in Apuliam, nullo obstante, ad ipsum Andriæ Comitem, primum Casale quoddam, quod Cornetum dicitur, ad Abbatem Venusii pertinens, pro eo quòd Abbas loci ipsius in partem cesserat dicti Regis, hostiliter intrans cum prædicto Comite, & suis dedit in direptionem, & prædam, & quæ potuit dicti Regis parti faventibus mala irrogans, tandemque cum minorificato exercitu in Alemanniam reversus est.

Dictus verò Andriæ Comes in Apulia remanens firmatâ Rocchâ Sanctæ Agathæ, quam tunc ipse tenebat, de suis confisus viribus, se in Asculo recipit contra Regem, quem dictus Acerrarum Comes intus circumposita obsidione coarctans, cùm flectere illum precibus, & promissis non posset, vocatum ipsum ad colloquium, quadam die proditoriè cepit, & miserabili morte damnavit.

Eo anno Fridericus Romanorum Imp. cum ingenti Crucesignatorum exercitu Hierosolymam petens, sinistrante fortuna, in quodam flumine moritur. Henricus filius ejus Italiam ingreditur.

Rex Franciæ, & Rex Angliæ Crucesignati Hierosolymam petunt, qui venientes Messanam, ortâ inter eos discordiâ, partem civitatis igne cremarunt, quos dictus Rex Tancredus magnis honorans xeniis, ne civitatem Messanæ destruerent, cum multis precibus impetravit, qui tandem Hierosolymam proficiscentes, ac pro fide Christi certantes civitatem Aconitanam, quam infideles tenebant, Christi faciente virtute, in manu potenti recuperarunt.

MCXCI. Clemens Papa Romæ obiit mense Martii, ac Hyacinthus Diac. Card. in Cœlestinum Papam consecratur.

Rex dictus Tancredus de Sicilia in Apuliam veniens, solemni Curia apud Thermulas habita, in Aprutium vadit, Comitem Raynaldum obsidet, eumque ad suam redire fidelitatem coëgit, & exinde Brundusium se conferens de altero filiorum suorum Rogerio scilicet cum Isachio Constantinopolitano Imperatore de Urania filia sua contraxit, & nuptiis apud Brundusium magnificè celebratis, ibique dicto filio suo coronato in Regem, Rex dictus cum triumpho, & gloria in Siciliam remeavit, & tunc Roccham Bantre, & Roccham Guillelmi Roffrido Casinensi Abbati assignari mandavit, quarum alteram scilicet Roccham Guillelmi ipse Abbas dedit cuidam nobili Roberto de Apolita, cum quo de sorore sua contraxit, quam Herveo filio ipsius nobilis in conjugem tradidit, & reliquam scilicet Roccham Bantre ad opus retinuit Monasterii Casinensis ponens in ea custodem quemdam militem Petrum de Aymon consobrinum suum.

Henricus Rex cum Constantia consorte sua, ad quam Regnum Siciliæ jure successorio pertinebat, Romam vênit; quem dictus Cœlestinus Papa apud S. Petrum in Imperatorem, & consortem suam in Imperatricem coronavit. Dato ab ipso Imperatore Tusculano Romanis, quam funditus destruxerunt.

Tunc Imperator ipse Regnum intrat mense Martio, Papa prohibente, & contradicente, & per Campaniam vênit in Roccham arcis, quam Matthæus Burellus pro ipso Rege tenebat; à bellatoribus suis aggredi faciens, vi cepit eamdem. Quod tanti causa timoris fuit, ut qui se in Casino receperant cum rebus suis homines Sancti Germani, per Nuncios suos, quos ad eumdem Imperatorem mittunt, fidelitatem jurent. Tunc enim dictus Roffridus Casinensis Abbas in Monasterio Casinensi graviter infirmabatur, quem urgentibus ipsis hominibus Sancti Germani oportuit ipsi Imperatori jurare. Sorella quoque, Atinum, castrum Cœlii, metus causâ, ipsi Imperatori se reddunt, in quibus ipse suos posuit Capellanos. Tunc Comes Fundorum, & Comes Molisii fidelitatem præstant eidem, & procedens in Terram-Laboris, Theano, Capua, & Aversa sibi dantibus manum, Guillelmum Casertæ Comitem recipit, & Aversam. Et exinde super Neapolim vadens, eam posita obsidione coarctat, coadsistentibus ei dictis Comitibus, & Baronibus Principatus, necnon & Abbate Casinen. prædicto cum viribus suis, in qua cùm se contra eum recepisset dictus Acerrarum Comes, pro sæpe dicto Rege satis strenuè defendit eandem: tunc Salerni civitas ipsi Imperatori se reddidit, ubi Imperatricem consortem suam moraturam transmittit, & ipse civitatem ipsam Neapolim crebrò aggreditur, & impugnat. Cùmque nec viris, nec viribus pugnando proficeret, superveniente ægritudine digressus est abinde, vel invitus, qui relicta Imperatrice consorte sua Salerni, & Muscancervello in castello Capuæ constituto, ad Sanctum Germanum veniens, cum debilitato exercitu suo dictum Casinensem Abbatem, toto tunc conventu sibi fidelitatem præstante, secum in Alemanniam ducit, Gregorio fratre ejus ad majorem securitatem obside relicto apud Ducem Spoleti, & quibusdam de melioribus terræ Sancti Germani captis obsidibus, quos Diopuldo cuidam Theutonico in Rocca arcis relicto, & Corrado de Marlei in Sorella constituto custodiendos commisit. Et tunc per terram Petri Celani Comitis sub illius fido ducatu de Regno exiens in Alemanniam remeavit mense Septembri. Tunc is, quem præfatus sum, Acerrarum Comes de Neapoli exiens cum Neapolitanis, & aliis undique collectis militibus, vênit Capuam, castellum obsidet, in quo Muscancervellus se pro Imperatore receperat, qui cùm non haberet victui necessaria, cum Comite ipso componens, tradito sibi, ac resignato castello ipso, abiit securus quò voluit. Tunc & Aversam recipit, Theanum, & Sanctum Germanum ad Regis dicti revocavit fidelitatem, & Casinum conscendens, vallum Monasterii, nullo obstante, intravit. Qui cùm blandè satis alloqueretur Adenulphum Casertanum Decanum

num Casinensem, ut illum ad dicti Regis fidelitatem converteret, & hoc ab eo precibus obtinere, & promissis non posset, de loco descendit, & abiit. Tunc Comitem Molisii recipit, & ponens in Sancto Germano, & in Sancto Angelo Theodicio Masnedam, quantum potest pro servitio dicti Regis sororii sui elaborat. Tunc Richardus Fundanus Comes pro eo, quòd ab Imperatore ipso Suessam emerat, & Theanum, metus causâ, Comitatu relicto, in Campaniam secessit: & Comitatus Fundanus cuidam fratri Aligerni Cottonis de Neapoli ab ipso Rege concreditur. Adenulphus Casertanus Decanus Casinensis pro eo, quòd in partem non cessit ipsius Regis à Cœlestino Papa excommunicatus est, & Monasterium suppositum interdicto. Salernitani ad captandam Tancredi Regis gratiam, detentam Imperatricem ipsi Regi in Siciliam mittunt. Quam Rex ipse debito cum honore recipiens, magis ornatam muneribus in Alemanniam ad Imperatorem remittit. Eo anno quidam stultus Paganus Dominus Casalverii Theutonicum quemdam ab Imperatore in Atino relictum dolo interficit, & à dicto Rege apud Atinum, quidam Rogerius de Foresta dirigitur.

MCXCII. Dictus Adenulphus Casinensis Decanus facta compositione cum Diopuldo Roccę Arcis Castellano, se pro Imperatore gerebat. Congregato militari, & pedestri exercitu in Campaniam quos prece, pretioque conduxerat, de Casino descendens mense Januario, vi cepit castrum Sancti Petri Monasterii, & bonis propriis spoliavit: de civitate Sancti Germani usque ad Ecclesiam omnium Sanctorum occupavit, non tamen absque strage plurima Campanorum. Et pace tandem hinc inde clamata, tota terra ipsi Decano se reddidit. Et tunc de Sancto Germano nonnulli, qui dicti Regis partem fovebant, in partem alteram secesserunt, quorum bona omnia à Theutonicis sunt direpta. Tunc idem Decanus cum præfato Diopuldo terram equitans cum insigniis Monasterii relictum castrum Plumbareolæ occupavit, vi cepit castrum Pignatarium, castrum S. Angeli, Pontem Curvum, Castellum novum, Fracte, & quædam alia castra pro jam dicto Rege se tenentia.

Illis diebus Richardus Caleni Comes, qui erat pro parte Regis Tancredi, vênit supra S. Germanum cum Rogerio de Foresta Castellano Atini ad devastandum. Captus est eo anno Gottefridus Casertanus ab illis de Sancto Angelo, & in captionem ductus, postmodum à Malqu. Sorellæ jam dicto Castellano Atini in custodiam traditus.

Dictus Diopuldus apud Aquinum cum quodam Regis Logotheta congreditur, quem campestri bello fugatum devicit, multis ex suis captis, multisque in lacu summersis, & ex tunc vires crescunt ipsi Diopuldo, qui cum Conrado Castellano Sorellæ societate contracta, equitant in terram Suessæ, oves, & boves, necnon & miseros homines capiunt, & eos ad se redimendum post multa tormenta compellunt. Tunc temporis vocatus ipse Diopuldus à Guillelmo Casertæ Comite, qui pro Imperatore erat, cum gente sua vado fluvium Capuæ transiens ivit in Terram-Laboris, & equitans super Capuam, exeuntem contra se Richardum Caleni Comitem cepit, & ad Roccham arcis duxit captivum.

MCXCIII. Roffridus dictus Casinensis Abbas de Alemannia rediens, relicto ibidem obside Gregorio germano suo, cum nonnullis, quos secum duxerat, electis militibus Cominum intrat, Atinum foràs devastat, incolatum occupans Sanctæ Mariæ de Atino, & dirui faciens muros Cancelli, & portam ejus, vi cepit Gallinarium, & bonis propriis spoliavit, rediens verò ad terram Monasterii, castrum Sancti Angeli Theodicii sibi contrarium, quia partes Regis Tancredi fovebat cum Conrado Castellano Sorellæ, & cum gente sua, licèt non profecerit, vehementer impugnat, faciens quam potuit in exterioribus vastitatem.

Eo anno Rex Angliæ ab Hierosolymis rediens à Duce Austriæ retentus, & captus est, & Imperatori traditus. Qui tandem non sinè multæ pecuniæ interventu, dimissus est.

Bertholdus Comes ex parte Imperatoris in Regnum legatus mittitur, qui veniens cum electis militibus, & bellatoribus de Florentia, iis ei faventibus, qui partem Imperatoris fovebant, & convenientibus ad eundem, Venafrum in festo B. Martini vi cepit, & suis dedit in direptionem, & prædam. Tunc Comes Rogerius de Molisio metus causâ, quia se in partem Regis dederat, in Roccham Magenul se recipit. Bertholdus verò coadsistentibus ei Muscancervello, Diopuldo, & Conrado prædictis, necnon & Abbate Casinense, Fundano, & Casertano Comitibus, cum viribus suis castrum Sexti, ubi Landus de Montelongo Comestabulus erat cum quibusdam Campanis militibus pro parte Regis Tancredi, vi cepit, ipsoque castro bonis propriis spoliato, ipsum Landum cum sociis suis captivum duxit, quorum libertati post multa supplicia, pietatis causa non profuit, nisi redimi profuisset. Roccam etiam Ravennule aggredi à suis bellatoribus faciens, per insultum cepit, Vairanum acriter impugnans, ubi quidam erat Rogerius de Theate pro Rege statutus, in nullo profecit. Demum succrescentibus ei viribus, & ad eum undique concurrentibus, qui Regis partem oderant, Regnum Imperiali nititur subjicere servituti. Rex verò Tancredus de Sicilia in Apuliam veniens exercitum congregat copiosum, volens Bertholdi vires oppositis viribus impedire. Cui dictus Bertholdus cum suis, ac aliis de Regno Imperialem partem foventibus, utpote vir magnanimus viriliter se opponit, & Rege ipso se cum suo exercitu apud Montem Fusculum conferente, ipse contra eum vadens, apud Battiacanum posuit castra sua, cupiens cum ipso Rege habere congressum. Id ipsum pars Regis, ad quem vires undique confluebant, optabat. Sed conspiciens Rex ipse, & in consilio habens, quòd honor sibi non erat cum Bertholdo congredi, & Bertholdus cernens debiliorem partem suam, prœlium sapienter declinavit uterque, & discedente inde Bertholdo, qui Laquedorum hospitatus est, Rex ipse movet à Monte Fusculo castra sua. Tunc Bertholdus per Capitaniatam rediens in Comitatum Molisii, castrum montis Rodonis, quod se pro Rege tenebat, circumposita obsidione coarctat, ibique die quodam cùm illud aggredi faceret à pugnatoribus suis, lapide manganelli contritus occubuit, eique Muscancervellus in Ducem successit exercitus, qui tandem castrum ipsum obsidione firmata per fitim

ca-

capiens, non per vim, quos cepit incolas, variis cruciatibus sinè spe veniæ interemit.

Rex verò Tancredus tunc castrum Sabiniani vi cepit, & quemdam Sarolium capiens ipsius castri dominum, qui de Rege ipso multum fuerat oblocutus, suspendi jussit; recepit etiam Roccham Sanctæ Agathæ, quam quidam Robertus de Calagio dicti Comitis Andriæ filius contra eum tenebat. Apud Sariciam cepit quemdam Robertum filium Rizardi, & tanquam sibi rebellem punivit. Exinde veniens in Terram-Laboris Comitem Casertæ recipit, & Aversam. Sanctagathensis quoque civitas, ac Telesia, quæ tota postmodum combusta est, venerunt ad mandatum ipsius. Tunc accersito ad se Roberto de Apolita, abstulit ei Roccam Guillielmi, & quemdam in ea Andream de Theano posuit Castellanum, sicque relictis in pace Apuliæ finibus, & Terra-Laboris, Rex ipse in Siciliam remeavit, ubi ordine naturæ præpostero Rogerius filius ejus, qui coronatus in Regem fuerat, viam est universæ carnis ingressus, & frater ejus Guillelmus in Regem successit eidem. Ipse quoque Rex doloris punctus aculeo, brevi post tractum temporis infirmitate correptus obiit.

MCXCIV. Dictus verò Henricus Imperator parato navali, & terrestri exercitu, Regnum intrat, illum Roffridus Casinensis Abbas magnificè excipit, necnon & Fundanus Comes, ac alii omnes Theutonici, & Latini, suum præstolantes adventum, cum quibus Terram-Laboris ingrediens, Neapolim recipit, Salernum sibi renitentem vi cepit, ac suis dedit in direptionem, & prædam. Tunc dictus Adenulphus Casinensis Decanus procurationem Abbatiæ Venusii ab Imperatore recepit. Imperator verò Apuliæ fines nullo obstante ingrediens, omnes Apuliæ recipit civitates, ad mandatum, & fidelitatem suam convertens, dicto Casinense Abbate præeunte, cujus fidei puritas satis erat ipsi Imperatori experta, cui certam procuram, auctoritatem, & potestatem contulerat, ut venire ad suam fidelitatem volentes, per eum veniam mererentur.

Tunc ipsi Abbati castrum Malvesi ad opus contulit Monasterii Casinensis, & Pharum præteriens navigio, Messanam recipit, totamque Siciliam, & Panormum properans, recipit civitatem ipsam, & cunctum palatii diripuit apparatum. Tunc uxor Regis soror dicti Comitis Acerrarum cum filio suo parvulo Guillelmo præfato propter metum Imperatoris ad locum tutiorem se contulit, Panormum deserens, cum qua facta compositione, cùm per vim locum in quo erat, obtinere non posset, Imperator ipse securitate præstita recipit eam, & filium ad manus suas, quos Muscancervelli custodiæ tradidit, & ex eis fecit suæ beneplacitum voluntatis.

Tunc dictus Casinensis Abbas concessionem ab ipso Imperatore de Atino recipit, & de Rocha Guillelmi, & filium Rogerii de Foresta in Atino Castellanum ab ipso Imperatore recipiens, & mandatum per literas ad Andream de Theano Castellanum Rocchæ Guillelmi, ut sibi Roccham ipsam assignare deberet, dictus Abbas in sua reversus est.

Imperator ipse in die Natalis Domini regens Panormi Curiam generalem præfatam Reginam, & filium ejus, necnon & alios quamplures Præsules, & Comites Regni, quibus ipse proditionis notam imponebat, judicio Petri Cælani Comitis capi fecit, & ex ipsis quosdam orbavit, quosdam incendio, quosdam suspendio, & quosdam in Alemanniam exilio destinavit.

Tunc Imperatrix Exii civitate Marchiæ filium peperit nomine Frederic. me. Dec. in festo S. Stephani.

MCXCV. Roffridus Casinensis Abbas tractatu quorumdam de Atino nocturno tempore introductus, Atinum recipit, dictum Rogerium de Foresta Castellanum intus arctat, & obsidet, qui cùm non haberet victui necessaria, recepta de persona, & rebus suis securitate ab Abbate prædicto, & compositione facta cum eo de castro Sancti Petri in fine, quod recepit ab ipso, & fidelitatem juravit eidem, castrum Atini in manus resignavit ejusdem: Roccham Guillelmi etiam ab Andrea de Theano recipiens, fidelitate quoque ab eo recepta, & castrum Cucurutii concessit. Illud tamen de Imperiali mandato cuidam Tancredo de Vero concessit, fidelitatis ab eo juramento recepto.

Hoc nno dictus Casinensis Abbas castrum Tirelli vi capiens igne cremavit.

MCXCVI. Imperator in Alemanniam redit, qui Muscancervello Molisii Comitatum concedit, & tunc Rogerium Molisii Comitem, qui se ob metum Imperatoris in Roccham Mugenul receperat, idem Muscancervellus arctat, & obsidet, cum quo facta compositione, & data sibi securitate, & suis, Roccham ipsam recipit, eumque extra Regnum abire permisit, ubi processu temporis mortuus est. Dictus Casinensis Abbas castrum Fractarum receperat, & Castellum novum, castrum verò Sancti Angeli Theodici, quorum habitatores mala innumera per se fecerant in terram Sancti Benedicti, & per servientes, quos ad solidos retinuerant, castrum combusserant Pignatarii, per proditionem obtinuit, & recepit ad fidelitatem suam, & Monasterii Casinensis, quibus tamen dignas pro meritis pœnas rependit, & sub prætextu quorumdam versuum, quos ibidem invênit, quos hic annectere otiosum non censui, muros ipsius castri sterni ad solum fecit, & aggeres illius repleri. Versus enim tales sunt.

Pessimus Alboinus, Landulphus, servus Aquinus
Petrus Roggerus, Philippus val de severus,
Simon, ac Andreas, Adenulphus ut alter Egæas
Sunt hi Rectores per quos servantur honores.
Hi dictant bella, cædes, immensa flagella,
Dantes edictum, venerentur ne Benedictum?

Eo tempore dictus Richardus Acerrarum Comes Regnum exire occultè volens, & à facie fugere Imperatoris, relictis Campania, & Burgentia munitionibus, quas tenebat, proditus à quodam albo Monacho, cui se crediderat, captus à jam dicto Diopuldo est, & custodiæ traditus carcerali, Cæsari assignandus. Qui de Alemannia Vormaciensem Episcopum misit Legatum in regnum, qui Neapolim veniens cum jam dicto Casinense Abbate, Latinis etiam aliis, & Theutonicis, Imperiale implens mandatum, Neapolis muros, & Capuæ funditus fecit everti.

MCXCVII. Imperator ipse de Alemannia rediens, assignatum sibi à Diopuldo Rocchæ arcis Castellano dictum Acerrarum Comitem, cùm apud Capuam Curiam regeret generalem,

lem, trahi ab equo primùm per plateas Capuæ, & demum verso deorsum capite suspendi vivum jubet. Quem viventem post biduum, quidam Imperatoris histrio Theutonicus cognomine Follis, ut ipsi Imperatori placeret, ligato ad guttur ejus non parvo lapidis pondere, ipsum turpiter exhalare coëgit. Tunc Imperator ipse generalem toti regno collectam imponit. Tunc ipse Diopuldus per Imperatorem Comes factus est Acerrarum. Tunc etiam Oddo frater ipsius ad expugnandum Rocchamsiccam, in qua se Raynaldus, & Landulphus de Aquino fratres contra Imperatorem receperant, ab ipso Imperatore dirigitur, & ipse se confert in Siciliam Imperator, ubi ad se duci Imperatricem jubet, qua in Panormi palatio constituta, quidam Guillelmus Monachus, qui Castellanus erat castri Joannis, rebellavit Imperatori, ad quem obsidendum cùm ipse personaliter accederet Imperator, superveniente ægritudine, abinde infirmus discedens, sicut Domino placuit, diem clausit extremum. Et tunc fama discurrente per regnum dictus Oddo frater Diopuldi Comitis, rupta obsidione Rocchæ-Siccæ discedit, & se contulit ad Roccham Arcis.

Imperatrix Panormi remanens, in veste lugubri de nece Imperatoris viri sui, Regnique paci consulens, & quieti, Marculdum Imperii Senescalcum, cum Theutonicis omnibus de Regno exclusit, ipsumque ne amodo Regnum ingredi, absque suo jussu præsumeret, neve remaneret in Regno, coëgit. Qui ipsius cùm Imperatricis literis, & ducatu, ad Comitatum Molisii veniens, qui tunc Marchia vocabatur, & sibi favebat, cùm illum sibi, Muscancervello mortuo, concessit Imperator, sub securo Cardinalium conductu, & securitate supradicti Petri Cælani Comitis, cui propterea Vairanum tradidit, relictis in ipso Molisii Comitatu Castellanis suis, & Bajulis, ad Anconæ Marchiam suo proprietario dominio subditam se contulit, ubi cum suis sequacibus innumera mala commisit.

Cœlestinus Papa obiit, & Lotharius Cardinalis in Papam Innocentium substitutus est illi.

Imperatrix filium suum in Marchia apud Hesim civitatem relictum sub ducatu dicti Cælani Comitis, & Berardi Laureti Comitis, & Cupersani, ad se duci jubet in Regnum, & de Apulia in Siciliam transmeare. Tunc quidam in Calabria Theutonicus, nomine Fridericus, cùm nollet Imperatrici favere, se in Malveti castro recipiens, quod furto substulerat cuidam Mauro de Mira ibidem Castellano statuto pro Monasterio Casinense, jussu Imperatricis ipsius, à Comite Amphuso de Rotis cæterisque Calabriæ nobilibus, in ipso Castro obsessus est, & arctatus. Qui dum aliter evadere se non posse conspiceret, dolo cogitavit capere obsidentes obsessus, & vocatos eos die quadam semotim ab aliis, cùm eis fidem dedisset, quòd redire vellet ad Imperatricis mandatum, captos Capitaneos cepit, eosque de personis punivit, ut voluit.

MCXCVIII. Imperatrix ipsa processu temporis obiit, & prædictum filium unicum Fridericum, & Regni Balium Innocentio Papæ ex testamento reliquit, dictus verò Marcualdus cognito de morte Imperatricis, congregato malignorum exercitu, quos prece, pretiove conduxerat, Regnum, non sinè illorum, qui erant de Regno, auxilio, & ducatu intravit, & veniens in Comitatum Molisii, in quo fidei suæ reliquiæ servabantur, ad dictum Casinensem Abbatem pro pace Legatos misit, per quos etiam ipsum, ut sibi Regni juraret Balium, quod sibi Imperator reliquerat, ut dicebat, requisivit. Quia verò à prædicto Abbate obtinere non potuit. Nam primò Regni ipsius Balium dicto Innocentio Papæ juraverat, qui contra ipsum Marcualdum ad jam dictum Abbatem duos miserat Cardinales, cum exfortio militum Campanorum ad auxilium terræ suæ, eumdemque Marcualdum excommunicationis vinculo innodaverat, & sequaces illius. Ipse sui furoris impatiens, cœpit, more Theutonico, in terram Monasterii desævire.

MCXCIX. Mense Januario. Hic per Venafrum veniens maledictus cum maledictis terram Sancti ingressus est Benedicti, & primò castrum Sancti Petri in fine desertum ab incolis causâ metus, nullo obstante occupans igne cremavit. Castrum Sancti Victoris vi capiens, bonis propriis spoliavit, & movens exinde castra, Cervarium, & Toroclum, duo scilicet castra ab habitatoribus derelicta combussit, & septimo intrante Januarii ante Sanctum Germanum in campis castrametatus est, & cùm ad capiendam terram ipsam daret frequentes insultus, capere vi tamen non potuit, hominibus Civitatis, ac militibus Campaniæ, qui in ea convenerant eo die, resistentibus illi.

Tunc Diopuldus jam dictus, qui ad ipsum venerat Marcualdum, montem quemdam, qui Majo dicitur, cum suis occupans, sua in eo tentoria fixit. Quod tanti causa timoris fuit omnibus de terra ipsa, cùm supereminens esset Mons civitati, & posset de supernis Montibus ab hostibus facilè occupari, quòd idem Abbas nocte conscendens, occasione muniendi vallum Monasterii, nonnulli de Civitate, cum suppellectili sua se ad vallum contulerint memoratum, Cardinalibus ipsis mane sequenti se recipientibus in ipso Monasterio causâ metus, sicque die ipso octavo, scilicet Januarii, relictam ab incolis civitatem Marcualdus intravit, bonis propriis spoliavit, & quos in ea invênit, pœnis addixit variis, & tormentis, quibus pietatis causa non profuit, nisi redimi profuisset, nec contentus eo, quòd terram occupaverat Monasterii, ad obsidendum illud, & capiendum, cùm in eo, cum multis Campaniæ militibus, & gente Civitatis non modica se concluserint Cardinales, ascendere voluit. Qui cùm per dies aliquot posita in Viridario obsidione, ipsum Monasterium teneret obsessum, & Vallum ipsum per frequentes insultus hostiliter impugnaret, capere per vim illud non potuit, Campanis, & aliis qui erant in Vallo constitutis militibus resistentibus illi. Cùmque firmata obsidione ad capiendum Monasterium vehementer instaret, quod cùm per vim non posset, credebat fame sitive facilè occupare, in die festo Beati Mauri, mutata subitò serenitate aëris, temporis inclementia facta est, & tanta inundatio pluviarum admixta grandinibus & imbribus multis, quòd hostium tentoria stravit ad solum, propter quod, qui erant obsessi, & jam arescere cœperant, aquis deficientibus in cisternis, Deo, & Sancto Mauro debitas gratias retulerunt, & ab

ab obsidione ipsa coacti sunt recedere obsidentes. Tunc in descensu montis, Castrum Plumbareolæ idem Marcualdus igne combussit, & rediens in Sancto Germano ira commotus, intus, & extra Civitatem domorum & tuguriorum vastitatem fieri mandans, castrum Sancti Heliæ affidatum combussit. Portas Sancti Germani, & mœnia ejusdem in plerisque locis everti fecit ad solum. Illis diebus cùm viri nequam, qui erant cum ipso Marcualdo, facerent in cæteris Ecclesiis, sicut in aliis terræ domibus, stationem, & sua in eis ludicra exercerent, ipsi Deo, & Sanctis ejus non verebantur injurias irrogare. Nam cùm de cæteris Altaribus certas extraxissent Reliquias unus ex prædictis violare Aram Beatæ Virginis attentavit, qui statim aridam ad se manum retraxit.

Alter cum Crucifixo, qui est in Ecclesia Sancti Germani, primò per lapidis ictum, demum per urinæ injectionem, in ipsum injurias graves inferret, rosâ priùs dentibus linguâ, arefactus infelix, vitam statim cum morte finivit, quod tantum ipsi Marcualdo terrorem incussit, quòd facta compositione cum Abbate prædicto, terram exiens Monasterii nono stante Februarii; habuit malo omine in anteriora progressum.

Eo tempore Richardus de Aquila Fundanus Comes, ut salvam faceret terram suam, Sifrido fratri Comitis Diopuldi filiam suam dedit in conjugem.

Tunc ipse Marcualdus castrum Pontis Cervi, terram Sancti Angeli, & Castellum-Novum ipsi Comiti Diopuldo, & suis servanda commisit, Diopuldus verò, qui ipsum Marcualdum antecedebat, & prædicabat, ut omnes de Regno se ad Marcualdum cõverterent, & Regni Balium jurarent eidem, à Guilielmo Casertæ Comite captus est, & quandiu vixit, eum tenuit vinculatum, sed eo mortuo, Guilielmus filius ejus acceptâ filiâ ejus in uxorem, liberum dimisit illum. Marcualdus verò ad Apuliæ partes se conferens, Avellinum obsedit, & cum incolis civitatis se componens, discessit ab obsidione, & procedens inde Vallatam, quoddam Casale Apuliæ vi cepit, & suis dedit in direptionem, & prædam. Tunc Petrus Cælani Comes de Marsia vênit in Terram-Laboris. Marcualdus verò de Apulia per Capitaniatum rediens in Comitatum Molisii. Iserniæ civitatem, cùm exercitum tenere non posset, bonis propriis spoliavit, & procedens versùs Terram-Laboris, & Teanum oppugnans, capere vi non potuit illam. Exinde Salernum se conferens, quæ tunc Comiti Diopuldo favebat, & inde parato navigio, in Siciliam transfretat, & Panormum properans, facta compositione cum Comite Gentili de Palear, quem Gualterius Regni Siciliæ Cancellarius custodem Regis, & palatii reliquerat, palatium Panormi recepit ad manus suas, & sic totam postea Siciliam suis nisus est viribus subjugare.

Roffridus Casinensis Abbas castrum Sancti Angeli recuperat contra ipsum Marcualdum, & in Regis tunc pupilli auxilium dictus Innocentius Papa quemdam dirigit Jacobum Andriæ postea Comitem, consobrinum suum, cum militari exercitu, cum quo unum misit de Cardinalibus, quem ipsi consobrino suo, & toti exercitui præfecit, qui ipsum Marcualdum Campestri bello devicit, & fugavit.

A . . . . R. . . . Cardinalem in Siciliam . . . . . .

Diopuldus Comes cum aliquibus, cum quibus ipse remanserat Marcualdus, quibus adjuvantibus per Regnum mala innumera committebat, præstito apud Venafrum corporaliter sacramento de non offendendo ampliùs terram Sancti Benedicti, propter quod homines Sancti Germani sibi non cavebant ab eo, ipse Diopuldus cum perditorum numero nocturno tempore hostiliter terram Sancti Germani intravit nono die Martii, eamque dans in direptionem & prædam, miseros, quos invênit in ea, homines, multis adiecit periculis, & tormentis, postque redimere se sunt coacti.
B Abbas verò qui erat in civitate ipsa, fûgit cum Gregorio fratre suo, ac in Atinum se recepit, & exinde se in Marsiam contulit, gentis auxilium à Cælani Comite petiturus. Qui cùm illud dare denegaret eidem, ad Raynaldum Senebaldum fiducialiter ivit, qui totum argentum suum sibi liberaliter tradidit, cum quo aliquot retinuit servientes, & balistarios, cum quibus rediens per montana, intravit nocturno tempore Monasterium, quo cognito Diopuldus, cùm ipsum Abbatem cum magnis crederet viribus rediisse, metus causâ, depopulatam linquens terram Sancti Germani, exivit, & secum captivos quosdam de terra ipsa, ad Roccam Arcis deduxit.
C Eodem anno dictus Abbas Roccam Teani super Sanctum Germanum firmavit, & providens indemnitati terræ ejusdem, eam per circuitum muris firmavit, & portis & aggeribus communivit.

Diopuldus verò iam dictus mense Junii apud Venafrum cum Comite Cælani congreditur, eumque campestri bello fugavit, cepitque tunc Berardum filium suum, quem apud Roccam Arcis captivum duxit.

MCCI. Gualterius Brennensis Comes in odium Theutonicorum in Regnum mittitur ab Innocentio Papa, qui apud Capuam congrediens cum ipso Diopuldo, vicit, & fugavit eumdem, decimo mensis Junii, & exinde Teanum veniens, unà cum Raynaldo tunc Capuano Archiepiscopo, filio Cælani Comitis,
D Præsentianum se contulit cum eodem, ubi occurrens ei præfatus Casinensis Abbas, procedentes, petierunt Venafrum, quam civitatem idem Diopuldus tenebat: ille prædictus Cælani Comes timens cum ipso Brennensi Comite confœderatus est, & tandem civitas ipsa, procurantibus ipso Casinense Abbate, & Malger Sorello, in Vigilia B. Joan. Baptistæ igne cremata est, Arce superiori se pro Diopuldo tenente. Exinde Aquinum se conferunt, ubi quidam erat in castello Castellanus, nomine Leucus, qui se Diopuldo tenebat, qui captus in ipso castello est, & Aquini civitas reddita
E ad mandatum dicti Comitis Gualterii, qui eam Dominis Aquini, per quemdam Finagranum Domini Raynaldi de Aquino filium naturalem restituendam providit.

Eodem anno dictus Abbas Casinensis Castellum Novum, & Fractas recuperat.

MCCII. Dictus Comes Gualterius, cum jam dicto Casinensi Abbate in Apuliam vadit, qui Abbas unà cum Petro Galloze Portuensi Episcopo, legationis officio fungebatur. Cùmque ad dictum Comitem expugnandum memoratus Gualterius de Palear Cancellarius, cum Comite Manerio fratre suo, Diopuldo,

do, & Oddone de Laviano Comitibus, congregatis undique viribus, sub prætextu, quòd ipsum Comitem Regis hostem dicebat & Regni, cum ipso campestre bellum inierit apud Cannas, dictus Cancellarius cum Diopuldo præfato per ipsum Comitem sexto Octobris devicti sunt, & fugati, multis ex eis captis, & nonnullis gladio interemptis. Sunt etiam in prima qui steterant acie capti, Sifridus frater Diopuldi dictus Oddo de Laviano, & Petrus de Cælano, qui Comes dicebatur Civitatensis; qui autem fugâ mediâ evaserunt, Cancellarius, & Comes Manerius frater ejus, receperunt se in Salpitanam civitatem, quæ favebat eidem. Diopuldus verò in Rocca Sanctæ Agathæ se receptavit. Dictus Casinensis Abbas in Apulia, habitâ de Diopuldo victoriâ, Legatus in Siciliam vadit, ubi dictus Marcualdus, superveniente dysenteria, miserabiliter expiravit: fames tunc valida per totum Regnum exorta est. Diopuldus sæpefatus iratus à Finagrana, qui cum . . . . . discordi à Comite Gualterio recessit, cum gente sua properat super Sanctum Germanum, ubi idem Finagrana, & quidam ipsius Diopuldi Castellanus capti sunt, & gladio perempti.

MCCIII. Diopuldus ipse à Castellano Sanctæ Agathæ est captus vi, postea liberatus.

Eo anno Franci cum Venetis componentes, civitatem Jaderæ . . . .

Civitatem Jaderæ ipsis rebellem Veneti vi ceperunt, & bonis propriis spoliarunt, nobilissimam Constantinopolitanam urbem aggredientes viriliter & potenter, sicut Domino placuit, obtinuerunt, & potestati Romanæ Ecclesiæ, cui antea non intenderat, subjecerunt illam.

MCCIV. Dictus Comes Gualterius, cum Comite Jacobo Tricaricensi, & Comite Rogerio de Theate confœderatus, ipse tunc temporis Terracinam occupat, de Salerno verò ab ipso Diopuldo, & gente sua, & civibus Salerni, qui tenebat eandem, arctè satis obsessus est, & sagittæ ictu, altero oculorum privatus, & tandem ipsorum Comitum auxilio liberatus est, ipso Diopuldo, & suis de Salerno satis ignominiosè fugatis.

MCCV. Dictus Comes Gualterius cùm ipsum Diopuldum durè satis & dirè persequeretur, ipsum tenens in Sarno obsessum, dum sibi malè ab hoste caveret, ipse Diopuldus in eum cum suis diluculo irruens, captus ab eo est, & custodiæ traditus carcerali, ubi, modicum post, diem clausit extremum. Tunc enim memoratus Cælani Comes, qui civitatem intraverat Alifæ, & Castrum civitatis viriliter expugnabat, quòd se ad opus Diopuldi tenebat, audito de captione Comitis Gualterii, combusta civitate Alifæ discessit. Dictus verò Diopuldus Salernum cum victoria rediens, quia turrim majorem ipse tenebat, multos de Salerno cepit, & ut proditores punivit ut voluit.

MCCVI. Innocentius Papa Romam vocat Diopuldum ad se, ipsumque, & suos à vinculo excommunicationis absolvit, tunc cum ipsius licentia Salernum reversus est.

MCCVII. Hic parato Salerni navigio, in Siciliam transfretat, Panormum vadit, & tam palatium, quàm Regem recipit Fridericum ad manus suas, sed arctatus & obsessus in ipso palatio à Gualterio de Palear Cancellario, captus ab eo est, & tandem nocturno tempore fugæ præsidio liberatus, veniensque per mare Salernum, exinde in Terram-Laboris se confert, ubi cum Neapolitanis iniens pugnam, & fugavit eosdem, strage magna facta ex eis, & Gifrido de Monte-Fusculo, quem sibi Capitaneum præfecerant, capto, & vinculis mancipato.

MCCVIII. Mense Januario in Vigilia Epiphaniæ Roffridus Casinensis Abbas superiùs memoratus, congregatis militibus, & servientibus terræ suæ, & Baronum circumpositorum, qui sibi ex gratia libenter obsequebantur, unà cum dominis Aquini, & Malger Sorello, civitatem Soræ, precantibus hoc quibusdam ipsius Abbatis consanguineis, qui de Sora erant, nocturno tempore intrat, eamque ad opus recipit, & fidelitatem Innocentii Papæ, qui in succursum Abbatis ipsius, mittit Stephanum de Fossa Nova Camerarium suum cum exfortio militum Campanorum, qui Conradum tunc Soræ Comitem se in Sorella recipientem, arctat, & obsidet, & malè sibi caventem intus Sorellam cepit, qui pro sua redemptione Roccam Arcis in manus dicti Camerarii resignavit. Tunc etiam Broccum, & Pesclum Solidum amisit.

Eo anno Innocentius Papa in Vigilia S. Joannis Baptistæ mense Junio, vênit ad Sanctum Germanum, ubi ab ipso Abbate Roffrido magnificè receptus est tam ipse, quàm fratres sui domini Cardinales in necessariis omnibus honorificè procurati.

Tunc venientes ad ipsum Petrus de Cælano, & Riccardus Fundanus Comites cum eis de succursu Regis Friderici statuit, & de defensione Regni in hunc modum, videlicet, ut ipsi Comites sint Magistri Capitanei, quibus super iis omnes intendant à Salerno usque Ceperanum, sicut à mari usque ad mare protenditur tractus terræ, salvo statuto Regio, quo Cælanus Comes est Magister Justitiarius Apuliæ ac Terræ-Laboris, & salvo mandato Regio, quod factum est Comiti Fundano de civitate Neapolitana, ut sit specialis Rector ipsius, intelligentes hoc quantum ad propria negotia civitatis; sed quantum ad succursum Regis, & ad defensionem & ad pacem Regni, omnes communiter intendent his duobus. Quicumque ordinationem istam receperint, adinvicem sibi pacem observent, & si quisquam ab aliquo fuerit offensus, non statim reoffendat eumdem, sed apud prædictos Comites querelam deponat, qui eam secundùm rationem, ac Regni consuetudinem faciat emendari. Qui autem ordinationem istam recipere noluerint, vel recusaverint, tamquam hostes publici habeantur, & à cæteris impugnentur. Ducenti milites dirigantur in succursum Regis usque ad Kalendas Septembris, moraturi per annum sub illorum expensis, à quibus fuerint destinati. Distribuantur autem secundùm æstimatorum arbitrium, quos ad hoc specialiter deputabimus, pensatis debitis servitiis, & facultatibus Comitum, & Baronum, ac etiam civitatum. Quia verò propter æstatis fervorem descendere in Apuliam personaliter non potuimus, statutum istud mandabimus exequendum per Legatum nostrum, qui est in Apulia, per Comitem Jacobum Consobrinum, & Marescalcum nostrum, & per alium, quem à nostro latere diri-

dirigemus. In omnibus autem reservamus nobis plenam potestatem addendi, minuendi, mutandi, & declarandi, prout viderimus expedire.

Tunc eidem Papæ Philippus Rex Alemanniæ patruus dicti Regis à suis nunciatur occisus.

Tunc etiam rogatu Petri, cognomine Comitis, Decani Casinensis, ipse Papa apud Sanctum Petrum Monasterii, in Capella Sancti Nicolai, Aram quandam in honorem Beatæ Mariæ Magdalenæ consecravit.

Dictus Papa relicta sub deposito parte Thesauri sui non modica in Monasterio, dictis Comitibus in sua cum ipsius licentia redeuntibus, ipse de Sancto Germano discessit, & per Atinum iter faciens, quem dictus Abbas Roffridus tenebat, Soram se contulit, indeque in Campaniam reversus est.

Eo anno Comes Fundanus supramemoratus, auctoritate fretus & vi Comitis Diopuldi, Capuam recipit, à Capuanis vocatus, in odium dicti Cælani Comitis, cujus filius Rainaldus ipsius civitatis Archiepiscopus erat.

MCCIX. Fridericus Rex Siciliæ uxorem duxit Constantiam sororem Regis Aragonum. Dictus Cælani Comes castellum Capuæ recipit à Leone de Andria Castellano, hoc filio ipsius dicto Archiepiscopo procurante, & dictus Fundanus Comes, qui castellum ipsum tenebat obsessum, metus causâ Capuam exiit.

Otho Dux Saxoniæ ab Innocentio Papa vocatus apud S. Petrum, in Romanum Imperatorem coronatur, non sinè strage magna suorum, qui præstito juramento de conservando Regalibus S. Petri, & de non offendendo Regem Siciliæ Fridericum, in Marchiam secedens & in partes Thusciæ, ibi per annum continuum moram fecit.

Hoc anno mense Maji, penultimo mensis ejusdem, dictus Roffridus Casinensis Abbas apud S. Germanum obiit, cui Petrus, dictus Conte, qui antea functus fuerat officio Decanatus, electus à fratribus in Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, & à Papa Innocentio approbatus, in regimine Monasterii successit eidem. Huic Rocca Bantræ, quæ usque tunc Monasterio suberat Casinensi, rebellavit. Cui quemdam præfecerat Monachum nepotem suum, nomine Seniorectum, qui sibi ab hominibus Roccæ ipsius non præcavens, cùm de Rocca ipsa fecisset ad villam descensum, hoc ipsis de villa proditoriè procurantibus, cùm redire in Roccam vellet, non est amodo eam intrare permissus.

MCCX. Otho dictus Imperator, suadente sibi Diopuldo, & Petro Cælanensi Comite, qui cum ipso Diopuldo contraxerat, quorum alter Capuam, alter verò sibi Salernum tradidit, spreto juramento, quod Romanæ Ecclesiæ fecerat, Regnum intrat per Reatinas partes, sub illorum Ducatu, qui fidelitatem ei præstiterant, per Marsiam, & exinde per Cominum vênit, ad quem dictus Casinensis Abbas, cui cura erat de terra, & populo, cùm ad ingressum ipsius Othonis essent omnes exterriti, ita quòd in Sancto Germano pauci admodum remanserint, qui ad loca tutiora sua suppellectilia non tulissent, suos pro pace Legatos misit, & ipse etiam exivit in occursum ejus contra Fratrum omnium voluntatem. A quo satis benignè receptus, terram Monasterii servavit indemnem.

Tunc idem Otho se Capuam confert, ubi receptis à Diopuldo certis munitionibus, quas habebat in Regno, Ducem Spoleti efficit illum.

Hic cum gente ipsius Othonis ivit ad debellandum civitatem Aquini, in qua Landulfus, Thomas, Pandulfus, & Robertus Domini Aquini, qui Regis fidem servabant, se receperant cum gente sua, & cùm non prævaleret in eam, viribus resistentibus prædictorum, confusus, & non sinè damno recessit.

Civitas Neapolis in odium Aversæ ipsi Othoni se reddidit. Qui ad instinctum Neapolitanorum Aversam obsidet, quæ, facta cum eo compositione, remansit indemnis.

Dictus Otho Apuliæ fines ingreditur, certis sibi colla flectentibus tum voluntariè, tum causâ metus.

Innocentius Papa illum excommunicat, & Ecclesiam Capuanam sub interdicto ponit, pro eo quòd celebrare ausi sunt ipso præsente. Excommunicat etiam omnes fautores illius. In octavis Beati Martini excommunicat etiam omnes fautores illius.

MCCXI. Petrus Casinensis Abbas mense Januario, quinto videlicet Kalend. Februarii in Monasterio obiit.

Innocentius Papa in die Sancto Jovis excommunicationem latam in Othonem, ac ejus sequaces confirmat.

Hoc anno Adenulfus, cognomine Casertanus, in Abbatem Casinensem eligitur.

Dictus Otho cùm totam ferè sibi Apuliam subjugasset, audito quòd quidam Alemanniæ Principes sibi rebellaverant, mandato Apostolico, Regnum festinus egreditur mense Novemb. & mense Martio in Alemanniam remeavit.

Eodem mense Martio Fridericus Rex Siciliæ ab Innocentio Papa vocatus, navigio vectus à Gajetanis, relictis Panormi uxore, & filio, Gajetam vênit. Ad quem dictus Ricchardus de Aquila Fundanus Comes, & præfati Domini de Aquino vadunt. Tunc Rex ipse ad petitionem hominum Rocchæ Bantræ, qui accesserunt ad eum, Castellanum mittit, Joannem Russum civem Gajetanum militem suum, & à Gajeta descendens per mare ad Urbem vadit, ubi à Papa Innocentio, & cæteris Cardinalibus, Senatu, Populoque Romano, ingenti cum honore receptus est, ad quem missus ex parte Conventus Stephanus cognomento de Marsia, tunc Camerarius Casinensis, mandato Papæ Innocentii literas, & mandatum impetravit à Rege ad Castellanum Rocchæ prædictæ, ut eam restitueret Monasterio Casinensi, & post dies paucos ab Urbe discedens cum licentia Papæ, ac Cardinalium, se navigio recipit, & Genuam feliciter applicans, inde per Cremonam, & Veronam, invitis Mediolanensibus, qui ejus impedire transitum crediderunt. & transalpinavit cum paucis. Hunc dicti Othonis æmuli benignè recipientes, gressus, & iter ejus contra eum in viam rectam, & non invium direxerunt. Qualiter igitur Rex ipse in Imperii acquisitione profecerit, qualiterve obtinuerit contra eumdem Othonem, locis relinquo propriis aptiùs referendum.

MCCXII. Mense Junii Innocentius Papa Urbem exiens vênit Signiam, ubi per æstatem moram faciens, mense Septembri remeavit ad Urbem.

Petrus Cælani Comes languore correptus obiit.

Hoc anno Christiani Principes, videlicet, Rex Castellæ, Rex Navarræ, & Rex Aragonum cum Miramomelino Saracenorum Principe prœlium ineuntes, Dei favente virtute, victoriam contra eum obtinuerunt. Quod ad omnium Orientalium gaudium, & exultationem, idem Rex Castellæ de tanta Christianis Principibus cœlitus concessa victoria, dicto Innocentio Papæ literas mittit. Mittit etiam de acceptis Saracenorum spoliis eidem honorabilia xenia, tentorium videlicet totum fericum, & vexillum auro contextum. Quod in Principis Apostolorum Basilica, in laudem nominis Christi appensum est.

Mense Madio Adenulfus Casinensis electus, Rocchæ Bantræ, occasione mandati Regii, cùm parêre noluerit, Castellanum arctat, & obsidet, sed cùm Roccham ipsam obtinere non posset, data quadam nepte sua in conjugem filio ipsius Castellani, cum certa pecuniæ quantitate, recuperavit Roccham ipsam Monasterio Casinensi. Innocentius Papa per generales, quas ad Orbis Prælatos dirigit, literas, Sanctam Synodum ad urbem vocat mense Junio Signiam, ubi propter urgentem necessitatem dictum Adenulphum Casertanum Casinensem electum, in Casinensem Abbatem promovit. Fredericus Rex auxilio Principum, totam Alemanniæ planitiem obtinuit, solis ipsi Othoni munitionibus remanentibus.

Hoc anno fames in Apulia exorta est.

MCCXIII. mense Junii Innocentius Papa Urbem exiens mense Junio ivit Viterbium, ubi per generales, quas ubique terrarum dirigit, literas, omnes Christifideles ad Terræ-Sanctæ subsidium exhortatur, per quas etiam excommunicationis vinculo innodat corsarios, & piratas, qui capiunt transeuntes, sicque subsidium impediunt Terræ eidem, & qui scienter communicant cum ipsis in aliquo venditionis, vel emptionis contractu. Innovat præterea excommunicationem latam adversùs eos, qui Saracenis arma, ferrum, lignamina deferunt galêarum, quique cum piraticis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent, præcipiens hujusmodi sententiam per omnes urbes maritimas publicari diebus Dominicis, & festivis.

Hoc anno dictus Otho cum Rege Franciæ bellum committens ab ipso Rege devictus est, & fugatus.

MCCXIV. Innocentius Papa has mittit literas ad Soldanum.

Innocentius, &c. nobili viro Sephadino Soldano Damasci, & Babyloniæ timorem Trini nominis, & amorem. Daniele Propheta testante didicimus, quòd est Deus in Cœlo, qui revelat mysteria, mutat tempora, & transfert Regna, ut universi cognoscant, quòd Dominus excelsus dominatur in Regno hominis, & cui voluerit dabit illud. Hoc autem evidenter ostendit, quando Jerusalem, & fines ejus tradi permisit in manus fratris tui, non tam propter ejus virtutem, quàm propter offensam Populi Christiani, Deum ipsum ad iracundiam provocantis, qui, secundùm Prophetas, cùm irascitur, non obliviscitur misereri, unde illum imitari volentes, qui de se ipso ait: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, *magnitudinem tuam humiliter obsecramus, quatenus ne propter violentam detentionem præfatæ terræ plus adhuc effundatur humani sanguinis, quàm hactenus est effusus: restituas eam nobis, usus consilio; de qua fortè detentione plus tibi difficultatis, quàm utilitatis accrescit, & dimissis utrinque captivis, quiescamus à mutuis impugnationum offensis, ita quòd apud te non sit deterior conditio gentis nostræ, quàm apud nos est conditio gentis tuæ. Latores præsentium ad tuam præsentiam destinatos, rogamus benignè recipias, dignum eis responsum tribuens cum effectu. Datum Laterani 6. Kalen. Maji Pontificatus nostri anno 16.*

Item scire volens ipse Papa terras, mores, & vires Agarenorum, contra quos de ipsius mandato Christianorum exercitus parabatur, scripsit Patriarchæ Jerosolymitano, Magistris domorum Hospitalis, & Templi, ut super his eum per suas redderent literas certiorem, qui per quasdam naves Venetorum inde huc transmeantes, tam detentores, quàm terras, & mores eorum exposuerunt ei certissimè in hunc modum:

„ Saladinus, & Sephadinus duo fratres „ fuerunt. Mortuo Saladino, qui habuit 11. „ filios, regnavit Sephadinus, qui occidit omnes nepotes suos, præter unum, qui vocatur Melchisedech, qui tenet terram istam „ cum omnibus civitatibus, castris, & villis, „ & aliis munitionibus, quæ sunt plus de ducentis. Sephadinus verò habuit filios 15. „ de quibus hæreditaverunt septem, scilicet, „ MelKeKemme, qui primus est, & major „ natu omnibus. Hic tenet Alexandriam, „ Babyloniam, Cairum, & totam Terram „ Ægypti in Meridie, ac Septentrione, qui „ post mortem patris sui Sephadini de generali constitutione patris, & fratrum, debet „ esse dominus omnium, & totius terræ. Secundus filius est nomine Corradinus, qui „ habet Damascum, Sanctam Jerusalem, & „ totam terram, quæ fuit Christianorum, „ præter modicam, quam adhuc tenent Christiani, qui sunt inter civitates, munitiones, „ & castra plus de trecentis. Tertius filius „ est nomine MelKasais, idest Grandis, qui „ tenet terram, quæ dicitur de Jamella cum „ tota alia Provincia, quæ sunt inter munitiones, villas, & castra plus de quadringentis. Quartus filius est nomine MelKemodam, idest Magnus-dominus, qui tenet „ Regnum Doafiæ cum omni potentatu suo, „ quæ sunt plus de quadringentis inter civitates, munitiones, & castra. Quintus „ filius est nomine MelKisalaphat, qui regnat, & tenet terram de Sarco, ubi fuit „ occisus Abel à Caim fratre suo, in quo „ Regno sunt octingentæ inter civitates, munitiones, & castra plana. Sextus filius est „ Machomettus, qui tenet Regnum de Baldach, ubi est Papa Saracenorum Caliphius, „ qui colitur, timetur, & adoratur, tamquam Romanus Pontifex in lege eorum, „ qui non potest videri, nisi bis in mense, „ quando cum suis vadit ad Machometh „ Deum Saracenorum, & inclinato capite, „ & oratione facta suo more Saracenico, antequam templum exeant, splendidè comedunt, & bibunt, & sic coronatus revertitur in domum suam cum gente sua. Iste „ Deus Machometh visitatur quotidie, & „ adoratur, sicut visitatur, & adoratur Dominus Crucifixus à populo Christiano. In ista „ civitate Baldach est Papa Caliphius. Civi- „ tas

„ tas ista caput est totius legis Agarenorum.
„ Septimus filius est nomine Salaphat. Hic
„ non habet specialem terram, sed semper
„ est cum patre suo Sephadino. Iste por-
„ tat vexillum coram patre suo, quando
„ equitat. Cui unusquisque fratrum singulis
„ annis pro certo censu dignitatis suæ trans-
„ mittit mille Saracenatos, & duos dextra-
„ rios bene paratos. Sephadinus quando equi-
„ tat terram, ac visitat filios suos præfatos,
„ incedit velato capite de uno examito ru-
„ beo. Cui omnes filii inclinant quater ad
„ terram, & exeunt ei obviam per sex mil-
„ liaria, ac osculato pede, cùm ipse sit super
„ equum, recipit eos ad osculum, & ad ma-
„ num. Qui cum unoquoque moratur per
„ triduum, semel in anno, & sic à primo
„ usque ad septimum filios visitat memoratos,
„ & quolibet anno pro certo tributo mittit
„ in fisco patris 20. millia Saracenatos, &
„ sic à primo usque ad septimum dat unicui-
„ que filiorum unum de anulis suis, in quo
„ imago sua sculpitur.

„ Volunt isti libenter reddere in manus Do-
„ mini Papæ Terram Sanctam, quam tenent
„ ad opus Christianorum, & ut certi sint, &
„ securi de alia terra à populo Christiano,
„ singulis annis volunt esse sub certo tributo
„ Patriarchæ Jerosolymitano, & dabunt inde
„ cautelam Romanæ Ecclesiæ de non impe-
„ dienda ampliùs Terra Sancta, quam Domi-
„ nus noster Jesus Christus suis pedibus am-
„ bulavit.

„ Prædictus verò Sephadinus de more præ-
„ decessorum suorum faciem suam non osten-
„ dit omnibus, nisi decies in anno, quando
„ Nuncios recipit Pisanorum, Januensium,
„ Venetûm, Civitatum, Regum, vel Princi-
„ pum Christianorum, astantibus centum ar-
„ matis. Primo die recipit ipsos in prima Sala
„ de Cairo, ubi semper est status ejus. Tunc
„ recipit literas à Nunciis, sed non audit eos;
„ in secunda die audit eos in secunda Sala
„ astantibus ducentis Turchis suis bene arma-
„ tis. In tertio quidem die per Turcimanum
„ suum, videlicet interpretem, dat eisdem
„ responsum, secundùm quod est modus in
„ causa. Qui post tertium diem non habent
„ ampliùs, ad illum accessum.

„ Habet Sephadinus uxores 15. in lege sua,
„ quæ sunt in uno Palatio, insimul dormiunt,
„ comedunt, & bibunt. Si aliqua earum ha-
„ bet ex eo filium, Sephadinus vadit ad eam
„ quando vult, & dormit cum ea videnti-
„ bus aliis. Illam verò, quæ non habet ex eo
„ filium, ad se quando vult per Eunuchos
„ suos vocari facit in vesperis, & detinet
„ eam per noctem, & diem, & sic facit de
„ singulis. Quando aliqua istarum moritur,
„ inducit aliam inter alias.

„ In secretiori Camera ubi ludit, & dor-
„ mit, nullus habet accessum, nisi unus tan-
„ tùm senex, in cujus Cameræ ostio semper
„ existunt armati quinquaginta.

„ Quinquagenarius est Sephadinus, potens
„ multum in armis, ac gente, eloquens valde
„ in lingua sua, qui præcellit hodie omnes,
„ qui vivunt, Paganos, excepto Maximuco,
„ in auro: tam enim munivit totam terram
„ suam, & filiorum; & exercitus congregat
„ infinitos. Sed in omnibus ipse cum filiis in
„ prædictum modum cum Romana Ecclesia
„ vult componere pacem.

„ Octo alii filii Sephadini de patris consti-
„ tutione sic vivunt. Duo ex ipsis custodiunt
„ Sepulcrum Domini, ad quos quidquid datur
„ provenit, & dividunt inter se. Quatuor
„ alii habent redditus de Calice fluvio, qui
„ irrigat totam terram Ægypti. Et istis qua-
„ tuor meliùs valent isti redditus de viginti
„ millibus Saracenatis. Duo alii fratres mino-
„ res sunt quotidie in conspectu Dei sui Ma-
„ chometh, pro castitate, quam habent, &
„ totum quod datur ad pedes ejus, est de ipsis
„ minoribus fratribus. Hæc, Sanctissime Pa-
„ ter, ita esse in veritate sciatis.

Hoc anno Rogerius de Aquila Fundanus Comes cepit castrum Motulæ, & illud bonis omnibus spoliavit.

MCCXV. Innocentius Papa Urbem exiens, vênit Ferentinum in Campania, ad quem Rogerius de Aquila Fundanus Comes accedens, Regi Friderico fidelitatis præstitit juramentum.

Idem Papa mense Augusto inquisitionem de persona Abbatis Casinensis Adenulfi præfati fieri mandat per Nicolaum Capellanum suum, qui in Tusculanum est assumptus, & per Magistrum Rainerium tunc Notarium, qui in Cardinalem postea est promotus. Qui de statu Monasterii, & de persona dicti Abbatis, per Monachos sub juramento veritatem certiùs inquirentes, & quæ didicerunt redigentes in scriptis, ipsi Summo Pontifici retulerunt. Illis autem abeuntibus, idem Abbas pravo usus consilio, Monasterium munire curavit militibus, & servientibus, suis consanguineis, & propinquis. Similiter & Roccam Fanulæ, Atinum, Roccam Bantræ, & Castrum Fractarum, qui tandem à Papa vocatus apud Anagniam vadit ad ipsum. Qui præstito sacramento, quòd Monasterium decastellaret, & Roccas prædictas, easque in manus eorum traderet, quibus ipse mandabat, correptus ab eo dimissus est, & rediens ad Monasterium, illud tantùm decastellavit, reliquis sibi castellis retentis, & propterea vocatus à Papa, iterum inconsultè vadit ad ipsum. A quo redargutus de fide mentita, cùm in eum publicè vellet ferre depositionis sententiam, persuadentibus sibi nonnullis renunciavit, & cessit invitus. Quem ipse Papa apud Sorianum mandat custodiri, donec Roccas prædictas resignari faciat ad mandatum suum. Hoc itaque cùm innotesceret in terra Monasterii, Miraddo nepos dicti Abbatis consulens vitæ suæ, cùm esset in Sancto Germano, & multas nonnullis intulisset offensas, nocte fugiens, relictis uxore, & filiis in Rocca Bantræ, in qua quidam erat Monachus consobrinus suus, se recepit, cum quo postmodum facti Ecclesiæ rebelles, terram ipsius hostiliter infestabant. Interea jussu Apostolico de substitutione Abbatis tractatur in Monasterio, sed quia non poterant conventus in unius electione inveniri concordes, hoc ipsi Papæ per octo de Fratribus, quos ad ipsum mittunt, denunciant. Inter quos cùm unus esset eorum notus Pontifici, Stephanus cognomento de Marsia, cujus superiùs feci memoriam, illum, postquam per eos sibi constitit de electione divisa, de gratia, prout placuit, in Abbatem concessit eisdem. Hic ad Monasterium rediens à Fratribus, & Populo cum honore receptus est.

Eo anno Rex Fridericus in rependium collati sibi cœlitus beneficii de victoria adversùs

Othonem dictum Imperatorem apud Aquisgranum, sponte se Crucis charactere insignivit.

Dictus Papa Romæ apud Lateranum in Ecclesia Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, sanctam synodum celebravit, in qua cùm fuerint Patres circiter quadringenti, de reformatione Ecclesiæ in suo sermone proposuit, & liberatione potissimùm Terræ Sanctæ. Interfuerunt autem Regum, & Principum totius Orbis Nuncii, Legatus quoque Regis Friderici Panormitanus Archiepiscopus, Berardus nomine, & Mediolanensis quidam pro parte Othonis ad mandatum Ecclesiæ redire volentis. Sed Marchio Montis-Ferrati, qui erat pro parte Regis ipsius, adversarium se opponens, quòd pro Othone ipso non deberent audiri, sex in medium Capitula protulit: Primum, quia juramentum, quod Romanæ Ecclesiæ fecerat, non servavit, ut debuit. Secundum quia propter quæ fuit excommunicatus adhuc detinet, nec reddidit, ut juravit. Tertium quia Episcopum quemdam excommunicatum tanquam ipsius fautorem nititur confovere. Quartum quia Legatum Episcopum alium capere, & in majoris iniquitatis cumulum incarcerare præsumpsit. Quintum quia in contemptum Romanæ Ecclesiæ Regem Fridericum, Regem appellavit Presbyterorum. Sextum quia quoddam Monialium Monasterium destruxit, & erexit in Arcem. Adjecit etiam, quòd cùm ipsi Mediolanenses simili essent excommunicatione notati, tanquam ipsius Othonis complices, & fautores, & quia eorum civitas Paterenos fovebat, nulla prorsus debebant ratione audiri. Quod cùm molestè satis ferrent Mediolanenses ipsi, & vellent Marchioni ipsi in contrarium respondere, quia pars utraque in contumelias prorumpebat, de solio suo Dominus Papa exurgens manu innuit, & egredientibus cæteris, ipse Ecclesia est egressus. Sedit autem usque tertiò ipse Dominus Papa, à festo Beati Martini, usque ad festum Sancti Andreæ, & tunc electionem factam per Principes de Rege Friderico in Imperatorem Romanum, approbans confirmavit, & in sancta synodo LXX. Capitula promulgavit: damnavit librum Joachimi Florensis Abbatis, quem contra Magistrum Petrum Lombardum ediderat, de Unitate, & Essentia Trinitatis.

MCCXVI. Stephanus Casinensis Abbas, facta compositione cum Miraddo recipit Roccam Bantræ. Adenulphus quondam Abbas à Papa dimittitur, cui ab ipso conceditur Ecclesia S. Benedicti in Capua, & de gratia Ecclesia S. Angeli in Formis additur illi.

Hoc anno dictus Stephanus Casinensis Abbas Romæ apud Lateranum in Sacerdotem per manus Ostiensis Episcopi promovetur.

Diopuldus de Ducatu Spoleti in Regnum occultè rediens super asinum sedens, proditus, & cognitus apud Tyberim captus est, & Senatori Urbis in custodiam traditus, & tandem interventu pecuniæ liberatus.

Henricus Regis Friderici filius vocatus à patre Gajetam, Panormo navigio veniens, in Alemanniam vadit. Mense Junio Innocentius Papa Urbem exiens, Perusium vadit, ubi mense Julio XVII. Kalend. Augusti languore correptus feliciter expiravit, cujus obitum quidam metricè sic deflevit:

Nox accede, quia cessit Sol, lugeat Orbis,
In medio lucis lumen obisse suum.
Lumen obit Mundi, quia decessit Pater Innocentius; Iste Pater Urbis, & Orbis erat.
Nomen utrumque tenens vestrum notat hoc, quod habebat,
Quid Mundo posset reddere, quidve Deo.
Si speciem, si mentis opes, si munera linguæ
Attendas, cedet lingua, cadetque stylus.

Hic honore debito apud Perusium tumulatus est, & Centius Sanctorum Joannis, & Pauli Presbyter Cardinalis in Papam Honorium substitutus est illi. Qui de tanti Patris obitu, & sua promotione ubique terrarum literas dirigit generales. Hic mense Septembri de Perusio ad Urbem redit, ubi cum multo honore à Romanis omnibus receptus est.

Hoc anno fertilitas magna fuit.

Filius Regis Franciæ cum exercitu suo intravit Angliam, & ex ea non modicam partem obtinuit, propter quod per totam Angliam excommunicatus est, Papa mandante.

Rex Angliæ obiit, & filius ejus coronatur in Regem.

MCCXVII. Petrus Altisiodorensis Comes in Constantinopolitanum Imperatorem electus est; Romam veniens cum consorte sua, ab Honorio Papa apud Sanctum Laurentium extra muros Urbis, in Imperatorem, & Imperatricem coronantur. Qui Regnum intrantes, & se Brundusium conferentes cum honesto militari exercitu, ibi Dominum Joannem de Columna Cardinalem in Constantinopolim Legatum venturum expectant, cum quo infausto satìs omine navigio transfretantes, ad portum Durachii pervenerunt. Qui pravo ducti consilio, Imperatrice eos per mare præeunte ad civitatem Bizanceam, obsidere, & expugnare prævidertunt Durachium, & cùm viris non proficerent, aut viribus suis, ab obsidione civitatis ipsius digressi sunt. Qui errantes per devia, & condensa sylvarum à Græcis intercepti sunt, de quibus nonnulli in ore gladii perierunt, nonnulli verò capti sunt, & carcerali squallore unà cum ipso Imperatore consumpti. Ipse etiam Cardinalis captus est, & detentus.

Hoc anno navalis Frisonum exercitus Gajetam veniens, Hierosolymam vadit in subsidium Terræ-Sanctæ. Januensium quoque, Venetùm, Pisanorum, & aliorum de diversis Mundi partibus signatorum apud Accon multitudo convênit. Qui cum Rege, Patriarcha Hierosolymitano, Magistris domuum Hospitalis, & Templi consilium ineuntes, cùm Hierusalem propter aquarum defectum commodè adire non possent, versùs Damiatam Saracenorum civitatem nobilem, & munitam suarum navium carbasa direxerunt, quò prosperè applicantes, eo favente, qui mari, & ventis imperat, cùm fluvius ingens, & turris in eo præcelsa constructa transitum ad civitatem penitus prohiberent, coacti sunt sua figere Tentoria circa litus. Quod illi de Damiata videntes, suos mox Nuncios dirigunt ad Soldanum, per quos se à Christianis obsessos significant, & petunt, ut in suum ad eos veniat succursum. Qui statim, collectis undique viribus, Damiatam se contulit sinè mora, quam viris munivit, & viribus, necnon & turrim prædictam, & ne Christiani possent in partem alteram navigio transmeare, secus amnis ripam acies Balistariorum, & Arcariorum innumeras ordinavit. Tunc Christiani de Regis, & aliorum consilio,

lio, & consensu, qui præerant exercitui, ut liberior eis pateret ad civitatem accessus, expugnare turrim primitus præviderunt, & pretio à Frisonibus una conducta Cochone, quam propter ignem, quem illi, qui erant in turri, sæpiùs jaciebant, coriis morticinis, & aliis necessariis undique munierunt, viros audaces, & bellicosos, qui per scalam ligneam satìs artificiosè compositam deberent conscendere turrim ipsam, ordinarunt, & posuerunt in ea. Quam cùm per fluvium ducerent, aliquo non obstante, hinc Saracenis, hinc Christianis alta voce clamantibus, seque vicissim ferientibus jaculis, & sagittis, volentes qui erant in Cochone scalam in turris ponere summitate, & per illam conscendere, prout fuerat ordinatum, dum niterentur in ascendendo viri cordati alter alterum prævenire, mox in partes scalâ confractâ, loricati milites, proh dolor, ciciderunt, quorum haud dubium est in cœlum animæ avolarunt, & nostri tunc imperfecto negotio tristes sunt, lætantibus è contrario Saracenis, ad castra reversi, nec inde destiterunt à cœptis, quinimmo ad capiendam turrim ipsam vehementiùs animantur, ad quam cùm per aquas accederent navibus, & scalarum ingeniis geminatis, & per terram darent, ut poterant, frequentes insultus, divina dextera faciente, mense Augusto in Festo Beati Bartholomæi Apostoli turrem ipsam obtinuerunt, & qui in ea inventi sunt, gladiis occubuere nostrorum, quibusdam nobilioribus reservatis ad vitam, quos Rex Hierosolymitanus vinctos Accon dirigit in victoriæ signum.

MCCXVIII. Hoc anno mense Martio Dominus Joann. de Columna dudum apud Durachium captus ad preces Papæ liberatur à vinculis, & Legatus Constantinopolim vadit.

Otho dictus Imperator apud Brunsvich naturali morte defungitur.

Pelagius Albanensis Episcopus à Brundusio cum Jacobo Comite Andriæ Romani exercitus Principe in Syriam transfretat. Et tunc nonnulli Crucesignati de terra Sancti Benedicti, & aliarum partium à Gajeta navigio Hierosolymam petunt, & prosperè pervenientes Accon, audito de captione turris vadunt sinè moræ periculo Damiatam.

Diopuldus præfatus de mandato Regis Friderici in Romanum Imperatorem electi à Comite Jacobo de Sancto Severino genero suo capitur.

Constantia uxor dicti Regis in Romanum Imperatorem electi vocata à viro suo in Alemanniam vadit ad ipsum.

Hoc anno Honorius Papa mense Junio Urbem exiens ivit Reate, ibique moram faciens usque ad mensem Octobrem, inde ivit Viterbium, & tandem Romam reversus est, sed cùm propter Romanorum molestias esse Romæ non posset, coactus est Viterbium remeare.

Christi exercitus fluvium transmeat Damiatæ, & posita civitati obsidione, cùm Soldanus fugiens metus causâ, relictis tentoriis, in partem alteram secessit, post strages plurimas, post sumptus multiplices, post labores, & damna innumera mense Novembri in vigilia Beati Confessoris Leonardi obtinuit tandem, faciente Domino, Damiatam, hoc ipso Albanensi Episcopo procurante. Civitas autem ipsa auro, lapidibus pretiosis, pannis sericis, rebusque optimis plena inventa est, de quibus ditatus Christi exercitus est, A & Ægyptii spoliati. De Saracenis verò tanta facta est strages, quòd Christianis ipsis displicuit. Tunc Soldanus ipse furore accensus, muros Terræ Sanctæ Hierusalem sterni ad solum fecit, & à Saracenis incolis deseri, paucis in ea Christicolis remanentibus. Interim Christiani civitatem Damiatæ tenent, & possident, & ab omni spurcitia Paganorum mundantes eandem, construunt in ea Ecclesias ad laudem, & gloriam nominis Jesu Christi. Soldanus verò animo, viribusque resumptis Christianos non cessat usque ad aggeres quotidie impugnare, nostris tamen se viriliter tuentibus, & tenentibus contra illos.

B Honorius Papa mense Junio à Viterbio ad Urbem-veterem vadit, & circa finem Septembris Viterbium rediens, exinde Romam reversus est.

Fredericus Rex vocatus à Papa vênit cum consorte sua Constantia ad coronam, relicto in Alemannia Henrico filio suo; & ambo in Principis Apostolorum Basilica mense Novembri in Festo Beatæ Cæciliæ magnificè satìs cum omnium Romanorum gratia, & honore sunt Imperii diademate insigniti. Quorum coronationi dictus Stephanus Casinensis Abbas, necnon Comes Rogerius de Aquila, Comes Jacobus de Sancto Severino, Comes Richardus de Cælano, & nonnulli de Regno Barones interfuerunt, occurrentes ipsi Impera-
C tori, ut ipsius sibi gratiam compararent, eidemque dederunt liberaliter dextrarios, quos habebant, quos redeuntibus in Alemanniam Theutonicis ipse largitus est Imperator.

Tunc etiam Thomas Molisii Comes ad ipsum Imperatorem pro illius gratia obtinenda misit filium suum, sed cùm obtinere eam non posset, contra ipsum Imperatorem se in Roccam recipit Magenul, Comitissa uxore sua in Rocca Bojani constituta, & relicta cum suis.

Tunc ipse Imperator per manus Ostiensis Episcopi, qui postmodum in Papam Gregorium est promotus, resumpsit Crucem, votum publicè innovavit, multosque, qui intererant
D Nobiles, idem facere animavit. Tunc etiam dictus Abbas Stephanus ad petitionem Imp. sibi Roccam Bantræ mandat restitui, & Atinum, quæ usque tunc ex concessione Imperatoris Henrici patris tenuerat Ecclesia Casinensis.

Imperator ipse Romæ in sua coronatione quasdam edidit sanctiones pro libertate Ecclesiarum, & Clericorum, confusione Patrenorum, testamentis Peregrinorum, & securitate Agricultorum, & tunc Romanos fines deserens, & per Campaniam iter habens, vênit in Regnum, & apud Sanctum Germanum magnificè à prædicto Abbate receptus, mensam Campsorum, & jus sanguinis, quod usque
E tunc habuerat concessione Imperatoris Henrici in Ecclesia Casinensi recipit ab eodem. Suessam, Theanum, & Roccam Draconis in demanium revocat, quas dictus Comes Rogerius de Aquila tunc tenebat, & se recto tramite Capuam conferens, & regens ibi Curiam generalem pro bono statu Regni suas Ascisias promulgavit, quæ sub viginti capitulis continentur.

MCCXXI. Tunc Imperatrix Suessam vadit.

Sora, quam Comes Richardus frater olim Innocentii Papæ tenebat, ipsi Imperatori se reddidit.

Rogerius de Aquila Comes mandato Imperato-

ratoris Roccam Arcis arctat, & obsidet, quam Stephanus Cardinalis Sancti Adriani, qui eam tenebat, ipsi Imperatori resignari mandavit.

Tunc Diopuldus, quem Comes Jacobus de Sancto Severino Imperatori tradidit, olim de mandato ipsius captus, ad preces Theutonicorum dimissus est liber, datis tamen à Sifrido fratre suo, & resignatis Imperatori Alifia, & Cajatia, quas tenebat.

Tunc etiam Thomas de Aquino factus Acerrarum Comes Magnus Justitiarius factus est Aquilæ, & Terræ-Laboris.

Bojanum Imperatori se reddidit, ubi cùm Barones Comitatus, qui Imperatori manum dederant contra Thomam Cælani, & Molisii Comitem convenissent. Comes super eos ipse irruens, & in fugam vertit eosdem, Bojanum combussit, & de illius victualibus Roccam Bojani munivit, uxorem suam Comitissam secum ducens ad Roccam Magenul.

Dictus Acerrar. Comes cum Imperiali exercitu Roccam Bojani adiens, illam arctat, & obsidet. Qui eam per compositionem obtinens pro ipso Imperatore, dictæ Roccæ Magenul, in qua dictus Comes Thomas se receperat, obsidionem parat.

Illis diebus Rocca Janulæ super Sanctum Germanum de novo firmata diruitur, juxta editam Capuæ constitutionem de novis ædificiis diruendis.

Cælanum Imperatori se reddidit, quibusdam in turri Cælani, & in Obinulo se ad fidelitatem Comitis Molisii recipientibus, propter quod Cælanenses Imperatoris gentem in suum succursum vocant, cum qua turrim ipsam aggredientes viriliter, vi eam capere nequiverunt.

Imperator cæteris de Regno sibi colla flectentibus, per Apuliam, & Calabriam iter habens, feliciter in Siciliam transfretat, & Messanæ regens Curiam generalem, quasdam ibi statuit Ascisias observandas, contra lusores taxillorum, & alearum, nomen Domini blasphemantes, contra Judæos, ut in differentia vestium, & gestorum à Christianis discernantur, contra meretrices, ut cum honestis mulieribus ad Balnea non accedant, & ut earum habitatio non sit intra mœnia civitatum, contra joculatores obloquentes, ut qui in personis, aut rebus illos offenderit, pacem non teneatur Imperialem infringere.

Hoc anno vicesima à personis Ecclesiasticis, à laicis verò decima pro subsidio Terræ-Sanctæ per totum Regnum colligitur, & per Gualterium de Palear Cancellarium, & per Henricum de Malta Comitem Marini Stoli Ammiratum, ipsam Damiatam transmittit, licèt tunc temporis amissa fuerat, culpis exigentibus, Damiata propter quod ipse Cancellarius iram Imperatoris metuens, se Venetias contulit, & dictus Comes rediit in Regnum, qui ab Imperatore captus est, & terram, quam tenebat, amisit; Rex verò, Patriarcha Jerosolymitanus, Albanensis Episcopus, & cæteri, qui in bello fuerant Christiani, sub securo Soldani conductu ad Aconitanam redeunt civitatem. Hanc igitur tantam, & tam gravem Christianorum injuriam, & Damiatæ amissionem, duxi ego Notarius Ricardus hujus operis auctor rhythmicè deplorandam:

Diro satis percussus vulnere,
Diro cogor singultu luere,
Vah, lamentum, & Carmen dicere
Nostræ gentis de casu misero;
Quæ signata Crucis signaculo.
Crucis hosti cedit Allophylo;
Non fit pugna ense, vel baculo,
Sed premente famis periculo.
Quantus dolor, quanta calamitas,
O quis pudor, qualis anxietas!
Quòd succubuit Christianitas
Impiorum gaudet impietas.
Jesu bone, si fas est dicere, cur?
Cur sic placuit nos dejicere?
Mori malo, quàm ultra vivere
Vinci videns debentes vincere.
Quis in tanto dolore positus
Sui diem non optet obitus?
Christi victus jacet exercitus,
Unde pudor, dolor, & gemitus.
Quis non mæret hoc infortunium?
Luctus ora conclusit omnium.
Roma caput, & mater Urbium
Omne tibi defecit gaudium.
Per te vênit hæc tribulatio,
Mundi plorat quam omnis natio,
Christianæ cædis occasio
Tu fuisti, sis relevatio.
In te forma facta Concilii
Causam dedit hujus exilii,
Agar nobis insultant filii,
Tui spernunt vires auxilii.
Damiata, quæ tot laboribus
Tot effusis empta cruoribus
Christianis olim Principibus
Paruisti, nunc pares hostibus.
De te famæ sonus exierat,
Damiata non est quæ fuerat;
In te Christi fides floruerat,
Quam Ancillæ nunc stirps dedecorat.
Ismaëlitæ te detitulant,
Aras evertunt, Templa violant,
Quòd tibi tot pœnas accumulant
Peccata nostra sunt, quæ pullulant.
Ubi nunc decus est Ecclesiæ,
Christianæ flos & militiæ?
Legatus, Rex, & Dux Bavariæ
Victi cedunt viri perfidiæ.
O quàm pravo ducti consilio
Exierunt Duces in prœlio!
Damiata tu das exilio,
Quos fovisti ferè biennio.
Maledicta fatorum series,
Qua fit tanti mali congeries.
Cunctos tangit ista miseries,
Cunctis datur flendi materies.
Mundus totus, & Mundi Principes
Sunt doloris participes,
Tuam ergo causam, ut vindices,
Te nos Christe precamur supplices.

Igitur quod dicere nequeo non dolendo, per compositionem redditâ Damiatâ Soldano, liberati sunt utrimque captivi, & Christiani Principes, qui contra Soldanum inconsultè processerant, liberati, mense Septembri in Festo Nativitatis B. Virginis.

Tareni novi cuduntur Amalphiæ.

MCCXXII. Honorius Papa mense Febr. Urbem exiens vênit Anagniam, ad quem Imp. vocatus vadit & apud Verulas cum ipso Papa conveniens per dies XV. solemne insimul colloquium habuere, statuentes apud Veronam cum aliis orbis Principibus pro succursu Terræ-Sanctæ Curiam regere generalem; & tunc data fide, quòd in certo termino tamquam Imperator in Terræ-Sanctæ subsidium transfretaret,

taret, in Regnum rediens, Roccam adiit Magenul, quam jussit arctiùs obsideri à Thoma Acerrarum Comite, & iis, qui cum eo erant, & ipse festinus in Siciliam reversus est propter Mirabettum Saracenorum Ducem, qui eam pro viribus infestabat.

Honorius Papa Romam revertitur, quam postmodum exiens vênit Alatrum.

Romani super Viterbium vadunt.

Imperatrix in Sicilia obiit.

Comes Thomas de Cælano licèt satis arctatus, nocturno tempore Roccam exiens Magenul, sub fido ducatu iter faciens per montana ad castrum se contulit Caspium, quod Raynerius de Aversa sororius ejus tenebat, à quo acceptis equis, & sociis paucis, clanculo intrat Obinulum, & deinde cum suis supra Cælanum veniens, spe ductus eorum, qui assistebant eidem, & noverant illius adventum, Imperiales, qui erant intus Cælanum, & turrim pro viribus impugnabant, diluculo aggressus est, eosque in fugam vertit, multos cepit, & carceribus deputavit. Civitam, & tunc totam Marsiam equitat, prædatur Civitam, Paternum comburit, & quæ potest in Cælano victui necessaria congregat. Quo cognito, dictus Acerrarum Comes, paucis in obsidione Rocchæ Magenul relictis, unà cum Stephano Casinensi Abbate, & Raynaldo Capuano Archiepiscopo, contra ipsum Comitem super Cælanum vadit, dictus tamen Archiepiscopus subita infirmitate correptus, in via mortuus est. Dictus Comes Molisii ab Acerrarum Comite arctatus est, & Cælanum est obsessum.

Imperator in Sicilia de Mirabetto triumphat, & de ipso, & suis fecit quod eorum meruerat exigentia commissorum.

Servientes de Neapoli, & Gajeta loricati, & cum scutis super Cælanum vadunt.

Dictus Acerrarum Comes in obsidionem Rocchæ Magenul revertitur. Tunc Comitissa cùm se diutiùs tenere non posset, accepta à præfato Acerrarum Comite pro se, & suis securitate personarum, & rerum, Roccham Magenul ipsi Comiti ad opus Imperatoris restituit, quæ postea est eversa.

Hoc anno mense Augusto Fundana civitas pro majori parte, casu accidente, igne cremata est, quæ funditus propterea eversa est.

Mense Septembri Stella Cometes apparuit.

Imperator sua statuta per Regnum dirigit in singulis civitatibus, castellis, & villis, ut singula mercimonia vendi debeant ad denarios novos Brundusii, cassatis Tarenis novis Amalphiæ, juxta arbitrium sex bonorum hominum uniuscujusque terræ ad hoc juratorum, & super hoc generales literas mittit.

Joannes Rex Jerosolymorum, qui postmodum de filia sua cum Imperatore contraxit, veniens de partibus Transmarinis cum Magistro domus Hospitalis Jerosolymitani, Romam vadunt ad Honorium Papam, qui tunc graviter patiebatur in crure.

Imperator de Sicilia in Apuliam vênit, inde in Terram-Laboris, & exinde ad Sanctum Germanum, ubi fieri cum Cardinalibus colloquium sperabatur, cùm ipse Papa propter suam infirmitatem colloquio interesse non posset. Tunc tractus à Cardinalibus est in Campaniam Imperator, ubi etiam hortatu Regis Jerosolymitani, & Magistri domus Hospitalis se commisit ipse Papa, & apud Ferentinum habens cum Imperatore colloquium, promisit publicè, usque ad biennium in Terræ-Sanctæ subsidium transfretare, & filiam dicti Regis ducere in uxorem juravit. Qui acceptâ à Papa licentiâ, in Regnum rediens, & iter per Soram habens, Cælanum vadit, ubi ad se Comitissam Molisii, quæ adhuc in Rocca Magenul remanserat, venire faciens, necnon & filium ejus, alloqui per eam fecit ipsum Comitem, ut Imperatori se redderet, sed cùm hoc obtinere non posset, muniri optimè jubet, & custodiri collem Sancti Flaviani, & ipse se in Apuliam confert, exinde in Siciliam rediturus, relictis tunc in manus Henrici de Morra Magistri Justitiarii Comitissa prædicta, & filio ejus. Post discessum verò Imperatoris, ipso agente adhuc circa fines Apuliæ, inter Cæsarem, & Comitem Molisii compositum est, mediante Romana Ecclesia in hunc modum: quòd ipse Comes securus cum rebus, & personis, qui ipsum sequi voluerint, Regnum exibit, Cælano, Obinolo, & aliis, quæ tenebat pro Cæsare, resignatis, & Comitissæ uxori ejus Comitatus est Molisii reservatus ex pacto. Tunc his ita gestis dictus Comes cum suis ad Urbem se contulit, Comitissa Comitatum Molisii recipit, Cælanensibus præcipitur, ut exeuntes de domiciliis cum suppellectilibus suis, facere in clausuris habitacula deberent. Quibus exeuntibus, Cælanum totum est dirutum, & combustum, sola Ecclesia Sancti Joannis superstite remanente, sicque mutato nomine, quæ Cælanum antea vocabatur, est Cæsarea postmodum appellata. Unde metricè quidam dixit.

Vires, & nomen Cælanum perdit, & omen
Fertur Cæsarea, cæsaque facta rea.

Serra super Cælanum firmatur, & extunc Cælanenses à finibus propriis discesserunt, nec eis habitare concessum est in eisdem, quare ad loca alia eos oportuit demigrare.

Hoc anno Rex Franciæ obiit, & filius ejus coronatur in Regem.

Mense Martio in Festo Sancti Benedicti cœlum totum visum est igneum, & pluit eo die terra, & cinis.

In Gajeta, Neapoli, Aversa, & Fogia jussu Cæsaris Castella firmantur. Serniæ mœnia diruuntur, cujus civitatis ferè medietas igne comburitur, castellum Carpenonis, & alia quamplura de novo castra firmata in Comitatu Molisii, & per loca alia secundùm statuta Imperialia dudum Capuæ edita evertuntur. Pro implendis statutis ipsis, quidam Rogerius de Pesclolanzano executor ab Imper. dirigitur.

Imperator in Sicilia Saracenos arctat, & obsidet, quorum partem non modicam sibi subjectam ad partes mittit Apuliæ moraturam apud Luceriam, reliquis se in montanis tenentibus contra eum. Propter quod Rogerium de Aquila, Thomam de Caserta, Jacobum de Sancto-Severino, & filium Comitis Tricaricensis Regni Comites vocat ad servitium suum in Sicilia. Qui in comitatu, & manu brevi euntes ad ipsum, capi eos, & teneri præcepit, & eorum terras per Henricum de Morra Magnum Justitiarium recipit ad opus suum.

Inquisitiones fiunt in Regno jussu Imperatoris sub præstito juramento, ut dicat quilibet, quid pro decimis, & cui quod pro conredis Imperialibus, & cui quod pro facto Bojani Roccæ Magenul, quæ hoc anno eversa est, & pro Cæsarea dedisset.

Hoc

Hoc anno Danorum, & Norvegiæ Reges pater, & filius à quondam Principe Alemanniæ capti sunt, & Henrico Regi filio Imperatoris traditi.

Imperator Comitatum Molisii in demanium revocat, pro eo, quòd Comes Molisii vocatus ab Henrico de Morra Magistro-Justitiario venire coram eo noluit ad justitiam faciendam. Item pro stipendiis militum, & servientium, quos ad debellandos rebelles Saracenos Siciliæ statuerat, certam pecuniæ summam per totum Regnum mandat colligi Imperator, & tunc per quemdam Judicem Urbanum de Theano collectæ fuerunt de terra Sancti Benedicti unc. auri CCC.

MCCXXIV. Dicti Fundanus, Casertanus, Avellini, & Tricarici Comites in Sicilia ab Imperatore detenti ad interventum Honorii Papæ dimissi sunt liberi, & Regnum exeunt, suis tamen filiis, & nepotibus pro se obsidibus datis.

Hoc anno Pandulphus Verracel. Norvicensis Episcopus duo nova palatia, quæ sunt in Curia S. Germani suis sumptibus ad opus mandat construi Monasterii Casinensis.

Henricus de Morra jussu Imperiali Cælanenses revocat ubique dispersos, ut ad propria redeant, & redeuntes capit, & in Siciliam mittit, quos apud Maltam dirigit Imperator.

Mense Madio inquisitiones fiunt, Imperatore mandante, de collectis, & talleis, de rupturis domorum, de arma portantibus, de lusoribus taxillorum.

Mense Junio summitates murorum S. Germani noviter reparatæ solo sternuntur.

Mense Julio pro ordinando studio Neapolitano Imperator ubique per Regnum mittit literas generales.

Hoc anno Imperator Minianum in demanium recipit.

Muri Sancti Germani obtenta Magistri Petri, & Magistri Roffredi de Sancto Germano Imperialis Curiæ judicum, integri remanent Imperatore mandante.

Imperator ipse pro libertate Ecclesiarum, & Clericorum Justitiario Terræ-Laboris suas literas mittit, in quibus mandat, ut Ecclesias omnes, Clericos, obedientias, possessiones, & homines eorum contra libertates, quas habuerant temporibus Regum, in collectis, & talleis, datiis, & aliis publicis servitiis admisceri cum aliis non permittant, & nihil cum Laicis participent in eisdem, nisi probetur, quòd tempore Regis Guillelmi secundi cum eis in hujuscemodi servitiis contulissent.

Mense Septembri pro facto Saracenorum Siciliæ tantundem colligi mandat de terra Casinensis Ecclesiæ Imperator quantum collectum fuit in proximè præterito.

Mense Januario Marchio Montis-Ferrati cum electis nonnullis militibus, quos in Lombardia, & Thuscia retinuerat, vênit Brundusium, profecturus in Romaniam in succursum civitatis Thessalonicensis, quam Commiano tenebat obsessam, & relicta gente sua Brundusii, ipse ad Imperatorem in Siciliam vadit, consilium ab eo, & auxilium petiturus. Interea tamen ipse Commiano obtinet civitatem ipsam, diu eam obsidendo, & dictus Marchio nihilominus à Brundusio in Romaniam transfretat.

MCCXXV. Joannes Hierosolymitanus Rex de partibus rediens Ultramontanis cum uxore sua prægnante filia Regis Hispaniæ, quam duxit ibidem, ad Capuam morari elegit, ubi, Imperatore mandante, honorificè receptus est, ibique mense Aprili filiam peperit uxor ejus, cum qua postmodum in Apuliam descendit, & apud Melphiam Imperatorem de Sicilia venturum expectat.

Tunc Imperator ipse Barones omnes, & milites infeudatos ad Saracenorum confusionem in Siciliam vocat, & tunc ipse in Apuliam vênit.

Honorius Papa Urbem exiens propter seditiones, & bella, quæ in ea fiunt sub Parentio Senatore, apud Tyburem se contulit, ad quem, pro dilatione passagii obtinenda, Imperator mittit Regem prædictum, & Patriarcham, qui tamen apud Reate accepere responsum.

Interea Imperator omnes Regni Prælatos ad se in Apuliam vocat, & eos, quamquam invitos, tamdiu secum detinuit, donec per ipsos Regem, & Patriarcham sibi pro certo innotuit, quòd à Papa benignum receperunt responsum super his, ad quæ fuerant missi. Quibus ad Cæsarem redeuntibus, ad Sanctum Germanum cum eis se contulit Imperator 22. Julii, ibique ad eum missi à Papa duo veniunt Cardinales, Pelagius scilicet Albanensis Episcopus, ac Gualo Tit. S. Martini Presbyter Cardinalis, & tunc in ipsa Ecclesia S. Germani dictus Imperator capitula hæc servare juravit, videlicet, quòd hinc ad duos annos in Augusto complendos personaliter transfretabit in subsidium Terræ-Sanctæ, ibique tenebit mille milites per biennium ad servitium suum, & ducet secum centum chelandros, & tenebit ibi quinquaginta galêas bene armatas. Interim dabit passagium duobus millibus militum, & familiis eorumdem in tribus passagiis, & pro milite tribus equis. Hæc & alia capitula in ejus præsentia lecta, præsentibus quibusdam Alemanniæ Principibus, nonnullis etiam Prælatis, & Regni Nobilibus promisit Imperator se publicè servaturum excommunicatione adjecta in se, & terram suam, si hæc non fuerint observata, & hoc ipsum Rainer. dictus Dux Spoleti juravit in anima sua. Actum prædicto mense Julii in festo Sancti Jacobi, & tunc per Cardinales ipsos jam dictus Imperator à juramento, quod apud Verulas fecerat, denunciatus est absolutus. Et eo celeriter in Apuliam recedente, Cardinales ipsi Reate se ad Summum Pontificem contulerunt.

Tunc Imperator ipse Principibus Alemanniæ, Ducibus, Comitibus, & Potentatibus Lombardiæ per suas mandat literas, ut in futuro Pascha Resurrectionis Domini apud Cremonam ad eum convenire deberent.

Mense Augusto mutuum ab Imperatore per totum Regnum exigitur, & tunc loco mutui collectæ sunt de terra Monasterii Casinensis unc. MCCC. per Petrum Domin. Ebuli, & Nicolaum de Cicala tunc Justitiarium Terræ-Laboris.

Mense Septembri Marchio Montis-Ferrati in Romania naturali morte defunctus est.

Eodem mense quinque vacantibus in Regno Ecclesiis, quinque Dominus Papa Honorius præfecit motu propriæ voluntatis, inscio & irrequisito Imperatore, videlicet quemdam Casinensem Monachum Joannem, cognomento de Sancto-Liberatore, Ecclesiæ Sancti Vincentii de Vulturno; Consanæ Priorem quemdam S. Mariæ-Novæ de Urbe; Salernitanæ, Fa-

Famaguſtanum quondam Epiſcop. Averſanæ Cantorem Amalphitanum, & Capuanæ Pavenſem q. Epiſc. quos tanquam in ſuum præjudicium promotos, recipi Imperator in ipſis Eccleſiis non permiſit. Euntem etiam in Siciliam, tunc ad eum cum literis Apoſtolicis quemdam Caſinenſem Monachum Nicolaum de Colle Petri in Abbatem S. Laurentii de Averſa promotum non admiſit.

Menſe Novembri Imperator ipſe apud Brunduſium Iſabellam filiam dicti Regis Hieroſolymitani magnificè deſponſavit.

Inquiſitiones de facto mutui fiunt per terram Monaſterii.

Pax reformata eſt in Urbe, Senatoriæ dignitati cedente Parentio, & Angelo de Benencaſa ſubſtituto eidem.

Denarii novi, qui Imperiales vocantur, cuduntur Brunduſii, & veteres caſſati ſunt.

Imperator apud Trojam Natale Domini celebrat.

Colonienſis Archiepiſcopus in Alemannia cum quadam conſanguinea ſua interfectus eſt.

Imperator pro facto Prælatorum, quos Papa creaverat, ſuos ad eum Nuncios mittit.

Hoc anno Rex Alemanniæ Henricus filius Imperatoris filiam Ducis Auſtriæ duxit uxorem.

Honorius Papa pro facto Crucis Prædicatores mittit, & in Germaniam dirigit Portuenſem Epiſcopum cum literis ſuis, quas ipſis Prædicatoribus ſimili modo concedit.

Hoc anno Rex Franciæ monitus per Dominum Romanum Apoſtolicæ Sedis Legatum contra Albigenſes cum copioſo Francorum exercitu in Provinciam vadit.

Reges Hiſpani terram Miramomellini occupant.

Honorius Papa Indulgentiam Saraceniſci, quæ ex longiturnitate temporis ſatis inoleverat, tanquam falſam caſſavit, & irritam per ſuas literas denunciavit pariter & inanem, pro eo quòd Clerici loci ejuſdem dabant accedentibus ad ipſam Eccleſiam remiſſionem peccatorum, facientes eis intelligi, quòd ita de peccatis omnibus emundati recederent, ſicut pertica quædam, quam oſtendebant eis cortice emundatam.

MCCXXVI. menſe Januario Honorius Papa Oliverium natione . . . ad Eccleſiam S. Vincentii aſſumptum Electum ad Imperatorem in Apulia mittit.

Imperator ipſe Baronibus, & militibus infeudatis cæteris mandat, ut omnes ſe præparent ad eundum ſecum in Lombardiam, & ut omnes apud Piſcaram, ubi ſexto intrante Martii eſſe Imperator ipſe diſponit, debeant convenire.

Eo tempore Joannes dictus Rex Hieroſolymitanus diſcors ab Imperatore diſcedit.

Imperator de Apulia vênit in Terram-Laboris, & relicta apud Salernum in caſtello Terracinæ Imperatrice ſua, ipſe in Apuliam redit celer, ubi Henricum de Morra Magiſtrum Juſtitiarium, Capitaneum ſtatuit Regni ſui, & ipſe Piſcaram ſe contulit, ac exinde in Ducatum Spoleti perveniens hominibus Ducatus ipſius per ſuas præcipit literas, ut ſecum in Lombardiam debeant proficiſci, quod cùm facere ipſi renuerent, præter Papæ mandatum, cui tenebantur, Imperator ad eos literas iterat graviores, quas illi de Ducatu ad Papam remittunt. Quas ipſe Papa moleſtè ferens, quòd homines Eccleſiæ ſub certa pœna vocabat Cæſar ad expeditionem, ſuas ad eum literas dirigit, quas ipſe Imperator graves reputans, reſcribit ei quaſi de pari, & quia in reſcripto ipſo ſuam voluntatem ſatis Imperator voluit declarare, duxit ipſe Papa ſibi aſperiùs reſcribendum, propter quod Imperator ut ipſius placaret animum, reſcribit humiliter in omni ſubjectione.

Tunc mittit à Ravenna, ubi Paſcha Domini celebrat, Henrico Alemanniæ Regi filio ſuo, ut ſibi in Lombardiam occurrat. Deinde à Ravenna diſcedens, extra Faventiam, quæ ſibi adverſa erat, iter habens, apud caſtrum Sancti Joannis in territorio Bononienſi poſuit caſtra ſua, ipſum parte ſui exercitus per civitatem Bononiæ præeunte. Exinde verò ſe Imolam contulit, ubi tamdiu moram fecit, donec, ſicut priùs fuerat, eam fecit aggeribus communiri, & procedens inde versùs Parmam dirigit iter ſuum.

Tunc Henricus Rex Alemanniæ cum copioſo exercitu ſuo vênit uſque Veronam, ſed Lombardis impedientibus, ultra procedere non eſt permiſſus.

Imperator Cremonam vadit, ibique diebus paucis faciens moram, cùm ſe civitas Veronenſis cum Mediolano, & aliis ſubſcriptis civitatibus ipſi Imperatori contrariis confœderaſſet, ad Burgum Sancti Domnini ſe contulit, ibique ſibi coadſiſtentibus quibuſdam Prælatis, & Principibus Alemanniæ, ac Proceribus Regni ſui, contra civitates iſtas ſibi contrarias, videlicet, Mediolanum, Veronam, Placentiam, Vercellum, Laudam, Alexandriam, Terviſium, Paduam, Vincentiam, Torinum, Novariam, Mantuam, Brixiam, Bononiam, & Faventiam, diffidationis evulgavit edictum, quod cæteris ſibi faventibus civitatibus præcipit obſervari.

Tunc prædictus Alemanniæ Rex, combuſta civitate Tridenti, in Alemanniam redit cum ſuis, & Imperator pater ejus per Tuſciæ partes in Regnum reverſus eſt, & in Apuliam veniens, convocatis ad ſe Juſtitiariis omnibus Regni ſui, ab eis de acceptis omnibus exigit rationes.

Tunc Prælati omnes, quos Papa creaverat, ſcilicet, Brunduſinus, Conſanus, Salernitanus Archiepiſcopi, Averſanus Epiſcopus, & Abbas Sancti Laurentii de Averſa in ſuis Eccleſiis recipiuntur.

Rex Franciæ Avinionem obſeſſam cepit, & exinde cum Legato Apoſtolicæ Sedis ad expugnandam Toloſam vadit, ubi venenatus, ut dicitur, obiit.

Imperator certum numerum militum dirigit ultra mare.

Nicolaus de Cicala, & Petrus Domini Ebuli cedunt officio Juſtitiariatus, & Rogerius de Galluccio, & Mauriſ. Rapiſtr. de Neapoli ſubſtituuntur eiſdem.

Menſe Novembri Reginus, & Tyrienſis Archiepiſcopi cum Magiſtro domus Alemannorum à Cæſare mittuntur ad Papam, pro compoſitione inter ipſum, & Lombardos facienda. Inter quos, mediante Papa, facta eſt in hunc modum: quòd Imperator generaliter remittit omnibus prædictis Civitatibus, Legatis præſentibus ibidem, & ipſi pro parte Civitatum juraverunt pacem inter ſe invicem obſervare, & denuo committere cum domino Imperatore dari milites 400. ad ſubſidium Ter-

Terræ Sanctæ in transfretatione sua.

Imperator mense Decembri cum Imperatrice conforte sua in Siciliam transfretat, & tunc Stephano Abbati Casinensi has indulgentiæ literas mittit.

Fredericus &c. Stephano venerabili Casinensi Abbati fideli suo &c.

A *Fidelitati tuæ præsentibus volumus esse notum, quòd ad supplicationem tuam, quam per Judicem Petrum de Sancto Germano fidelem nostrum, nostro culmini porrexisti, petitiones tuas clementer admisimus, super eo videlicet, quòd antiqua jura, & rationes, quibus tempore Regis Guillelmi recolendæ memoriæ, tuum Monasterium est provisum, tibi, & ipsi Monasterio conservare de nostra gratia dignaremur;* B *verùm quia de ipsis juribus, & rationibus non constabat, per Petrum de Abulo, & Nicolaum de Cioala Justitiarios Terræ-Laboris inquisitionem fieri fecimus diligenter. Qua clementer inspecta, & per Judices Curiæ nostræ diligenti prævisione discussa, capitula, quæ inferiùs continentur, sic legitimè sunt probata, videlicet: quòd tempore Regis Guillelmi Secundi, dum ipse Rex causâ orationis venisset ad Monasterium Casinen. & prædicta precatio pro ipso domino Rege, Petrus de Insula tunc Casinensis Abbas fecit colligi collectam per totam Abbatiam per ordinatos Bajulos suos, & ipse procuravit eum. Item quòd cùm aliquis condemnabatur, in mercede* C *Curiæ Regis, Justitiarii faciebant de persona velle suum, terra remanebat Ecclesiæ, & omnia bona sua recipiebat Monasterium Casinense, & si persona, quæ erat condemnata, volebat se redimere, licebat ei vendere de rebus suis. Item quòd cùm Imperator Henricus mandasset redemptionem colligi per totum Regnum, Abbas fecit colligi partem contingentem ipsam Abbatiam. Item quòd precatio, quæ præstabatur Regi Guillelmo per Abbatem fiebat, & Ministri Abbatis colligebant per terram Monasterii precationem ipsam, & Bajuli Regis nunquam visi sunt ibi ad hoc. Item quòd si quando aliqua servitia injungebantur à Domino Rege Abbati, vel etiam hominibus Abbatiæ,* D *quòd expediebatur per Abbatem, Monachos, & Ministros ejus. Item quòd si quæ injungebantur Abbatiæ, expediebantur per Abbatem, & per homines suos. Item quòd quando Rex misit stolium in Romaniam, Abbas Casinensis dedit milites Domino Regi, & pro eis collegit per Abbatem solidos: tibi, & Monasterio tuo duximus confirmanda. Quare mandamus fidelitati tuæ, quatenus dictis juribus, & rationibus per te, & officiatos tuos uti debeas, sicut per inquisitionem ipsam legitimè sunt probata. Datum Fogiæ, &c.*

Indulsit tunc etiam Imperator ipsi Casinensi Abbati, ut homines terræ suæ ipse mitteret ad opus castelli Gajetæ, sicut per Pandulfum, & Robertum Dominos Aquini hactenus mit- E tebantur.

Honorius Papa Joanni Regi quondam Jerosolymitano pro vitæ suæ sustentatione terram committit Ecclesiæ à Viterbio usque ad Montem-Flasconem.

Henricus de Morra Magister Justitiarius auctoritate Imperiali, contra Forbannitos, & lusores taxillorum, & euntes nocturnis horis, post tertium campanæ sonitum sua statuta edidit in Sancto Germano, ac contra tabernarios etiam, ut ad secundum campanæ sonitum claudant tabernas suas. Ita quòd ad tertium campanæ sonitum, nulla earum aperta valeat inveniri, & super his inquirendis certum statuit numerum juratorum, qui pœnas statutas à transgressoribus recipiant pro diversa criminum qualitate; quòd si aliquis juratorum in dolo, seu fraude, vel negligentia fuerit deprehensus, pœnam recipiat, quam recipere deberent prædicti, salvo in omnibus mandato, & ordinatione Imperiali.

Idem Magister Justitiarius per apertas literas suas concessit dicto Abbati Stephano, ut sibi liceret juxta recordum bonorum hominum Sancti Germani generales nundinas per annum, quo tempore vellet, ordinare in ipsa terra Sancti Germani.

Comes Raimundus filius Raimundi de Bareto se contra Imperatorem in Introduco recipit, quem Bertholdus frater Raimundi dicti Ducis Spoleti, congregato Imperiali exercitu, obsidet, & expugnat.

Hoc anno Lacus Marsiæ, qui Fucinus dicitur, usque adeò obriguit, quòd homines in eo desuper ambulantes, boves trahebant cum trabibus, & aliis lignaminibus necessariis ad cognam.

MCCXXVII. mense Januario. Carestia frumenti tanta in urbe Roma facta est, ut rubus tritici pro 20. solidis denariorum Senatus habere vix posset.

Honorius Papa suos ad Imperatorem in Siciliam Nuncios mittit, ut sibi, & Romanæ Curiæ in victualibus subveniret, qui per Henricum de Morra Magistrum Justitiarium hoc fieri mandat.

Mense Martio dictus Honorius Papa obiit 15. Kal. Aprilis, & Hugolinus Ostiensis Episcopus in Papam Gregorium substitutus est illi. Qui per universum Orbem de sua promotione, & obitu prædecessoris sui mittit literas generales.

Mense Junio dictus Papa Urbem exiens, vênit Anagniam, & suos tunc ad Imperatorem Nuncios dirigit, ut sibi fodrum faciat ab hominibus Regni deferri. Qui Henrico de Morra Magistro Justitiario hoc faciendum delegat.

Imperator ipse Justitiarios omnes Regni sui ad se in Siciliam vocat, reddituros sibi de acceptis omnibus rationem.

Interea per totum Regnum pro felici transitu suo generalem collectam imponit, & tunc collectæ sunt de terra Monasterii unc. 450. Imperator ipse de Sicilia in Apuliam vênit, qui ad Papam Reginum Archiepiscopum, & Magistrum domus Theutonicorum Legatos mittit.

Thomas de Aquino Acerrarum Comes in Siciliam transfretat.

Mense Julio Cælanenses omnes, qui captivi in Sicilia tenebantur, liberi dimittuntur, Imperatore mandante.

Eodem mense Lantgravius cum Crucesignatorum exercitu de Alemannia in Apuliam vênit, transiturus in subsidium Terræ-Sanctæ.

Tunc in Anagnia ducentæ ferme domus, Papa ibidem præsente, combustæ sunt. Fodrum portatur ibidem jussu Imperiali, ad quod recipiendum, & assignandum quidam de Sancto Germano, Guillelmus Falloco nomine, per Imperatorem constitutus est ibi.

Stephanus Casinensis Abbas 11. stante Julii in Festo Sanctæ Praxedis in Casino obiit. Cujus obitus tam Papæ, quàm Imperatori per quel-

quosdam de Fratribus nunciatur, à quibus de electione facienda recipiunt in mandatis.

Imperator cum Imperatrice consorte sua mense Augusto Hydruntum vadit, ubi relicta Imperatrice, vadit Brundusium, ubi totus convenerat Crucesignatorum exercitus, & ubi omnia vascella ad transfretandum fecerat congregari.

Interea de tota Marsia obsides capiuntur. In castello Gajetæ Castellanus, & servientes ponuntur.

Eodem mense quidam in Urbe Vicarium Papæ se faciens, Papa inscio & absente, dum favore fretus Romanorum quorumdam, qui hoc fieri tolerabant, gratiâ quæstus, stans apud porticum Sancti Petri, & potestate utens Apostolica, Crucesignatis omnibus absolutionis beneficium impendebat, & per Romanos fautores tanti criminis, Crucem ab eis, quam assumpserant, deposcebat. Qui à Senatore Urbis captus post denunciationem sibi à Papa factam tunc apud Anagniam existente, captus est, & debita personæ pœna mulctatus.

Interea pars Crucesignatorum non modica in Apulia, superveniente infirmitate, cecidit per mortis occasum. Imperator tamen cum Lantgravio, & reliquis Crucesignatis se parat ad transitum, ita quòd in die Nativitatis Beatæ Virginis à Brundusio transfretans vênit Hydruntum, & spem faciens iis, quos præmiserat, de transitu suo, morari apud Hydruntum ex causa necessaria voluit, ubi, casu accidente, dictus Lantgravius obiit, & ipse tunc etiam Imperator, sicut disposuerat, superveniente ægritudine, non transivit. Quamobrem Papa motus contra eum apud Anagniam penultimo mensis Septembris in Festo Dedicationis Archangeli denunciavit ipsum Imperatorem in latam dudum apud Sanctum Germanum excommunicationis sententiam incidisse. Imperator de Apulia tunc vênit ad Balnea Puzoli. Gregorius Papa, de Anagnia per Velletrum iter habens, redit ad Urbem. Ad quem ad suam excusationem suos dirigit Nuncios Imperator, Reginum scilicet, & Barensem Archiepiscopos, Raimundum dictum Ducem Spoleti, & Comitem Henricum de Malta, quibus non plus credens, quàm Nunciis suis, de invalitudine Imperatoris, vocatis ad Urbem Prælatis Cismontanis, & de Regno quos potuit, in octavis B. Martini publicè excommunicat ipsum, & per totum Occidentem literas super hoc dirigit generales.

Electio, licèt diversa, Abbatis in Monasterio Casinensi celebrata est, inter quos Landulfus Senebal. unus de electis, repræsentata Papæ electione, de gratia concessus est Abbas, suum in eum Imperatore dante assensum, & aliorum per Papam electione cassata.

Tunc Imperator ipse mense Novembri vênit Suessam, & inde Gajetam se confert, & de eisdem gressibus Capuam redit, ubi, ad suam excusationem, ad omnes Orbis Principes, & in Alemanniam literas mittit, quibus significat eis, quòd ad transitum paratus cùm esset, superveniente ægritudine, transire non potuit, quod cùm Domino Papæ ipse per suos Nuncios intimaret, cùm nollet super hoc ejus Nunciis fidem dare, contra se processerat pro motu propriæ voluntatis. Interim omnes Regni sui Comites Capuam convocat, ibique rexit Curiam generalem, statuens, ut singuli Feudatarii darent de unoquoque feudo octo unc. auri, & de singulis octo feudis militem unum in proximo futuro mense Maji, in quo ad Terræ-Sanctæ subsidium transfretare dispofuit. Solemnem verò Curiam apud Ravennam statuit mense Martii celebrandam. Tunc prudentem virum Magistrum Roffridum de Benevento mittit ad Urbem cum excusatoriis suis, quas idem Magister publicè legi fecit in Capitolio, de voluntate Senatus, Populique Romani.

Mense Decembri Landulfus Senebal. in Abbatem Casinensem electus ad Papam vadit, & in quatuor Temporibus Natalis Domini ab eo Sacerdotii munus accepit. Et cum eo quidam Gregorius de Carboncello Casinensis Monachus in Abbatem Terræ-majoris promotus est, cum quibus duo ex parte Papæ Nuncii veniunt ad Cæsaream Cardinales, Magister scilicet Thomas Tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter, & Magister Oddo Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis. Et tunc cum eis celebrato Natali apud Sanctum Germanum, ad Imperatorem vadit Abbas Casinensis prædictus, ipsos præeunte dicto Abbate Terræ-majoris, qui à Cæsare prohibitus, ad suam tunc Ecclesiam non accessit.

MCCXXVIII. Mense Januario. Denarii novi Brundusini per Ursonem Castaldum in S. Germano dati sunt, quorum summa fuit 160. unc. quos Magister Fridericus, & Fridericus Landus de Malacucclar, Procuratores ab Abbate relicti, distribui particulariter per terram Monasterii præceperunt.

Eodem mense. Clericorum Focariæ filii, & filiæ, jussu Imperatoris capiuntur ubique per Regnum.

Dicto Abbati Casinensi ab Imperatore in mandatis datur, ut centum servientes bene paratos inveniat cum expensis, & armis per annum necessariis ad servitium Terræ-Sanctæ.

Dictus Magister Fridericus, & Fr. Berardus de Cælano vocati ad Papam vadunt, quorum alter, scilicet Fr. Berardus, procurationem recipit Sancti Gregorii in Urbe; alteri verò Farfensis Ecclesiæ renuit Abbatiam.

Archiepiscopus Panormitanus Nuncius à Soldano ad Cæsarem rediens, Elephantem unum, mulos, & pretiosa quædam alia munera ipsi Imperatori detulit ex parte Soldani.

Mense Februario Oderisius de Aversa Casinensis Monachus à Gregorio Papa in Abbatem Sancti Vincentii promotus est.

Mense Martio pro centum prædictis servientibus collectæ sunt de terra Monasterii unc. 1200.

Eodem mense Landulfus Casinensis Abbas vocatus est à Cæsare, ut ad ipsum vadat apud Tarentum. Et quibusdam de Regno Prælatis injungitur, ut se ad transfretandum debeant præparare.

Imperator apud Barolum Pascha Domini magnificè celebrat in omni gaudio, & exultatione, quia sicut ex literis tunc didicerat Thomæ de Aquino Acerrarum Comitis ad suum servitium in Syria existentis, illis diebus Corradinus Soldanus Damasci mortuus fuerat. Quamobrem in subsidium Terræ-Sanctæ dirigit Riccardum de Principatu Marescalcum suum cum quingentis militibus, qui à Brundusio felici omine transfretavit.

Gregorius Papa celebrato Pascha apud Lateranum, post tertium diem ad Sanctum Petrum se contulit, ubi Romani accedentes ad ip-

ipsum, cùm illum crederent Urbem velle occultè exire, tum propter factum Imperatoris, tum pro facto Viterbii, injuriis multis, & contumeliis affecerunt ipsum, & seditio magna contra eum facta est à Popularibus.

Mense Aprili Romanorum exercitus super Viterbium vadit.

Imperator pro subsidio Terræ-Sanctæ, ab Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis ubique per Regnum certam exigit pecuniæ quantitatem, & tunc de mille ducentis unc. propter hoc impositis terræ Monasterii remisit Imperator de gratia unc. centum.

Gregorius Papa Urbem exiens sub fido ducatu, vadit Reate mense Aprili.

Eodem mense Gregorius Papa per suas mandat literas universis Ecclesiarum Prælatis, & Clericis per Regnum Siciliæ constitutis, sub interminatione ultionis canonicæ, ne quis eorum Imperatori, aut Bajulis suis dare aliquid pro redemptione, data, vel collecta præsumat.

Imperatrix apud Adriam filium parit, nomine Conradum, qui non multò post, sicut Domino placuit, ibidem in fata concessit.

Imperator Regni Prælatis, & Magnatibus coram se apud Barolum congregatis, parato sibi tribunali sub dio propter gentis multitudinem, quæ copiosa erat, proponi fecit, & legi subscripta Capitula in modum testamenti, ut videlicet omnes de Regno, tam Prælati, quàm Domini, & eorum subditi, omnes in ea pace, & tranquillitate viverent, & manerent, qua essent, & vivere soliti erant tempore Regis Guillelmi Secundi, relicto tunc Regni Ballio Rainaldo Duce Spoleti, & si deficere Imperatorem contingeret, sibi in Imperio & Regno succederet Henricus filius ejus major; quòd si illum absque liberis mori contingeret, Conradus filius ejus minor succederet illi; quòd si ambo decederent, filiis non extantibus, filii ipsius superstites, quos de legitima uxore suscepit, in eodem Regno suo succedant: & præcipit, ut omnes homines Regni sui, quæ statuit, debeant juramento servare; quæ tamen sic observari mandavit, si in præsenti passagio humanitus de ipso aliquid contingeret, nisi aliud testamentum ab eo editum compareret. Hæc coram se jurari fecit Imperator à Duce prædicto, & Henrico de Morro Magistro Justitiario, & aliis nonnullis de Regno. Disposuit etiam, quòd nullus de Regno pro data vel collecta aliquid daret, nisi pro utilitatibus Regni, ac necessitatibus expediret.

Mense Majo Casale quoddam in Apulia, quod Gaudianum dicitur, Melfiensis Diœcesis, ob culpæ meritum, Imperatore mandante destruitur.

Domini de Pupplito rebelles facti sunt Imperatori.

Romani facta in extrinsecis destructione Viterbii, & obtento per vim castro quodam, quod Raspampanum dicitur, ipsis Viterbiensibus subdito, læti ad Urbem redeunt; quibus recedentibus, Viterbienses in campis castra ponentes, quæ possunt mala irrogant circumadjacentibus castellis fautoribus Romanorum.

Mense Junio Imperialis exercitus super Dominos de Pupplito vadit, quibus Pupplitum auferunt, & nonnulla alia castra.

Gregorius Papa à Reate discedens, vadit Spoletum, & exinde Perusium.

Imperator apud Brundusium se conferens, mare intrat, ac apud S. Andream de Insula jussit omnia navigia parata ad transitum convenire, ac exinde Hydrontum navigans, feliciter ultra mare ad Crucis obsequium transfretavit, ubi quid egerit, qualiter in Terræ-Sanctæ recuperatione profecerit sequens lectio declarabit.

Gregorius Papa mense Julio de Perusio vadit Assisium, ubi Fratrem Franciscum Minorum Fratrum Ordinis inventorem, propter duo, quæ fecerat miracula in aperto, in cœco videlicet uno, & claudo, quibus visum, & gressum reddiderat, canonizavit, & Perusium rediens, ibi anniversarium magnificè celebrat Innocentii Papæ prædecessoris sui.

Eodem mense Julii Mons Isclæ subversus est, & operuit in Casalibus sub eo degentes ferè septingentos homines inter viros & mulieres.

Mense Aug. Marius Rapistr. cessit officio Justitiariatus, & Stephanus de Anglone, & Pandulfus de Aquino substituti sunt illi de mandato Ducis Spoleti, qui de Apulia Introducum vadit, & omnes de Regno solicitat infeudatos, ut ad eum vadant cum exfortio suo, ad Dominorum Pupplitti rebellium confusionem, qui se contra Imperatorem in Capitiniano receperant. Interea Imperialis exercitus capit Turrem de Renaria, terram quamdam de novo contra Imperatorem firmatam, quam totam destruxerunt. Rainaldus Dux Spoleti cum Imperiali gente Dominos Puppliti in Capitiniano obsidet, qui cùm se non possent tenere, accepta ab eo securitate de personis & rebus suis, se apud Reate contulerunt. Tunc Dux ipse Marchiam intrat, ac Bertholdus frater ejus circa Nursiæ provinciam remanet. Qui castrum quoddam, quod Prusa dicitur, sibi rebelle destruxit, ejusque incolas pœnis addixit variis, & tormentis, & Saracenorum traditos potestati, quos secum de Apulia duxerat, in ipsis cruciatibus exhalare coëgit.

Gregorius Papa in Ducem ipsum pro eo, quòd Marchiam intraverat, ac admonitus sæpiùs, ut ipsam exiens, in pace dimitteret, hoc ipse Dux facere noluit, excommunicationis sententiam promulgavit, ejusdem excommunicationis innodans vinculo omnes sequaces illius. Cùmque nec sic revocare posset eundem, vim vi repellere licitum putans, ad Marchiæ defensionem, quæ Ecclesiæ suberat, materiali gladio nisus est contra ipsum, qui jam pro parte Marchiam ad opus Imperii cœperat occupare, & tunc Joannem quondam Jerosolymitanum Regem, & Joannem de Columna Cardinalem cum copioso militari, & pedestri exercitu dirigit contra eum. At cùm nec sic Dux ipse desisteret ab incœptis, arbitratus est ipse Papa contra Regnicolas acies dirigere bellatorum, ut Regni statu, & pacis quiete turbata, quod Dux ipse voluntarius noluit, sic facere cogeretur invitus, ac Marchiam dimitteret, quam usque Maceratam Cæsaris Imperio subjugarat. Nam collectis undique Campaniæ, ac Maritimæ viribus, congregavit exercitum, cui quemdam Pandulfum de Anagnia Capellanum suum, qui legationis officio fungebatur, & exclusos de Regno Comites, Thomam de Cælano, & Rogerium de Aquila præfecit Capitaneos, & ductores.

MCCXXIX.

MCCXXIX. Hi mense Januario 18. per Ceperanum venientes in Regnum Clavesignati, Insulam pontis Solatati, quæ Regni erat ostium, quam quidam Adenulfus Balsanus pro Imperatore tenebat, primitus expugnantes, cùm se tenere non posset, per vim ceperunt.

Bartholomæus quoque de Supino, qui castrum tenebat S. Joannis de Incarica, & Riccardus filius Domini Roberti de Aquila, qui Dominus erat Pastinæ, metus causâ, sponte ad mandatum venerunt Ecclesiæ. Et præteriens exercitus flumen Teles, versùs Fundos dirigit castra sua, & cùm civitatem ipsam, quam quidam Joannes de Poli civis urbis Romæ pro Imperatore tenebat, acriter impugnaret, vi eam obtinere non potuit, sicque confusus, nec finè gravi damno Ceperanum reversus est. Venerat tunc temporis ad S. Germanum Nicolaus de Cicala pro parte Imperatoris, & Henricus de Morro Magister Justitiarius superiùs nominatus cum Regni filiis, Raone de Balbano Comite, Landulfo de Aquino, & Stephano de Anglone Justitiario, Adenulfo de Aquino filio nobilis viri Thomæ de Aquino Accerrarum Comitis, Rogerio de Galluccio, aliisque undique congregatis, Imperatori fidelibus, ad resistendum hostibus prompta voluntate paratis, domini etiam de Aquino Pandulfus, & Robertus Aquinum pro fide Cæsaris laudabiliter munierunt. Tunc Landulfus Casinensis Abbas Casinum, & Roccam Jani necessariis omnibus sufficienter munivit, & Roccam ipsam dudum jussu Imperatoris dirutam à parte Sancti Germani in mœnibus reparavit. Tunc & homines S. Germani mandato Justitiarii summitatem murorum S. Germani Cæsaris dudum imperio dirutam repararunt; seque inermes, armis necessariis ad resistendum hostibus decenter armarunt.

Papalis exercitus, qui clavium signa gerebat, Roccam Arcis, in qua quidam Rao de Azia erat pro Cæsare Castellanus, impugnare providit, sed cùm in nullo proficeret, non absque læsione gravi, villâ ipsius Roccæ combustâ, Cæperanum reversus est. Et tunc quidam de exercitu discurrentes per terram Sancti Benedicti, villas Rivi-Vitellati, & Ecclesiam Sancti Petri, & Sancti Pauli de Foresta, Dei metu postposito, bonis omnibus spoliarunt.

Mense Martio III. intrante eodem mense, qui dies erat Sabbati, Papalis exercitus prætermissa civitate Aquini, cum prædictis exclusis Comitibus terram intrat Sancti Benedicti, qui castrum Pedemontis per vim capientes, licèt qui erant in eo, pro viribus restitissent, quadraginta servientes ad ipsius castri custodiam deputarunt. Hi sequenti Dominica versùs Sanctum Germanum suas acies dirigentes, venerunt usque ubi dicitur Monumentum. Et exinde descendentes, cùm nullus de Imperiali exercitu, hoc Magist. Justitiario prohibente, egrederetur ad illos, per Plumbareolum, quæ metus causâ fuerat ab incolis derelicta, iter habentes, & per castrum Pignatarii, quod desertum similiter fuerat, versùs Sanctum Angelum Theodici dirigunt gressus suos, sed cùm nihil proficerent, quia bene munitum erat castrum, & illuc Rogerius de Galluccio cum 40. servientibus missis à Magistro Justitiario venerat, abinde recesserunt, & versùs castrum

A Teramum profecti sunt, quod vi capientes, quanquam ipsius habitatores optimè se pro fide Cæsaris defendissent, bona diripientes eorum, illud incendio tradiderunt, sicque onerati spoliis, in Campaniam sunt reversi. Quibus recedentibus Magister Justitiarius cum Imperiali exercitu exiens de S. Germano, unà cum Dominis Aquini super castrum Pedemontis vadit, illud dare destructioni disponens, nisi Abbatis, & conventus precibus destitisset, sicque in sua reversi sunt. Tunc ad ipsum Justitiarium viri fideles Cæsaris undique confluentes, cum eis resistere hostibus parabat. Mense igitur Martii XVII. die Veneris rediens Papalis exercitus ad castrum Pedemontis, sequenti die se in duas

B dividens acies, per montes, & plana milites, & pedites iter habentes, eorum quidam versùs Monasterium, quidam versùs Sanctum Germanum dirigunt gressus suos, quibus cùm idem Magister Justitiarius, cujus inducebant animum diversorum consilia in diversum, vellet obstare, ne per montium aditus liber pateret hostibus ad Sanctum Germanum accessus, ipsis per vires oppositas obsistere prævidit in monte, mittens ad observandum montium transitus quosdam de nocte milites, & balistas, qui ascendentes, hostes pro viribus repellentes, bellum inire cum eis pro fide Cæsaris minimè timuerunt, cùmque in loco, ubi est Ecclesia Sancti Matthæi Servorum Dei

C conflictus fieret, rumor ad ipsum Justitiarium, quòd sui cum hostibus dimicarent, ad Sanctum Germanum pervênit, qui mox, licèt inconsultè, montem subiens, nec metuens mortis occasum, hostium in medio se objecit cum suis, quem secutus Adenulfus filius Acerrarum Comitis memorati & nonnulli milites, & pedites, qui mori pro fide Cæsaris non timebant, hostium ictus repellere suis ictibus conabantur, sed cùm locus non esset idoneus ad pugnandum, & viam illam, qua itur ad Sanctam Mariam de Alaneto, fugatis Imperialibus de supernis, Papalis acies jam occupasset, cùm ex adverso ascendentibus ipse Justitia-

D rius obstare non posset, retrocedere, non finè suorum clade, coactus est, & tunc cum ipso Adenulfo Acerrarum Comitis filio, in brachio vulnerato, & ex suis admodum paucis, in vallo Casinensis Monasterii se recepit, ubi per ipsum Justitiarium Jacobus Sinibaldus custos fuerat institutus, reliquos versùs Sanctum Germanum ad fugam cogentibus illis, qui habuerant de Marte triumphum; quos cives Sancti Germani, qui Cæsaris fidem servabant, unanimiter receptantes, cum suis omnibus salvos fecerunt, & ea die, quamquam diros, & duros paterentur insultus ab hostibus, ita quòd enses, ignem, & jacula non timerent, turribus, & mœnibus insistentes, hostium viribus non

E cessere. Sic ergo die ipsa, novercante fortuna, de Imperialibus obtentâ victoriâ, Pandulfus Apostolicæ Sedis Legatus ab ea parte, quæ dicitur Porta-Vetus, cum nonnullis de majoribus exercitus veniens, sub comminatione depopulationis, & destructionis perpetuæ Monasterii Abbatem præfatum, ut sibi ad mandatum Papæ Monasterium redderet, & ipsum Justitiarium traderet in manus suas, inducere procuravit, quod cùm facere omnino renueret, dicens, quòd absque gravi & grandi periculo fieri hoc non posset, longo super hoc tractatu habito, quem ego nescio, Deus scit, à Legato, & suis, pro Magistro Justitiario, & his,

his, qui secum erant, præstito juramento, quòd salvi essent, ipsi Legato patuit Monasterium, qui statutis in eo militibus, & servientibus, ultra centum, cum Abbate, & Magistro Justitiario mox ad Sanctum Germanum descendit. Quos cum homines Sancti Germani, quamquam sæpiùs requisiti, recepissent, non nisi scire in vero ipsum Justitiarium liberatum, & suos, ea nocte in Burgo exteriori eos oportuit pernoctare. Ea verò nocte Comes Rao de Balbano, cum nonnullis de exercitu Imperiali, qui se in Sancto Germano receperant, & plus de morte, quàm de vita sperabant, metuebant enim, ne à civibus hostibus traderentur, ab his, qui noctis vigilias custodiebant de Sancto Germano, per posterulas civitatis dimissi sunt liberi, & abierunt in sua, & nihil de suo arnesio amiserunt. Igitur mane sequenti Papalis exercitus terram intrat Sancti Germani, Rocca Jani se priùs reddente Legato, cui homines Sancti Germani jurant ad opus Papæ, licèt inviti. Quo audito, & cognito, tremuit omnis terra, quæ se non poterat ab hoste tueri. Tunc Magister Justitiarius liber dimissus est, & se Capuam contulit. Adenulphus etiam de Aquino Acerrarum Comitis filius, necnon & Jacobus Senebaldi prædicti redierunt in sua.

Post dies verò decem se movens de Sancto Germano exercitus, facta compositione cum iis, qui erant in Palatio Miniani, Minianum recipiunt, quod hæredibus quondam Malgerii Sorelli restituunt, & procedentes inde, Præsentianum obtinent, Venafrum, & Sernia per Nuncios se sibi reddunt. Pretam quoque per vim obtinent, & Vairanum, ac totam terram filiorum Pandulfi, usque Calvum, quot sunt, recipiuntur ad opus Ecclesiæ: Teani necnon civitas, & Calenum veniunt ad mandatum Papæ. Tunc per Francolisium iter habens exercitus, Suessam se contulit, sibi pro fide Cæsaris resistentem. quam longa satis obsidione arctatam, cùm jam cives inciperent sitis squallore deficere, non curantes arborum, & vitium incisiones, illuc enim venerat Apostolicæ Sedis Legatus Pelagius Albanensis Episcopus, civitatem recipiunt ad opus Papæ, necnon & castellum, quod munire servientibus curaverunt, & procedentes inde versùs Roccam Draconis dirigunt gressus suos, quam circumposita obsidione arctantes, villâ priùs inferiori obtentâ, & unâ de turribus per vim captâ, & post diros insultus, facta cum Castellano compositione, Roccam ipsam obtinuerunt. Tunc Gajetani cum Castellano castelli componentes, castellum recipiunt ad manus suas. Et tunc per Albanensem Episcopum Gajetanorum civitas, quia parêre noluit Ecclesiæ, supponitur interdicto. Tunc etiam ipso Legato mandante, dicto Casinensi Abbati castrum restituitur Pedemontis.

Prædicti Aquini Domini Pandulphus, & Robertus, civitate Aquini relicta, se Capuam conferunt ibidem unà cum Magistro Justitiario, & Nicolao de Cicala, qui erant in ea ad Cæsaris servitium moraturi.

Aquinum, ipsis recedentibus, vênit ad mandatum Ecclesiæ, Pontem-Curvum, & totam terram Monasterii, Roccam Bantræ, in qua erat quidam Castellanus Apulus, quidam ipsius Legati Clericus, Oddo de Machilone nomine, recipit ad opus Papæ, data eidem Castellano quadam pecuniæ quantitate. Tunc quidam Guillielmus de Sora, qui pro Imp. Trajectum tenebat, & Sugium, ea Legato reddidit ad opus Ecclesiæ.

Gajetæ civitas multis inducta suasionibus, & promissis, in partem cedit Ecclesiæ, & Castellum, quod Cæsar in ea fieri fecerat, multis laboribus, & expensis, diruitur, & omnis ejus structura in mare projicitur. Quidam inde Gajetani in fide Cæsaris radicati de civitate relictis propriis abjerunt. Tunc Rogerio de Aquila Comiti Sugium redditur, & Trajectum.

Illis diebus Guillelmus de Sora à quodam Taffuro cive Capuæ Castellano Roccæ Guillelmi capitur, & custodiæ traditur carcerali.

Beneventani, qui R. E. suberant, audito quòd Papali exercitui sic prosperè cederet, in Apuliam discurrentes, prædam boum, & animalium aliorum magnam ceperant, quibus cùm prædictus Comes Raone de Balbano in reditu se opponeret, ab eis devictus est & fugatus; propterea Magist. Justitiarius, collectis undique viribus, & iis, qui Imperatoris fidem servabant ab ea, quæ dicitur Portasumma, devastat in exterioribus Beneventum.

Fratres Minores ubique per Regnum jussu Rayn. Ducis Spoleti expelluntur de Regno, cùm diceretur, quòd ipsi ad Prælatos civitatum Apostolicas tulerint literas, ut homines inducerent, quòd se debent reddere Domino Papæ. Tunc & Monachi Casinenses de suis obedientiis, captis omnibus, quæ habebant, expelluntur ipso Duce mandante, & metus causâ multi ipsum mutare habitum sunt coacti. Papalis exercitus consilio inito versùs Capuam vadit, & à parte Anglonæ per triduum moram fecit. Erat enim civitas Capua viris munita, & viribus, quæ fidem Imperatori integrè conservabat: post triduum verò inde se movens Papalis exercitus versùs Aylanum dirigit castra sua, quod castellum Acerrarum Comes tenebat, sed qui erant intus, cùm se posse defendere desperarent, nepos ipsius Comitis, Abbate Casinense partes suas interponente apud legatum, castrum ipsum recipit ad manus suas, indeque procedens exercitus vadit Alifiam, quæ licèt reniteretur, post diros insultus factos in eam, per vim obtinet, & ad opus illam recipit Ecclesiæ. Similiter & castrum Pedemontis, quod erat Comitis memorati, turris tamen castri ipsius est ad fidem ipsius Comitis conservata. Tunc & civitas Telesiæ Legato se reddidit causâ metus.

Papalis exercitus per terram Joannis Sanfraymundi, quam sibi pro parte subegit, transiens, occurrentibus illis de Benevento, se contulit Beneventum, & tunc ipsi Beneventani cum Papali exercitu, & cum viribus suis vicinos adversarios vehementer impugnant, Padulem, & Apicem cùm se tenere non possent, recipiunt. Cippalonum comburunt, munitione superstite remanente, Casalia Montis-Fusculi igne cremant, ubi adveniente rumore, quòd Cæsar de Syria in Apuliam venerat, Papalis exercitus causâ metus cœpit dissolvi. Dominus Joannes de Columna Cardinalis, & Joannes Rex quondam Hierosolymitanus, ac Lombardorum copiosus exercitus Raynaldum Ducem Spoleti, velut hostem Ecclesiæ prosequentes, illum exire Marchiam, & in Regnum redire

redire compellunt, & receptantem se in Sulmona tenent obsessum. Tunc castrum Peltorani recipiunt.

Romani super Viterbium vadunt, & civitatem, ac castrum quondam ad eam pertinens devastantes, quod Monasterium dicitur, ad Urbem reversi sunt.

Tunc Pelagius Legatus prædictus Nuncios ad Joannem de Columna Cardinalem, & Joannem Regem quondam Hierosolymitanum sub celeritate transmittit, ut ad se venire festinent. Qui ad vocationem Legati, ab obsidione recedentes civitatis Sulmonæ, per vallem Sangri in Comitatum Molisii veniunt, Alsidenam vi capiunt, & castellum ejus, in quo se quidam Vinciguerra de Aversa receperat cum gente sua, & ipsum, & suos duxerunt captivos. Schintronem recipiunt, villam castelli de Sangro comburunt.

Comes Campaniæ cum militari, & pedestri exercitu super Soram vadit; illam ad opus Papæ recipit, munitione superiori se pro Cæsare tenente, recipit etiam Arpinum, & Fontanam, vallem quoque Soranam, & totam Marsiam. Rex verò quondam Hierosolymitanus cum Joanne de Columna Cardinale flumen Vulturni transiens, Campanorum exercitui, qui ob metum Imperatoris, de quo fama erat, quòd in Apuliam advenisset, apud Telesiam repedaverat, se conjungit, & inde progrediens totus exercitus, supra Cajatiam vadunt.

At Imperator de Syria in Apuliam veniens apud Brundusium ad expugnandos Lombardos, & Campanorum hostiles cuneos, gentem congregat, literas de felici adventu suo in Siciliam, & Calabriam mittit, fideles suos de Capua hortatur, & animat ad fidelitatem suam, mittens ad illorum auxilium dictum Thomam de Aquino Acerrarum Comitem, & celerem succursum suum promittens eisdem.

Tunc ad eum vadit Dux præfatus Spoleti cum suis, liber exiens de Sulmona, Magister Justitiarius, & alii, qui sibi fidem servaverant incorruptam.

Illis diebus milites nonnulli strenui Theutonici de Syria venientes ad portum Brundusii applicuerunt, quorum fretus auxilio Imperator, qualiter cum eis, & Regni fidelibus in recuperatione terræ profecerit, præmisso tamen quod in Terra-Sancta egerit ipse, quod silentio prætereundum non est, sequens lectio declarabit.

Igitur cùm adhuc esset in Syria Imperator, hæc in Regnum de ipso fama pervênit: quòd 15. Novembris proximè præteriti, Joppen veniens cum Christianorum exercitu, ad reædificationem castri ipsius intendit, ut facilior fieret in Hierusalem processus, & dum citiùs per terram necessaria mittere sufficienter cum summariis nequivisset, quilibet pro facultate sua barcas in portu Aconitano oneraverat, sed mutato aëre, & turbato mari, tanta subitò tempestas inhorruit, ut vascella cum victualibus nullatenus ad exercitum ferri possent, at cùm Christi exercitus in multa anxietate tunc esset, ferè omne consilium exercitus desperarat, murmurantes, & nihil aliud superesse videbant, quàm in Acon redeundum. Qui dum in tali essent discrimine positi, misericors & miserator Dominus, qui facit post tempestatem tranquillum, & prope est omnibus invocantibus ipsum, serenato mox aëre, mare tumidum pacavit, tantaque navium, & barcarum multitudo vênit Joppen, ut omnis defectus priùs habitus in plenitudinem omnium necessariorum, & abundantiam mutaretur. Ab illo tempore ulteriùs tantam fecit Deus aëris temperiem, ut indifferenter, & magna, & minima vascella irent, & redirent per mare, ita quòd omnis copia necessariorum in terra semper est habita. Tunc de communi omnium consilio cœpta sunt ædificia castri Joppen in fossatis, & muris erigendis, quod erit memoriale in ævum omni Christianitati, quia per Dei gratiam, ex nimia devotione ac affectu, quem Imperator, & omnis populus circa idem opus habebat, & laborabat incessanter tota die, ante Dominicam caput Quadragesimæ usque adeò fuit promotum, quòd à principio suæ inchoationis nunquam extitit adeò forte, ac bene factum. Interea verò cùm hæc sollicitè agerentur, Nuncii Soldani, ac Imperatoris indifferenter ibant hinc inde, tractantes de bono pacis, & concordiæ. Soldanus verò idem, & frater ejus, qui vocabatur Sarech cum innumerabili exercitu juxta Gazeram jacebant ad unam dietam, & Soldanus Damascenus cum suo magno exercitu erat apud Neapolim per unam similiter dietam distans ab exercitu Christiano, & dum de restitutione tractaretur Terræ-Sanctæ, Dominus Jesus Christus, qui est sapientia Patris, suâ solitâ providentiâ sic ordinavit, quòd Soldanus restituit Sanctam Hierusalem ipsi Imperatori, & Christianis cum omnibus tenimentis suis, excepto quòd Templum Domini debet esse in custodia Saracenorum, quia diu consueverant orare ibidem, & ut liberum introitum, & exitum habeant illuc accedentes orationis causâ, & Christianis similiter, orationis causâ sit expositum. Villam etiam, quæ dicitur ad Sanctum Georgium, & casalia, quæ sunt ex utraque parte viæ, atque Hierusalem, Bethleem quoque, & casalia, quæ sunt inter ipsam, ac Hierusalem restituit: Nazareth etiam cum suis tenimentis, & cum casalibus, quæ sunt inter Acon, & Nazareth reddidit in manus Christianorum. Redditum est etiam castrum Zorontis cum suis tenimentis, pertinentiis, & villis. Necnon civitatem Sydonis cum tota planitie, quæ sibi attinet, reddidit, sed & omnes terras, quas Christiani tempore pacis habebant, & in pace tenebant; licebit autem ex pacto Imperatori, ac Christianis reædificare civitatem sanctam Hierusalem in muris, & turribus, castrum Joppen, & castrum Cæsareæ, Montem-Fortem, & castrum novum, quod firmari hoc anno incœptum est in montanis. Verisimile enim videtur, quòd si tunc Imperator cum gratia, ac pace Romanæ Ecclesiæ transisset, longè meliùs, & efficaciùs prosperatum fuisset negotium Terræ-Sanctæ. Sed quanta in ipsa sua peregrinatione adversa pertulerit ab Ecclesia, cùm non solùm ipsum Dominus Papa excommunicaverit, verumetiam quòd ipsum excommunicatum scirent, & tanquam excommunicatum vitarent eundem, Patriarchæ Hierosolymitano mandavit, Magistris domorum Hospitalis, & Templi, propter quod suum in exercitu Christiano jussit preconium subticeri, & ne Terræ-Sanctæ dissolveretur negotium, ad quod ipse Imperator pro viribus incumbebat, & intendebat ipsi exercitui super Theutonicos, & Longobardos Magistrum domus Theutonicorum, & super

super homines Regnorum Hierusalem, & Cypri, Riccardum Filangerium Marescalcum suum, ac quemdam Odonem de Monte-Peliardo præfecit Capitaneos, & Ductores, & ob hanc causam Soldanus ipse cùm sciret ipsum Imperatorem taliter ab Ecclesia excommunicatum, vix cum eo componere inductus est. Composuit tamen sic, quòd usque ad finem treguarum, pacem sibi adinvicem observarent. Captivi omnes hinc inde suæ libertati restituerentur, & sic receptis ab ipso Soldano Terra-Sancta, & locis prædictis, de consilio omnium peregrinorum, ipse in Hierusalem profectus est, ubi eo die, quo Civitatem Sanctam ingressus est Imperator, Archiepiscopus Cæsareæ Nuncius Patriarchæ adveniens, civitatem ipsam, & specialiter Sepulchrum Domini supposuit interdicto de mandato Patriarchæ ipsius, primitias recuperationis ipsius non benedictione, sed anathemate prosecutus. Præterea qualiter contra ipsum Imperatorem apud Acon postmodum redeuntem prædicti Patriarchæ, Magistri domuum Hospitalis, & Templi se gesserunt, utpote qui contra ipsum intestina bella moverunt in civitate prædicta, his, qui interfuerunt, luce clariùs extitit manifestum.

Cæterùm quia ad Regni subsidium, quod, ut superiùs diximus, Romana sic cœperat Ecclesia occupare, necessariò de Syria rediit Imperator, statim Nuncios suos misit ad Papam, quosdam fratres de domo Theutonicorum, per quos ipsius habere gratiam supplicat, & esse velle ad suum, & Ecclesiæ mandatum exponit.

Papalis exercitus firmata obsidione supra Cajatiam, machinis, & viribus suis illam vehementer impugnant, & licèt occupaverint civitatem, arcem tamen vi capere nequierunt, his, qui erant in ea, se pro Cæsare tuentibus contra eos.

Mense Junio Gregorius Papa prædictus fratrem Franciscum innocentis vitæ virum, qui Institutor Ordinis fuit Fratrum Minorum apud Perusium de Fratrum suorum consilio duxit Sanctorum Catalogo adscribendum, mandans ubique terrarum diem, quo solo carnem, & cœlo spiritum reddidit, 4. scilicet Non. Octobris annis singulis solemniter excolendum.

Item Imperator ipse moram in Apulia faciens, & congregans ad hostium Regni Repulsam exercitum copiosum, suos pro pace ad Papam Legatos misit, Reginum videlicet, & Barensem Archiepiscopos, necnon & Magistrum domus Theutonicorum. Qui Cajatiam venientes, quæ à Papali exercitu tenebatur obsessa, cum literis Albanensis Episcopi, & Cardinalis Sanctæ Praxedis ad Romanam Curiam sunt profecti. Qui cùm in nullo profecerint, redierunt. Tunc in Gajeta per Papam Potestas constituitur Joannes de Judice civis Anagninus ad petitionem Gajetanorum. Tunc etiam Adenulphus de Aquino filius Acerrarum Comitis Atinum recipit, Imperatore mandante, & Philippus de Aquino recipit castrum Cœlii.

Imperator cum Crucesignatorum exercitu contra Clavigeros hostes properat in Terram-Laboris. Tunc Dominus Joannes de Columna Cardinalis sub specie afferendæ pecuniæ pro stipendiis exercitus ad Papam vadit.

Pelagius Albanensis Episcopus, & Rex quondam Hierosolymitanus, cognito, quòd venturus erat Capuam Imperator, rupta obsidione, & combusta machina, quæ vulgò dicitur Trebuvettum, quod multis sumptibus fecerant, Theanum se conferunt, ubi non absque timore suas acies ponunt à Cajatia discedentes.

Tunc Roffridus Archipresbyter Sancti Germani per Albanensem Episcopum, Papa mandante, in Theanensem Episcopum est assumptus.

In Apulia illis diebus quidam Paulus de Logotheta Imperialis Justitiarius membratim trucidatus est ab his, qui odio Imperatorem habebant.

Imperator cum fortunato Crucesignatorum exercitu vênit Capuam mense Septembri, & ab ista parte Capuæ Saracenorum cuneos ordinavit, seque Neapolim contulit, æris & gentis à civibus auxilium petiturus.

Tunc civitas Sanctagathen. sponte vênit ad mandatum Ecclesiæ, & se reddidit Domino Papæ.

Comes Rogerius de Aquila filium suum recipit, quem in Sicilia obsidem tenuerat Imperator.

Pelagius Albanensis Episcopus pro defectu solidorum, quos habere non poterat, capi jubet thesaurum Ecclesiæ Casinensis, ac Ecclesiæ S. Germani per Calinensem Episcopum, cum quo Clerici S. Germani in certa quantitate pecuniæ convenerunt, ne thesaurum Ecclesiæ asportaret.

Imperator à Neapoli Capuam rediens, movet exinde castra sua, & veniens Calvum, ubi nonnulli de Papali exercitu convenerant ad defensam, illam fecit undique impugnari, & tunc captos quosdam de Campania suspendi jubet. Et tandem Calvum recipit ad mandatum, & fidelitatem suam. Indeque, non obstantibus hostibus, per Riardum habens transitum ad S. Mariam de Ferraria vênit indemnis, ubi per triduum moram faciens Vairanum recipit, Alifiam, & Venafrum, & totam terram filiorum Pandulphi.

Dictus verò Pelagius Albanensis Episcopus, & Rex quondam Hierosolymitanus per Mesinum iter habentes cum toto exercitu Minianum venerunt, & in celeri fuga petierunt Sanctum Germanum.

Illis diebus homines Sancti Germani timentes, ne Papalis exercitus aut Imperiali cederet, aut victus succumberet, suppellectilem suam, & quæque pretiosa ad loca transtulerunt tutiora. Tunc per biduum in Sancto Germano moram protrahens Papalis exercitus, frumento, vino, & aliis necessariis munire Roccam-Jani, & Casinense Monasterium cogitabant, sed acceleratus per Nuncios Sancti Germani, ad terram ipsam properat Imperator, moxque Papalis exercitus dissolutus de S. Germano exiens gressu præpete in Campaniam est reversus.

Et tunc metus causâ, qui in Casino statuti fuerunt, & in Rocca Janulæ servientes, dimissis ipsis munitionibus, recesserunt. Sed in Casino se recipiens Albanensis Episcopus redire ad Monasterium milites, & servientes coëgit.

Tunc cum ipso Legato Aquini, & Alifiæ Episcopi ascenderunt Casinum, & in Sancto Germano per ipsum Legatum prohibitum est celebrare divina. Cæteri verò Prælati, qui cesserant in partem Ecclesiæ, Romam se contulerunt.

Im-

Imperator ipse apud Sanctum Thomam de Strata sua castra ponens tertio Non. Octobris, villam Pedemontis, quæ dicitur Sanctæ Luciæ, suis dedit in direptionem, & prædam. Castrum Pedemontis Dominis Aquini concessit.

Tunc Ecclesia Sancti Matthæi Servorum Dei à Saracenis, qui erant in exercitu Imperiali, bonis est propriis spoliata, præ timore paucis, aut nullis remanentibus in eadem.

Tunc etiam vallum Casinensis Monasterii est mandato Cæsaris hinc inde fortiter impugnatum, sed pugnatores nec in aliquo profecerunt. Illuc venientes ex parte civitatis Suessæ Judex Thaddæus, & alii, civitatem ipsam Cæsari reddiderunt, ad quam recipiendam, concesso eis privilegio, quod pro universitate petierant, continuò dirigit Imperator.

Tunc Præsentianum, Rocca Bantræ, Sernia, & Alifia ad mandatum Cæsaris redierunt. Similiter & tota terra Monasterii, Arpinum quoque, & Fontana. Cùmque ad recipiendam Soram dictum Acerrarum Comitem mitteret Imperator, ipsum Sorani recipere contempserunt.

Tunc quidam Comes Majo de Romania cum nonnullis Græcis militibus de Romania ex parte Commiano ad Imperatorem cum magnis muneribus nuncius vênit.

Tunc in Rocca Janulæ quidam de Calabria Castellanus constitutus. In Sancto Germano per Imperatorem Bajuli ordinantur, Guillelmus de Bantra, & Matthæus Dionysius in tota terra S. Benedicti. Rainerius Pelegrini, & Bartholomæus de Bantra Camerarii ordinantur. In Rocca Bantræ Thomas de Magistro Castellanus ponitur.

Imperator suas in Lombardiam, & Thusciam, & Romandiolam literas dirigit in hac forma.

Fridericus &c. Potestatibus, Consulibus, & Consilio civitatum Lombardiæ, fidelibus suis, &c. ut de nostrorum felicitate successuum certa vos nova lætificent, vestris duximus desideriis præsentibus intimandum, quòd nos de Ultramarinis partibus prosperè per Dei gratiam redeuntes, de inimicis nostris, qui Regnum nostrum invaserant, feliciter triumphavimus, dum audientes nos contra eos in manu valida, & potenti venturos, non expectatis, aut expertis viribus nostris, in Campaniæ finibus fugæ sibi præsidium elegerunt. Sicque, Domino cooperante, & nos comitante justitia, qui de Cœlo prospexit, quod ipsi de Regno nostro nobis absentibus per anni dimidium occupaverant, nos brevi dierum spatio recuperavimus, & revocavimus ad demanium & dominium nostrum. Volentes igitur Imperii, & Regni nostri quietem, & pacem cum consilio vestro disponere, ac in Theutoniam è vestigio properare, fidelitatem vestram monemus, & hortamur, & firmiter, ac districtè præcipiendo mandantes, quatenus his receptis literis in equis, & armis decenter armati vestrum ad nos festinetis accessum, quoniam nos universis, & singulis pro sui qualitate servitii curabimus respondere. Dat. apud S. Germanum III. Non. Oct. III. Ind.

Civitas Teani Imperatori se reddidit, data optione Episcopo remanendi in Regno, & Episcopatu suo, vel exeundi, si vellet.

Demanium Curiæ Casinensis per dictos Camerarios totum applicatur Fisco Imperiali.

Ad Roccam Janulæ vinum, & victualia deferuntur.

Quidam Leo Crinitus Gajetam vadens ex parte Imperatoris, ut se redderet Imperatori, ab ipsis Gajetanis interfectus est.

Imperator mutato Castellano in Rocca Janulæ eam Pandulpho, & Roberto Dominis Aquini, necnon castellum Pontis-Curvi, & Castellum-novum committit. Item ducentos milites mittit in Marsiam, quæ tota rediit ad fidelitatem suam, excepta turre de Foce.

Bertoldus frater Ducis Spoleti se in Marsiam contulit, Imperatore mandante.

Imperator à Sancto Thoma movens castra sua 14. mensis Octob. pluvia ingruente, reversus est ad Sanctum Germanum, ibique per dies septem moram faciens, inde digressus est, iter faciens versus Aquinum, suas Orbis Principibus dirigens excusatorias super facto Terræ-Sanctæ, super quo ipsum falsò detulerat Patriarcha Hierosolymitanus ad Dominum Papam, quòd cum Soldano treguas firmaverit in ignominiam nominis Christiani, super quo testimonium invocat venerabilium Wintoniensis & Cicestrensis Episcoporum, Magistrorum domus Sancti Joannis, & Theutonicorum, Marescalci domus Hospitalis, & fratris Aymerii, Fratrum quoque Prædicatorum, qui treguis initis interfuerant.

Illis diebus antemurale cecidit portarum Monasterii Casinensis.

Tunc Nobiles quidam Romani ad Imperatorem apud Aquinum veniunt ex parte Senatus, Populique Romani, cum quo moram per triduum facientes ad Urbem reversi sunt.

Tunc etiam jussu Imperatoris pro munienda terra Sancti Germani, quod homines terræ ipsius ab Imperatore petierunt, domus nonnullæ hinc inde ex parte Corariæ, & Vallis funditus diruuntur.

Imperator de Aquino Soram se contulit, quam suis licèt imparem viribus, renitentem, vi cepit 24. stante Octobris in Festo Apostolorum Simonis, & Judæ, & facta est cibus ignis, Campanis militibus, qui ad civitatis ipsius defensam congregati fuerant, in Campaniam fugientibus per montana, nonnullis civium igne ferroque peremptis.

Arx tamen Sorellæ se ad opus tenet Domini Papæ, unde versus:

Vi caperis, vi capta peris meritò peritura,
Sora ruis, tua damna luis, serò reditura.

Tunc à Tassuro Castellano Roccæ Guillelmi traditus in manus Imperatoris Guillelmus de Sora cum quibusdam aliis, suspensus est extra Soram.

Imperator mense Novembri per Insulam filiorum Petri redit Aquinum, ubi diem festum celebrat Beati Martini.

Magister domus Alemannorum à Papa rediens lætos ad Imperatorem rumores defert de compositione inter Papam, & ipsum, idemque D. Thomæ de Capua Tit. Sanctæ Sabinæ Presbytero Cardinali obviam in Campania vadit, cum quo ad Imperatorem vênit Aquinum cum forma concordiæ 4. stante mensis Novembris, & eodem die cum ipso Cardinale se contulit apud Sanctum Germanum.

De Romanis quidam Græci cum dextreriis in sellis, & frænis aureis, & cum pannis sericis aurotextis, & cum innumeris aureis nummis, quæ ipsi Imperatori repræsentant pridie ante exitum mensis Novembris ad ipsum Imperatorem venerunt.

Tunc etiam literæ factæ sunt per Imperatorem

rem de remissione offensæ, si quam Abbas A fecerat, vel Monachi Casinenses post inter ipsum, & Papam ortam discordiam. Et literæ aliæ ad homines Abbatiæ, ut sicut priùs Abbati, & Monachis Casinensibus respondeant, & intendant. Terram totam, & loca Monasterii ubicumque per Regnum posita Deo, & B. Benedicto restituit.

Dictus Albanensis Episcopus consilio, & suasione dictorum Cardinalium, & Magistri domus Hospitalis Theutonicorum, permittente Imperatore, cum Aquinate, & Alifano Episcopis, ac cum Campanis militibus, qui se cum Albanensi Episcopo in Casino receperant, salvi exeunt, & tunc reddidit ipsis Episcopis suam B gratiam Imperator, & Monasterium, ac tota terra sua curæ committitur Magistri domus Alemannorum prædicti, qui quemdam de domo sua Fratrem Leonardum Procuratorem constituit nomine suo usque ad reditum suum ab Urbe, ad quam ipse Magister domus Theutonicorum iterum vadit jussu Imperatoris, unà cum Albanensi Episcopo, pro quibusdam capitulis, pro quibus inter ipsum, & Dominum Papam discordia erat.

Tunc in Venafro, Sernia, & Teano pecuniariæ exactiones fiunt, Imperatore mandante. In Sancto Germano, & per totam Abbatiam annona pro equis Imperatoris exigitur à Camerariis ordinatis ab eo, superiùs nominatis, ab universis Clericis terræ S. Benedicti. C

Magister Thomas Cardinalis de S. Germano se movens, vadit Suessam. Imperator contendit Capuam, ubi cum ingenti gaudio Natale Domini celebrat. Et tunc multos de Sora, qui captivi tenebantur, ibidem suæ reddidit libertati.

MCCXXX. Mense Januario. Imperator per quemdam fratrem Sembostum de domo Theutonicorum, mandat dicto fratri Leonardo procuratori Casinensi relicto à Magistro Domus Theutonicorum, ut de S. Germano, & alia terra Monasterii 40. eligeret homines ad custodiam Monasterii Casinensis. Qui jussu Imperatoris eos elegit, sacramento ab eis præstito sub hac forma: D

Ego talis juro ad hæc Sancta Dei Evangelia, quòd ab hodie in antea fideliter custodiam, & salvum faciam Monasterium Casinense, personas Monachorum, & aliorum, qui pro parte Magistri domus Alemannorum in ea fuerint constituti, & res eorum, & Monasterii. Non ero in facto, consilio, vel consensu, qualiter in alterius deveniat manus, nec ego illud reddam, quamdiu custodiæ deputatum est Magistri domus Theutonicorum, & ego ibi mansero.

Imperator de Capua se movens, versùs Apuliam apud Melfiam vadit, ubi ad eum vadunt Reginus Archiepiscopus, & dictus Theutonicorum Magister à Romana Curia re- E deuntes, qui & iterum missi à Cæsare, ad Papam vadunt mense Januario.

Primo die Februarii Romæ Tiberis fluvius per alluvionem usque adeò inundavit, quòd occupavit de domibus Urbis usque ad S. Petrum, & usque ad Sanctum Paulum, quod tanti causa timoris Romanis omnibus extitit, ut mox de communi consilio, metu mortis, Dominum Papam ad Urbem de Perusio revocarent. Qui rediens, à Senatu Populoque Romano ingenti cum gaudio est receptus.

Reginus Archiepiscopus, & Magister domus Theutonicorum ab Urbe ad Cæsarem revertuntur, quem apud Precicanam inveniunt.

Eodem mense, quidam Magister Guillelmus de Capua Imperatoris Notarius vênit ad Sanctum Germanum cum literis Imperialibus, ut si quis esset, vel esse vellet in apparatu militari ad servitium Imperatoris, ipse Imperator immunem eum ab omni servitio faceret, & de armis, & equis suis esset ad reditum suum.

Mense Martio dictus Cardinalis Sanctæ Sabinæ de Suessa discedens, Gajetam se contulit, ubi tunc Episcopus venerat Tusculanus, qui vocaverat ipsum.

Iterum autem prædicti Reginus Archiepiscopus, & Magister domus Theutonicorum ad Papam redeunt, & alter eorum, scilicet Magister domus Theutonicorum Gajetam vadit, cum quo dictus Cardinalis redit ad Urbem. Tusculanus autem tunc vênit Pontemcurvum cum dicto Fratre Leonardo. Quique à Pontecurvo Ceperanum vadit, per quos transitum habens Reginus Archiepiscopus, ad Urbem profectus est, ubi pro compositione inter Papam, & Cæsarem facienda, Dux Austriæ, Dux Carinthiæ, & Dux Moraviæ venerant, simul cum Patriarcha Aquilejensi, & Salsburgensi Archiepiscopo.

Tunc Frater Leonardus in Rocca Draconis castellanum ponit Anneum de Rivo-Matrico.

Dictus Tusculanus revocatur ad Urbem, qui cum tribus aliis Cardinalibus, & cum Principibus Alemanniæ supradictis, pacis bonum inter Papam, & Cæsarem electi specialiter tractaverunt.

Quædam Apuliæ civitates, scilicet Civitas, Alarinum, Sanctus Severus, Casale-novum, & Fogia veniunt ad mandatum Imperatoris, quæ sibi antea rebelles extiterant; & redeunt ad mercedem suam.

Mense Aprili Duces prædicti cum Regino Archiepiscopo, ac Magistro domus Theutonicorum redeuntes à Papa cum tractatu, & forma concordiæ, in Apuliam ad Cæsarem vadunt, ubi cum eo apud Fogiam Pascha Domini celebrant.

Decimo die mensis ejusdem, Philippus de Citro Comestabilis Capuæ magister est operis Sancti Germani per Cæsarem institutus, & literas Imperiales ad homines terræ ipsius, & ad alios homines de terra Monasterii detulit, & mandatum quatenus super facto munitionis terræ Sancti Germani sibi intendere, & respondere deberent, in faciendis muris ubi opus esset turribus, & fossatis, exceptis hominibus Sancti Angeli Theodici, quod castrum muniri præcipit Imperator.

Gregorius Papa in die Sancto Jovis Rainaldum dictum Ducem Spoleti excommunicat, & Bertholdum fratrem ejus.

Stephanus de Anglone Terræ-Laboris Justitiarius, Imperatore mandante, utramque Insulam filiorum Petri, & Solaratam, Castelluccium, & Pastinam recipit, & custodiri facit ad opus Imperatoris, Broccum, & Pesclum Soldulum destrui, & comburi fecit, illorum cogens incolas ad loca alia demigrare, muros evertens Pastinæ, necnon turres ipsius, prædictam Insulam similiter, tamque ipsam Insulam, quàm castrum Pastinæ igne combussit.

Dux Austriæ, Limpuldus nomine, cum Patriarcha Aquilejensi, & aliis supradictis ab Imperatore de Apulia rediens, & ad Papam vadens cum eis ad Landulphum Casinensem Abbatem, & conventum ejusdem ex

ex parte Imperatoris literas detulit in hac forma:

Fridericus, &c. Venerabili Abbati Casinensi, & Conventui ejusdem, &c. Ecce quòd ad supplicationem dilecti Principis nostri Ducis Austriæ, & Stiriæ, ac venerabilis Magistri domus Alemannorum devoti nostri, recepimus vos de abundantia pietatis nostræ in gratiam Majestatis nostræ, omnem offensam, quam contra nostram Excellentiam pro præsenti discordia inter nos, & D. Papam habita à principio dissensionis usque in hodiernum diem decimum octavum Aprilis tertia Indictione visi estis commisisse, penitus relinquentes. Cæterùm ea, quæ vobis prædictus Dux, & Magister Theutonicorum retulerint ex parte Culminis nostri, indubitanter credatis. Datum Fogiæ, &c.

Eodem mense Aprilis in Græcorum Imperio factum est prœlium inter Græcos, in quo Commiano captus est, & utroque lumine orbatus.

Mense Madio Alemanniæ Principes à Papa ad Cæsarem redeunt, relicto Regino Archiepiscopo, cum quo Sabinensis Episcopus, & Thomas Sanctæ Sabinæ Cardinalis pro absolutione Imperatoris in Regnum veniunt, & præmittentes ad ipsum Imperatorem Magistrum domus Alemannorum, qui venisse Cardinales annunciat, ipsumque Imperatorem, ut veniat versùs Capuam, accelerare debeat, Cardinales ipsi cum Regni Prælatis, qui à facie Imperatoris fugerant, & in Regnum sub spe compositionis inter Ecclesiam, & ipsum redierant, cum eisdem elegerunt apud S. Germanum facere stationem.

Tunc Imperatoris jussu fossata, & muri Fogiæ, Casalis-novi, & Sancti Severi replentur, & sternuntur ad solum. Quod cùm ipsis Cardinalibus innotesceret, qui prævenire Imperatorem voluerant, versùs Capuam properantes, à Teano ad Sanctum Germanum reversi, Prælatos omnes, excepto Abbate Casinense, redire Ceperanum jusserunt, & ipsi se mox cum prædicto Casinense Abbate, qui eos est è vestigio secutus, Capuam contulerunt, ubi penultimo Madii ad eos veniens Imperator, cùm formam non acceptaret concordiæ, quia S. Agatham, & Gajetam retinere volebat Ecclesia, recedentes à Capua, Suessam se conferunt Cardinales, ubi cum Gajetanis loquentes, quos sub securo ducatu Abbatis Casemarii, Magistri Petri de Vinea, & Philippi de Citro Comestabilis Capuæ ad se venire fecerant, cùm ipsos ad Imperatoris vota flectere nequivissent, ad Sanctum Germanum reversi sunt, ubi cùm diu esset de concordiæ forma tractatum, nec posset, auctore faciente discordiæ, consummari, oportuit iterum Magistrum domus Theutonicorum ad Dominum Papam simul cum Regino de Lombardia Episcopo laborare, qui serió ad Imperatorem venerat pro pace inter ipsum, & Ecclesiam reformanda. Qui cùm sinè effectu redirent, consequenter ad Papam redeunt, & tunc cum eis quidam frater Gualo mittitur de ordine Prædicatorum formâ concordiæ acceptatâ, & ipse Papa Urbem exiens vênit apud Cryptam-Ferratam. Imperator verò de Capua jam venerat ad Sanctum Germanum, ubi dictus Fr. Gualo in hora serotina allocutus est ipsum, & ad verbum illius satisfacere Ecclesiæ annuit Imperator, propter quod in signum lætitiæ, in Sancto Germano sunt per omnes Ecclesias signa pulsata, & idem Fr.

A Gualo ad Papam, quem apud Anagniam reperit, sub festinantia remeavit. Igitur die Martis nono stante Julio in Festo Sancti Apollinaris, prædicti Sabinensis Episcopus, & S. Sabinæ Cardinalis in majori Ecclesia Sancti Germani, præsentibus Patriarcha Aquilejensi, Salsburgensi Archiepiscopo, Ratisponen. & Regino Episcopis, Carinthiæ, ac Moraviæ Ducibus, Principibus Alemanniæ, tunc enim Dux Austriæ graviter infirmabatur, astantibus quoque ibidem Regni Prælatis, Panormitano, Regino, ac Barensi Archiepiscopis, necnon Casinen. Casemarii, & Sancti Vincentii de Vulturno Abbatibus, & Prælatis aliis, qui causâ metus de Regno secesserunt, Raynaldo
B dicto Duce Spoleti, & Thoma de Aquino Acerrarum Comite, Henrico de Morro Magistro Justitiario, aliisque Regni Justitiariis, & Baronibus, ac plebeis, de satisfaciendo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro his, quibus excommunicatus fuerat, recipiunt ab Imperatore publicè juramentum. Tunc in anima sua, jurante pro eo Thoma de Aquino Acerrarum Comite, & Prælatis, ac Principibus Alemanniæ jurantibus cum eo subscripta capitula. Tunc Salsburgensis Archiepiscopus ad Imperatoris excusationem longo tenuit sermone diem, cui dictus Sanctæ Sabinæ Cardinalis luculenta non minùs oratione respondit.

C *Privilegium Principum Alemanniæ.*

In nomine Domini, amen. Nos Bertoldus Aquilejen. Patriarcha, & . . Archiepiscopus Salseburgen. . . . Episcopus Ratisponen. Limpuldus Austriæ, ac Stiriæ . . . Carinthiæ, & Otto Moraviæ Duces, Dei gratiâ Principes Imperii, per præsentes notum fieri volumus universis, quòd inter sacrosanctam Romanam Ecclesiam Matrem nostram & dominam, & serenissimum dominum nostrum Fridericum Imperatorem semper Augustum, Hierusalem, & Siciliæ Regem convénit, quòd de communi eorum voluntate tractabitur de via inD venienda, qualiter ad ipsum Dominum Imperatorem cum honore Ecclesiæ, Gajetana, & Sanctæ Agathæ civitates, & omnes cum bonis suis de Regno Siciliæ, quos in fide sua recepit Ecclesia, & in Ecclesiæ devotione perdurant, revertantur. Ad quem tractatum datus est annus, nisi antea via valeat inveniri, ad quam inveniendam dicta Mater Ecclesia curam, & solicitudinem adhibere promisit, nec ultra terminum, nisi de consensu partium prolongabitur, sed si, quod absit, infra ipsum terminum via inveniri non possit, & tunc per arbitros communiter eligendos procedetur in via, ut dictum est, eligenda, quorum sint duo ex parte Ecclesiæ, & duo ex parte Imperatoris. Qui si concordare non poterunt, quintum eligent, & dicto majoris partis stabitur.
E *Præstitit autem Dominus Imperator juramentum per Thomam de Aquino Acerrarum Comitem de mandato suo in anima sua jurantem, quòd interim prædictas terras, & homines non offendet, nec permittet offendi à suis, & viam, quæ invenietur per communem tractatum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ejusdem Domini Imperatoris, vel per Arbitros, ipse Dominus Imperator observabit.*

Notum quoque fecimus, quòd Dominus Imperator remittit omnem offensam Theutonicis, Lombardis, Thuscis, & hominibus Siciliæ generaliter, & Gallicis, qui contra eum Roma-

næ Ecclesiæ adhæserunt, ac dictum Acerrarum Comitem fecit jurare, quòd nullo unquam tempore prædictos offendet, nec permittet offendi pro eo, quòd contra eum, ortâ discordiâ, Romanæ Ecclesiæ assisterunt, sed pacem eis, ac Ecclesiæ observabit. Remittit etiam ipse Dominus Imperator sententias, constitutiones, & banna, si qua per eum, vel per alios lata, vel edita sunt occasione hujusmodi contra eos. Promittit etiam, quòd terras Ecclesiæ in Ducatu, & Marchia, seu alio patrimonio Ecclesiæ non invadet, nec devastabit per se, vel per alios, sicut in scriptis ab ipso Domino Imperatore factis super prædictis omnibus, & bullis aureis impressis, ac typariis S. Majestatis munitis plenariè continetur. Nos etiam nihilominus tactis Sacrosanctis Evangeliis juravimus procurare bona fide, quòd prædictus Dominus Imperator prædicta servabit, & contra ea non veniet. Quòd si fieret, nisi infra tres menses in Regnum, infra quatuor in Italiam, infra quinque extra Italiam duxerit emendandum, potenter, ac patenter ad requisitionem Ecclesiæ, assistemus ei contra eumdem Dominum Imperatorem, donec satisfecerit. Quòd si per Dominum Imperatorem steterit, quòd arbitros non elegerit, vel arbitros impediverit, ne procedant, nos Ecclesiæ tenebimur, ut est scriptum. Si autem Ecclesia Arbitros dare noluerit, vel datos impediverit, ne procedant, nos ex tunc, quantum ad hunc articulum non tenebimur juramento. Ad cujus rei memoriam præsens scriptum fieri fecimus, sigillis nostris communitum. Actum apud Sanctum Germanum Anno 1230. mense Jul. 23. die mensis ejusdem Indict. 3.

Igitur eodem die prædicti Cardinales vice Domini Papæ dederunt Domino Imperatori sub debito præstiti juramenti firmiter in mandatis, ut restituat quidquid occupatum est per ipsum, vel alios Ministros suos in Marchia, vel Ducatu, seu in alio patrimonio Eccl. & quidquid occupatum est per ipsum, vel Ministros, vel bajulos suos de castris, seu de possessionibus Monasteriorum, & specialiter Monast. Sancti Quirici de Introduco, Ecclesiarum, Templariorum, Hospitaliorum, Baronum, & aliorum Nobilium de Regno, vel undecunque, necnon & cæterorum, qui in hoc negotio contra se Romanæ Ecclesiæ adhæserunt, & quòd restituet Tarentinum Archiepiscopum, omnes Episcopos, & Prælatos, qui sunt exclusi, ad sedes, & loca sua, & ad omnia bona sua extantia. Item sub eodem juramento mandarunt, ut de cætero nullus Clericus in civili, vel in criminali causa conveniatur sub Judice seculari, nisi super feudis civiliter conveniatur, & quòd nullus talleas, vel collectas imponat Ecclesiis, Monasteriis, Clericis, & viris Ecclesiasticis, seu rebus eorum, & quòd electiones, postulationes, & confirmationes Ecclesiarum, ac Monasteriorum liberè fiant in Regno secundùm statuta Concilii generalis.

Die Mercurii octavo stante Jul. in Vigilia Sancti Jacobi rediens à Domino Papa ad Sanctum Germanum frater Gualo, de auctoritate Apostolica restitui jussit à Cardinalibus in Sancto Germano, ac tota terra Monasterii divina officia, quæ per Albanensem Episcopum fuerant interdicta, ubique etiam per Regnum mandatum est celebrari divina, illis exclusis, qui in Marchia fuerant cum Raynaldo Duce Spoleti.

Trajectum, ac Sugium cum Comitatu Fundano Comiti Rogerio de Aquila restituitur, Imperatore mandante.

Landulpho Casinensi Abbati Monasterium liberè restituitur, & Rocca Janulæ, quam, sicut in pactum venerat, custodiendam commisit Fratri Leonardo sæpefato de domo Theutonicorum, qui eam servandam commisit Raynerio Pelegrini de Sancto Helia, de quo tanquam de fideli Cæsaris confidebat, recepto ab eo juramento, ut fideliter illam custodiret, donec Imperator ipse sit ab excommunicationis vinculo absolutus.

Tunc Theanensis, Alifanus, Venafranus Episcopi, & Prælati alii de Regno exclusi, ad sedes proprias liberè revertuntur.

Imperator ultimo die mensis Julii de Sancto Germano exiens in hora vespertina, Aquinum se contulit.

Ea die pestis quædam, quæ Bruchus dicitur, totam terram Monasterii occupavit, quæ milia omnia, & quidquid viride rodendo devastavit.

Limbuldus Dux Austriæ, & Stiriæ die Dominico in festo Sanctorum Nazarii, & Celsi apud Sanctum Germanum naturali morte defecit, cujus ossa delata sunt more Theutonico in Theutoniam, & caro apud Casinum cum honorificentia tumulata.

Mense Augusto die primo Imperator ad Roccam Arcis se contulit. Qui tunc castrum Pontis-Curvi, & Pedemontis, & Castellum-novum restitui mandat Abbati Casinensi à Dominis Aquini, qui ea servabant ad opus suum.

Eodem mense literæ in Sancto Germano venerunt, quas quidam Magister Joannes de civitate Toleti omnibus per Orbem Christicolis vulgandas transmisit, quarum tenor talis est:

„ Anno à Nativitate Domini MCCXXIX. „ usque ad annos 7. mense Septembris Sole „ existente in Libra, & cauda Draconis, ibidem erit admirabilis res rerum mirabilium, „ & mutationis temporum significata. In „ mense illo fiet terræmotus mirabilis, ac destruet multa loca per Saturnum, & Martem manentes in signis aëris, ac erit infirmitas, & mortalitas valida, ostendet etiam „ eadem conjunctio ventura validum denigrantem aëra, & obscurum reddentem, „ & venenis infectum, & repletum, & in „ vento voces terribiles corda hominum obstruentes, & à regionibus arenosis sablonem „ sublevans, ac supra civitates sitas proximas „ plagam deducens, & cooperiens eas, ita „ etiam quòd eas suffocabit. Et primò destruet „ civitates Orientales, & nominatim Thetam „ Baldach, Capolim, Babyloniam, & omnes „ civitates arenosis locis sitas, vel proximas, „ ita quòd nulla earum evadet, quin arenis „ tota cooperiatur. Erit iterum eodem anno „ priusquam Planetæ conveniant in Libra, „ eclypsis Solis, quæ totum corpus illius obscurabit, & hac operatione præcedente Luna „ tota patietur eclypsim. Erit eclypsis Solis „ ignei coloris, & deformis, ostendens maximum futurum bellum cum effusione sanguinis prope fluvium in terra Orientis, & „ similiter in terra Occidentis, & erit dubietas, & ignorantia inter Saracenos, ita quòd „ penitus Synagogas, Maumerias, & Secreta „ eorum relinquent. Verumtamen notum sit „ omnibus, qui eclypsim Solis videbitis, cum „ omni-

„ omnibus vestris à terra exeatis, & ut hæc
„ firmiora, & certiora teneatis, antequam
„ eclypsis Solis, & Lunæ fiat, erit terræmo-
„ tus, mortalitas, fames valida, prœlia, &
„ carestia ferè per totum Orbem, & tunc qui-
„ dam maximus Imperator morietur. Et mense
„ Septembri post eclypsim Solis, & Lunæ,
„ mare ultra solitum crescet, ac omnes ferè
„ venti flabunt, ita quòd nulla navis in mari
„ evadet, arbores evellent, ædificia subver-
„ tent venti, & terræmotus. Unde si vultis
„ evadere, in planis circumdatis montibus fa-
„ cite coopertura trabium, & terram super-
„ ponite, quæ sint longè à plagiis, & monta-
„ nis locis, ac ubi non sint arbores prope,
„ quibus os cavernæ possit operiri, & in eis
„ introite cum familia vestra, & rebus neces-
„ sariis per 30. dies, & plus abundanter vobis,
„ & familiæ vestræ, & hæc ad redemptionem
„ animarum vestrarum ignorantibus denun-
„ ciate. In his enim nobiscum concordes sunt
„ omnes Astrologi, & Geomantici, scilicet
„ Hispaniæ, Æthiopiæ, & aliarum provin-
„ ciarum diversarum gentium, Christianorum,
„ Saracenorum, & Hebræorum, & omnes
„ Philosophi hoc affirmant. Et hoc unum in
„ veritate scimus, quòd Rex Mathemelinus
„ turrem facit cum fabrica eminentiorem
„ omnibus fabricis, & grossiorem, & amplio-
„ rem, ad instar maximi montis, ita quòd
„ omnes sui habent expensas in ipsa fabrica.
„ Et idem audimus de Rege Siclo, quæ peri-
„ culosa videntur, &c.

Sabinensis Episcopus, & Cardinalis Sanctæ Sabinæ die Lunæ quinto intrantis Augusti recedentes de Sancto Germano, Cæperanum se conferunt, ad quos vadit ipse Imperator, & exteriùs castrametatus est, præcepitque militibus suis ostentationem facere in equis, & armis.

Ipso mense Augusto in festo Beati Bartholomæi Apostoli fulgur de cœlo veniens, campanile Casinense percussit, & totam ejus summitatem projecit in terram, salvis tamen campanis, quæ erant in ea. Interea laborantibus hinc inde Nunciis ex parte Papæ, & Imperatoris, Magistro domus Theutonicorum, Principibus Alemanniæ supradictis, pax est inter ipsum Papam, & Cæsarem reformata, & quædam Arces Regni traditæ sunt servandæ Magistro domus Theutonicorum usque ad certum tempus pro majori Ecclesiæ firmitate, & tunc Imperator ipse in castris ante Ceperanum in capella Sanctæ Justæ die Mercurii in festo Beati Augustini per Sabinensem est Episcopum ab excommunicationis vinculo absolutus. Similiter & omnes sui, ac ultimo mensis Augusti vadit Anagniam locuturus cum Papa. Interea suas per totum Regnum generaliter literas pro libertatibus Monasteriorum Ecclesiarum, personarum Ecclesiasticarum, & rerum illarum dirigit in hac forma.

Fridericus, &c. Comitibus, Baronibus, Justitiariis, Camerariis, & Bajulis in Regno Siciliæ constitutis, &c. fidelitati vestræ per præsentium scripta mandantes præcipimus firmiter, ut nullus vestrùm Monasteriis, Ecclesiis, personis Ecclesiasticis, aut rebus eorum talleas, vel collectas præsumat imponere, salvis illis servitiis, ad quæ certæ Ecclesiæ, vel personæ tenentur nobis, specialiter obligatæ. Datum in castris ante Cæperanum 24. mensis Augusti Indictione 3.

A Mittit etiam suos Nuncios, & literas ad omnes civitates, & castra de Marchia, quæ sibi fidelitatem fecerant sub comminatione diffidationis, ut ad fidem redeant Romanæ Ecclesiæ, & mandatum ejusdem.

Mense Septemb. 1. die mens. ejusd. qui fuit dies Dominicus, Cæsar invitatus à Papa, cùm esset in castris in pede Anagniæ magnificè comitatus à Cardinalib. & Nobilioribus civitatis intravit Anagniam, & eo die cum Papa sedit in mensa, & solus cum solo, Magistro tamen Theutonicorum præsente, in Papali Camera consilio longo se tenuere diu, ac die Lunæ sequenti cum gratia Papæ, & Cardinalium ad castra reversus est. Tunc Joanni
B de Poli concessit Comitatum de Albe propter civitatem Fundanam, quam abstulit ei, & reddidit eam Rogerio de Aquila cum toto Fundano Comitatu. Tunc etiam Abbas Sancti Vincentii, & Prælati, qui Imperatori adhærentes excommunicati fuerant, ad preces Imperatoris à Papa absoluti sunt. Imperator à Papa discedens die Mercurii, applicuit die Jovis apud Sanctum Germanum, indeque discedens post prandium sub celeritate se Capuam contulit, exinde versùs Melphiam profecturus. Rex Thessalonicensis obiit Melphiæ, & Prælati, & Principes Alemanniæ in sua recedunt.

C Beluacen. Episcopus, qui de Gallia venerat in auxilium Ecclesiæ, per Papam Dux Spoleti efficitur.

Raynaldus Dux Spoleti vadit Introducum ubi aliquamdiu moram faciens, in Apuliam ad Imperatorem redit.

Mense Novembri Gregorius Papa revocatus à Senatore, redit ad Urbem. Eodem mense Magister Guillielmus de Sancto Germano Domini Papæ Capellanus canonicè electus in Archipresbyterum S. Germani assumptus est.

In Apulia Imperatoris jussu capiuntur Matthæus Marchafab. Magister Camerarius, Judex Philippus de Magdalone, Judex Guillelmus de Salerno, Notarius Adam, & Notarius Joannes.

D Tunc pro correctione, & honestate vitæ Clericorum generales idem Papa per totum Regnum ad Metropolitas, & eorum Suffraganeos literas dirigit in hac forma:

Gregorius, &c. Venerabilibus in Christo fratribus Archiepiscopis, & Episcopis per Regnum Siciliæ constitutis, &c. Si cavendum est vobis, ne sanguis subditorum de vestris manibus requiratur, Clericorum culpas, quæ periculosæ sunt, propter officii dignitatem, non debetis relinquere incorrectas. Horum enim quanto est gradus altior, tanto gravior casus existit, & excessus ipsorum vehementer in exemplum extenditur, dum in excusationem illorum dicitur: Sufficit discipulo si sit sicut magister
E *ejus, sicque per eos facientes delinquere populum, nomen Domini blasphematur, cùm non soleant facere, qui sequuntur, nisi quod eos qui præcedunt, viderint facientes. Licèt autem corrigendi sint omnes Clericorum excessus, & mores eorum, & actus in melius reformandi, specialiùs est tamen in eis incontinentiæ vitium exprobrandum, cùm non deceat per immundos sancta tractari, & fœdatos libidine mensæ Domini ministrare. Unde Abimelech Sacerdos David legitur respondisse, se ad manus panes laicos non habere, sed solummodo panem sanctum, quem mundis pueris, maximè*

à mu-

à mulieribus, obtulit manducandum. Ut igitur judicium de domo Domini prodeat, præsentium vobis auctoritate mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, quatenus usque ad tres menses Clericorum vestrorum, tam incontinentiæ vitium, quàm excessus alios corrigentes, præsertim super cohabitatione mulierum, eis diligenter, & sollicitè corrigere studeatis, taliter circa vos ipsos invigilare curantes, quòd commendatione magìs, quàm correctione dignum in vobis valeat inveniri, alioquin si qui vestrum, quod non credimus, præcepti nostri fuerint contemptores, ex tunc infra mensem responsuri nobis de contemptu personaliter ad Sedem Apost. accedere non postponant, attentiùs præcaventes, ne in commisso nobis negotio, quæ sunt nostra, non quæ Jesu Christi, quæratis, si proprium vultis periculum evitare. Cæterùm vos Archiepiscopi contra Prælatos vestræ provinciæ, & alios, qui sunt infecti vitio simoniæ, cùm tales Dominus facto flagello de resticulis de Templo ejecisse legatur, ac eos, qui Ultramontanos sinè commendatitiis literis Episcoporum suorum ausi sunt ad ordines promovere, aut eos, qui dicuntur incontinentiæ vitio laborare, inquiratis sollicitè veritatem, & quod inveneritis, nobis infra prædictum tempus rescribere procuretis, ut per vestram relationem instructi, procedamus, prout viderimus expedire. Datum Anagniæ V. Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno IV.

Mense Decembri Imperator apud Precinam Natale Domini celebrat.

MCCXXXI. mense Januario, suas Imperator literas mittit ad Stephanum de Anglone Terræ-Laboris Justitiarium, ut diligenter inquirat de promissis Imperiali Curiæ factis, & si qua post transfretationem suam facta sunt concessionum privilegia per Raynaldum Ducem Spoleti, sive suo, sive ipsius Ducis sigillo signata, aliquibus personis ea Imperiali Curiæ usque ad festum Purificationis B. Virginis præcipiat præsentari, alioquin ex tunc in antea nullam habeant firmitatem. Præcipiat etiam omnibus Ravellensibus, ut uxores, & familias suas usque ad festum Pentecostes remittant Ravellam sub pœna personarum & rerum. Inhibeat etiam omnibus illis, quibus licentia data fuit ædificandi occasione ortæ discordiæ inter Imperium, & Ecclesiam, sub pœna prædicta, ne in terris, aut castris suis ædificare præsumant. Item mandat generaliter universis, qui de feudis servire tenentur, tam Prælatis, quàm cæteris aliis, ut unà decem feuda conferant, de quibus Comes, vel Baro, qui decem feudis præerit, & pluribus melior, necnon ditior, qui inter participes, & possessores invenietur, eligi debeat, & taxari, & præparari se debeant in duobus equis, somario uno, & armis, ac cæteris proportionaliter, & habeat pro Corredo unius anni unc. L. præfixo termino proximi passagii mens. Martii in portu Brundusii præsentandus, ut abinde secundùm suam dispositionem debeat transfretare. Item ad inquirendum si qui fuerint à talleis, & collectis exempti, sinè potentia, prece, pretio, amore, vel timore cujusque. Mittit Judicem Rogerium de Asculo, & L. comestabilem Corneti, ut universis, & singulis prædictorum collectam imponant.

Mense Februario Imperator versùs Tarentum properat, ubi disponit Curiam regere generalem.

Eodem mense nonnulli Paterenorum in Urbe inventi sunt, quorum alii sunt igne cremati, cùm inconvertibiles essent, alii, donec pœniteant, sunt ad Casinensem Ecclesiam, & apud Cavas directi.

Imperator pro capiendis Paterenis apud Neapolim mittit Reginum Archiepiscopum, & Ricchardum de Principatu Marescalcum suum, de quibus aliqui sunt inventi, & vinculis mancipati.

Collecta ubique per Regnum jussu Imperiali à Judicibus, & tabellionibus demanii exigitur.

Rex quondam Hierosolymitanus de Francia rediens, & de partibus ultramontanis venit Perusium, ubi venturum expectat Dominum Papam, cum quo loqui desiderat, quia non vult se conferre ad Urbem.

Mens. Aprilis Magister domus Alemannorum de Alemannia ad Imperatorem redit.

Eodem mense Romanorum exercitus super Viterbium vadit.

In civitate Constantinopolitana terræmotus magni fuere, per quos Ecclesiarum, & domorum vastitas magna fuit.

In Apuliæ finibus, & aliis Regni partibus ad destruendam pestem Brucorum innumeram, generale à Cæsare edictum exiit, ut singuli de singulis terris, in quibus invaluerat pestis illa, summo mane ante Solis ortum deberent capere quatuor tumulos de Brucis ipsis, & assignare quatuor juratis de terra qualibet ad comburendum sub pœna unius unc. auri unicuique, si ad hoc negligens fuerit, vel remissus, ac hoc singulis terris præcipi mandavit sub pœna 100. unc. auri ad opus Fisci Imperialis.

Mense Maji dictus Rainaldus Dux Spoleti, cùm non posset Imperatori sufficientem ponere rationem, aut fidejussoriam cautionem præstare, apud Fogiam jussu Imperatoris captus est, & custodiæ traditus, ac bonorum omnium amissione mulctatus; quare Bertholdus frater ipsius Ducis contra Imperatorem in Introduco se recepit.

Eodem mense Romanorum exercitus super Viterbium vadit, ab his de monte Flascone juratoria cautione recepta, ne subsidium aliquod illis de Viterbio conferre deberent.

Reginus Archiepiscopus ab Imperatore Nuncius ad Papam vadit, & veniens ad S. Germanum, inquisitionem facit fieri de infamibus, & suspectis.

Mense Junii primo die circa Meridiem, qui erat dies Dominicus, terræmotus factus est subitò in S. Germano, & per vicina loca, qui die ipso nonnulla Ecclesiarum Campanilia, ipsas etiam Ecclesias, firmas turres, & domos plurimas in civitatibus, & castellis evertit, qui quod dictu, & auditu mirabile est, terræ fundamentis concussis limpidos aquarum fontes de Sancto Germano, in fæcis færulentæ colorem mutavit, & talis color aquarum per duas fermè horas duravit, saxa dirupit, propter quod homines timentes vivos à terra sorberi in multa contritione, & luctu pœnitentiam agentes suas Domino præ timore mortis animas commendabant. Terræmotus iste intonuit die illo, & hora prædicta, à Capua usque Romam, & terra mota est. Et tunc de Collisco concussus lapis ingens eversus est, & quia duravit ultra mensem terræmotus hujusmodi, interdum plus, interdum minùs, attoniti homi-

homines, dimissis laribus, & locis propriis, ne domorum illos ruina contereret, ad agros exibant. Tunc jussu Landulfi Casinensis Abbatis, fit ad Casinense Monasterium de singulis terris suis processio generalis, discalciatis pedibus in fletu, & planctu.

Ea die, qua terræmotus ipse fuit, Gregorius Papa Urbem exiens, vadit Reate, ad quem Barensis Archiepiscopus, & Magister domus Alemannorum ex parte Imperatoris vadunt, & Mutinensis Episcopus à Papa ad Imperatorem nuncius destinatur.

Rex quondam Hierosolymitanus apud Reate ad Papam vadit, de cujus assensu, ut cum filio Imperatoris Constantinopolitani de filia sua contrahat, & ipse sit Curator Imperii, donec in minori constitutus ætate perveniat ad legitimam, Mare apud Venetias intrans vadit collecto exercitu Constantinopolim.

Tunc Imperator, domorum Hospitalis, & Templi possessiones, quæ in Regno sunt, & earum fructus jubet capi ad opus suum.

Richardus de Principatu Marescalcus Domini Imperatoris, ipso Imperatore mandante, ut in Syriam transfretet, quos vult de Regno sibi ascivit in socios.

Constitutiones novæ, quæ Augustales dicuntur, apud Melfiam, Augusto mandante, conduntur. Mense Junio inquisitiones fiunt in Sancto Germano, & per totam terram Sancti Benedicti per Robertum de Basso jussu Magistri Justitiarii Campangiis, falsariis, aleatoribus, tabernariis, homicidis, vitam sumtuosam ducentibus, prohibita arma portantibus, & de violentiis mulierum.

Exercitus Imperialis Introducum, in quo Bertholdus se contra Imperatorem receperat, obsidet & devastat.

Gregorius Papa requisitiones solidorum à militibus, & servientibus Campaniæ fieri mandat, qui eos in fraudem retinuerunt tempore ortæ discordiæ inter Ecclesiam, & Imperium.

Beluacensis Episcopus, cui Ducatus Spoleti ab Ecclesia est commissus, congregato exercitu, super Spoletum vadit, illam in exterioribus devastat, nec per hoc Spoletanos ad suam habere potuit voluntatem, & sic inde discedens supra Mirandam vadit, ubi monetæ, & Bullæ Papalis esse falsarii dicebantur.

Exercitus Imperialis ab Introduco discedit.

Reatini jussu Papæ super Mirandam vadunt.

Mense Augusto de mandato Imperiali per totum Regnum seta cruda emi prohibentur, similiter sal, ferrum, & æs emi non nisi à Doana Imperiali mandantur.

Serra super Cælanum firmata jussu Imperiali diruitur.

Eodem mense Magister domus Alemannorum in Lombardiam vadit.

Constitutiones Imperiales Melfiæ publicantur.

Mense Septembri apud Sanctum Germanum, sicut per totum Regnum pondera, & mensuræ mutantur, ponuntur Rotuli, & Turnini. Tinctorias omnes de Regno ad opus fisci Imperialis recipi præcepit Imperator, & super hoc suas mittit literas generales, quas cùm Judæi pro Judeca Sancti Germani recipiendo detulerint, ipsam Reginus Archiepiscopus capi prohibuit, mandans ipsis Judæis, ut ipsam in pacem dimittant Monasterio Casinensi.

Mense Octobri Marinus Caracciolus miles Neapolitanus, cum filio Annei de Rivo-Matricio venientes ad Sanctum Germanum cum literis Imperialibus, & mandato pro reparatione castrorum Imperialium, requirebant Casinensem Abbatem ex parte Cæsaris, ut homines terræ Monasterii mittere deberet ad muniendum Atinum, castrum Cœlii, Roccam Bantræ, & Roccam Guillelmi.

Mense Novembri Romani, comperto quòd Imperator in eorum odium Viterbium receperat, & ad ipsius civitatis auxilium miserat quemdam Rainaldum de Aquaviva Capitaneum, & de gente sua cum eo pro tuenda Republica, magnam pecuniæ quantitatem Ecclesiis Urbis in odium Papæ imponunt.

Mense Decembri Imperator apud Ravennam Natale Domini magnificè celebrat, & eo die licentiam dedit omnibus de Regno, qui secum iverant, in propria revertendi.

Nummi aurei, qui Augustales vocantur, de mandato Imperatoris in utraque Sicilia Brundusii, & Messanæ cuduntur.

MCCXXII. Mense Januario. Prænestinus Episcopus, & Dominus Oddo Cardinalis ex parte Papæ Legati ad Imperatorem vadunt, & eo mense Thomas de Aquino, qui cum Imperatore iverat, ipso Imperatore mandante, redit in Regnum, Regni Capitaneus institutus, qui ad Sanctum Germanum veniens, Taffurum quemdam civem Capuæ in Rocca Janulæ, quam usque tunc Richardus de Guerra per fratrem Leonardum de domo Theutonicorum servaverat, & posuit Castellanum.

Henricus de Morro Magister Justitiarius ad S. Germanum veniens inquisitiones ibidem factas jussu Imperiali per Robertum de Busso Baronem de Comitatu Molisii, aperiri jussit, & publicari, unicuique infamatorum exhibens libellum suæ infamiæ, & nomina infamantium illos, quod causa fuit magnæ discordiæ inter ipsos, & odii magni fomitem ministravit. Tunc de mandato ipsius Acerrarum Comitis, sex electi sunt in Sancto Germano, qui juraverunt dare Philippo de Citro Comestabili Capuæ fidele consilium, & auxilium, qualiter munitio terræ Sancti Germani celeriter compleatur. Qui habito consilio, providerunt munitionem ipsam per homines Sancti Germani, & alterius terræ Monasterii in partes debere distribui, sicque factum est, & pars operis quibuslibet assignata.

Tunc etiam mandato dicti Comitis, & Magistri Justitiarii, Bajuli Imperiales, qui Cavarretti vocantur, per D. Hectorem de Monte-Fusculo tunc Terræ-Laboris Justitiarium, de Sancto Germano, & tota terra Monasterii amoventur.

Mense Februario in Sancto Germano Constitutiones Imperiales, quæ Augustales vocantur, publicatæ sunt, quarum initium est: *De Mercatoribus, Artificibus, Medicis, Aleatoribus, Damnis, Militibus, Notariis.*

Post Mundi machinam providentiâ Divinâ firmatam, &c.

Harum aliquot Richardus auctor Historiæ ponit, sed nos remittimus lectorem ad Librum Constitutionum Regni Siciliæ.

Mense Martio Imperator per Ravennam. Aquilegiam vadit per mare, ubi filium suum Henricum Alemanniæ Regem venturum expectat.

Mu-

Munitio terræ Sancti Germani, ut citiùs fiat per Philippum de Citro cum consilio juratorum terræ ejusdem, per homines terræ Monasterii distribuitur.

Inquisitiones ab Archiepiscopis fiunt de Suffraganeis Episcopis, Papa mandante, & ab Episcopis de Clericis suis, si castè vivunt, & continenter, & ut cessent prorsus cohabitatione mulierum.

Domus quædam in Coraria, & valle redimuntur, ut non diruantur, prout statuerat Imperator, & datæ sunt Philippo de Citro unc. auri 200. de quibus partem misit pro solidis obsidentium Introducum, & partem reliquam Curiæ Imperiali persolvit.

Soldanus Damasci pretiosa mittit xenia Imperatori per quosdam Nuncios suos in Apuliam venientes.

Mense Aprili Thomas Acerrarum Comes, apud Sanctum Vitum de Melfa Baronum, & militum exercitum congregat, quos Introducum mittit contra Bertholdum fratrem Raynaldi Ducis Spoleti, qui se in eo contra Imperatorem receperat.

Romani supra Viterbium vadunt.

Gregorius Papa de Reate apud Interamnem vadit, & inde vadit Spoletum, qui generales ad Regni Prælatos literas dirigit, ne quis eorum officialibus Imperatoris, occasione defendendi Patrimonium Ecclesiæ, ipsos gravare volentibus, respondeant, & intendant.

Landus Reginus Archiepiscopus in Messanensem eligitur.

Joannes de Baruch civitatem Aconitanam recipit in odium Imperatoris. Mense Madii Romani de Viterbio ad Urbem redeunt.

Imperator ab Aquilegia per mare redit in Apuliam, seque apud Melfiam contulit, ad quem mox Magister justitiarius, & dictus Acerrarum Comes accedunt. Ad Papam Nuncius, ex parte Imperatoris Magister Petrus de S. Germano dirigitur.

Eodem mense Joannes Baruch cum Marescalco Imperatoris congrediens in partibus Syriæ, ipsum devicit in campo, & multos cepit ex suis.

Apud Spoletum Gregorius Papa quemdam Fratrem Antonium de Ordine Fratrum Minorum canonizavit, & Sanctorum Catalogo mandavit adscribi.

Mense Junii quidam Thomas de Pando civis Scalen. novam monetam auri, quæ Augustalis dicitur, ad Sanctum Germanum detulit distribuendam per totam Abbatiam, & per Sanctum Germanum, ut ipsa moneta utantur homines in emptionibus, & venditionibus suis juxta valorem ei ab Imperiali providentia constitutum, ut quilibet nummus aureus recipiatur, & expendatur pro quarta unc. sub pœna personarum, & rerum: in Imperialibus literis, quas idem Thomas detulit, annotata Figura Augustalis erat, habens ab uno latere caput hominis cum media facie, & ab alio Aquilam.

Viterbienses castrum quoddam, quod Vetorchanum dicitur, quod Romani tenebant, proditoriè occupant, & evertunt, quibusdam, qui evaserant de castro ipso, conferentibus se ad Urbem, aliis Viterbium secedentibus.

Mense Julio Gregorius Papa redit Reate. Romani in odium Papæ veniunt usque ad Montem-Fortinum, intrare Campaniam disponentes, ad quos tres ex parte Papæ venientes Cardinales, facta cum eis compositione per interventum pecuniæ, Romam reversi sunt.

Rogerius de Aquila Fund. Comes obiit, qui habitum suscipiens Monachalem, apud Fossam novam sepeliri elegit. Terram ipsius, videlicet, Fundos, Trajectum, & Sugium, recipi ad opus suum præcipit Imperator per Hectorem de Monte Fusculo justitiario, & per Philippum de Citro. Giffridus filius Comitis ipsius ad Papam se contulit, turre Itri se tenente pro ipso, quæ tandem studio Philippi de Citro ad opus Imperatoris recepta est. Imperator pro succursu civitatis Aconitanæ, quam Joannes de Baruch occupatam tenebat, parte civitatis se pro Imperatore tenente, exercitum congregat militum, & Baronum.

Mense Augusto Gregorius Papa in Campaniam redit, & apud Anagniam festum celebrat Assumtionis B. Virginis.

Imperator congregatum Brundusii exercitum revocat, & ipso mandante quilibet sunt in sua reversi.

In Sicilia apud Messanam contra Imperatorem seditio orta est, occasione Richardi de Montenigro pro Imperatore justitiarii in Sicilia constituti, quem cives contra eorum facere libertatem.

Decretales corriguntur à Gregorio Papa, resecando superflua, & utilia retinendo.

Bartholomæus de Sancto Germano Domini Papæ Capellanus, Papa mandante, Gajetam vadit pro compositione inter Imperatorem, & Gajetanos facienda, ut redeant ad fidelitatem ipsius, quod cùm facere non posset, apud Sanctum Erasmum secessit, & ibi usque ad mandatum Domini Papæ elegit facere stationem.

Mense Septembri Imperator à Melfia venit Fogiam, & generales per totum Regnum literas dirigit, ut de qualibet civitate, vel castro duo de melioribus accedant ad ipsum pro utilitate Regni, & commodo generali, ad quem de terra Sancti Germani ivit Roffridus de Monte Miles.

Fodrum de Regno jussu Imperatoris apud Anagniam mittitur ad Dominum Papam.

Mense Octobri in Sancto Germano hujusmodi sunt Imperiales Ascisiæ publicatæ.

Cives in terris eorum pro mercibus suis, quas intromittent, vel extrahent, nihil solvent, nisi quod olim solvebant, de pomis, castaneis, nucibus, avellanis, & aliis fructibus in jure Curiæ servabitur forma antiqua. Jus coriorum pro conzatura dimittitur in forma antiqua. Factum canapis omnino remittitur: vendentibus vinum, sive ad minutum, sive ad grossum, nihil requiritur, sed in eis servabitur forma antiqua. Statera erit in Fundicis, & nihil recipietur pro ea, nec amplius pro cantaro quàm Gr. 5. Pro herbatico animalium, venditione equorum, & aliorum animalium similiter servabitur forma antiqua. A piscatoribus nihil requiritur, nisi secundùm formam antiquam. Pro jure mensurarum victualii tam in Sauma, quàm in Turninis servabitur forma antiqua, de jure casatici remissa sunt Gr. 3. pro unc. ita quòd Mercatoribus, qui erunt pro eis, providebitur à Custodibus Fundaci in lectis, luminaribus, palea, & lignis: de jure Bucceriorum pro bove, vel vacca remittuntur Gr. 3. pro porco Gr. 3. pro ariete Gr. 2. pro agno Gr. 2. de Tunninis, & Sardellis servabitur forma, de jure lini idem, de

de jure Cannarum idem, de lana Syriæ idem, de bambace, & de arcu cuctonis idem.

Eodem mense Ægidius Verraclus Domini Papæ Subdiaconus, & Capellanus pro facto Gajetæ ad Imperatorem in Apuliam Nuncius vadit.

Mense Novembris de Communibus Lombardiæ pro compositione cum Imperatore facienda, Legati apud Anagniam veniunt ad Dominum Papam.

Mense Decembri pro facto Lombardorum, Henricus de Morro Magister Justitiarius ab Imperatore ad Papam nuncius mittitur, cum quo vadunt Magister Petrus de Vinea, Magister Petrus de Sancto Germano, & Magister Benedictus de Sernia, ut cum Magistro Justitiario coram Papa pro parte Imperatoris jus ipsius ostenderent.

MCCXXXIII. mense Januario Henricus de Morro Magister Justitiarius à Papa ad Imperatorem in Apuliam redit, quem subsecuti sunt Landus Messanensis Archiepiscopus cum Regino Episcopo nuncii à Papa directi ad Imperatorem. Imperator omnibus generaliter Prælatis, Comitibus, Baronibus, militibus tam feudatis, quàm non feudatis mandat, ut ad se cum toto servitio, quod facere tenentur apud Politorum, in futuris Kalendis Februarii accedere sint parati. Tunc jussu Imperatoris Lucerium civitas Saracenorum firmatur, Trojæ mœnia diruuntur.

Imperator mense Februarii de Apulia in Calabriam se confert.

Magister Joannes de Sancto Germano, Guillelmo ejusdem Ecclesiæ Archipresbytero sponte cedente, in Archipresbyterum Sancti Germani assumitur.

Castella in Trano, Baro, Neapoli, & Brundusio jussu Imperatoris firmantur.

Mense Martii Senator cum nonnullis de majoribus Urbis ad Papam apud Anagniam vadit, quorum inductus precibus, cum quibusdam ex Cardinalibus ad Urbem redit, ubi cum honore maximo Romanorum receptus est, & pars reliqua Cardinalium apud Anagniam remansit.

Magister Thomas Cardinalis de mandato Papæ cum . . . apud Viterbium vadit pro compositione inter Romanos, & Viterbienses facienda.

25. Aprilis in festo B. Marci Evangelistæ, die Lunæ circa Meridiem aëris serenitate mutata, quæ multa erat, tanta subitò tempestas inhorruit, & inundatio facta est pluviarum de supernis veniens montibus admixta grandinibus, ad S. Germanum, quòd domos nonnullas in valle replevit alluvio, domorum utensilia, oleum, & victualia multa secum fluendo deduxit. Saxa etiam de montibus tam grandia movit, quòd ea trahere multa boum paria non valerent.

Rainaldus dictus Dux Spoleti mandato Imperatoris ducitur apud Introducum sub custodia ab Henrico de Morro Magistro Justitiario, ut idem Dux castrum ipsum reddi faciat Imperatori à Bertoldo fratre suo, qui illud tenebat, quod facere idem Bertoldus ad interventum Messanensis Archiepiscopi repromisit.

Pax inter Romanos, & Viterbienses reformata est.

Imperator Messanam intrat, & de quodam Martino Mallone, qui caput fuerat motæ seditionis in Populo, & ejus complicibus, sumsit debitam ultionem, de quibus quosdam suspendio, & quosdam incendio condemnavit.

Mense Maji pro servitio militum 60. & servientibus ducentis, in quibus ab Abbate Casinen. sibi serviri debere Imperator debebat, collectæ sunt de terra Monasterii unc. 400.

Florentinates super Senas vadunt, post prohibitionem Papæ, propter quod eorum civitas sub interdicto posita est, & ipsi excommunicationis sunt vinculo innodati.

Mense Junio de quodam Sancto Virgilio miracula multa in scriptis redacta, de Alemannia missa sunt ad D. Papam.

Eodem mense quidam Fr. I. vili contectus tegmine, tamquam de Ordine Fratrum Minorum, ad S. Germanum veniens, cum cornu quodam convocabat populum, & alta voce cantabat tertiò *Alleluja*, & omnes respondebant: *Alleluja*; & ipse consequenter dicebat: *Benedictu, laudatu, & glorificatu lu Patre. Benedictu, laudatu, & glorificatu lu Fillu. Benedictu, laudatu, & glorificatu lu Spiritu Sanctu, Alleluja. Gloriosa Domina*. Hoc idem alta voce respondentibus pueris, qui erant præsentes.

Imperator castrum quoddam in Sicilia, quod Ceturbium dicitur, sibi rebelle, vi cepit, & destruxit, & incolas ad loca compulit alia demigrare.

Mense Julio Bertoldus Introducum Magistro Justitiario resignavit, & ipse cum Duce fratre suo assecuratus abiit extra Regnum, quò voluit.

Civitas Gajetæ ad mandatum redit Imperatoris, & juramentum fidelitatis sibi præstat, & Conrado filio ejus. Ad quam Hector de Monte-Fusculo Justitiarius Terræ-Laboris accedens, jussu Imperatoris Doanam instituit in ea, & Consulatu privavit eamdem.

Imperator de Sicilia suas ad eumdem Justitiarium, & alios Justitiarios Regni literas dirigit super molestiis, & injuriis Prælatorum, ut ipsi statuto die, & loco Prælatos ad se convocent regionum, & audiant eorum clamores, & qui justè poterunt expedire, expediant, reliqua verò per suos Nuncios sibi significent fideliter, & distinctè, ut de ipsorum correctionibus providè ipse disponat. Item alias ad Casertanum Episcopum literas mittit, pro inquisitione facienda hæreticæ pravitatis, ut tam Paterenos, quàm eorum fautores, quos invenerit hujus criminis reos, sub suo, & Justitiarii Terræ-Laboris testimonio sibi debeat intimare.

Gregorius Papa Urbem exiens, vênit Anagniam.

Mense Augusto ad mandatum Hectoris de Monte-Fusculo Justitiarii Terræ-Laboris apud Theanum Prælati isti conveniunt in die ab eodem Justitiario constituto, scilicet Casertanus, Calvensis, Calinen. Venafranus, Alifanus, & Nolanus, sed nullus eorum se molestiam, vel injuriam passum fuisse ab aliquo officialium conquestus est.

Eodem mense mandatum de diruendo burgo Capuæ ad Magistrum Justitiarium à Cæsare emanavit.

Hector de Monte-Fusculo per Imperatorem à Justitiariatu amovetur, & Stephanus de Anglone substituitur illi.

Judex Petrus de Telesia inquisitionem facit in Abbatia de hominibus demanii Imperialis, quorum parentes, & avi de terris demanii ori-

originem duxerant, & eorum nomina redegit in scriptis, ut de illis, quod sibi beneplacitum fuerit, faciat Imperator.

Mense Septembri Thomas de Aquino Acerrarum Comes mandato Imperatoris in Lombardiam vadit ad civitatem Cremonæ, quæ favet Imperatori.

Mense Octobri Cardinales, qui se Reate contulerant, revocati à Papa ad Urbem redeunt.

Mense Novembri Greg. Papa de Anagnia redit ad Urbem.

Imperator diem natalis sui per totum Regnum suum mandat in festo B. Protom. Stephani magnificè celebrandum, qui mense Decembri fuit ab hominibus Sancti Germani ad ipsius Imperatoris honorem magnificè celebratus, ita quòd pauperes ultra quingentos manducaverunt, & saturati sunt nimis, pane, vino, & carnibus in platea publica.

Imperator apud Syracusam statuit in Curia generali, ut nulli omnino liceat de filiis, & filiabus Regni matrimonia cum externis, & adventitiis, vel qui non sint de Regno, absque ipsius speciali requisitione, mandato, seu consensu Curiæ suæ contrahere, videlicet, ut nec aliquæ de Regno nubere alienigenis audeant, nec aliqui alienigenarum filias ducere in uxores, pœnâ appositâ omnium rerum suarum.

MCCXXXIII. mense Januario, apud Messanam ipse Imperator regens Curiam generalem, statuit in septem Regni partibus per annum generales nundinas celebrandas, mandans, ut in singulis provinciis, in quibus erunt nundinæ constitutæ, quamdiu nundinæ ipsæ duraverint, nullus mercator, vel ministerialis alibi cum mercibus, & rebus venalibus, quàm in loco nundinarum inveniri præsumat. Primæ nundinæ erunt apud Sulmonam, & durabunt à festo Sancti Georgii usque ad festum Inventionis S. Archangeli. Secundæ erunt Capuæ, & durabunt à 22. Madii, usque ad octavam Junii. Tertiæ erunt Lucerii, & durabunt à festo B. Joannis Papæ, usque ad octo dies. Quartæ erunt apud Barum, & durabunt à festo B. Mariæ Magdalenæ, usque ad festum Sancti Laurentii. Quintæ erunt Tarenti, & durabunt à festo Sancti Bartholomæi, usque ad festum Nativitatis Beatæ Virginis. Sextæ erunt Cusentiæ, & durabunt à festo Beati Matthæi usque ad festum B. Dionysii. Septimæ erunt Regii, & durabunt à festo Sancti Lucæ usque ad festum omnium Sanctorum in Kalend. Novembris. Statuit etiam ipse Imperator apud Messanam bis in anno in certis Regni provinciis generales Curias celebrandas, in quibus licebit quibuslibet contra Magistrum Justitiarium, Justitiarios, & quamcumque aliam personam, suam querimoniam instituere, ut omnes suam justitiam assequantur, & ibi erit pro parte Imperatoris Nuncius specialis, qui omnium querelas in scriptis rediget, & eas Imperiali Curiæ præsentabit sub suo, & quatuor bonorum virorum Ecclesiasticorum sigillis signatas. Clamores tamen contra eos factos, qui officiales non sunt, decident Justitiarii Regionum: iis Curiis bis in anno, ut dictum est, celebrandis intererunt quatuor de qualibet magna civitate, de melioribus terræ, bonæ fidei, & bonæ opinionis, & qui non sint de parte: de aliis verò non magnis, & de castellis duo intererunt Curiis ipsis. Prælati verò locorum, nisi certam habeant excusationem, quòd interesse non possint, similiter intererunt eisdem Curiis. & durabit Curia per octo dies, in quibus nisi expediri negotia ipsa poterunt, prorogabitur in dies quindecim, qui autem intererunt, loco Prælatorum, qui interesse non poterunt denunciabunt, si qui sunt in eorum provincia Patereni, vel hæretica pravitate infecti, ut severitate debita puniantur. Loca autem, in quibus Curiæ statutæ sunt, sunt hæc:

In Sicilia apud Platiam. In Calabria, terra Jordani, & Vallis gratæ apud Cusentiam. In Apulia, Capitaniata, & Basilicata apud Gravinam. In Principatu, Terra-Laboris, & Comitatu Molisii usque Soram, apud Salernum. In Justitiariatu Aprutii apud Sulmonam. Tempus autem quando congregandæ sunt Curiæ, erit in Kalendis Madii, & Kalend. Novembris, in quibus Magister Justitiarius, Justitiarii, Magistri Camerarii, Camerarii, Bajuli, & alii officiales Curiæ, Prælati, Comites, Barones, cives, & aliorum locorum habitatores, quilibet in sua provincia tempore, & locis præfixis in præsentia Legati Imperialis convenire tenentur super universis, & singulis, quæ constitutio continet, processuri.

Mense Februario de Sicilia in Calabriam transfretat Imperator, & exinde in Apuliam venit.

Hoc mense, & mense Januario præterito tanta fuit abundantia pluviæ, & nivis, quòd pro tempestate famis multa millia ovium in Apulia morerentur. Silvestres etiam bestiæ, & ipsæ volucres præ fame deficerent, &, se quò verterent, ignorarent, cùm ubique terrarum nix esset, & ipsa etiam flumina fuerint congelata, & etiam quòd olivæ, & aliæ arbores fructiferæ arefactæ essent ex gelu nimio, homines desperabiliter murmurarent.

Imperator de Apulia venit in Terram-Laboris, & tunc ab ista parte Capuæ fieri super montem Castellum jubet, quod ipse manu propria consignavit.

In Neapoli etiam munitionem factam præcipit ampliari. Operi castelli de Capua, ut citiùs fiat, præponit Nicolaum de Cicala, cui omnes jubet intendere à Miniano usque Capuam.

In Gajeta pro Imperatore per Hectorem de Monte-Fusculo ferè 30. turres custodiuntur. Mense Madio Imperator per Sanctum Germanum habens transitum apud Reate ad Papam vadit ducens secum Conradum filium suum, & se ad servitium Ecclesiæ exponens contra Romanos.

Inquisitio fit Imperatore mandante de opere Sancti Germani per totam Abbatiam per Judicem Adenulphum de Suessa, & Judicem Thomam de Caserta.

Tunc Imperator apud Reate faciens moram, revocavit ad opus suum quidquid turbationis tempore de Regni pertinentiis occupaverant Reatini, & ipse cum gente sua, unà cum Magistro Raynerio Cardinale Viterbium se confert, prædicto Conrado filio suo, & qui cum eo usque Reate iverant, redeuntibus in Regnum, Imperatore mandante.

Et tunc apud Raspampanum, quod Romani custodiebant, obsidionem ponit de Cardinalis consilio Imperator, ubi per duos menses faciens moram cùm in capiendo castro ipso non proficeret, mense Sept. in Regno reversus est Imperator.

Illis

Illis diebus, dum Imperator esset Reate, quidam Gualterus de Aversa credens Imperatori placere, infestare cœpit eos, qui in odium Imperatoris Ecclesiæ adhæserant, propter quod ad Papæ verbum, quia castrum Sanctæ Mariæ de Oliveto, quod Rogerius de Galluccio tenebat, qui in partem Ecclesiæ cesserat, ipse Gualterus ceperat, ipso Imperatore mandante, per Magistrum Justitiarium captus est, & custodiæ traditus, quem tamen ad preces Oderisii Abbatis Sancti Vincentii liberavit. Imperator, in Regnum rediens, casalia quædam Apuliæ depopulari jubet: Casale Castellionis ad Casinense Monasterium pertinens recipi mandat, & inhabitari ad opus suum.

B Studium, quod Neapoli per Imperatorem statutum fuerat, quod extitit turbatione inter Ecclesiam & Imperium secuta penitus dissolutum, per Imperatorem Neapoli reformatur.

Romani statim, post discessum Imperatoris à Raspampano, cum suis viribus Raspampanum muniunt victui necessariis, & procedentibus inde super Viterbium vadunt, minùs providè equitantes usque ad portas civitatis, propter quod ipsos in reditu pœnituit equitasse, nam intercepti à Theutonicis militibus, & hominibus civitatis ipsius, multi ex ipsis in ore gladii ceciderunt, & multi in captionem sunt ducti, ipsis nihilominus strenuè se defendentibus contra illos, & nonnullos de Nobilioribus Theutonicis trucidantibus, cùm eos nollent reservare ad vitam.

C Hoc anno, quòd Henricus Rex contra Imperatorem patrem suum seditionem in Alemannia fecerit, fama fuit.

MCCXXXV. Mense Januar. Imperator generalem collectam toti Regno imponit, & tunc collectæ fuerunt de terra Monasterii unc. 400. pro adoramento per Stephanum de Anglone Justitiarium Terræ-Laboris, & pro mutuo unc. 200.

Mense Februario inquisitiones fiunt per totum Regnum de hominibus demanii, quos in locis statutis transfert Imperator cum familiis suis, propter quod de Sancto Germano, & de tota terra Monasterii nonnulli, qui inventi sunt de demanio extitisse, apud Cumas ire cum suis familiis compelluntur.

D Mense Martio captivi de Apulia, qui tenebantur apud Canusium, per interventum pecuniæ liberantur, & ex eis quidam digna sunt pœna mulctati.

Mense Aprili Imperator apud Brecinam Pascha Domini celebrat, & consequenter post Pascha iter arripuit in Alemanniam profecturus, ducens secum Conradum filium suum, quem Magister domus Theutonicorum ipso mandante præcessit ad Papam, & Thomas de Aquino Acerrarum Comes Magister Justitiarius, & Justitiarii alii de Regno, necnon &

E Capuanus, Hydrontinus, & Panormitanus Archiepiscopi, cum nonnullis de Regno usque Fanum secuti sunt, & de Imperatoris licentia sunt in Regnum reversi.

Turres in Gajeta, exceptis quatuor, diruuntur mandato Imperatoris. Rocca Janulæ supra Sanctum Germanum firmatur, Stephanus de Anglone cedit officio Justitiariatus, & Guillelmus de Sancto Raymundo succedit eidem. Imperator cum Conrado filio suo, & de Regno admodum paucis, mense Madio apud Ariminum mare intrat, & in Aquilegiam vadit, exinde in Alemanniam profecturus.

A Pax inter Papam, & Romanos reformata est, captivi Romani, qui apud Viterbium tenebantur per Papam liberati sunt, & qui tenebantur à Romanis, liberi dimittuntur.

Robertus de Busso è Justitiariatu Aprutii amovetur, & Hector Comestab. Montis-Fusculi substitutus est illi.

Mense Junio Panormitanus, & Capuanus Archiepiscopi, Thomas de Agno Acerrarum Comes, & Henricus de Morro Magist. Justitiarius, qui pro Imperatore in Regno remanserant, se Capuam conferentes, statuerunt ibidem, qualiter Rocca Jani super S. Germanum muniri turribus, & muris deberet. Ad quod faciendum quatuor elegerunt de terra Sancti Benedicti, quòd homines deputatos ad opus Roccæ ipsius assignare suis viribus Domino Philippo de Citro deberent Comest. Capuæ Magistro operis Roccæ prædictæ, & ter in die ipsos requirere quemlibet prædictorum, quorum nomina hæc sunt: Jacconus Miles de Ponte-Curvo, Raymundus Pelegrini de Sancto Helia, Rogerius de Landenulpho, & Raymundus de Paterno de Sancto Germano, & ut Rocca ipsa citiùs muniretur, per ipsos dominos in terra fundata certa singulis mensibus pecuniæ quantitas est statuta, & demum se apud Melphiam in Apuliam contulerunt.

Eodem mense de felicibus Imperatoris auspiciis literæ venerunt in Regnum, quomodo apud Sibidatum à Principibus Imperii magno fuerat cum honore receptus ipso mense, nullo obstante, Alemanniam intrans, Henricum Regem filium suum redeuntem ad mandatum suum recepit, quem Duci Bavariæ custodiendum commisit. Philippus de Citro amotus est à Magistratu operis Roccæ Janulæ, & Jacobus de Mulino substitutus est illi.

Mense Julio Imperator filiam Regis Angliæ duxit uxorem, quam apud Guarmacum magnificè desponsavit.

MCCXXXVI. Mense Januario Imperator filium suum Henricum sub fida custodia per Marchionem Lanceæ mittit in Regnum, & in Apulia in Rocca, quæ dicitur S.Felix, servandus traditur. Hoc anno jussu Imperatoris Brundusii novi Imperiales cuduntur, & veteres cassati sunt. Generalis collecta in Regno ponitur, & tunc pro adoramento Imperiali collectæ sunt de terra Monasterii Casin. unciæ CL.

Mense Junio in vigilia Apostolorum Petri, & Pauli capta est Corduba nobilissima Saracenorum civitas, qua præter Romam, Constantinopolim, & Hispalim nulla major in Orbe dicitur à Ferrando Christianissimo Rege Toleti, & Castellæ.

Mense Julii in Festo Sanctorum Nazarii, & Celsi, Landulphus Senabaldus Casin. Abbas feliciter apud Casinum obiit, cujus obitus per fratrem Julianum Monachum Casinen. Dominis Curiæ Imperialis, qui sunt in Apulia, nuntiatur, à quibus eligendi licentiam Conventus accepit.

Eodem mense Imperiale mandatum ad Urbem, & generaliter per Tusciam, & Lombardiam, & per totam Marchiam mittitur, ut tam de Urbe, quàm de singulis ipsarum provinciarum communitatibus in Lombardiam Legati vadant, postquam illuc Imperatorem sciverint venisse, &c.

Mense Augusto Fr. Julianus, Fr. Robertus de Foresta, & Fr. Joann. Gazolus de voluntate Henrici de Morro Magist. justitiæ per Vicedecanum, & Conventuum Rectores, terræ Monasterii sunt electi.

Imperator cum honesto militum comitatu, relictis Imperatrice uxore sua, & Conrado filio suo in Alemannia, transalpinavit, & venit Veronam, quæ suo favebat Imperio, & inde prosperè usque Cremonam processit in Lombardiam, licèt Mediolanenses cum suis viribus se sibi opponerent, ne transiret. Domini Curiæ, qui in Regno remanserant pro parte Imperatoris, cognito de adventu Imperatoris in Lombardia, prohibuerunt Vicedecanum, & Conventum Casinen. ne in electione Abbatis facienda procederent; Legati Urbis, & totius Lombardiæ, & Tusciæ ad Imperatorem vadunt. Mense Octobris ex parte Casinen. Conventus ad eum quoque duo vadunt, Fr. videlicet Simon de Præsentiano, & Fr. Amicus, qui tamen cum aliarum Nunciis civitatum usque Cremonam procedentes & ultra, ipsum videre non potuerunt.

Cùm mense Novembris, capta civitate Vincentiæ, properè in Alemanniam redivisset, quam civitatem igne pro parte cremavit, unde versus:

Pro meritis dignis Vincentia decremat ignis.
Subderis Imperio Cæsaris ingenio.

Thomas Acerrarum Comes, & Henricus de Moro Magister justitiarius vocati ab Imperatore vadunt ad ipsum mense Decembri, sed ipsum in Lombardia non invenerunt, cùm in Alemanniam, ut dictum est, remeasset, ad domandam Ducis Austriæ nequitiam, qui rebellaverat contra ipsum. Propterea iidem Comes, & Magist. Justitiarius in Alemanniam properarunt.

Hoc anno Petrus Frajapane in urbe Roma pro parte Imperatoris guerram movet contra Papam & Senatorem, & seditio facta est multa in populo.

MCCXXXVII. VIII. mensis Januarii electio Abbatis Casinen. canonicè celebrata est de Fratre Pandulpho de Sancto Stephano, & quasi per inspirationem ab omnibus approbata mense Febr. Literæ Imperiales lectæ sunt in Sancto Germano de captione Vincentiæ, & de nova Imperatoris prole fœminea de nova consorte suscepta. Inquisitio fit de opere Sancti Germani per Judicem Adenulphum de Suessa mense Martio: Fr. Simon de Præsentiano, & Fr. Stephanus de Carvaro ad Imperatorem in Alemanniam vadunt cum literis Conventus factis ad eum, quibus denuntiatur electio canonicè celebrata de Fr. Pandulpho de S. Stephano in Abbatem Casinen.

Eodem mense, Imperatore mandante, generalis collecta per totum Regnum exigitur, &c. mense Aprili Magister domus Theutonicorum, & Magist. Petrus de Vinea missi ab Imperatore ad Papam veniunt pro facto Lombardiæ. Eodem mense pax in Urbe reformata est, &c.

Mense Madii Acerrarum Comes, & Magister Justitiarius ab Imperatore de Alemannia redeunt in Regnum. Pater Simon de Præsentiano, & Fr. Stephanus similiter de Alemannia redeunt cum literis Imperatoris de facto electionis factæ de Fr. Rodulpho ad Archiepiscopos Panormitanum, & Capuanum, necnon & Ravellensem Episcopum missis, per quos certiorari desiderat de sufficientia ipsius electi.

Eodem mense Joannes de Poli Senator Urbis factus est, & iterum in ejus odium seditio in Urbe mota est.

Magister domus Theutonicorum à Papa ad Imperatorem evertitur.

Episcopus Ostien. & Thomas Capuanus etiam S. Sabinæ Presbyter Card. Legati ad Imperatorem vadunt ex parte Papæ.

Mense Junio dictus Fr. Simon per Dominum Guillelmum de Sancto Fraimundo Terræ-Laboris Justitiarium, remanente secum in Rectoria Fr. Joanne Carolo, & duobus aliis cassatis Rectoribus, scilicet Fr. Juliano, & Fr. Roberto de Foresta, Rector Casinen. institutus est, qui Fr. Simon apud Avellinum vadens ad Dominos Curiæ supradictos, qui ibidem convenerant, obtinuit ab eis, ut pro inquisitione facienda de persona Casinen. electi mittere, quem vellent, deberent, qui ad hoc faciendum mirum præjudicium Judicem Thaddæum de Suessa magnæ Imperialis Curiæ Judicem elegerunt. Mense Julio veniens idem Judex ad S. Germanum de mandato prædictorum Dominorum tam de fide, quàm sufficientia jam dicti Casinen. electi per singulos de castris singulis ad se sub certo mandato vocatos homines, necnon & de anno, ubi se tempore discordiæ inter Ecclesiam, & Imperatorem receperat, inquisitionem facere studuit diligentem, quam in scriptis redactam ad eosdem Dominos per Magistrum Terrisium de Atino remisit, ad quos & Fr. Joannes de Sancto Germano, & Magister Raymundus Judex, & Advocatus Casinen. vadunt ex parte Conventus, & approbata per ipsos Dominos inquisitione ipsam electionem factam de prædicto Fr. Pandulpho, juxta mandatum Cæsaris acceptarunt.

Eodem mense Jacobus de Molin. captus à Magistro Justitiario propter arma prohibita, & seditionem factam custodiendus traditur in castello Neapolitano, & nonnulli alii seditiosi capiuntur, & ad castra alia in captione mittuntur.

Hoc anno Joannes Rex q. Hierosolymitanus apud Constantinopolim naturæ concessit mense Julio. Romani plebei populi communitates contra Joannem de Poli Senatorem Urbis (*conjurantes*,) ipsum Senatoriæ dignitati cedere compulerunt, & Joannem de Centio substituerunt eidem, propter quod seditio, & cædes multa facta est populi, cùm inde Joannes de Poli se in turri sua receperit contra Romanos, & Senatorem sibi substitutum, & bellum contra eos moverit intestinum; tandemque pax reformata est inter eos, in Senatu de consensu jam dicti Joannis de Poli, Joanne de Centio remanente.

Mense Augusti pro confirmatione electionis jam dicti Patris Pandulphi obtinenda à Papa vadunt Fr. Richardus de Babulo, Fr. Joannes de Sancto Germano, Fr. Gregorius de Sancto Stephano, Fr. Stephanus de Carvaco, & Magister Raymundus Caira Judex, & Advocatus Casinen. apud Viterbium, qui quoniam obtinere illam non potuerunt à Papa jam dicto, quia in electione non fuerat ritè processum, obtinuerunt ad multam instantiam, ne Monasterium in deterius vergeret, ut electus ipse administraret, usque ad beneplacitum Papæ.

Eodem mense de mandato Imperatoris de Lu-

Luceria apud Ravennam vadunt decem millia Saracenorum in subsidium ejus, cùm civitatem ipsam in odium Imperatoris, cujus partem fovebant Faventini, qui erant ex parte Mediolanen. graviter infestarent, ad cujus etiam defensam accesserat Simon Comes Theatinus de mandato Imperiali cum quingentis militibus.

Mense Septembris Henricus de Morro Magister Justitiarius vênit ad S. German. & occasione inquisitionis olim factæ ibidem de subtractis hominibus tempore Philippi de Citro ab opere munitionis terræ ipsius generaliter pro his, qui eos subtraxerant, per totam Abbatiam composuit cum eis ad majorem pœnam vitandam in 300. unc. auri, cum prædicto verò Philippo de Citro in centum, & sic vocatus à Cæsare ad ipsum in Lombardiam vadit.

Mense Octobris Imperator cepit Mortariam in Lombardia, & cùm nollet habitâ Mantuâ alloqui Cardinales, ipsi Romam reversi sunt, ubi etiam biduo ante Gregorius Papa de Viterbio redierat, & cum honore multo receptus fuerat à Romanis.

Mense Novembris Ambasciatores Romani ad Imperatorem in Lombardiam vadunt. Imperator cum fortunato exercitu suo cepit Montem-Clarum in Episcopatu Brixiæ, quod bonis omnibus spoliatum comburi jubet, propterea quòd Brixienses in suum auxilium Mediolanen. vocaverant, qui in manu valida militum, & peditum congregato exercitu versùs Brixiam in ejus auxilium profecti sunt, contra Imperatorem se temerè opponentes, quos Imperator ipse 4. stante eodem mense Novembris, cùm apud Curtem-novam sua tentoria defecissent ab ipsius facie fugientes, audacter non minùs, quàm potenter invadens devicit in campo, & ex ipsis stragem non modicam fecit, & nonnullos cepit, & captivos Cremonam duxit. Ita quòd inter vivos, & mortuos ad decem ferè millium numerus computaretur. Tunc etiam Mediolani Potestas filius Ducis Veneti captus est similiter, & Carrocchium cepit, & Cremonam duxit.

Mense Decemb. Lauda ipsi Imperatori se reddidit, & ibi Natale Domini cum omni tripudio celebravit.

MCCXXXVIII. Mense Januarii Henricus de Morro Magister Justitiarius de Lombardia redit in Regnum, & tunc generalis collecta per totum Regnum imponitur, & colligitur. Imperator in Alemanniam remeat, & ibi pro facto Lombardiæ exercitum congregat, Magistrum domus Alemannorum ultra montes dirigit pro soldariis retinendis, &c. Mense Aprilis in Lombardiam redit, & apud Veronam filium Conradum suum cum Principibus Imperii, & copioso exercitu præstolatur. Carrocchium captum Romam dirigit Imperator in signum victoriæ.

Mense Majo Imperator vocat ad se Thomam de Agno Acerrarum Comitem, & Henricum de Morro Magistrum Justitiarium, & omnes Barones, & milites infeudatos, quorum nonnullis, juxta ipsius mandatum, euntes ad ejus obsequium civitatibus, quæ venerant ad nutum suum, Potestates præfecit, & aliis custodiam captivorum commisit.

Mense Junio Acerrarum Comes cum Magistro Justit. ad Imperatorem in Lombardiam vadit cum militibus Regni decenter paratis in equis, & armis, & cum pecunia de Regno collecta.

Gregorius Papa Urbem exiens vênit Anagniam, &c.

Hoc mense in Casino celebratur electio, & quia in eligendo Monachi convenire non poterant, vota sua dederunt in Archiepiscopum Messanen. ut ipse unum, quem vellet, de gremio assumeret Monasterii.

Mense Julii Conradus Rex filius Imperatoris apud Veronam vênit ad patrem cum Principibus, & exercitu copioso, cum quo se Cremonam conferens infeliciter in obsidione Brixiæ properavit: apud Veronam etiam Magistrum domus Theutonicorum infirmum redeuntem de partibus Ultramontanis recepit Imperator.

Hoc mense Fr. Joannes Capuanus Casinensis Monachus in Abbatem S. Salvatoris de Telesia per Papam Gregorium apud Anagniam consecratus est, qui mense Augusto infirmitate correptus obiit.

Mense eodem Augusto Henricus de Morro Magister Justitiarius de Lombardia redit in Regnum. Panormitanus Archiepiscopus, Episcopus Reginus, Judex Thaddæus de Suessa, & Magister Rogerius Porcastrella de Lombardia ab Imperatore ad Papam apud Anagniam nuntii veniunt pro pace inter Ecclesiam, & Imperium reformanda, cum quibus pro parte Ecclesiæ Messanen. Archiepiscopus ad Imperatorem dirigitur Responsalis à Papa.

Magister domus Alemannorum Salernum se confert pro sanitate recuperanda.

Mense Septembris Imperatrix de Lombardia vênit in Regnum, & apud Adrium elegit jussu Imperatoris facere stationem.

Mense Octobris Gregorius Papa de Anagnia rediit ad Urbem, ubi novi confutati sunt Senatores DD. Joannes de Poli, & . . .

Imperator vastatâ in exterioribus Brixiâ ab ejus obsidione recedit. Conradus filius ejus in Alemanniam redit, & licentiâ datâ est in propria revertendi, ipse tamen in Lombardia remansit.

Henricus naturalis filius Imperatoris in Sardinia duxit uxorem.

Mense Novembris Landus Messanen. Archiepiscopus, in quem Conventus Casinen. eligendi quem vellet in Abbatem de gremio Monasterii, sua vota dederunt; Fratrem Stephanum de Corvan. cùm illum idoneum invenisset in Abbatem Casinensem elegit, quem idem Conventus pariter acceptavit, & propter hoc ad repræsentandam ipsius electionem Domino Imperatori duos ex Fratribus, scilicet Fratrem Robertum de Foresta, & Fratrem Joannem de Pontecurvo ad ejus præsentiam direxerunt, ut suum in eum dare dignaretur assensum.

Idem Messanensis Archiepiscopus cum Berardo Panormitano Archiepiscopo, & Thoma de Agno Acerrarum Comite, & cum Magistro Rogerio Porcastrella ab Imperatore remissus ad Papam Romam venientem pro pace, & forma concordiæ hinc inde tractata.

Guido Lorenus Episcopus legatus à Papa in Provinciam mittitur.

Mense Decembris Imperator Imperatricem uxorem suam de Regno in Lombardiam reduci jubet ad se per Berardum Panormitan. Archiepiscopum. Messanen. Archiepiscopus, Comes Acer-

Acerrarum; & Magister Rogerius Boccabella de Urbe à Papa digressi sunt, quorum duo, scilicet Comes, & Magister Rogerius in Regnum redeunt; Messanensis Archiepiscopus verò se Anagniam confert. Imperator apud Parmam Natale Domini celebrat, ibique repræsentatæ sibi electioni à prædictis Fratribus factæ de prædicto Stephano ab Archiepiscopo Messanen. in Abbatem Casinensem suum dedit assensum: prædictus Magister Rogerius cum responso Papæ ad Imperatorem redit.

A

MCCXXXIX. Mense Januarii. Generalis collecta per Regnum exigitur. Frater Raim. de Curci, Frater Richardus de Babuco electionem Fratris Stephani in Abbatem Casinen. repræsentant Domino Papæ Gregorio in Urbe.

B

Imperiales novi cuduntur Brundusii.

Mense Februarii Gregorius Papa electionem fratris Stephani confirmat, eumque per manus Ostien. Episcopi facit in Sacerdotem promoveri in Festo Sancti Barbati, & die altera benedictionis sibi munus impendi, qui in Casinen. Monasterio in Festo B. Matthiæ honorificè receptus est & cum gloria cathedratus.

Mense Martii idem Abbas ad Imperatorem in Lombardiam vadit, à quo benignè satis receptus est, & ibidem fidelitatis sibi præstitit sacramentum, qui Abbas antequam discederet è Monasterio, Vicedecanum instituit fratrem Richardum de Septem-fratribus.

C

Eodem mense in die Sancto Jovis Gregorius Papa Imperatorem publicè excommunicat, cui excommunicationi, quam judicabat injustam, Imperator non paret, sed suas excusatorias mittit ad Orbis Principes, quomodo Papa perperam contra se processit.

Mense Aprilis Monasterium Casinen. Imperatore mandante servientibus, & aliis ad custodiam necessariis committitur quibusdam Monachis ex eo exclusis.

Similiter & Pons-curvus, Taffurum Castellanum Roccæ Janulæ.

Mense Majo in Marsia apud Talliacotium quidam Sanctus Oddo revelatur, qui miraculis multis claruit.

D

Eodem mense Thomas de Agno Acer. Comes vocatus ad Imperatorem in Lombardiam vadit. Omnes de Regno, qui sunt in Romana Curia, revocantur.

Denarii novi dati sunt per terram Sancti Benedicti, pro quibus datum est aurum ad summam 170. unc.

Theanen. Calinen. Venafranus, Aquinen. Episcopi de Regno exeunt, Imperatore mandante.

Tertio Junii circa horam nonam diei Veneris Sol eclypsim passus est.

Eodem mense à Monasterio Casinen. sicut à cæteris aliis de Regno Cathedralibus Ecclesiis, necnon & à subditis ejusdem Monasterii cellis, adjutorium pro Imperatore exigitur. Similiter & à Clericis Abbatiæ pro beneficiis suis, Obedientiales Monachi vocati à Taffuro Castellano Roccæ Janulæ, sicut & ipsi Clerici dare convenerunt medietatem omnium obedientiarum suarum, & exinde reddere Rogerio Landenulpho, & Jacobo Cazolo ad hoc constitutis per Justitiarium Terræ-Laboris pro victu servientium, qui deputati sunt ad custodiam Monasterii, & Pontiscurvi.

E

Eodem tempore subscripta capitula edita sunt in Regno, quæ pro parte Imperiali observari jubentur. „ In primis, ut fratres Prædicatores, & Minores, qui sunt oriundi de terris infidelium Lombardiæ, expellantur de Regno, & ab aliis habeatur cautela, quòd non offendant Imperatorem. Idem fiat de aliis personis Religiosis. Item ut Barones, & milites, qui faverunt aliquando Papæ contra Cæsarem, & præcipuè qui sunt in confinio Regni, inducantur, potentes, quòd vadant ad servitium Curiæ in Lombardiam cum equis, & armis, impotentes similiter à Curia Imperiali stipendia recepturi: item à Cathedralibus Ecclesiis per se exigatur, & imponatur pro Imperiali Curia adjutorium secundùm modum, & potentiam divitiarum suarum. Nihilo minus & à Canonicis earum Diœcesum sibi subditis, Presbyteris, & Clericis secundùm facultates eorum, idem exigatur ab Abbatibus, Monachis nigris, & albis; item quòd hi, qui sunt in Romana Curia, præter exclusos, & suspectos revertantur in Regnum: sin autem, bona eorum infiscentur, nec permittant post citationem reverti. Excipiuntur qui sunt cum Cardinali Thoma, & cum Joanne de Capua Notario Papæ; item illorum Clericorum, qui de Regno non sunt, bona, & beneficia, quæ habeant in Regno, infiscanda sunt; item quòd nulli permittatur ad Romanam Curiam accedere sinè speciali mandato Magistri Justitiarii; & qui accesserint, non permittantur redire sinè mandato Curiæ; item quòd statuantur exploratores, ne quis masculus vel fœmina, intrando Regnum portet Papales literas contra Cæsarem; item ut qui inventus fuerit contra Cæsarem illas portantem, ultimo supplicio puniatur suspensus, & si portaverit literas de credentia, cogatur confiteri modum, & tenorem credentiæ. Et si confessio lædit Principem, eodem judicio puniatur sive Clericus sive Laicus fuerit.

Eodem mense Junio Sanctagaten. & Calven. Episcopi Romam vadunt, missi ab Imperatore ad Cardinales, sed à Papa repulsi in Regnum sinè effectu redeunt.

Civitas Tarvisii per Alterium de Romano, & Erolinum de Camino rebellat Imperatori.

Eodem mense iterum alii, qui remanserant Monachi de Casinen. Monasterio excluduntur, quatenus simul cum primis exclusis morari apud Vallem-lucis provisum est, paucis admodum in Monasterio remanentibus.

Mense Julii Ravenna rebellatur Imperatori, quam Veneti recipiunt, & tuentur.

Eo mense homines terræ Monasterii, mandante Imperatore, absenti Casinen. Abbati, & Ser. in suo servitio commoranti per suam vitam assecurant, & membra.

Gregorius Papa de Urbe vênit Anagniam.

Imperator de gratia concessit dicto Casinen. Abbati, ut tam Monast. Casinen. quàm omnes Monachi, & cellæ ejus à generali, quod ab aliis exigitur Ecclesiis Regni, adjutorio essent immunes.

Eodem mense tertia fit exclusio Monachorum de Monasterio Casinen. quorum quidam apud Vallem-lucis, quidam apud S. Petrum Monasterii, & quidam moram facere in parentum domibus elegerunt, & in ipso Monasterio non nisi octo tantùm Monachi ad celebrandum in eo divina officia remanserunt, quorum nomina sunt hæc, Frater Raimundus de Septemfratribus Vicedecanus, Fr. Seniorectus, Fr. Robertus de Ora, Fr. Joannes Carolus,

rolus, Frater Guillelmus de Pignataro, Frater Joannes de Marotta, & Frater Matthæus de Miniano.

Romæ apud Lateranum obiit R. . . . . Episcopus Venafranus.

Eodem mense Julii Imperator cum suo exercitu cepit in Episcopatu Bononien. castrum quoddam fossatis, & aquis munitum, quod Plumacium vocabatur, quod totum igne crematum est, atque principales eorum, qui intus steterunt, ignis cremavit, & ferè quingentos, qui evaserunt ignis incendium, Imperator duxit captivos.

Romæ cecidit turris Cartellariorum.

Mense Aug. Rex Navariæ cum copioso Crucesignatorum exercitu de Marsilia in Terram-Sanctam navigio transfretat.

In vigilia Assumptionis B. Mariæ Imperator in Episcopatu Bononien. cepit castrum Crepacor. quod igne crematum est, & nonnulli eorum, qui intus steterunt, evaserunt, & pro majori parte sunt ducti captivi.

Apud Anagniam Thomas Capuanus Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis 10. Septembris obiit, unde versus:

In festo, Magni festum, Thomas, perit Agni
Donatur Magno caro marcida, spiritus Agno.

Eodem mense Aug. Henricus de Morro, Magister Justitiarius vocatus ab Imperatore, ad ipsum in Lombardiam per mare vadit, Imperator revocatus à Civitatibus, & Magistratibus Lombardiæ partem suam faventibus divertit ab Episcopatu, & depopulatione Boniæ, & ad depopulandum in exterioribus Mediolanum accedit, cui Mediolanenses ex civitate per octo ferè milliaria obvios se opponunt. Imperator tamen cùm invadere ipsos non posset, aut facere in eos insultum, moram pertrahens in Episcopatu Mediolanen. per duos ferè menses Septemb. & Oct. & depopulatione facta non modica in extrinsecis discessit ab inde, & ad devastationem pontis Placentiæ cum exercitu suo accedit.

Mense Septemb. Justitiarii omnes, & Castellani Regno mutantur, & amoto Taffuro de Capua de Rocca Janulæ Castellano, qui etiam curam agebat Montis Casini, & Pontis-curvi, substituitur illi quidam Guillelmus de Spinosa in Rocca Janulæ Castellanus, & in Casino quidam Jordanus de Calabria ordinatur. Et amoto à Justitiariatu Terræ-Laboris Guillelmo de Sancto Fraimundo, Ricchardus de Monte-nigro substitutus est illi. Barones, & milites infeudati de Regno per justitiarios singulos, ut se in equis, & armis præparent, summonentur.

Bononienses post discessum Imperatoris ab Episcopatu Bononiensi euntes temerè super Mutinam, quòd Imperatori favebat, à Comite Simone Theat. & Parmensibus devicti sunt in campo, & nonnulli eorum capti sunt, ac nonnulli gladiis interempti, & nonnulli amne submersi.

Henricus Rex Gallurae naturalis filius Imperatoris in Marchiam Anconitanam vênit, contra quem mittitur à Gregorio Papa Joannes de Columna Cardinalis, mense Octob. . . . Prænestinus Episcopus legatus à Papa ad Principes mittitur Orientis, qui in specie Peregrini cum uno tantùm socio per terram usque Januam vadit, & in navigio transfretavit.

Mense eodem Andreas de Cicala à Porta Roseti usque ad fines Regni per Imperatorem Capitaneus constituitur. Ingeniaq;, Biddæ, Dominæ, & Manganelli fiunt, Imperatore mandante, ad defensam Roccæ Janulæ, & Casini, propter quod & homines terræ Monasterii ad incidenda lignamina ipsis machinis opportuna, & boves ad ea deferenda non modicè sunt gravati.

Roffridus Theanen. Episcopus apud Cornetum obiit.

Mense Novembri Gregorius Papa de Anagnia redit ad Urbem, ubi à Romanis omnibus honorificè receptus est, in octavis B. Martini sententiam latam in Imperatorem confirmat, & excommunicat Henricum naturalem filium ejus, & omnes sequaces eorum pro eo, quòd Marchiam, quam juris esse dicebat Ecclesiæ, hostiliter est ingressus.

Mense Decemb. Imperator apud Pisas Natale Domini celebrat. Quidam Frater Helias, qui in Ecclesia S. Francisci apud Assisium Magister Ordinis Fratrum Minorum extiterat, pro eo quòd apud Gregorium Papam delatus à Fratribus quòd malè administrasset, cùm eum Papa ab administratione removerit, in odium Papæ Imperatori adhæsit. Vigiles de nocte per Richardum de Monte-nigro Justitiarium in Principatu Capuæ statuti sunt.

MCCXL. Mense Januario per prædictum Capitaneum generalis collecta exigitur, Imperatore mandante, & tunc visitatores castrorum per Regnum constituuntur, per quos de fidelibus deputati sunt aliqui, qui castra Imperialia visitent semel in hebdomada, & tam de factis Castellanorum, quàm de numero servientium diligenter inquirant similiter, & defectu eorum.

Mense Feb. per eundem Capitaneum per totum Regnum fit inquisitio generalis contra impositores, & collectores collectæ Imperialis anni præteriti, ut de sua malitia pro meritis puniantur. Imperator vênit Fulignum, ubi magnificè à civibus receptus est. Appellum, & Coction. venerunt ad suum mandatum: recipit tunc etiam Viterbium.

Eodem mense Februarii Ortam, Civitatem-Castellanam, Cornetum, Sutrum, Montem-Flasconem, & Tuscanellam . . . . Imperatrix cum Richardo Panormitano Archiepiscopo in Regnum vênit.

Stella cometes apparuit.

Mense Martii Imperator, relicto Capitaneo apud Viterbium comite Simone Theatino cum exercitu suo, & in Marchia naturali filio suo Henrico Rege Gallurae, cum his, qui de Regno secum in Lombardia fuerant, redit in Regnum, tunc Stephano Casinen. Abbate ad terram Monasterii redeunte.

Mense Aprilis Imperator apud Fogiam Colloquium celebrat generale. Specialis collecta à Clericis Regni pro beneficiis Ecclesiasticis exigitur.

Eodem mense filius Regis Castiliæ ad Imperatorem apud Fogiam vênit.

In S. Germano Magister Joannes Archipresbyter terræ ejusdem, & Magister Petrus frater ejus jussu Imperatoris per Philippum de Suriento militem Capuanum, & per quemdam Judicem majorem capti sunt, & eorum sunt mobilia infiscata, immobilia verò omnia annotata. Civitas Ferrariæ à civitatibus Lombardiæ Imperatori contrariis, necnon & à Venetis impugnatur, & obsidetur per terram, & aquam, in qua pro Imperatore erat quidam

dam Azolinus. Imperator à suis officialibus certam exigit pecuniæ quantitatem.

Mense Maji Imperator congregato exercitu de Apulia vênit Capuam, &, ipso mandante, Beneventum in exterioribus devastatur.

Mense Junio Imper. cum exercitu suo, quem de Regno collegerat, vênit ad Sanctum Germanum, ubi per sex dies moram pertrahens, è vestigio per Agnum transitum faciens, & secum ducens Pandulphum Dominum Agni, apud Insulam Pontis-Salarati posuit castra sua, Campaniam intrare disponens, quam non intravit usus consilio saniori, sed per Soram, & Marchiam direxit in Anconæ Marchiam gressus suos.

Eodem mense Thomas Molisii Comes apud Spoletum, quòd se pro Papa tenebat, cum ducentis militibus à Papa dirigitur. Henricus Rex Imperatoris filius tentus in Rocca Sancti Felicis in Apulia in Calabriam custodiendus apud Neocastrum jussu patris dirigitur, & exinde apud Marcoranum missus est.

Mense Julio per totum Regnum, jussu Imperatoris, ab his omnibus, quibus per officiales suos aliqua fuere commissa officia, certa exigitur pecuniæ quantitas. Et tunc quidam de S. Germano per quemdam Octavianum similiter taxati fuerunt in 200. unc. auri.

Stephanus Casinen. Abbas movens de Sancto Germano ad Imperatorem, qui erat in obsidione Asculi, in Marchiam vadit.

Eodem mense jussu Capitanei in Sancto Germano certus militum numerus congregatus, tunc amoto de Rocca Janulæ Guillelmo de Spinosa Castellano quidam Joannes de Trentenar. per Imperatorem est statutus in ea. Imperator castra sua movens ab Asculo processit versùs civitatem Firmanam, à quo Stephanus Casinensis Abbas cum ipsius licentia discedens infirmus, ad Ecclesiam suam S. Liberatoris se contulit, ubi donec convaluit moram fecit. Eo mense captus est jussu Imperatoris Magister Raimundus de Caira.

Mense Augusti civitas Beneventana obsidetur jussu Imperatoris. Ipse verò civitatem Faventiam arctat, & obsidet.

Mense Septembris galêæ Venetiæ discurrentes per Regnum in odium Imperatoris, Termulas, Vestam, & quasdam alias Apuliæ terras capientes destruxerunt, & bonis omnibus spoliarunt. Apud Brundusium euntes prædictæ galêæ navem quamdam redeuntem ab Jerosolymis, cùm non possent capere vi, igne cremarunt. Milites, qui steterant in S. Germano, ad Imperatorem vadunt apud Faventiam, ex eis quibusdam in propria recedentibus.

Mense Octobris galêæ ipsæ multis onustæ spoliis in sua redeunt.

Mense Novembris Fratres Prædicatores, & Minores omnes de Regno exeunt, Imperatore mandante, duobus tantùm relictis, qui sint de Regno nativi in singulis quibusque illorum domibus ad custodiam earundem.

MCCXLI. Mense Januario per totum Regnum generalis collecta exigitur. Joannes Columna Cardinalis discors factus cum Gregorio Papa in partem cedit Imperatoris, & Lagustam in Urbe, & extra Urbem alia castra sua firmari jubet.

Mense Februarii, Imperatore mandante, per totam Regni maritimam juxta cursum galêæ armantur.

Mense Martio milites, & pedites ad defensam & custodiam maritimæ ubique per Regnum ire jubentur.

Eodem mense, galêæ prædictæ versùs Pisas vadunt.

Mense Aprilis civitas Beneventana, quæ Romanæ Ecclesiæ suberat, arctata, & necessitate compulsa Imperatori se reddit, cujus mœnia Imperatoris jussu funditus evertuntur, & turres civitatis ejusdem usque ad solarum. Arma hominum civitatis ipsius ad opus recipiuntur Imperatoris.

Eodem mense Faventia per annum obsessa, & arctata ab Imperatore vênit ad mandatum ipsius, salvis personis, & rebus hominum civitatis ejusdem, in qua postea Imperator ipse fieri munitionem mandat.

Mense Maji in festo Inventionis Sanctæ Crucis galêæ Imperiales cum galêis Januensium conflictum habentes nonnullos Prælatos occidentales, qui erant in eis, habitâ victoriâ de Januensibus, ceperunt, & duxerunt apud Pisam captivos cum duobus Legatis, Prænestino scilicet Episcopo, & Oddone S. Nicolai in Carcere Tulliano Diac. Card. de quorum mandato veniebant ad Papam. Inter quos fuerunt Cistercienfis, & Claravallensis Abbates, necnon Rotomagen. Archiepiscopus, & alii, quos ignoro. De galêis quoque Januensium captæ sunt ultra 20. & nonnulli Januenses in eis, & quamplures sunt ob metus causam in mari submersi, qui omnes postea, Imperatore mandante, tam Prælati, quàm alii cum Legatis ipsis in Regnum apud Neapolim per mare in captionem ducti sunt, & in custodiam per Regni Castella transmisi. Milites, & pedites nonnulli apud Agnum, & apud S. Germanum conveniunt ad Regni custodiam.

Mense Junio Prælati de Regno vocati ab Andrea de Cicala Capitaneo, & Magistro Justitiario apud Melfiam apud eum vadunt, à quibus Thesauri Ecclesiarum suarum tam in auro & argento, quàm vestibus sericis, & lapidibus pretiosis in commodato pro Principe exiguntur.

Imperator discedens à Faventia vênit Fanum, quam circumposita obsidione cùm flectere ad sua vota non posset, in exterioribus vastat, & discendens invadit Spoletum, quod recipit ad mandatum suum. Assisii civitatem sibi renitentem similiter vastat exteriùs.

Eodem mense fama de Tartaris ad Imperatorem pervênit, quòd jam victo Rege Ungariæ essent in foribus Alemanniæ, & ipse Rex Ungariæ significavit eidem Imperatori per Guacien. Episcopum Legatum suum; & per literas suas, per quas se ipsum, & Regnum suum Ungariæ suæ promittit subiicere ditioni, dummodo per ipsum Imperatorem ab ipsis Tartaris protectionis suæ munimine defendatur, & ob hanc causam Imperator metuens Christianitatis excidium, ut componat cum Papa Gregorio versùs Urbem dirigit festinanter gressus suos, & tunc propter hoc generales mittit literas ad universos Principes Occidentis, quarum tenor talis est:

Illustri Regi Francorum tamquam fratri suo Fridericus, &c. Perfectæ solicitudinis zelus, quos sicut Pater Imperii statum ejusdem diligere cogimur, &c. & tueri propensiùs nos inducit non tam manifesta pericula, quàm suspecta vereri, &c. per quas literas Principes ipsos animat, & hortatur ad fidei Christianæ defensionem, & Ecclesiæ Sanctæ succursum.

Eodem

Eodem mense Imperator veniens apud Interamnen. civitatem ipsam recipit ad mandatum suum.

Mense Julio Imperator vênit Narniam, quam sibi renitentem invênit, propter quod, facta in exterioribus vastitate, inde discessit, & versùs Reate concitò vadit, quam sibi similiter resistentem invênit, & tunc Imperator vocatus à Joanne de Columna Cardinale festinat ad Urbem.

Eodem mense Andreas de Cicala Capitaneus jussu Imperatoris captivos Legatos, & alios transferri de Neapoli Salernum facit per Richardum de Monte-nigro Justitiarium Terræ-Laboris, & ipse Capitaneus vocatus ad Imperatorem vadit, à quo rediens per totum Regnum certum exigit numerum militum, & servientium, & omnes thesauros Ecclesiarum suæ jurisdictionis apud Sanctum Germanum congregari jubet.

Joannes de Columna Cardinalis discors à Papa discedit, seque confert in Prænestum, Monticellum, & Pontem-Lucanum contra Romanos recepit in odium Papæ, ad quem Imperator milites, & servientes de Regno mittit.

Matthæus Rufsus per Gregorium Papam Senator efficitur, qui apud Laguftam, quam Joannes de Columna firmaverat & tenebat, per suos obsidionem ponit.

Mense Augusto Imperator recipit civitatem Tiburtinam, & exinde versùs Urbem vadit, & tunc Castrum quod dicitur Mons-Albanus, quod erat Sancti Pauli de Urbe, vi cepit; & igne consumpsit: castra etiam quædam Farfen. Monasterii occupat, & devastat. Burgum novum desertum incolis igne crematur, & apud Cryptam-ferratam ponit castra sua, & in exterioribus Urbem devastat. Et tunc de Gregorio Papa, quòd obierit Romæ 21. Augusti, pro certo accepit, de cujus licentia Cardinales omnes, qui extra Urbem fuerant, pro electione Papæ facienda ad Urbem redeunt.

Eodem mense jussu Imperatoris vastatores de Regno apud Insulam Pontis-Salarati, & apud Sanctum Joannem de Incarico, ut intrarent Campaniam congregantur. Cardinales, qui in Urbe ad Papæ electionem convenerant, per Senatorem, & Romanos apud Septisolium includuntur, ut ad creandum Papam inviti procedant.

Matthæus Ruffus Urbis Senator Laugustam Romanorum obtinuit: thesauri omnes Ecclesiarum Regni Capitaneo jussu Andreæ de Cicala à porta Roseti, usque ad fines Regni capiuntur, ii apud Sanctum Germanum in Ecclesia Sanctæ Mariæ terræ ejusdem congregantur, & reponuntur, quorum custodiæ deputati sunt IV. de ditioribus, & melioribus hominibus ipsius terræ, & tunc tabula aurea, quæ ante Altare B. Benedicti ad ornatum diu steterat, & altera tabula argentea Altaris Beatæ Mariæ, & Icona cum smaltis, quæ super Altare fuerat Sancti Benedicti, & omnis alius thesaurus ipsius Monasterii, in auro, argento, pannis sericis, & lapidibus pretiosis, necnon & aliarum Ecclesiarum terræ Monasterii ad Sanctum Germanum in prædicta Ecclesia Sanctæ Mariæ portatur, & deponitur, cujus thesauri capti ab Ecclesiis Regni pars pretio redimitur, & pars reliqua apud Sanctam Mariam de Crypta-ferrata ad Principem deputatur.

Prænestinus Episcopus, & Oddo Cardinalis cum Magistro Joanne Toletano sub Ducatu Thiboldi de Dragone, apud Tiburim ducuntur.

Mense Septembris vastatores apud Insulam congregati mandato Cæsaris in propria redeunt.

Imperator, relictis apud Tiburim sub custodia suorum, quos ad tuitionem & defensam civitatis ipsius reliquerat, Episcopo, & Cardinale prædictis, per Campaniam redit in Regnum, & veniens apud Insulam Salaratam, civitatem novam in fronte Ceperani construi jubet, ad cujus civitatis fundationem statuit Dominum Richardum de Monte-Nigro, Terræ-Laboris Justitiarium, & mandat, ut homines arcis Sancti Joannis de Incarico, Insulæ Pontis Salarati, & Pastinæ illuc ire ad habitandum cogantur. Statuit insuper, ut ad opus civitatis ejusdem venire debeat certa quantitas hominum de Abbatia Casinen., Abbatia Sancti Vincentii de Vulturno, Comitatu Fund. Comino, & Comitatu Molisii per hebdomadam, & tunc recto tramite per Sanctum Germanum, & Beneventum in Apuliam vadit, mandans, ut thesauri Ecclesiarum ad ipsum apud Fogiam deferantur.

Mense Octob. Goffridus Mediolanen. in Cœlestinum Papam eligitur.

Eodem mense thesauri Ecclesiarum apud Fogiam per eos de S. Germano, qui eorum fuerant custodiæ deputati, mandante Cæsare, deferuntur, exceptâ tabulâ Altaris Sancti Benedicti, & ut redimi debeant à Prælatis singulis, & Ecclesiis, quarum erat pro certa pecuniæ quantitate ab Imperatore mandatum: his diebus jubetur à Cæsare, ut nullus de Regno equos aut arma vendere vel trahere extra Regnum præsumat.

Inquisitio fit in S. Germano de Medicis, qui mederi ausi sunt, & in tota Abbatia nisi de licentia Imperialis Curiæ, & per eam fuerint approbati.

Civitas Accon rebellat Imperatori.

Mense Novembris Cœlestinus Papa Romæ apud Sanctum Petrum obiit, & ce Cardinalibus quidam, eo insepulto, de Urbe fugerunt, & contulerunt se Anagniam.

Mense Decembris Imperatrix apud Fogiam obiit, & apud Andriam sepelitur.

MCCXLII. Mense Januario generalis collecta per totum Regnum exigitur, de qua tertia pars remittitur, sicut anno præterito. Inquisitiones fiunt ubique per Regnum contra infideles inventos tempore turbationis, contra forbanitos, & forjudicatos, contra aleatores, prohibita arma portantes, & super multis aliis articulis.

Mense Februarii Richardus de Monte-nigro à Justitiariatu Terræ-Laboris amovetur, & Gisulphus de Mannia substituitur illi: turres civitatis Barri quæ erant in civitat. Imperator dirui jubet. Biscottum fieri jubet per loca maritima, & loca alia pro fodro 150. galêarum, & 20. navium, quas armari mandat super Pisanos, & Venetos: ad Romanam Curiam Magistrum domus Theutonicorum creatum noviter Archiepiscopum Barensem, & Magistrum Rogerium Porcastrellum pro pace Legatos mittit.

Patriarcha Aquilejensis pro facto Tartarorum ad eum vênit.

Eodem mense Henricus primogenitus Imperatoris tentus apud Martoranum naturali mor-

morte defungitur, pro cujus exequiis celebrandis Imperator ad omnes Regni Prælatos suas dirigit literas in hac forma. *Fridericus, &c. Abbati Casin. &c. Ministerio pii Patris severi Judicis exuperante judicium, Henrici primogeniti nostri fatum lugere compellimur lacrymarum ab intimis elicente natura diluvium, quas offensæ dolor, & justitiæ rigor intrinsecus obfirmabat. Mirabuntur forsitan dixi Patres Januenses publicis hostibus Cæsarem dolore domestico potuisse convinci substitutus est tam cujuslibet Principis animum quantumvis rigidus nostro durante Imperio, qui dum vices suas exercet in quemlibet, leges, & Cæsarem non agnoscit: fatemur, quòd qui vivi Regis superbia prolecti, nequimus scimus ejusdem filii nostri casu convicti sumus, tamen eorum, nec primi, nec ultimi qui detrimenta pertulerunt transgredientium filiorum, & nihilominus illorum funera deplorarunt* (*) *; luxit namque David triduò primogenitum Absalonem, & in Pompeji sui cineres generi fortunam, & animam soceri persequentis, magnificus ille Julius primus Cæsar primæ pietatis effectum, & lacrymas non negavit; nec dolor acerrimus ex transgressione conceptus est efficax parentibus medicina doloris, quòd in obitu filiorum natura pungente non deleatur contra naturam à filiis, licèt irreverenter, &c. offensi. Nolentes igitur Nos, & non valentes circa prædicti filii nostri funus omittere, quæ sunt Patris, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus per totam Abbatiam cunctis Clericis, & cæteris fidelibus nostris injungas, ut ejus exequias omni cum devotione solemniter celebrantes animam ejus cum declaratione Missarum, & aliis Ecclesiasticis Sacramentis divinæ Missæ raccomendent manifestis inditiis ordinatis, quòd sicut in gaudiorum nostrorum tripudiis exultant hilariter, sic & doloribus nostris condolere fideliter videantur, &c.*

Mense Martio Justitiarii remoti à suis officiis apud Fogiam ab Imperatore vocantur, & tunc Richardus de Monte-Fusculo, qui fuerat Justitiarius Capitaniatæ, cogitur reddere rationem, & tam contra ipsum, quàm contra alios fit inquisitio Imperatore mandante.

Eodem mense Thomas de Monte-nigro apud Tiburim Capitaneus ab Imperatore dirigitur.

Mense Aprilis Prænestinus Episcopus, & Oddo Cardinalis de Regno apud Tiburim sub ducatu Thiboldi de Dragun. mittuntur &c.

Brixien. Episcopus, & Bergamen. electus vocati ab Imperatore de Lombardia in Regnum veniunt, apud Sanctum Germanum moram facere elegerunt, expectantes ibidem Imperatoris adventum.

Mense Maji Andreas de Cicala Regni Capitaneus jussu Cæsaris congregato exercitu tam militum, quàm servientium de Regno super Reate vadit, quam exteriùs totam devastat. Dux Spoleti pro parte Imperatoris super Narniam vadit, & quam potest facit in exterioribus vastitatem. Denarii novi dantur in Sancto Germano.

Romani super Tiburim vadunt, & illam in olivis, vitibus, & aliis comedibilibus devastant.

Eodem mense exercitus Imperialis de Marchia vadit super Asculum, & ipsam civitatem obsidet exteriùs, & devastat.

Mediolanenses, & Brixienses cum eorum complicibus, qui sunt eis adversarii, & qui partem favent Imperatoris, hostiliter impugnant castrum quoddam, quod Iseus Frater de Episcopatu Brixien. vi obtinet, & recipiunt ad mandatum suum.

Reginus, & Taurinus de Lombardia Episcopi ad Imperatorem in Apuliam vadunt. Homines Demanii ubicumque inventi per Abbatem Casinensem revocantur, & compelluntur de mandato Principis ire ad habitandum ad Civitatem-novam.

Mense Junio Asculum se reddit, & venit ad mandatum Imperatoris.

Thomas Comes Acerrarum Capitaneus in Syriam transfretat.

Bernardus Comes Manupelli jussu Principis in Sardiniam vadit.

Patriarcha Aquilejen. qui pro facto Tartarorum ad Imperatorem venerat, licentiatus ab eo in sua recedit. Imperator ipse de Apulia tunc venit Capuam, & inde per Sanctum Germanum, & per Agnum transiens vadit ad Civitatem-novam, ubi per dies aliquot moram faciens, versùs Soram vadit, & inde procedit in Marchiam, ubi apud Avezanum per totum ipsum mensem Junii moratus est. Et mense Julii congregato exercitu copioso super Urbem vadit, & hostilem faciens in exterioribus vastationem, mense Augusto in Regnum reversus est.

Eo mense Oddo Card. liberatur, & Episcopus Prænestinus cum Magistro Joanne Toletano reducti à Tibure in Roccam Jani, quæ est super Sanctum Germanum, servandi traduntur Philippo de Sancto Magno tunc Castellano, duobus postmodum Baronibus ad eorum custodiam deputatis.

Eo mense Imperator ante recessum ab obsidione Urbis statuam hominis æream, & vaccam æream similiter, quæ diu steterant apud Sanctam Mariam de Crypta-ferrata, & aquam per sua foramina artificiosè fundebat, in Regnum, apud Luceriam Apuliæ civitatem, ubi Saraceni degebant, portari jubet.

Mense Septembris Comes Tolosanus apud Melfiam in Apulia ad Imperatorem vênit, qui per totam hyemem fuit in Regno. Hoc anno Henricus de Morro Magister quondam Justitiarius in Apulia naturali morte defecit.

MCCXLIII. Mense Januarii generalis collecta per totum Regnum exigitur.

Mense Febr. milites omnes, qui servire tenentur, jubentur ex parte Cæsaris in equis, & armis bene parari, ut ire debeant in Kal. Apr. primò futur. ad servitium suum.

Mense Aprilis Imperator de Apulia congregato exercitu vênit in Terram-Laboris, ad quem submoniti milites in equis, & armis omnes conveniunt, nec non & certus numerus de qualibet terra de Regno, qui mense Maji de Capua movens & per Sanctum Germanum transitum habens, mox per Agnum apud Flagellam se contulit, ubi faciens aliquandiu moram, inde per Campaniam super flumen Ceperani transitum habens super Urbem vadit, ubi turres nonnullas funditus fecit everti, faciens in aliis etiam quam potuit vastitatem, & tunc ad preces Cardinalium ab Urbe discedens, est reversus in Regnum.

Eo mense Prænestinus Episcopus, Imperatore mandante, liberatus est, apud Anagniam ad Cardinales cum honore remissus.

Mense Junio Sinibaldus Titulo Sancti Laurentii in Lucina Cardinalis apud Anagniam in Pa-

(*) Locum hunc mirè vitiatum sola conjectura restituere noluimus.

Papam Innocentium creatus est, voluntate & consensu omnium Cardinalium; quo audito Imperator, qui tunc erat Melfiæ, ubique per Regnum laudes jussit Domino debitas decantari.

Mense Julii Imperator ad Papam mittit apud Anagniam Bernardum Panormitanum Archiepiscopum, Magistrum Petrum de Vinea, & Magistrum Thaddæum de Suessa pro bono pacis, à quo benignè satìs recepti sunt, & benignum ad Principem retulerunt responsum.

Eodem mense discursus Siderum de nocte visus est in Festo Sancti Jacobi, ita ut unum contra alterum quasi hostem insurgerent, & inter se hostiliter dimicarent. Tunc civitas Viterbii, pertractante Magistro Raimundo Cardinali, vênit ad mandatum Ecclesiæ, mense Augusto, Comite Simone Theatino pro Imperatore se tenente in ea, quo audito Imperator mox sinè moræ periculo, se personaliter contulit mense Seprembris ad succursum prædicti Comitis, & ad recuperationem civitatis ipsius, qui congregato exercitu copioso obsedit eam, & statutis machinis, tam minis, quàm viribus dirè satìs impugnavit eamdem, qui cùm in nullo proficeret, recepto, & libero dimisso Comite prædicto, & suis, qui cum eo erant, ab obsidione recessit, & inde Grossetum se contulit, ubi quasdam edidit sanctiones contra Judices, Advocatos, & Notarios, quas per totum Regnum publicari præcepit, & tenaciter observari, quarum initium tale est: *Nihil veterum authoritati detrahitur*, &c.

Mense Septembri &c. Comes Tolosanus de Apulia vênit ad S. Germanum, ibique moram protrahens ire versùs Agnum, & postea apud S. Vitum de Melfia se contulit, ibique per dies aliquot venationem exercuit.

Mense Octob. circa Festum omnium Sanctorum Innocentius Papa Urbem intrat, cum honore Senatus, Populique Romani magno receptus, ad quem dictus Comes vadit, tractans inter ipsum & Imperatorem bonum pacis.

Finis Chronici Richardi de S. Germano.

MATTHÆI SPINELLI DE JUVENATIO

AUCTORIS SYNCHRONI

EPHEMERIDES NEAPOLITANÆ,

SIVE

DIARIUM RERUM GESTARUM IN REGNO NEAPOLITANO

Ab Anno 1247. usque ad Annum 1268.

Italicè nunc primùm prodeunt

EX MANUSCRIPTO CODICE NERITONENSI.

ACCEDUNT

Latina interpretatio, & Notæ

CLARISSIMI VIRI

DANIELIS PAPEBROCHII

E SOCIETATE JESU.

IN EPHEMERIDES MATTHAEI SPINELLI

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

AD tempora Friderici II. Augusti, ejusque filii Manfredi, & Caroli I. Apuliae ac Siciliae Regum, spectant *Ephemerides Matthaei Spinelli*, quas nunc primum Italice sum editurus. Italice, inquam; jam enim antea Latine prodierunt cura Cl. V. P. Danielis Papebrochii e Soc. Jesu, qui in Propilaeo ad Acta Sanctorum Maji Opusculum hoc primus evulgavit, & easdem subinde e Papebrochiano Opere desumtas Johannes Baptista Carusius, de Siculorum eruditione bene meritus, intulit in Tomum II. Bibliothecae Historicae Regni Siciliae pag. 1089. Cur vero Italicum textum huc ego attulerim, quod consilium, ita me Deus amet, inane ac supervacaneum videatur jam habentibus Auctorem Latine loquentem, mature intelligat unusquisque velim. Antiquus, immo antiquissimus Codex MStus, unde Historia haec hausta fuisse dicitur, eam nequaquam exhibebat literis Latinis commendatam, sed quidem Italica Lingua, & fere Neapolitana, sive Apula Dialecto conscriptam, qualem heic accipies. Nihil praeterea in Italico textu nunc edendo occurrit, quod interpretationem sapiat forte olim e Latino factam; sed cuncta eo primigenio colore pinguntur, ut non aliis verbis quam Italicis ad haec describenda Auctor usus fuisse omnino sit existimandus. Et in hanc etiam sententiam conspirare video Neapolitani Regni gentem eruditam. Nam quod attinet ad numeros Arabicos heic usurpatos, ii posterioribus Librariis tribuendi sunt, non ipsi Auctori. Si ergo materna Dialectus Matthaeo Spinello adhibita est in hisce enarrandis, jam nemo non videt, quam aequum, addam etiam quam necessarium sit, haec tamdem edere, qualia Auctor ipse conscripta reliquit. Eoque magis, si ita se habet origo, quam innuebam, id mihi praestandum censeo, quod haec Historia, quantum quidem ego noverim, & prima sit, & reliquarum antiquissima, quam Italica Lingua, quamquam Apulo surfure commixta, nunc ostendere possit. Ad ea usque tempora religioni sibi duxerat quicumque scribendum aliquid sumsit, aliis quam Latinis literis uti. Id enim honoris adhuc nobilissimae Linguae deferebatur, ut non Acta solum publica, sed quaeque etiam privata, & Scientiae, ac Artes, & potissimum Historica monumenta per eam ad posterorum memoriam consignarentur. Verum aut exemplum Poëtarum Provincialium, aut aliud quodpiam consilium, Seculo Christianae Aerae XIII. primum fortassis apud Siculos, tum apud Tuscos, ac deinde per universam Italiam, usum Italicae Linguae e civili commercio in chartam quoque, atque in liberales Disciplinas transferre coepit. Primi Poëtae versus dedere Italicos, ipso Frederico II. florente, uti accurate animadvertit Cl. V. Johannes Marius Crescimbenius in Historia Poëseωs Italicae. Successere Historici, tum reliquarum Artium atque Scientiarum cultores. Ricordanum Malaspinam, & Dinum Compagnum praecipue Tuscia sub finem ejusdem Seculi XIII. protulit, Historiarum Scriptores, atque Italica Lingua usos, quos infra Lector accipiat. Ambos tamen antiquitate praecellit Spinellus noster, atque adeo hoc etiam nomine ab Italicis comiter libenterque accipiendus, tamquam antesignanus Historicorum Italice scribentium.

Fuit autem *Matthaeo Spinello* Historiae hujus Scriptori, Patria Juvenatium, Neapolitani Regni Oppidum in Barensi Provincia, nunc Ducali titulo insigne, atque amplissimae Familiae *del Giudice* subjectum. Neque vulgarem locum Spinellus in Patria tenuit; testis enim ipse est, se non semel Syndicum, sive Legatum suorum Civium egisse apud Reges Manfredum, & Carolum I. Militavit etiam pro eodem Carolo Rege; & ad Annum 1253. scribit, se tunc Neapolim profectum ad

ad invisendum Summum Pontificem Innocentium IV. & Curiam Romanam: quo tempore prodit se natum fuisse XXIII. annos. Ad haec rebus gestis intermixtum se aliquando fuisse non in uno loco tradit. An vero ad eum referenda sit Familia *Spinella*, quae inter praestantissimas Regni Neapolitani numeratur adhuc, videant alii. Blasius Aldimarius in Hist. Famil. Neapolitan. pag. 151. de gente Spinella agit, ac de illius splendore inter Neapolitanos. Tum subdit. *Vi è stata ancora in Napoli la Famiglia Spinella di Giovenazzo, nella quale vi fu quel celebre Scrittore degli Annali scritti in Lingua Pugliese*. Postquam vero ex ea quoque prodiisse Magnates non paucos ostendit, in haec verba desinit: *Oggi sono estinti, nè hanno alcuna attinenza con li Spinelli di Napoli*. Ceterum Matthaeus noster minime Historiam scribere aggressus est; sed nonnulla tantum, quae ab Anno 1247. usque ad Annum 1268. contigere in Regno Neapolitano, scripturae consignavit ad instar Ephemeridum; quamobrem ejus narratio aut ab ipso, aut a posteris *Diurnali* inscripta fuit, hoc est *Diarium*, sive ut vulgo dicimus, *Giornali*. Atque utinam omnia, quæ is literis mandavit, illaesa ad nos usque venissent. Verum edacitate temporis excidere non pauca; nam in vetusto Codice, unde haec fuere desumta, quatuor folia desiderantur ad Annum 1258. Tum plura periere ab Octobri mense Anni 1261. usque ad Octobrem Anni 1263. uti etiam quaedam ad Annum 1264. spectantia. Occurrebant, inquam, ejusmodi lacunae in ipso antiquo chartaceo Codice MSto, eo quod aut inde avulsa fuere aliquot papyri folia, aut characteres ipsi jam corrosi oculorum aciem effugiebant: qua ex animadversione rursus intelligas, Spinellum nullam aliam usurpasse ad haec conscribenda, quam Italicam, sive mavis maternam Linguam; gratioremque propterea textum hunc primitivum esse futurum, si evulgetur.

Et sane evulgabo: illius enim exemplar opportune mihi suppeditatum fuit a doctissimo Viro Johanne Bernardino Tafurio Neritonense (*da Nardò*) cujus beneficum in me studium, & pro publica eruditione singularem zelum depraedicare non solum possum, sed etiam grati animi causa debeo. Attamen quando a Clariss. Papebrochio, uti nuper monui, publici juris facta fuit hujusce Diarii Latina interpretatio, eam quoque ad Italicum textum adjunctam volui, ne ejusmodi praesidio careant, qui non satis perspectam habent Linguam nostram, aut forte ad intelligendam Neapolitanae sive Apulae dialecti mixturam sunt minus apti. Monendus tamen Lector, Interpretationem hanc non ab aliquo veteri Auctore profectam, sed postremis hisce temporibus, atque ipso curante Papebrochio, concinnatam fuisse. Quod etiam accuratius animadvertas velim, si utrumque textum conferas, Latinum Interpretem deprehendens non semper assequutum mentem Auctoris, sive id tribuendum sit vitiato exemplari, quo is usus fuerit, sive minori quam par erat Dialecti illius peritiae. Nihil morabor, ut vel unum locum huc adferam, curam hanc Lectori dimissurus. Illud potius edisseram, Ephemerides istas magni semper factas a Neapolitani Regni Scriptoribus, Virisque eruditis. Eas ante oculos habuit, eas laudavit Angelus Constantii, dum celebratissimam Historiam suam contexeret. Neque segnius easdem consuluit Odericus Raynaldus, Ecclesiasticorum Annalium Scriptor. Aldemarium quoque supra vidimus in earum laudes effusum. Mihi vero temperare nequeo, quin recenseam, quae de Spinello habet Johannes Antonius Summontius in Historiae Neapolitanae Tom. II. *Matthaeum de Juvenatio* pluries ille testem adducit; tum ad Annum 1255. in haec verba loquitur: *Mia intenzione è d'inserire in questa Istoria quasi ad verbum questo Autore, affinchè il curioso non resti degli scritti di costui privo, che tanto son desiderati; e per mezzo dell' opera mia sieno conservati alla memoria degli uomini. Poichè realmente con fedeltà da costui le cose di quei tempi in questo Regno son riferite; nè vi fu altri, che di ciò tenesse cura; e riscontrate con quel che scrive Giovanni Villani Fiorentino, in molte cose van d'accordo; e perciò debbono come cosa singolare essere tenuti in molto pregio dagli amatori della verità dell' Istoria, e de' passati accidenti in questo Regno*. Verum, ut ut Spinellianum Diarium tot laudibus cumuletur, dissimulare nolim, quin circumspecte admodum, quod est ad temporum ordinem, sit illius auctoritate utendum. Nam res quidem gestas tanto candore ac veritatis imagine describit, ut iis fidem adhibere difficile nolis. Ad Chronologiam tamen quod spectat, suspenso pede in ejus Lectione pergendum. Quaedam enim sunt, quae heic perturbata videantur, & certe cum reliquorum ejus temporis Scriptorum narratione pugnant. Librariorum incuria, quae & in aliis Codicibus deplorandam se praebet, id potius factum, quam Auctoris oscitantia; neque enim audeo illi tribuere diversam a nostra exordiendi Anni rationem, quando aliis in locis communem adhibet. Sed quando idem ille, cui acceptum refero Diarii hujus exemplar, nimirum

rum Tafurius supra laudatus, exoneravit me onere plura in hanc rem adnotandi, Lectori sistam quae ille ad me scripsit a se animadversa. In reliqua vero loca ipsi insalutata par examen unusquisque pro suo arbitrio instituet; & praesertim quei ad Annum 1261. heic enarretur, Comitem Flandriae cum Gallicis copiis in Italiam descendisse contra Regem Manfredum.

Censura di Giovan-Bernardino Tafuri sopra i Giornali di Matteo Spinello da Giovenazzo.

„ IL Libro de' Giornali di Matteo Spinello da Giovenazzo, Scrittore contemporaneo a' Manfredi, e Carlo I. Re di Napoli, è stimato uno de' più pregiati documenti d'Istorie accadute in que' tempi. E perciò con ragione non senza lode del suo Autore si son d'esso serviti molti Storici così Napolitani, come d'altre Nazioni nelle loro Opere. Pensai una volta, che questo Libro fosse stato composto con Lingua Latina da Matteo, e che dappoi da altro soggetto si fosse trasportato all' Italiana favella ne' tempi più bassi, parendo che il linguaggio non sia l'istesso, che quello usato comunemente nella Puglia nel terzo decimo Secolo di Cristo. Di tal cosa però lascio a' più saggi e dotti il farne risoluto giudizio. Non potendosi dall' altra parte ragionevolmente negare, che il linguaggio di questi Diarj sia stato mutato in gran parte dal suo primiero candore Pugliese da quelli, che di mano in mano con poca accuratezza gli hanno trascritti, come appare chiaramente dalla varietà della Lingua di tante copie.

„ Che questi Giornali sieno stati stesi ne' tempi medesimi, ne' quali succedevano ordinatamente le cose narrate, pare che si possa raccogliere dal loro contesto. V'è però qualche luogo, che fa argomentare essersi scritto dall' Autore qualche tempo dopo, che la cosa ivi narrata accadde. Nel considerare poi, che negli Esemplari MSS. che corrono pel nostro Regno, si trovano degli errori di Cronologia di molto rimarco, m'induco a sospettare, che gli Esemplari medesimi per negligenza ed ignoranza di chi li trasse primieramente dall' Originale, sieno stati in più luoghi corrotti nelle note numerali degli Anni. E forse a questi errori diedero ancora occasione le lacune, che nell' Originale si ravvisavano, sì per essere stato mancante di più carte in varj luoghi, e sì ancora perchè in altre parti le ingiurie de' tempi avevano cancellate più cose. Difetti, che quasi in tutte le copie MSS. che corrono per le mani degli Uomini dotti, si notano. Per dare un saggio di questa negligenza, ed imperizia de' Copisti, ho stimato conveniente porre in nota alcune poche Riflessioni Critiche sopra il Testo de' Giornali medesimi, acciochè da queste si possa far giudizio di qualche altro luogo corrotto o sospetto, che forse vi resta. Essendo cosa difficilissima a credere, che tali cose si fossero notate dall' Autore sotto gli anni e tempi, ne' quali in detti Esemplari si leggono, trattandosi d'Istorie accadute ne' suoi giorni, a' Napolitani, ed Italiani notissime, e che s'avevano per così dire avanti gli occhi dagli Scrittori di que' tempi, ne' quali senz' alcun dubbio fiorì Matteo Spinello da Giovenazzo.

„ Ne' Giornali di questo Autore MSS. che vanno intorno, si pone la venuta di Corrado in Italia, e nel Regno di Napoli, nell' Anno 1251. Ma l'Autore delle cose di Corrado, e di Manfredi, Scrittore di quel tempo, la stabilisce nell' Anno 1252. Così fa l'Autore della Cronica del Monistero della Cava, ed altri Scrittori contemporanei delle cose d'Italia.

„ Ne' Giornali medesimi si nota la morte di Corrado nell' Anno 1253. E pure non solo le altre memorie antiche scritte di questo stesso Secolo nel Regno di Napoli, ma pur' anche l'Autore Anonimo citato di sopra de' fatti di Corrado, Errigo Sterone negli Annali presso Canisio Tom. I. Antiq. Lection. pag. 273. il Monaco di Padova nel II. Lib. della sua Cronaca, e Matteo Parisio negli Annali d'Inghilterra, scrivono che accadesse nell' Anno seguente. Perciò con ragione Oderico Rinaldi negli Annali Ecclesiastici sotto l'Anno di Cristo 1254. num. 44. col testimonio degli Scrittori medesimi, e delle Lettere d'Innocenzo IV. Sommo Pontefice, convince d'errore quegli Storici, che la posero prima di quell' Anno.

„ Ciò, che si narra ne' Giornali stessi dell' andata d'Innocenzo IV. in Napoli nel mese di Giugno dell' Anno 1253. accadde onninamente nell' Anno 1254. Si veda il Rinaldi in quest' Anno dal num. 56. fino al num. 64.

„ Avendo posto la venuta d'Innocenzo nel Regno di Napoli nell' Anno 1253. „ den-

„ dentro il mese di Giugno, e scritto in sequela, ch' egli prendesse il possesso del Reame medesimo nel mese di Luglio, asseriscono, che dipoi andò Manfredi a dargli ubbidienza con maraviglia de' Popoli. Ma che Manfredi nell' entrare che fece il Sommo Pontefice nel Regno, gli uscisse incontro infino a Ceperano, lo racconta l'Autore de' suoi fatti. Che poi il detto Principe si fosse posto sotto la protezione d'Innocenzo, prima che l'istesso arrivasse in Napoli, costa dalle Lettere del medesimo Pontefice, e particolarmente dalla 205. del Libro 12. delle Lettere Curiali presso il Rinaldi, con la qual Lettera fu confermato a Manfredi il Principato di Taranto colle Contee di Gravina, e di Tricarico, lasciategli da Federigo padre, e gli si aggiunse ancora il Principato d'Andria. Può essere, che l'atto dell' Ubbidienza fosse un' atto solenne diverso dall' incontro; ma è certo, che non accadde in quell' Anno, sotto il quale si nota.

„ Ne' Giornali s'accenna con sufficienti indizj essere morto Innocenzo IV. nell' Anno 1253. quando la morte dello stesso Pontefice accadde l'Anno 1254. a dì 7. del mese di Dicembre, come si fa chiaro dalla Lettera 2. del Lib. I. d'Alessandro IV. successore. E lo confermano Errico Sterone presso il Canisio, e gli Scrittori più esatti delle Vite de' Romani Pontefici.

„ Sotto l'Anno 1255. si scrive, che i Cardinali, i quali erano stati in discordia un' anno e mesi, crearono finalmente nuovo Pontefice Alessandro IV. d'Anagni. Non posso facilmente persuadermi, che Matteo Spinelli notasse così tal cosa ne' suoi Giornali; poichè Alessandro IV. Cardinale, de' Conti d'Anagni, fu creato Sommo Pontefice nel mese di Dicembre dell' Anno 1254. dopo tredici soli giorni di Sede vacante. Nè vi fu discordia, ma unione grande tra' Cardinali, come costa da più illustri documenti storici di que' tempi, dalle Storie Ecclesiastiche, dalle Vite de' Romani Pontefici, e dagli Scrittori antichi delle cose del Regno di Napoli. L'elezione d'Alessandro nuovo Pontefice fu fatta da' Cardinali nel Regno medesimo, e però non dovea, nè potea essere ignota a Matteo, che fioriva in quel tempo nella Città di Giovenazzo. L'Autore Anonimo *de Rebus Siculis*, ch' ebbe anch' esso avanti gli occhi queste cose, facendo riflessione all' accelerata elezione del nuovo Papa, attribuisce l'affrettamento de' Cardinali al timore da essi conceputo per la ribellione e per gli sforzi di Manfredi.

„ Sotto l'istesso Anno intorno al mese di Febbrajo si nota, che dal Papa medesimo fu mandato a Manfredi l'Arcivescovo di Foligno, e che gli comandasse, che sotto pena di scomunica tornasse all' ubbidienza della Chiesa, e restituisse alla medesima le Terre tolte. Foligno mai non è stato Arcivescovado. In oltre dall' Anno 1243. fin' all' Anno 1265. la Città istessa fu priva del propio Vescovo, come scrive Ferdinando Ughello secondo gli antichi monumenti nel Tom. I. dell' Italia Sacra, trattando de' Vescovi di Foligno num. 29. col. 699. della nuova edizione di Venezia; dove opportunamente avverte, che il personaggio mandato a Manfredi fu amministratore solamente della Chiesa di Foligno *in spiritualibus & temporalibus*, ma non già Vescovo, e chiamavasi per nome *Bernardo*. Nè tale legazione fu mandata da Alessandro nell' Anno 1255. ma dall' Antecessore Innocenzo nell' Anno 1254. come scrivono il Bzovio nella continuazione degli Annali Ecclesiastici del Cardinal Baronio al detto Anno, e il citato Ughello.

„ In quest' istesso Anno 1255. leggiamo ne' Giornali, che si sparse voce nella Puglia e Sicilia, che Corradino era morto, e che in seguito Manfredi si fece coronare Re in Palermo. La coronazione del Re Manfredi nella Città di Palermo accadde nell' Anno 1258. come costa dagli Autori contemporanei Siciliani, Pugliesi, e Stranieri. Si vedano tra quelli l'Anonimo *de Rebus Siculis*; l'altro *de Rebus Manfredi*; la Storia della traslatione delle Reliquie di San Tommaso Apostolo dall' Isola di Scio alla Città d'Ortona nel Regno di Napoli, scritta nell' Anno 1259. Matteo Parisio negli Annali d'Inghilterra sotto l'Anno 1258. A i privati documenti, e alle Istorie scritte dagli Autori di varie nazioni e paesi concordano affatto i pubblici Strumenti stipulati da' Notaj Regj nel Regno di Napoli vivente Manfredi, e i Reali Diplomi spediti da Manfredi medesimo, da' quali chiaramente appare, che il Principe stesso cominciò a numerare gli Anni del suo Regno dal mese d'Agosto del 1258., e non già del 1255. Di molti, per isfuggire la longhezza, basta accennarne due. Il primo è uno Strumento pubblico conservato nell' Archivio Vescovile della Città di Nardò tra le scritture spettanti all' Abbate Rugieri, il quale principia ✠ *Anno salutiferæ Incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo sexagesimo primo*,

„ Re-

„ *Regnante Domino nostro Manfredo Dei gratia Illustrissimo Rege Siciliae, Anno Tertio, mense Madii, sextodecimo ejusdem, Quarta Indictione. Nos Notarius Venceslaus Bajulus Neritoni, Guerrerius Mannarmus ejusdem Civitatis Judex, Johannes publicus ejusdem Civitatis Regius Notarius, & subscripti testes Literati ad hoc specialiter convocati, praesenti scripto fatemur, quòd Dominus Rogerius Venerabilis Neritonensis Abbas* &c. L'altro è un Diploma Reale spedito dal Re Manfredi a favore de' Cilentani, Cittadini di Giovenazzo, tratto dall' Archivio Regio della Zecca di Napoli, e riportato da Lodovico Paglia nel Lib. II. dell' Istoria di Giovenazzo fol. 95. che finisce: *Datum Ortae Anno Dominicae Incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, decima octava Novembris, Tertiae Indictionis, Regnorum nostrorum anno secundo.*

„ Narrano, che nell' Anno 1265. fu fatto Papa Urbano IV. E pure è così chiaro, che Urbano fu creato Sommo Pontefice nell' Anno 1261. che appena v'è cosa di maggior chiarezza nell' Ecclesiastica Istoria. Considerando ciò, che si scrive presso Matteo Spinelli in questo stesso Anno, m'induco maggiormente a credere, che gli Esemplari MSS. che vanno intorno, sieno corrotti nelle note numerali degli Anni, e particolarmente di questo, di cui ora si tratta. Poichè Oderico Rinaldi ne' suoi Annali cita un luogo de' Diarj di Matteo Spinelli, come spettante all' Anno 1261. col quale scrive, secondo detto Autore, che in tal' Anno i Napolitani esortarono Manfredi a far pace col Papa nel dì terzo di Settembre. E in questo nostro Esemplare, ed in più altri che corrono, si pone tal cosa fallacemente nel mese di Settembre dell' Anno 1265. In altri Esemplari si registra nell' Anno 1263. il quale segue a segnarsi in appresso.

„ Sotto l'Anno medesimo 1265. si dice ne' Giornali: *Lo Majo poi certi Romani della parte del Re Manfredo fecero trattato di dare lo Papa presone in mano de lo Re; ma foro scopierti, & lo Papa se salvao a Viterbo: e all' hora bandìo la Cruciata contro Re Manfredo* &c. Questi tumulti di Roma si descrivono dall' Autore *Rerum Sicularum*, ed accaddero nell' Anno 1264. come mostra diffusamente il Rinaldi in quest' Anno dal num. 20. al 26.

„ Si legge ne' Giornali medesimi, che avendo Papa Urbano nel mese d'Ottobre dell' Anno 1263. mandato ad invitare il Fratello del Re di Francia alla conquista del Regno di Sicilia contro Manfredi, poco dopo se ne morì. Urbano IV. morì nel secondo giorno d'Ottobre dell' Anno 1264. e per conseguenza un' Anno dopo. Se si sospetta errore nella nota numerale dell' Anno, e si riporta al seguente, ancorchè si voglia mandata tal legazione in Francia nel primo giorno d'Ottobre, mentre Urbano agonizzava, essendo egli morto nel dì seguente, pare che non si possa verificare quel *poco dopo*. E' facile, che l'errore sia scorso ancora nel nome del Mese. Avanti questo numero mancano molte cose in alcuni Esemplari MSS. e in vece della parola d'*Ottufo* v'è notato *Dictu.* Coll' una e l'altra lezione però si può facilmente sospettare, che l'Autore notò quelle cose qualche tempo dopo, da che elleno accaddero, e non nel tempo medesimo, nel quale successero, come pare siasi fatto nel registrarsi l'altre Istorie.

„ Quanto si dice operato da Carlo in questo Regno nell' Anno 1265. accadde nell' Anno 1266. non essendo stato questo coronato Re di Sicilia, che nell' Epifania di detto Anno. Dopo la coronazione passò all' impresa contra Manfredi, come ne rendono testimonianza tutti i più accurati e diligenti Scrittori di quella stagione. Secondo questo debbonsi ordinare le cose, che sieguono: la qual regola ha luogo parimente negli Anni accennati finora, da' quali dipende la serie d'altri racconti.

„ Giova finalmente quì avvertire, che Giovann' Antonio Summonte nel Lib. II. delle Istorie della Città e Regno di Napoli Cap. 10. fogl. 158. dell' ultima edizione, stimò, che Angiolo di Costanzo illustre Scrittore delle cose del Regno medesimo, ebbe tutti intieri i Giornali di Matteo Spinello, di cui ivi si parla. Ancor' io stimo, che la Copia de' Giornali dello Spinelli, della quale si servì il Costanzo, fu diversa da quella, che ora abbiamo, e si stendesse a raccontare le cose accadute fino al tempo del Re Carlo II. ma che fosse ella mancante nel principio, dando cominciamento a' racconti della morte di Federigo II. Imperadore (la quale accadde nel mese di Dicembre dell' Anno di Cristo 1250.) e non già dall' Anno 1247. come dimostrano le Copie, che oggi si trovano; rendendone di ciò testimonianza l'istesso Costanzo nel Proemio della sua Opera, dove dice: *In volermi porre a scrivere, mi vennero in mano gli annotamenti di Matteo di Giovenazzo, che scrisse del tempo suo, dalla morte di Federigo II. fin' a' tempi di Carlo II.* Nel fine del Libro Primo delle sue Storie fogl. 34. dell' edizione di

„ Parrino, secondo i Giornali suddetti, (o com' egli parla, *l'Efemeridi antiche* „ *scritte da Matteo di Giovenazzo*) descrive il poco felice passaggio di Carlo I. Re „ di Napoli in Sicilia con Filippo Re di Francia, che accadde nell' Anno di Cri- „ sto 1270. al qual' Anno non arrivano i Giornali medesimi, che ora comune- „ mente vanno intorno. Non mancano però Scrittori, i quali avendo l'occhio su „ le Copie, che oggi corrono per le mani degli Uomini Eruditi, han pensato non „ avere prolungati i suoi Diarj Matteo, che fino alla venuta di Corradino nel „ Reame di Napoli. Di questo Autore, e de' suoi Giornali Lodovico Paglia nel „ Lib. II. delle Storie di Giovenazzo fol. 87. forma il seguente giudizio: *Tutto* „ *ciò riferisce ne' suoi Giornali Mess. Matteo Spinelli nostro Cittadino. Di questo Scrittore ci* „ *avvaleremo di quì avanti, raccontando veridicamente i successi occorsi a suo tempo, in* „ *molti de' quali egli è testimonio di vista. Essendo stato, conforme appare da' suoi scritti,* „ *persona assai curiosa, ed avendo seguita la milizia in servigio del Re Manfredi, e poi di* „ *Carlo Primo. Benchè le parole sieno goffe, scrivendo nella materna Lingua a tempo, che* „ *avevano incominciato a farsi vedere le Muse Toscane, è perciò molto degno di scusa, men-* „ *tre non solo a suo tempo, ma anco un poco dopo si trovano difettosi quelli, che nello stesso* „ *linguaggio hanno scritto. Cominciano questi Annali dal 1247. quando l'Autore era d'età* „ *d'anni XVII. e terminano alla venuta di Corradino Suevo, venendo per molto veridici* „ *dagli Scrittori comunemente approvati*. Nel Libro III. fogl. 105. stima, che Matteo „ morisse nella famosa battaglia tra Carlo Primo Re di Napoli, e Corradino: „ ma tale conghiettura parmi, che non abbia alcun sodo fondamento d'Istoria.

Nardò 18. Aprile 1724.

DANIELIS PAPEBROCHII

E SOCIETATE JESU

MONITUM.

Dum alia quædam pro hisce commentariis quærit R. P. Bernardus Coccovaginus *in nostri Viterbiensis Collegii Bibliotheca multis curiosis MStis instructa, quæ unà cum aliis suis omnibus libris Card. Cobellutius Collegio isti legavit, moriens anno MDCXXVII. etiam Chronicon istud reperit ab anno MCCL. usque ad MCCLXV. quod ejus esse, cujus nomen prætitulabatur, autographum, ille quidem non fuit ausus asserere; notavit enim annorum numeros Latinis literis scriptos quidem omnes esse, eadem tamen manu etiam scriptum haberi ad calcem rerum memorabilium Indicem, cujus numeri per zyfras procedunt, quarum usus in Italia ægrè credi potest adeò adhuc vulgatus fuisse. Verosimilius sanè est, secundariam esse scripturam alicujus, qui contextum vetustiorem cum iis, quos reperit, numeris Latinis in novum transtulit codicem, eidemque ad usum commodiorem subtexuit Indicem, in quo, tamquam operi suo adhibuerit zyfras usitatiores tum sibi. Hoc autem etiam eo potest apparere credibilius, quòd ex autographo avulsum videatur fuisse sub finem folium, eoque defectu non animadverso omnia consequenter transcripta habeantur. Utut est: Auctor ea scripsit, quæ vidit, vel è propinquo audivit, cùm agerentur; unde primùm excerpta quædam ad Historiam Pontificiam propiùs spectantia prædictus Coccovaginus transmisit; cùmque placuisse intellexisset, addidit integrum Chronici illius contextum; qui quoniam etiam sic longus non est, nec alibi, quòd sciam, reperitur, nisi articulatim discerptus apud Johannem Antonium Summonte Tom. 2. Hist. Neap. lib. 3. non gravabor eumdem hìc totum referre, ex Italico Latinè redditum fideliter, ad cognoscendam distinctiùs impietatem eorum, qui tunc Ecclesiam affligebant, Frederici, inquam, Imperatoris, & nothi ejus Manfredi. Est autem Juvenatium, ubi vivebat & scribebat Auctor, loci ipsius Syndicus, sive Judex, in territorio Bariensi oppidum litorale inter Tranum, & Barium.*

DIUR-



DIURNALI
DI MESSER
MATTEO SPINELLO
DI GIOVENAZZO

Incominciando dall' Anno 1247. ſino al 1268.

Variantes à verſione Latina MSti noſtri lectiones Alphabeticis literis, Papebrochii verò notæ Arabicis numeris indicantur.



A *Nno Dom. 1247. Federico Imperatore ſe ne tornao rutto da Lombardia, & venne a caccia con li falconi in Puglia. Nella fine del detto Anno incominciao a raccogliere gente, perchè ſe diceva, che volea paſſare in Lombardia.*

Alli 13. *di Marzo* 1248. *nella Città di Trani uno Gentiluomo de li meglio, che ſi chiamava Meſſer Simone Rocca, avea una bella mogliere, & alloggiava in caſa ſua uno Capitano di Saracini, chiamato Phocax: ſe ne innamorao, e a mezza notte fece chiamare Meſſer Simone; & come quello aperſe la porta della camera, intrao per forza, & ne lo cacciao da là ſenza darli tiempo, che ſi cauzaſſe & veſtiſſe, & ebbe da fare carnalmente con la mogliere. Et la mattina che ſi ſeppe, ſi fece preſtamente lo parlamiento, & andaro tre Sindici della Città, & Meſſer Simone, & dui frati di detta donna con la coppola innante agli occhi per la vergogna, che l'era ſtata fatta. Et* B

tro-

A *Interpretatio Latina Clariſs. Viri Danielis Papebrochii è Societate Jeſu.*

ANno Domini MCCXLVII. Imperator Fredericus prœlio victus in Lombardia, vênit in Apuliam ad aucupium Falconarium. Ad finem autem Anni prædicti cœpit militem colligere, traducendum, ut dicebatur, in Lombardiam.

Anno Domini MCCXLVIII. die 13. Mar-
B tii, in civitate Tranenſi, vir ex meliori nobilitate inſignis, cui nomen D. Simon Rocca, cùm haberet uxorem formoſam, & domui ſuæ aſſignatum hoſpitem quemdam Saracenorum Capitaneum, nomine Coccam (*); ab eodem, in dictæ mulieris concupiſcentiam accenſo, noctu evocatus de camera, oſtiumque aperiens, tam præcipitanter expulſus inde eſt, ut nec veſtes quidem induere fuerit ei permiſſum, retenta intus ad barbari libidinem explendam muliere. Id cùm manè innotuiſſet per civitatem, coacto confeſtim Senatu, delegati ſunt tres Syndici cum D. Simone, duobuſque germanis fratribus ipſius matronæ;

qui

(*) *In MS. Ital.* Phocacem.

A trovaro lo Imperatore a Fiorentino, & se ingenocchiaro, gridando misericordia, & giustitia; & li contaro lo fatto. Et l'Imperatore disse: Simone, dove è forza, non è vergogna. Et poi disse alli Sindici. Andate; cha ordinaraggio, che non faccia più tale errore; & se fosse stato del Regno, l'averia subito fatto tagliare la testa.

Alli 20. del detto Mese venne l'Imperatore a Trani a vedere la fabrica dello Castiello.

Alli 20. d'Aprile 1248. se seppe, che lo Cavarretto del Castiello de Bari volea far fuggire li presuni; & l'Imperatore mandao alla ditta Città de Bari Messer Andrea de Capua, ch' era Avocato Fiscale, & passò per Giovenazzo B con dodici alabardieri.

Alli 22. del detto Mese si fece la justitia in Bari, & io ci fui presente, & fu squartato lo Cavarretto, & dui famigli al Castiello; & fo tagliato lo capo a Messer Gulielmo de Tocco, & a Messer Lione de Santangelo, & ad uno Conte Lombardo, & a due Fiorentini. Et fo levata la Castellania a Messer Pietro Boccafingo, & data ad uno Saracino di Puglia.

Alli 9. del mese di Giugno vennero in Puglia sette Compagnie di Saracini; & foro assai gentili uomini, che aveano moglieri giovani & belle, che se ne andaro da Trani & da Bari in Schiavonia per paura; & Messer Taddeo de Sessa fece aver grazia a Giovenazzo, C che non alloggiasse.

Alli 12. del detto Mese fo saccheata la Città di Bitunto, & lo Episcopo ebbe bone mazzate.

Alli 27. del detto Mese fo morto de trono Messer Zaccaria Medico di Polignano, che andava ad Andre a ritrovare lo Imperatore tra Molfetta & Jovenazzo.

Allo primo di Settembre 1248. Messer Pauluerio della Marra uccise uno Saracino, & li Cittadini di Barletta lo salvaro; & ne foro impisi dui, & la Terra ne pagò mille Augustali di pena.

Allo dì di Santo Luca intrao a Barletta Messer Manfredo Prencipe di Taranto, figlio D dell' Imperatore, & li dettero due millia Augustali, che facesse levare l'alloggiamento delli Saracini da Barletta; & andarono a Canosa, a Laviello, e a Minervino.

Alli 5. di Novemb. fo lo terremoto grandissimo.

Anno Domini 1249. l'Imperatore dette la figlia per moglie al Conte di Caserta di Casa de Aquino, & si fece la festa ad Andre.

Alli 22. di Febraro si partero i Saracini, & iero a fare guerra alle Terre del Papa. Questo Anno foro li grilli, & consumaro omne cosa in Puglia piana, & in Capitanata, in Basilicata, & in Calauria.

Alli 3. di Settembre 1249. Messer Berardo Caracciolo Dusso venne Justitiero alla Provin- E cia di Terra di Bari. Quest' Anno l'Imperatore fece gran denari, & fece venire da Sicilia & da Sardegna assai nave di grano; e valse dui

qui attractis præ verecundia ante oculos cappuciis, accesserunt ad Imperatorem, Præsentini agentem (a), procidentesq; in genua factum narrarunt, misericordiam, & justitiam postulantes. At ille D. Simon dixit: Ubi intercessit violentia, nulla debet esse verecundia. Et conversus ad Syndicos: Ite, inquit, curabo ne tale quid ampliùs committatur: si de Regno natus fuisset reus, continuò jussissem eum capite plecti.

20. ejusdem mensis die, vênit Tranum Imperator, ut fabricam arcis inspiceret.

20. Aprilis, rescitum fuit, quòd Castri Bariensis Cavarrectus (1) intendebat vinctis dare effugiendi commoditatem: missus itaque illuc ab Imperatore D. Andreas de Capua, qui erat Advocatus Fiscalis, transivit Juvenatio cum duodecim balistariis.

23. Facta est Bari justitia, me istic præsente, & Cavarrectus dissectus in partes quatuor cum decem ipsius Castri famulis (b), Domino autem Guilielmo de Toco, & D. Leoni de S. Angelo, necnon cuidam Comiti Lombardo cum duobus Florentinis, abscissum est caput; Castellania verò ablata est à D. Petro Roccafolia (c), dataque Saraceno cuidam Nucerino.

8. Junii, venerunt in Apuliam septem Cohortes Saracenorum: quapropter viri nobiles multi, qui uxores habebant formosas ac juvenes, ipsis, & sibi metuentes, Trano, Barioque emigrarunt in Sclavoniam (2), & D. Taddæus de Sessa obtinuit D. Johanni de Juvenatio immunitatem ab hospitio præbendo (d).

12. Expilatum fuit Bitectum, & fustibus cæsus Episcopus loci (3).

28. Extinctus est tonitruo D. Zacharias, Medicus Polignianensis, qui ibat Andriam ad Imperatorem, inter Molfettam, & Juvenatium.

Primo Septembris, D. Paluccius de Marra occîdit Saracenum quemdam, & Barlettani Cives eum salvarunt: quapropter duo ex illis in vincula conjecti sunt (e), oppidumque mille Augustalibus mulctatum in pœnam.

Festo S. Lucæ, ingressus Barlettam est Princeps Tarentinus, filius Imperatoris (4), qui acceptis bis mille Augustalibus, liberavit Barlettanos ab hospitandis Saracenis: hi verò iverunt Canosam, Saviellum (f), & Minerbinum.

5. Novemb. fuit maximus terræmotus.

Anno Domini MCCXLIX. Imperator filiam suam despondit Comiti Casertano (g), celebratæque sunt nuptiæ Andriæ (5).

20. Februarii, discesserunt Saraceni, bellum illaturi ditioni Pontificiæ. Eodem anno multiplicatæ locustæ vastaverunt campestria Apuliæ, Capitaniatam, Basilicatam, & Calabriam.

3. Novembris (h) vênit D. Bernardus Carracciolus Rubeus (i) Justitiarius, in nostram terræ Bariensis Provinciam. Hoc etiam anno collegit Imperator magnam pecuniam; fecitque ex Sicilia, & Sardinia venire tam multas na-

(a) MS. Ital. Florentini.
(1) Ita vocant Normanni publicorum carcerum inspectores, quorum erat decernere, arctiùsne, an laxiùs habendi captivi essent.
(b) MS. noster & Cavarrectus cum duobus famulis in partes quatuor dissectus in castro.
(c) MS. Boccafingo.
(2) Ita tunc ab Italis appellatam Dalmatiam docet Johannes Lucius in opere de Regno Dalmatiæ, & Croatiæ.
(d) In MS. Ital. nihil de D. Joanne, sed hæc immunitas impetrata dicitur oppido Juvenatii.
(3) Bario distantis octo passuum millia, de quo multis egimus ad 17. Aprilis in Vita B. Jacobi ibidem celebris, ex Ordine Minorum.
(e) MS. laqueo suspensi.
(4) Nothus, scilicet Manfredus.
(f) MS. rectiùs Lavellum.
(g) MS. addit: ex Aquinatensi familia.
(5) Quæ est civitas Mediterranea Barletta, & Trano Urbibus maritimis distans 5. p. m. in territorio Bariensi.
(h) In MS. Ital. Septembris.
(i) Dussus legitur in MS. nisi mendum irrepserit.

dui Augustali lo tumolo alla misura picciola. Del mese di Novembre andao l'Imperatore da Puglia in Sicilia, e non si sa perchè.

Alli 20. di Febraro 1250. ritornao l'Imperatore a Vieste a dismontare con quattro Galere.

Alli 13. d'Aprile vennero da Barbaria in Calauria dicesette Compagnie di Saracini, & alloggiaro per la Calabria, & Basilicata.

Lo mese di Maggio, che si dicea, che lo Imperatore volea ire ad Lombardia, li venne novella, ch'era stato sconfitto lo Re di Sardegna suo figlio, & presuni & sfracassati tutti li suoi seguaci: & però si dice, che non va più per questo anno. Et si dice ancora, che sta innamorato.

All'intrata d'Agosto 1250. fo posta per tutto lo Reame una colletta la più grande, che sia stata mai posta, che se paghe uno tarì per capo. Il dì di Santo Simone & Juda l'Imperatore venne allo Castiello di Bellomonte. Alli 5. di Novembre lo Justitiero Messer Berardo Caracciolo Dusso andao a vedere l'Imperatore, & portaole settecento onze, che avea raccolto dalle collette. Et lo Imperatore se scorucciao fortemente, che non avea raccolto più, & le disse molte parole injuriose; & lo Justitiero gli rispose: Signore, se non vi piace lo servire mio, proveditevi per altro, perchè le Terre stanno tutte povere. *Et lo Imperatore se adirao più forte, & se voltao a Messer Taddeo da Sessa, e disse, che se non fosse stato l'amor, che portava a Messer Giovanni, l'avrìa fatto jettare per li mergoli.*

Alli 12. del detto Mese fo fatto Justitiero in Terra di Bari Messer Rachalt frate dello Miraglio di Sicilia, che era Mastro Portulano di Barletta, & era Saracino. Alli 15. fo jettato lo bando, che a pena de ire a Galera, omne persona avesse pagata la colletta per lo dì di Santo Andrea. Et lo dì di Santa Catarina lo Imperatore pigliao la via di Nocera.

Alli 29. del detto Mese si è saputa la novella, cha l'Imperatore sta malato.

Allo 1. di Decembre quelli, che passaro per Jovenazzo, dissero, cha l'Imperatore sta malissimo.

Alli 9. si sparse fama, che era fore di pericolo.

Alli 13. che fo lo dì di Santa Lucia, morìo; e la sera innante avea mangiato certe pera con lo zuccaro, & disse, che la mattina venendo se volea levare, e questo Anno è lo 1250.

Alli 16. di Decembre alle 21. ore è venuta lettera da Manfredo Prencipe di Taranto, che va avisando le Terre da passo in passo della morte dello Padre.

Alli 23. del detto Mese ci andao Messer Colet-

A naves cum frumento, ut tumulus non valeret nisi duos Augustales. Eodem mense Novembri, ex Apulia in Siciliam abiit Imperator: idque non sinè causa.

Anno Domini MCCL. 20. Februarii, Vestiam appulit Imperator cum centum duabus triremibus (K), metatusque hospitia exercitui est in Calabria, & Basilicata.

17. Aprilis, in Calabriam venerunt septendecim cohortes Saracenorum ex Barbaria, & hospitati sunt in Calabria, atque Basilicata.

Mense Majo dicebatur, quòd Imperator volebat in Lombardiam ire, vênitque nuntius, quòd filius ejus Rex Sardiniæ (6) cæsus fuerit, captis, ac trucidatis omnibus ejus sequacibus: Ideoque dicebatur, quòd Imperator hoc anno non esset ulteriùs perrecturus: alii verò dicebant, amore aliquo captum retineri.

B

Mense Augusto (l) per omne Regnum constituta fuit collecta pecuniaria, gravior quàm aliàs unquam, unius scilicet tarì per singula capita.

In Festo SS. Simonis, & Judæ, Imperator vênit ad Castellum, (m) Montis dictum.

5. Novembris, Justitiarius ivit ad Imperatorem, ferens septingentas uncias auri, quas ex collecta conflarat, Imperator autem vehementer indignatus fuit, quia non plus collegerat; dixitque multa verba injuriosa. Justitiarius autem respondit: *Domine, si tibi non placet ministerium meum, de altero tibi prospicias licet, quia Oppida planè sunt depauperata*. Et excanduit multò magis Imperator: seque convertens ad D. Taddæum, dixit, quòd nisi ei parceret propter amorem D. Joannis, mergis eum objici juberet (n).

C

12. Factus est Justitiarius in Provincia Bariensi (o) Frater Admiralii Siciliæ, qui erat Magister Portulanus (7) & erat Saracenus.

14. Fuit proclamatum, ut unusquisque ad Festum Sancti Andreæ collectam solveret, sub interminatione Triremium.

Ipso die S. Catharinæ, Imperator Nuceriam versùs iter arripuit.

D

29. Intellectum fuit Imperatorem infirmari.

5. Decembris, quotquot Juvenatio transitum habebant, dicebant Imperatorem pessimè valere. (8)

9. Sparsa est fama, quòd Imperator evasisset periculum.

13. Festo S. Luciæ, inventus est mortuus: vesperi autem præcedenti comederat pyra quædam condita zaccaro: dixeratque quòd manè sequenti vellet surgere de lecto.

16. (p) Venit Epistola, quam scripserat Princeps Tarentinus, notificans oppidis de passu in passum mortem sui Patris. (9)

E

23. D. Collecta Spinellus de Juvenatio, patruus

(K) *In MS.* cum quatuor galèis.
(6) *Entius, à Bononiensibus, quorum agrum populabundus ingressus erat*, cæsus &c.
(l) *MS.* Intrante mense Augusto.
(m) *In MS.* Belli-Montis.
(n) *Ital.* è murorum pinnis eum dejici juberet.
(o) *In MS.* Dominus Rachalt frater &c.
(7) *Idest Præfectus Portuum.*
(8) *Juvenatium distat 60. m. p. Nuceria, seu Luceria Paganorum sic dicta, quia Friderici permissu ipsam tenebant Saraceni, juxta quam ad 6. m. p. inter Apenini colles est castrum Floventinum, ubi obiit Fridericus.*
(p) *In MS.* 16. Decembris hora 21. venit &c.

(9) *Baluzius lib. I. Miscellaneorum suorum pag. 475. profert Epistolas duas Manfredi ad Regem Conradum, quarum prior affirmat, quòd Imperator,* ,, in ipsis mortis indiciis, præter dona ,, mirifica, & beneficia gloriosa, quæ in testa- ,, menti serie fidelibus gratanter indulsit, Sa- ,, crosanctam Romanam Ecclesiam Matrem ,, suam, in corde contrito, velut Fidei Ortho- ,, doxæ zelator, humiliter recognovit: & dam- ,, na, quæ dudum Ecclesiæ, invitus forsitan, ,, vel potiùs provocatus, intulerat, integrè re- ,, stauranda sancivit; ,, *Quæ si verè extrema Frederici voluntas fuit, utinam eam implere curavisset Manfredus.*

A *letta Spinello de Jovenazzo mio Zio, Sindico della Terra; & li foro dati XX. Augustali, che s'avesse fatta la tassa delle spese a se, & a soi famigli.*

Alli 28. del detto Mese passao lo Corpo dello Imperatore, che lo portaro a Taranto, & io fui a Bitonte per vedere. Et andao in una lettica coperta di velluto carmesino con la sua guardia delli Saracini a pede, & sei Compagnie di Cavalli armate: che come intravano le Terre, andavano chiangendo l'Imperatore; & poi veneano alcuni Baruni vestiti nigri, insieme con li Sindici delle Terre dello Reame.

B *Alli 5. di Jennaro 1251. lo Conte de Molise, che era stato ad accompagnare lo Corpo dello Imperatore, alla tornata de Taranto venne a Santo Nicola de Bari, & poi passao ad alloggiare a Jovenazzo con altri Baruni, & suoi Suffeudetarj. Alla casa di mio Zio stette lo Conte; & in casa mia stette Princivalle de Sanguinè; & per l'altre case stettero Messer Corrado de Gambatesa, Messer Lione de Montagano, Messer Gerio Ruffo, Messer Bartolomeo de la Castagna, & Messer Gorone Monticiello. Foro in tutto quaranta sette Cavalli, e foro tutti ben trattati.*

C *Manfredo Prencipe di Taranto, che era restato Governatore del Regno, se mosse, como fo morto lo Patre, & andao a Napole; & come fu a Montefuscolo, seppe novella, che Papa Innocentio IV. avea mandato uno Breve a Napole, e a tutte le Terre delli Baruni dello Reame, che non dessero obbedienza a nullo, eccetto che alla Sedia Apostolica, perchè lo Regno era scaduto alla Chiesa: & perciò si fermò lo Conte di Caserta a Napole per sapere l'animo de' Napolitani.*

Lo Conte di Caserta arrivò a Napoli alli 7. di Jennaro 1251. & li Napoletani li dissero a lettera di marzapano; che loro sono sfastiditi di stare tanti anni interdicti & scomunicati, & non volevano in nulla maniera dare obbedienza a chi vene senza Investitura & benedizione del Papa.

D *Poi andao lo Conte di Caserta con Messer Stefano d'Evoli a Capua per fare dare l'obbedienza da' Capuani; & altretanto li fo risposto da' Capuani.*

Alli 12. di Febraro 1251. se partio lo Prencipe di Taranto da Montefuscolo, & cavalcao per lo Regno con assai Saracini, & ne lassao tricento a Principato, & altri tanti in Basilicata per le Terre, che erano state di Casa Sanseverino, perchè si dubitava de Rugiero de Sanseverino, ch'era restato sulo di quella Casata, & è di dicisette anni in circa; & lo Papa l'have dato per mogliere la figlia dello Conte de Fiesco sua parente stretta.

E *Alli 20. di Maggio si seppe, che Re Corrado era venuto a Verona, & vene a pigliare possessione di questo Reame. Alli 26. d'Agusto 1251. venne Re Corrado con l'armata de' Venetiani, & sbarcao a Pescara, e alla Montagna de San-*

truus meus tamquam Syndicus oppidi egressus est; fueruntque ei in subsidium expensarum faciendarum, pro ipso, & suo famulitio, dati viginti Augustales.

28. Transiit hàc corpus Imperatoris, quod ferebatur Tarentum: Et ego egressus sum (q), ut viderem. Gestabatur autem in lectica, holoserico rubro operta, cintum ducentis Saracenis peditibus, ordinaria corporis Regii custodia, & sex cohortibus equitum armatorum: qui omnes cùm locum aliquem ingrediebantur, plangentes inclamabant mortui nomen: sequebantur autem eos Barones aliquot, vestiti lugubribus, & Syndici oppidorum.

Die 5. Januarii MCCLI. Comes Molisii, qui comitatus fuerat corpus Imperatoris, Tarento rediens, vênit Barium ad visitandum Corpus S. Nicolai, & postea vênit Juvenatium hospitandi causa, cum aliis Baronibus subfeudatariis suis. Et Dominus quidem Comes mansit in domo Mutii (r) in domo autem mea receptus fuit Princivallus de Sangro (*): in aliis verò domibus fuerunt hospitati D. Conradus Gambatesa, D. Leo de Montegano, D. Servius (s) Ruffus, D. Bartholomæus de Castanea, & D. Joannes (t) Monticellus, universim Equites quadraginta septem: qui omnes splendide tractati sunt.

Princeps porrò Tarentinus, qui ad Regni gubernationem remanserat, statim ut cognovit mortem patris, movit Neapolim versùs: cùm autem pervênit ad Montem-Fuscolum (10) intellectum est, quod Papa Innocentius Quartus miserat Neapolim, & ad omnia oppida Baronum Regni, ne cui alteri quàm Apostolicæ Sedi præstarent obedientiam, quia Regnum erat ad Ecclesiam devolutum: quapropter misit Princeps Comitem Casertanum, (u) qui mentem Neapolitanorum exploraret.

Vênit Comes Neapolim 7. Januarii, cui Cives in literis Marzæpanis (11) responderunt tædio se affici tam diuturni interdicti, & excommunicationis: proinde certum sibi esse nemini præstare obedientiam, nisi qui veniret cum investitura, & benedictione Papali. Inde abiit Comes cum D. Stephano Jevoli Capuam, ut istic exigeret obedientiam, sed idem etiam Capuani responderunt.

Die 12 Februarii, discessit Princeps Tarentinus à Monte-Fuscolo, equitans per Regnum cum undecim Saracenis (x), & trecentos ex illis reliquit in Principatu, ac totidem in Basilicata, per oppida, quæ spectaverunt ad jus familiæ Sanseverinæ: dicebatur enim, quòd Rogerio de Sanseverino (y), qui solus ex gente illa erat superstes, annorum septendecim adolescenti, Papa desponsaverat filiam Comitis Flisci, sanguine sibi conjunctissimam.

20. Maji intellectum est Regem Conradum appulisse Veronam, ut possessionem Regni iniret.

26. Augusti, vênit Rex Conradus cum classe Veneta, & exscensionem fecit Pescaræ, & ad

(q) *MS. sensus:* ego in Bituntum veni, ut viderem &c.
(r) *MS. non* Mutii, *sed* patrui mei.
(*) *In MS. Ital.* de Sanguinè.
(s) *MS.* Gerius.
(t) *MS.* Goro.
(10) *Oppidum in ditione Beneventana, distans Neapoli p. m.* 30.
(u) *MS.* Quapropter Comes Casertanus Neapoli moratus est, ut mentem &c.

(11) *Idest* in claris terminis, *tamquam literis untialibus, quales ad bellaria fiunt, ex Zaccaro, & polenta.*
(x) *Meliùs legitur in MS.* cum magna copia Saracenorum.
(y) *MS.* Quia timor erat, ne Rugerius de Sanseverino esset nova moturus, qui solus ex gente illa superstes erat, ac decimum septimum agit annum, eique Papa desponsavit &c.

Santo Angelo; e tutti li Baruni de lo paese erano a farli onore; & alli 29. venne a Barletta.

Del mese di Settembre si partio Re Corrado, e con tutto suo sforzo andao contra lo Conte d'Aquino, & lo Conte de Sora, che aveano alzato le bandere del Papa.

Lo dì di Santo Martino avendo ruinati quelli Conti, & arse e saccheggiate quelle Terre, andao a Capua; e Casa de la Leonessa, & d'Evoli la fecero arrendere.

A dì primo di Decembre 1251. Re Corrado pose Campo a Napole.

Alli due di Jennaro 1252. venne lo Nuntio de lo Papa a parlare a Re Corrado in favore de' Napolitani; & Re Corrado mandao a dire allo Papa, che farìa meglio ad impacciarse delli uomini con la cherica rasa.

Alli 25. d'Aprile in iorno di Santo Marco Re Corrado ordinò di dare l'assalto a Napoli con li Tudischi, e con li Saracini; & promese di dare tre paghe a quella natione prima, che entrava in Napoli: & foro d'accordio. Li Saracini combattero quella parte della Terra, che sta da Tramontana, & li Tudischi da banda Levante. Et venne nova, che ci moriro seicento Saracini, & poco manco Tudischi, & da quello dì mai più pensaro di dare assalto.

Allo principio di Majo vennero le Galere da Sicilia; & a Napoli si comenzao a patire di grassa. Dello medesimo Mese vennero assai Baruni allo Campo del Re Corrado.

Lo dì di Santo Joanne dello mese di Giugno usciro da Napoli per fin' a quattrocento uomini per la via della Grotta, che va a Pozuolo; & andaro alli Casali, & portaro gran refrescamento dentro Napoli; & Re Corrado pose subito le guardie, & fece chiudere le guardie & li passi dalli guastaturi.

Alla fine di Settembre 1252. s'arrendeo la Città de Napoli ad patti; & Re Corrado fece gran iustitia, e grann' uccisioni. Et se li Soldati Lombardi, che erano allo Campo suo, non salvavano buona parte di Napolitani, averìa fatto ire a filo de spada tutti quelli, che potevano portare arme.

Alli 20. di Ottubre è tornato da Napoli Messer Donato Carducci, & dice, che Re Corrado avea fatto abbattere le mura de Napoli.

Alli 10. di Decembre 1252. Re Corrado ionse a Barletta, e tutta Terra de Bari andaò a presentarlo. La Vigilia de Natale se partio, & andao a Melfi, & là volse fare parlamiento generale, & nce corsero assai Baruni.

Alli 24. di Febraro 1253. fo fatto parlamiento, & lo Conte di Caserta propose, che dessero allo Re trenta millia onze d'oro; & subito se mandaro li rescattaturi per tutte le Terre; & quelle, che tardavano a pagare, nce mandavano Tudischi o Saracini ad alloggiare. Lo mese d'Aprile sequente fo saccheiata Ascole, lo Garegnone, Celenza, e Bitunto. Et se lo Prencipe di Taranto non arremediava, poche Terre erano scappate in Basilicata, in Calauria, & in Principato. In questi iorni cascao malato lo Re Corrado, & morio in cinque iorni, & lassao uno figlio di tre anni, che sta nella Magna. Lo

ad Montem S. Angeli, omnesque Barones Regionis honoris causa ei occurrerunt: qui die 29. vênit Barlettam.

Mense Septembri, cum omnibus suis copiis progressus est contra Comites Aquinatem, & Soranum, qui Pontificia vexilla extulerant; cùmque in die S. Martini eos pessumdedisset, flamma, ferroque vastans eorum oppida, perrexit Capuam: quæ ut ipsi se traderet factum est mediantibus familiis Leonissa, & Jevolensi.

Primo die Decembris, cœpit obsidere Neapolim.

Anno Domini MCCLII. die 2. Januarii vênit Nuntius Papæ, ut apud Regem Conradum ageret in favorem Neapolitanorum; cui Rex jussit responderi, quòd melius faceret, curando homines vertice rasos.

25. Aprilis, in die S. Marci, Rex Conradus statuit oppugnare Neapolim Theutonibusque, & Saracenis, promisitque trium mensium stipendia præbenda ei nationi, quæ prior in Urbem irrupisset; convênit autem inter eos, quòd Saraceni aggrederentur Civitatem ex parte Septentrionali, Theutonici verò ex parte Orientali. Vênit deinde Nuntius, quod multi (z) ex Saracenis occubuerint, nec pauciores ex Theutonicis: ab eoque die nunquam ampliùs cogitarunt assultum facere.

Principio Maji, advenerunt triremes Siculæ, & Neapoli cœptum est annonæ penuria laborari. Eodem mense satis multi Barones accesserunt ad Castra.

In festo S. Joannis mense Junio, viri circiter quadringenti egressi Neapoli per cryptas, quæ Puteolos ducunt, dispersique per vicos, magnum annonæ subsidium intulerunt urbi; quod intelligens Rex Conradus, posuit custodias, & passus omnes fecit pabulatoribus claudi.

Sub finem Septembris, civitas Neapolitana deditionem pepigit cum Rege Conrado, qui multos supplicio affecit, magnamque stragem edidit: & nisi milites Lombardi, qui erant in Castris, bonam partem Civium servassent, quotquot arma gestare poterant gladio fecisset interimi.

20. Octobris, D. Donatus Carducius rediens Neapoli, dixit, quod Rex Conradus solo æquari fecerit muros urbis Neapolitanæ.

10. Decembris, Rex Conradus ivit Barlettam: & ex tota Provincia Bariensi itum est ad illum cum muneribus. In Vigilia Nativitatis discessit, ivitque Amalfim (a) habiturus ibi Parlamentum generale: & multi Barones illuc concurrerunt.

Anno Domini MCCLIII. die 24. Februarii, factum est Parlamentum, & Comes Casertanus proposuit, ut darentur Regi triginta millia unciarum auri. Nec mora; quin statim expedirentur exactores per oppida omnia; quæcumque autem tardabant solvere, continuò gravabantur hospitiis Theutonicorum, vel Saracenorum.

Sequenti Aprili excisa sunt Asculum, Agrenium, Cerenza, Guimuttum, & Bitectum (b): paucæ autem terræ evasissent (c) exterminium nisi Princeps Tarentinus remedium attulisset. Eodem autem tempore in morbum incidit Rex

(z) *In MS.* quòd sexcentum Saraceni occubuerint.
(a) *MS.* Melphim, *itaque scribendum postulat rerum actarum subsequuta series.*
(b) *redundat* Guitmuttum, *& Ital. MS. legit* Bituntum, *non* Bitectum.
(c) *MS.* paucæ autem terræ in Basilicata, Calabria, & Principatu evasissent &c.

Lo iorno di San Pietro de lo mese di Jugno 1253. intrao in Napole Papa Innocentio, & pigliaone possessione per la Santa Chiesa; & scrisse Brevi a tutti li Baruni, & alle Terre di demanio, che venessero a darli obedienza. E tanto è venuto in fastidio a tutti lo governo delli Tudischi & Saracini, che tutto lo Riame se allegra de tale novella grandemente. In quisto tiempo Matteo era di XXIII. anni, & me trovai a Barletta, & per vedere la Corte del Papa andai a Napole insieme con Messer Jozzolino de la Marra, che andao Sindico di Barletta.

A dì 26. di Julio arrivaimo a Napole, & quillo iorno proprio Messer Jozzolino predetto basciao lo pede allo Papa. Alla Corte de lo Papa trovaimo questi Signori: lo Conte di Fiesco nipote de lo Papa, lo Conte Ricciardo de l'Aquila, lo Conte de Fundi, lo Conte di Celano, lo Conte Landulfo de Aquino, che era stato cacciato da Re Corrado, & assai Conti Lombardi, & Messer Sinibalo, & Messer Odorise de Sangro, & altri Baruni d'Apruzzo, & Messer Rugiero de Sanseverino capo delli forasciti del Regno.

Me vene proposito di notare per una delle gran cose successe in vita mia lo fatto di quisto Messer Rugiero de Sanseverino, come me lo contao Donatiello di Stasio da Matera servitore suo. Me disse, che quando fo la rotta de Casa Sanseverino allo chiano de Canosa, Aimario de Sanseverino cercao de salvarse, & fugio in verso Biseglia per trovare qualche vasciello de mare, per uscirsene da Regno. Et se arricordao di questo Rugiero, che era piccierillo di nove anni; & se voltao a Donatiello, che venia con isso, & le disse: A me abbastano questi dui compagni: va Donatiello, & forzati di salvare quillo figliolo. *Et Donatiello se voltao a scapizzacollo, & arrivao a Venosa alle otto hore, & parlao allo Castellano; & a quillo punto proprio pigliao lo figliulo, & fino a quaranta Augustali, & un poco di certa altra moneta, & uscio dalla Porta fauza, senza che lo sapesse nullo delli compagni; & mutao subito li vestiti allo figliulo, & ad isso, con uno Cavallo de vettura con uno sacco di amandole sopra, pigliaro la via larga, allontanandose sempre da dove potea essere conosciuto. Et in cinque iorni arrivaro alla Valle Beneventana a Gesualdo, dove stava Mess. Dolfo de Gesualdo Zio carnale di quello figliulo; & come lo vidde, disse a Donatiello:* Vatte con Dio: subito levamillo della casa; che non voglio perdere la robba mia per Casa Sanseverino. *Et Donatiello se aviao subito per portarlo a Celano, dove era la Contessa Maria Polisena sorore del detto Mess. Aimario da Sanseverino; & facea poco viaggio lo iorno per non stracquare lo figlio. Et come se facea notte, lo ponea sopra lo Cavallo. Et come fo alla ta-*

(d) *MS.* Marra.
(e) *MS.* Ricardum de Aquila.
(12) *Pater hic erat S. Thomæ Aquinatis, jam tunc in Ordine Prædicatorum agentis annum ætatis 22.*
(13) *Videtur esse locus, quem S. Petrus de Murone, scribens de vita propria*, Castrum-Sangrum *appellat.*
(f) *MS.* Donatillus igitur regressus præcipiti cursu Venusiam venit circa horam octavam, locutusque cum Castellano, nulla interposita mora, puerum, & circa quadraginta Augustales, parumque minoris monetæ accepit, ac nemine sociorum id observante per posticum eduxit. Tum verò mutato illius habitu, & suo, conducto equo meritorio, & sacco amygdalarum imposito per campestrem viam gressus direxerunt, à locis iis declinantes, in quibus puer cognosci potuisset, ac post quinque dierum iter venerunt Gesualdum &c.

A Rex Conradus, & obiit intra quinque dies, relinquens filium trimulum, qui est in Alemannia.

In die S. Petri, mense Junio, ingressus est Neapolim Innocentius Papa, sumpsitque possessionem nomine Ecclesiæ, & scripsit Brevia Baronibus, atque oppidis Dominii totius, ut venirent ad præstandam sibi obedientiam: tantum autem omnes tenebat tœdium regiminis Saracenorum, & Theutonicorum, ut ad istius rei nuntium universa Apulia exultaverit gaudio. Eo tempore eram ego annorum viginti trium, morabarque Barlettæ: utque viderem Curiam Pontificiam, ivi Neapolim cum D. Jessolino de Morra (d) illuc tendenti, ad obedientiam Papæ pro Barlettanis profitendam.

B 26. Julii, appulimus Neapolim, & eodem ipso die D. Jessolinus osculatus est pedes Pontificis. Invenimus autem in Curia Pontificia D. Comitem Fliscum Nepotem Papæ, Richardum Asculanum (e), Comitem Fundanum, Comitem Cælanensem, Comitem Landulfum de Aquino (12), quem Rex Conradus expulerat, & alii plures Comites Longobardi: Item Sinibaldus, atque Oderisius de Sangro (13), aliique Barones Aprutini: & D. Rogerius de S. Severino, caput egressorum à Regno.

C Hic verò mihi occurrit notare, velut unam ex rebus memorabilibus, quæ contigerunt tempore vitæ meæ, fortunam istius D. Rogerii, quemadmodum eam mihi retulit Donatillus Statii de Matera, famulus ejus; Dixit ergo mihi, quòd quando excissa fuit familia Sanseverinatium ad plana Canosæ, Aymarus de S. Severino cupiens salvari, Bisceliam versùs tetendit, ut ibi inveniret navim, qua egrederetur de Regno. Recordatus autem Rogerii pueri novennis, convertit sese ad Donatillum, dixitque: *mihi sufficiunt comites duo; vade Donatille, & vide si quo modo salvare possis filium illum.* Donatillus igitur ivit Spezzarolum (f), & vênit Venusiam circa horam octavam: locutusque cum Castellano, mediantibus quatuor Augustalibus, nonnullaque minori moneta, statim accepit puerum: & nemine sociorum id observante, per posticum

D eduxit. Tum verò mutato illius habitu, sedens ipse equo meritorio, imposuit puero saccum amygdalarum, ferendum post se: itaque via publica gradiens, loca tamen in quibus possent cognosci declinans; pervênit Gesualdum in Vallem Beneventanam, ubi erat D. Dolphus de Gesuardo, patruus naturalis D. Rogerii: Hic autem viso Donatillo, statim dixit: *Vade citò cum Deo, & apage hinc* (g): *nolo enim amittere facultates meas propter familiam Sanseverinam.* Statim ergo Donatillus iter intendit Cælanum versùs, ubi erat Comitissa Maria Polyxena, Soror D. Aymari de S. Severino; gradiebatur autem itineribus modicis,

E ne puerum fatigaret; nocte verò adveniente, ipsum imponebat equo. Porrò cum venisset ad Marconense diversorium, eòdem hospitii ca-

(g) Adde *cum puero.*

taverna de Morconente, venne ad alloggiare l'Arciprete di Benevento, & sempre tenne mente, quando lo figliulo mangiava, alla tavola delli famigli, che parea, che lo sfidasse; & mangiava assai delicato; & con tutto che andava con vestiti tristi & stracciati, parea sempre, che lo figliulo mostrasse gentilità. Et domandao a Donatiello, che l'era chillo figliulo, & Donatiello rispose, che l'era figlio. Et l'Arciprete rispose: Non te assimiglia niente. *Et esso replicao*: Forse Moglierema m'averà gabbato. *Et poi li fece granne interrogationi; & quando andao alla camera a dormire, intese Donatiello, che l'Arciprete tra se parlava di questo figliulo. Et Donatiello happe paura, che non lo facesse pigliare. Et così a Dio & alla ventura entrao nella camera, & se li ingenocchiao a pede allo letto, dove stava corcato l'Arciprete, & le disse in confessione tutto lo fatto, & pregaolo per amor di Dio, che volesse ponere in salvo chillo povero figliulo. L'Arciprevete le disse*: Non dicere niente a nullo chiù, & sta di buono animo. *Et lo fece ponere sopra lo Carriaggio, & venne isso a la via di Celano, e lo appresentao salvo alla detta Contessa, & così scappao. Et quando la Contessa lo vedde così stracciato, scappao a chiangere, cha lo havea saputo otto giorni innante de la rotta; & lo fece recreare, & ponere subito in ordine. El perchè era una sagace femina, lo mandò subito con quattordici Cavalli a trovare lo Papa, perchè Casa Sanseverino era stata strutta per tenere le parti della Santa Ecclesia. Et nce lo mandao assai raccomandando; & lo Papa ne havea assai pietate; & ordinao, che se dessero mille Fiorini lo anno a Donatiello per lo governo suo. Poi da là a dui anni morì la Contessa di Celano, & lassao vintiquattro milia Fiorini allo detto Mess. Rugiero. Et poi lo Papa dui anni innanti, che moresse l'Imperatore Federico, li dette per Mogliere la sorore del Conte de Fiesco; & allora le dette mille onze d'oro per subventione, & per mantenere li forasciti di Napole & dello Regno, che tutti fecero capo a Mess. Rugiero, che era fatto uno bello giovane e dispuosto. E tutto questo, come l'haggio scritto, me l'havea contato Donatiello de Stasio de Matera, che allo presente sta con lo detto Mess. Rugiero de Sanseverino.*

Alli 27. del detto mese de Luglio Manfredo Principe di Taranto venne a dare l'obedienza allo Papa, & onneuno se ne maravigliao assai; perchè era frate di Re Corrado, & se dice, che è tutore del suo figliulo, che sta alla Magna.

Lo dì di Santa Maria de la Neve del mese d'Agusto 1253. lo Papa cantao la Messa a Santa Maria Maiure de Napole con grandissime cerimonie.

Alli 8. del detto mese lo Papa fece lo parlamento, & se mandaro per le Provincie le genti dello Papa. Et lo Principe di Taranto promise de farene ire li Tudischi, se le davano le paghe.

Lo

capiendi causa advênit Archipresbyter Beneventanus (h),& observavit,quod puer (licèt vilibus indutus, ac laceris vestimentis) manducans ad mensam Dominorum, satis delicatus in cibo sumendo esset, nec vulgarem præseferret nobilitatem. Interrogavit ergo Donatillum, quis esset: eo autem respondente, suum filium esse: *veruntamen*, inquit Archipresbyter, *similis tibi non est*. Cui Donatillus, *deceperit me forsan uxor mea?* Post varias autem interrogationes, dum cubitum concederent, notavit Donatillus, quòd pergeret Archipresbyter loqui de puero, timuitque nè sibi eum tolli juberet. Itaque Deo, ac fortunæ se commendantes,ingressi sunt cameram (i) Archipresbyteri: eumque Donatillus per Deum oravit genibus flexis, ut infelicem collocaret in tuto, nec cuiquam de eo loqueretur. Tunc pollicitus Archipresbyter nemini omninò se eos manifestaturum, & bono animo esse jubens, in suum postridie currum assumpsit: cum quo usque Cælanum vênit, & salvum puerum Comitissæ stitit. Erupit mox in lamenta mulier, viso nepote sic afflicto, & lacero, (jam enim ab octiduo intellexerat excidium) recreatumque, & novis indutum vestibus, ut erat matrona prudentissima, statim ad Pontificem misit in comitatu quatuordecim equitum: eversa enim erat familia, quia partes Ecclesiæ tenebat. (K) Motus autem grandi misericordia Pontifex, mandavit præberi mille florenos annuos Donatillo ad educationem pueri: biennio post moriens Comitissa Cælanensis, vigintiquatuor florenorum millia D. Rogerio reliquit: Papa verò, duobus anni priùsquam moreretur Imperator, desponsavit ei sororem Comitis Flisci, additis in subsidium mille unciis auri, ad sustentandum egressos à Regno, qui omnes ipsum habebant omnium ducem, factum jam juvenem formosum, & habilem ad res magnas gerendas. Atque hæc omnia scripsi ex ore ipsius Donatilli, qui in præsentiarum moratur cum ipso D. Rogerio.

27. Dicti mensis Julii, vênit Princeps Tarentinus ad præstandam Papæ obedientiam: de quo omnes mirabantur, eo quòd esset frater Regis Conradi, & dicebatur esse tutor filii ejus (l).

In die S. Mariæ ad Nives, Papa cecinit Missam Neapoli, in Ecclesia S. Mariæ Majoris magna cum pompa.

8. Augusti, Papa Comitia habuit, dimissæque sunt per Provincias copiæ Papales: Princeps autem Tarentinus promisit dimittere Theutonicos, si eis stipendia solverentur.

Pri-

(h) *MS.* Archipresbyter Beneventanus, & ad puerum conversus observavit, cùm inter famulos discumberet, id ei stomachum facere, satisque delicatum in cibo sumendo esse, & licèt indutum vilibus ac laceris vestimentis non vulgarem præseferre nobilitatem.

(i) *MS.* Fortunæ se commendans ingressus est cameram, flexisque genibus ad lectulum, in quo Archipresbyter recubabat, rem omnem sub sacramento aperuit, per Deum orans, ut infelicem puerum in tuto collocaret. Tunc Archipresbyter ait: *ne quid imposterum alteri dicas, bonoque sis animo*. In currum deinde assumpsit &c.

(K) *MS. addit*: eumque sollicitè nimis Pontifici commendavit.

(l) *MS.* filii ejus in Alemannia morantis.

A

Lo primo di Settembre Mess. Messentio Rocha de Trani assaltao Mess. Zaid Saracino Justitiere de Terra de Bari tra Santo Elemo & lo Vetrale, e li dette la sequita chiù di tre millia, & isso a pena si salvao per bontà dello suo Cavallo.

Alli 4. del mese di Settembre lo Papa a preghiere di Mess. Rugiero de Sanseverino mandao in Terra di Bari per Justitiero Mess. Federico de Morra, e Mess. Brandino Ursino con dudici squadre di Cavalli. Lo Principe de Taranto l'avea pregato, che ce mandasse Berando Capece de Napole, ma il Papa non volse. Et io notai, che quando Mess. Rugiero de Sanseverino, & altri forastieri dello Reame scontravano Manfredo, non le levavano la coppola.

B

Alla fine di Settembre vennero dui Capitani delli Tudischi, che erano alloggiati in Terra d'Otranto, a trattare accordio con lo Papa, & ce stettero fino allo dì di San Simone & Giuda. Et se dice per Napole, che lo Principe de Taranto dà uno culpò allo cerchio, & n'autro allo tompagno, & secretamente consiglia i Tudischi, che non si accordino. Et lo Cardinale di Fiesco se nce accorda, & consiglia lo Papa, che haggia speranza di havere loro arme senza sangue per mezzo dello Prencipe; ma chillo le dà parole, perchè vede, cha lo Papa è vecchissimo, e non può campare troppo à lunga.

C

Lo iorno d'Ogni Santo 1253. lo Papa cantao la Messa allo Piscopato de Napole; & lo iorno sequente se partio de Napole Mess. Jozzolino de la Marra, & tutti li altri Sindici di Terra di Bari, & io con loro; & se non era che Mess. Gulielmo della Marra di Serino nce dette bona compagnia, eramo assassinati tutti da li malandrini tra Avellino & la Grotta Menarda.

La notte di Santa Caterina fo lo tremolizzo per tutto lo Reame.

Lo dì della Concettione di nostra Donna Mess. Jacopo Savello Capitano de le genti de lo Papa dette una rotta alli Saracini di Nocera sotto Santo Bartolomeo in Gualdo.

Primo Septembris, D. Maxentius Rocca Tranensis insultum fecit in D. Zayd Saracenum, Justitiarium Bariensem, inter S. Erasmi Vicum, & Vitrale: eumque persecutus est ad tria, & amplius milliaria, occisis tribus Saracenis de comitatu ejus (m): qui ipse salutem obtinuit, equi sui generositate mediante.

4. Septembris, Pontifex ad preces D. Rogerii misit in ditionem Bariensem Justitiarium D. Fredericum de Morra, & D. Brandinum Picinum (n), cum duodecim turmis equitum. Rogaverat etiam eum Princeps Tarentinus, ut mitteretur ad se (o) Berardus Capecius Neapolitanus, sed noluit: & ego observavi, quòd, quando D. Rogerius aliique exules occurrebant Principi, non discooperiebant ipsi caput.

Ad finem Septembris, venerunt duo Capitanei Theutonici, stationem habentes in districtu Hydruntino, egeruntque cum Papa, & substiterunt usque ad festum (p). Dicitur autem quòd Princeps Tarentinus utrumque solicitabat, secretoque suadebat Theutonicis ne paciscerentur cum Papa; Cardinalis verò Fliscus è contra, idemque suadebat Papæ: spem enim conceperat totius Regni absque sanguine obtinendi, intercedente Principe: hic verò verba iis dabat, quia videbat Papam jam esse decrepitum, nec diu posse supervivere.

Festo Sanctorum omnium cantavit Papa Missam in Episcopatu; & die sequenti discessit D. Jessolinus, & omnes Syndici Barrensis Provinciæ, atque ego cum illis. Factum est autem per D. Guilielmum de Marra-Serini, qui nobis comitem se junxerat (q), quòd non fuerimus omnes occisi à grassatoribus, inter Avellinum, & Cryptam Maxandram.

Nocte Sanctæ Catharinæ terræ-motus fuit per omne Regnum.

In die Conceptionis Dominæ nostræ, D. Jacobus Savellus, Capitaneus copiarum Papalium, cecidit Saracenos Lucerienses, infra Vicum S. Bartholomæi de Vado.

D

(*) Anno Domini 1254. 14. Martii, transivit Princeps in Siciliam ubi dicitur invenisse ingentem thesaurum, reconditum in arce Panormitana.

Sub finem dicti mensis, ad litus Molfettanum impegit triremis quædam Veneta, unde Almuz Saracenus, tunc Vice-Admiralius, magnas divitias extulit.

6. Aprilis, ingens fuit tempestas, & corruit Campanile S. Nicolai Bariensis.

Mense Majo, Princeps ivit in Capitanatam, secum ducens quatuor cohortes Theutonicorum.

Hoc anno telonium pecuarium ad quinque millia unciarum.

E

Mense Octobri, natus est Riccio (r) filius triceps, & statim obiit.

Die

(m) *Verba hæc*: occisis tribus Saracenis de comitatu ejus *non leguntur in MS.*

(n) *MS. pro* Picinum *legit* Ursinum.

(o) *In MS. nostro sensus est: Tarentinum Principem rogasse Pontificem, ut Berardum Capicium non ad se mitteret, sed ad Justitiarii munus exercendum, quod Papa facere noluit.*

(p) *Supple ex MS.* ad festum SS. Simonis & Judæ. Dicitur autem, quòd Princeps Tarentinus utrumque sollicitat, & secreto Theutonicis suadet, nè paciscantur cum Papa. Cardinalis verò Fliscus aures præbet, & Papæ suadet spem habere, se Theutonicorum arma absque sanguine Principis opera esse obtenturum. Ille verò Cardinali verba dat, quia videt &c.

(q) *In MS. potiùs legendum*, qui nos virorum fortium comitatu munivit, quòd &c.

(*) *In Codice MS. quo Cl. Vir Papebrochius est usus hoc loco hæc habentur, quæ in nostro posita reperies.*

(r) *MS. non legit* Riccio, *sed* Regii.

Alli 10. di Decembre 1253. si disse, che lo Papa stava male, & alli 12. del detto mese passao uno per lo chiano de Melfi, & andao in Terra di Otranto, & disse che havea lassato lo Papa disperato da li Medici in Napole.

Lo iorno di Santo Thomaso Apostolo, Manfredo Prencipe de Taranto radunao in Terra d'Otranto tutti li Tudischi, & vennero ad Altamura; & in chillo medesimo tiempo Messer Jacopo Savello venne con tutte le genti a trovare Messer Brandino Ursino, che era alla Cirignola, & mandao Messer Federico de Morra a Napole allo Collegio delli Cardinali. Ma poichè intesero, che li Saracini di Nocera di Puglia erano usciti in campagna, pigliaro anche loro la via di Napole; & a pena che foro partuti, Messer Zaid con due compagnie di Saracini incomenzao da Monopoli ascendendo per fino a Barletta, fece alzare per tutta Terra de Bari le bandere de Corradino; & in Trani fece abbattere a terra le case di quelli di Rocca, perchè non possette havere in mano li patruni, che se n'erano fuggiti in Schiavonia.

Lo Prencipe Manfredo dopoi ch' ebbe adunato tutto l'esercito con li Saracini, pigliao la via de Basilicata, & rompio Principalle de Grimaldo Genoese, che era là con la gente dell' Ecclesia, & happe in pochi dì le Terre, che foro di Casa Sanseverino.

In questo Anno 1253. li Napolitani dapoi la morte di Re Corrado haveano incomenzato a fare le alte mura della Città, & fecero fermare Messer Jacovo Savello, & Messer Brandino Ursino con le genti, per tenerse, finchè si facea l'altro Papa.

Alli 14. di Marzo 1254. lo Prencipe Manfredo passao in Sicilia, dove se disse, cha trovao gran tesoro allo Castello di Palermo.

Alla fine del detto mese corse traversa una Galeazza di Veneziani alla marina di Molfetta; & Almuz Saracino, ch'era Viceammiraglio, n'happe gran ricchezze.

Alli 6. d'Aprile fo una gran fortuna, & cascao lo campanaro di Santo Nicola.

Lo mese di Maio passao lo Prencipe Manfredo, & andao in Capitanata, & portao solo sei squadre di Tudischi.

Quisto Anno 1254. salio la entrata della Dohana delle pecore a cinque millia & ducento onze.

Dello mese d'Octubre nascio a Reggio uno figlio con tre teste, & morio subito.

Nell' Anno 1255. li Cardinali, che erano stati in discordia un' anno & mese, crearono Papa Alessandro IV. de Anagne.

A

Die 10. Decembris, dicebatur, quòd Papa infirmabatur (14).

13. Transiit aliquis per planitiem Melfitanam (15), qui proficiscebatur in ditionem Hydruntinam, dicebatque se Neapoli reliquisse Papam à Medicis desperatum (16).

In die S. Thomæ Apostoli, Princeps Tarentinus in Provincia Hydruntina adunavit omnes Theutonicos, qui venerunt Altamuram. (17) Eodem tempore D. Jacobus Savelli cum omnibus copiis vênit ad D. Brandinum Ursinum, qui erat Girignolæ; misitque D. Fredericum de Morra Neapolim ad Collegium Cardinalium. Sed postquam intellectum est Saracenos Nucerienses exivisse in campum, etiam ipsi Neapolim se receperunt. Vix autem discesserant, quando D. Zaid, cum duabus cohortibus Saracenorum (f), cœpit etiam Neapolim tendere, & descendens usque Barlettam, fecit extolli per totam Provinciam Bariensem insignia Conradini; Trani verò jussit æquari solo domos familiæ à Rocca nominatæ, cujus gentiles fugerant in Sclavoniam. Princeps verò postquam exercitum collegisset cum Saracenis, arripuit viam per Basilicatam, fuditque Principallum Grimaldum Genuensem, qui istic erat cum copiis Ecclesiæ, intraque paucos dies obtinuit omnia oppida, quæ erant familiæ San-Severinatium. Neapolitani porrò, qui cæperant alios muros ædificare, post mortem Regis Conradi (18) jusserunt apud se subsistere D. Jacobum, & D. Brandinum cum suis copiis, usque dum electus esset novus Papa.

Anno Domini MCCLV. Cardinales, qui annum integrum, & menses aliquot discordes fuerant, creaverunt Papam Alexandrum Quartum de Anagnia (19).

Hoc

(14) *Imò ille jam obierat die 7. ut constat ex Encyclica Successoris; sed apparet mortem fuisse à Cardinali Flisco occultatam, propter circumstantias temporis periculosi.*

(15) *Media circiter inter Neapolim & Juvenatium via.*

(16) *Quo etiam die credibile est evulgatam Neapoli mortem fuisse, quasi tunc primùm obiisset; adeò ut electio Successoris vix potuerit facta esse ante 15.*

(17) *Est autem hæc Civitas Episcopalis in Bariensi Provincia, media ferè inter Neapolim, & Hydruntum via.*

(f) *MS. habet:* incipiendo Monopoli, & descendendo usque Barlettam fecit extolli &c.

(18) *Obierat hic anno eodem 1254. 21. Maji, filium relinquens Conradinum præmemoratum, cujus tutelam Manfredus sibi arrogabat.*

(19) *Ipse tamen met in suis Encyclicis, 2. Kal. Januarii datis (quæ fallere nequeunt) ita loquitur:* „ Felicis record. Innocentio Papa prædecessore nostro, 7. Idus Decembris . . . . „ de carnis carcere vocato . . . . ejusque cor„pore . . . . tumulato; Nos, tunc Ostiensis, „ & Velletrensis Episcopus, & cæteri fratres „ nostri, mox pro eligendo successore simul „ convenimus, dirigentes mentes ad Deum, ut „ Gregi suo Pastorem idoneum consueta mise„ricordia largiretur. Cùmque, ut moris est, „ Spiritus Sancti suffragio postulato, singulo„rum vota diligenter exquisita fuissent, in „ Nos demum suum converterunt intuitum, „ direxerunt animos, & conceptus expressere, „ ac firmavere consensus; præeligentes indigni„tatem nostram ad tantæ officium dignitatis. *Nullam hæc, ut apparet, longioris Interpontificii patiuntur moram: quænam ergo illa tam diuturna discordia? non utique pro eligendo Papa (licèt id primo intuitu videantur indicare verba) neque hoc patitur ipse Auctor, mox*

ea

A chisto tiempo, che fo di Febraro, lo Prencipe Manfredo se trovao à Capoa, & mandava a sollicitare li Napolitani, che se arrendessero, & non ci facea ire vittuaglie.

A chisto tiempo venne l'Archipiscopo di Foligno mandato dal Papa al Prencipe Manfredo, che sotto pena di scomunica tornasse alla obbedienza de la Ecclesia isso, & tutte le Terre, che avea pigliate; & isso rispose, cha lo Reame era de lo Nepote.

Et allora tutti li forastieri del Regno si adunaro, & mandaro allo Papa, cioè Messer Rugiero Sanseverino, & Messer Helia de Gesualdo, & Messer Federico, & Messer Nufrio de Morra, & Messer Pandolfo de Fasanella, & Messer Aimario de Sanseverino; & lo pregaro, che li tornasse & aiutasse a tornare alle case loro. Et lo Papa fece prestamente Legato Apostolico lo Cardinale Ubaldino, & fece fare gente per tutte le Terre della Chiesa.

Lo Prencipe Manfredo se partio subito da Capua, & andao in Sicilia a pigliare denari & genti.

Alla fine d'Aprile 1255. entrao lo Legato nello Reame con gran gente, ma la più parte accoglietiva de' forasciti, & coniunti con la gente d'arme, che erano in Napole, venne alla volta di Puglia, & senza contrasto venne a Barletta, & subito trovao la obedienza, perchè alzao le bandere de lo Papa.

Alli 15. di Maio passao a Trani, & poi scorse fino a Monopoli, & se le dettero tutte le Terre di Terra di Bari, salvo Hostuni, perchè ce stavano Tudischi.

Alli 17. di Giugno lassao gente a Monopoli, a Mola, a Polignano, a Bari, a Molfetta, Trani, Barletta, & se ne tornao malato in Terra de Lavore.

Allo principio d'Agosto vennero molte Galere da Sicilia a scorrere le marine di Terra di Bari, & nce era nova di fare alzare le bandere de Suevia ad alcune delle Terre de marina.

Lo dì dì Santo Bartolomeo de Augusto 1255. io mi trovai a Barletta, & se vedde una bella battaglia, perchè una Nave de Ancona era venuta

Hoc tempore, & mense Februario, Capuæ morabatur Princeps, misitque ad solicitandos Neapolitanos, ut ipsi se traderent; nec permittebat transferri annonam in Urbem.

Eodem tempore Archiepiscopus Fulginii à Papa Legatus ad Principem vênit, mandans sub pœna excommunicationis, ut reverteretur ad obedientiam Ecclesiæ ipse, & Oppida omnia, quæ occupabat. Ille verò respondit, Regnum nepotis sui esse (20).

Tunc omnes, qui Regno spontè excesserant se collegerunt, & miserunt ad Papam D. Rogerium Sanseverinum, D. Heliam Gesualdi, D. Fredericum, & D. Honuphrium de Morra, D. Pandulfum Fasanellum, & D. Aymarum ex familia Sanseverina, rogantes ut auxilio sibi esset, ad redeundum in domos suas. Papa autem confestim creavit Legatum Apostolicum Cardinalem Ubaldinum; Jussitque conscribi militem per omnes ditiones Ecclesiæ. Princeps verò subitò discessit Capua, transiitque in Siciliam, multis laturus stipendia. (t)

Ad finem Aprilis ingressus est Legatus præfatus in Regnum, multa cum turba, ut plurimum collectitiorum, & relegatorum; quos jungens copiis armatorum Neapoli repertorum, duxit in Apuliam, atque obstante nemine vênit usque Barlettam; quæ ei confestim obedientiam obtulit, & Pontificia vexilla explicavit.

15. Maji, transivit Trano, & Monopolim usque excurrit; cui præter Hostunum, quod à Theutonicis tenebatur, omnia Bariensis Provinciæ Oppida deditionem fecerunt.

17. Junii, invasit exercitus Monopolim, Molam, Pulignianum, Barium, Molfettam, Tranum, rediitque Barlettam, & inde in Campaniam, (u) morbis grassantibus extenuatus. (x)

In die S. Bartholomæi, eram Barlettæ, vidique ibi pulchrum conflictum: quia Anconitana quædam navis, quæ istuc advenerat frumen-

ea referens, quæ hujus ipsius anni mense Februario egit Papa, sub finem anni præcedentis electus. Quænam igitur? nec enim potest nulla fuisse, de qua tam expressè loquitur Auctor, tunc vivens, & scribens. Existimo, quòd jam inde ab anno 1235. (quando, ut supra dictum est, mensis Julii die 27. Neapolim venit Manfredus, & obedientiam Papæ juravit) discordare inter se Cardinales cœperint, aliis ei credi volentibus, atque cum Cardinali Flisco sperantibus pacem cum Theutonicis haberi posse absque sanguine; aliis homini perfido, ac versipelli non fidentibus: & quoniam Innocentio Papæ jam decrepito mors esse in januis cernebatur, utrosque divisos in factiones fuisse, pro designando successore, qui suæ esset sententiæ: quam tamen discordiam, mox à morte Papæ, cessare fecerit Manfredus, jam jam utrorumque cervicibus imminens cum exercitu ad omnia occupanda suffecturo.

(20) *Legatum hunc fuisse* Berardum *ait Ughellus, nec causa est dubitandi; docet autem, Fulginatis Ecclesiæ fuisse Archidiaconum, & Episcopatus Administratorem, dumtaxat ab anno 1243. ad 64. cùm Fulginates Ecclesiæ rebellantes, Episcopali dignitate carerent; abdicante se Ægidio eorum Episcopo, & ad regendam Ecclesiam Nucerinam translato. Quomodo autem* Berardus *hic vocetur* Archiepiscopus, *qui nec* Episopus *quidem erat, non invenio explicatum. Dum tamen lego, quòd* Alexander IV. 15. *Kalendas Februarii primi sui anni,* Berardo *confirmaverit collatam à Decessore Administrationem Ecclesiæ patriæ, quòdque idem similiter in Archiepiscopatibus Regni Neapolitani, Rhegiensi, & Rossanensi vacantibus, designatos à suo decessore Antistites mox curaverit confirmandos (uti ex regesto Vaticano docet Ughellus) data eis facultate munus consecrationis accipiendi à quocumque maluerint Catholico Episcopo; suspicor Tarentinum Archiepiscopatum (nam de Brundusino, Cusentino, Hydruntino, & Sanseverinate suspicio esse nulla potest) tunc quoque vacavisse per mortem Henrici, ab Innocentio IV. instituti, & confirmati anno 1252. Quot enim annis sederit ille incertum sibi esse fatetur Ughellus; nec ante annum 1260. quemquam referunt diptycha; & interim istius quoque Ecclesiæ administratio prædicto* Berardo *potuit committi, aut fortè Archiepiscopus quoque institutus idem fuisse; sic tamen ex usu vulgi, prioris Ecclesiæ Fulginatis titulus ei adhæserit, cum titulo Archiepiscopi confusus.*

(t) *MS.* transiitque in Siciliam, milites ac pecuniam collecturus.

(u) *MS. hæc ita exponit:* Præsidio munivit Monopolim, Molam, Pulignanum, Barium, Molfettam, Tranum, Barlettam, & morbo correptus in Campaniam se recepit.

(x) *In MS. Ital. hæc adduntur:* In Augusti venerunt quamplures triremes Siculæ ad percurrendas oras terræ Bariensis, ibique vulgatum erat Sueviæ vexilla in aliquibus litoralibus oppidis esse attollenda.

nuta a caricare grano a Barletta, & stava aspettando lo viento; & vennero quattro Galere a combatterla, & erano due Galere Siciliane; & una di esse era di Messer Simone di Vintemiglia, & una era di Sorriento di Messer Paulone Donnorso, & una di Pozzuolo di Messer Herrico Spadainfaccia di Costanzo. Et attorniaro la Nave, & l'aveano redutta a male partito, perchè la Galera Pezzulana & la Sorrentina l'aveano stretta tanto, che ne erano sagliuti undici, & combattevano lo Castiello de poppa, & tuttavia ne saglieano dell' altri; quando se levao un viento tanto forzato, che destaccao la Nave de mezzo le Galere, & restaro scornate con perdita de chilli, che nce erano sagliuti; & de chilli, che voleano saglire, ne caddero a mare, & non se ne salvaro se non pochi, che seppero natare.

Lo dì sequente Messer Jozzolino della Marra me mandao alle Galere, che stavano allo Faro de Ofanto, per recattare lo Nepote, che era figlio di Messer Petrillo Acconciaioco de Raviello con una lettera diretta a Messer Giovanotto Salvacossa, che era padrone della Galera de Ischa, & li era un poco parente. Et se per Messer Joanotto era, io averia avuto lo presone senza ricatto; ma li altri Patruni di Galere non volsero, & dissero, cha Messer Petrillo Acconciaioco era molto ricco; & se volea lo figlio, mandasse a recattare Proculo Venato gentilhuomo de Pozzuolo, & Gioseppe Domini Marini, & Gerio Mastroiodice de Sorriento, che erano stati presuni sopra la Nave. Et così designaro di fare. Et Messer Petrillo mandao na Fragata in Ancona a recattare chilli tre; & tra una & un' autra li venne chiù di quaranta onze, perchè non possette avere li presuni se non per diece onze l'uno.

In questo tiempo si sappe, che era venuta nova da Sicilia, che era morto nella Magna lo figlio di Re Corrado. Et lo Prencipe di Taranto si fece incoronare in Palermo, & se chiama Re Manfredo.

Alli 11. di Settembre passao Re Manfredo in Calabria, & dette licenza a gran parte delli Tudischi, che erano allo Reame; & isso andao per Calabria & per Principato, & facea gratia a tutte le Terre da dove passava, & fece assai Cavalieri.

La Vigilia di Santo Matteo entrao in Salierno como a Re, & spartio per li Casali di Salierno li Saracini.

Alli 9. di Settembre passao lo Conte Jordano da la chiana di Melfe, & andao a Nocera de Puglia.

Alli 13. venne Messer Rugiero de Sanseverino, e Messer Pandolfo de Fasanella mandati da' Napolitani a radunare le genti, che stavano sparse per Terra de Bari, & portarole a Napole, & prima chille de Barletta, & po tutte le autre, non se voleano movere, se non aveano tutte le paghe, che doveano avere.

Alla fine dello detto mese di Settembre lo Conte Jordano se partio con tre millia Saracini da Nocera, & per la via di Crepacore andao ad affrontare Re Manfredo, & insieme se ne vennero a Nola.

Nello principio di Octubre 1255. Re Manfredo mandao li Ambasciatori ad Napole, che se volessero arrendere.

Alli

A mento oneranda, expectabat ventum: superveneruntque triremes quatuor ad eam oppugnandam. Harum duæ Siculæ erant, & una earum D. Simonis de Vintemilia, tertia Surrentina, D. Paulonis Donn'Orso, & quarta Puteolana, D. Henrici Spatainfaccia (y). Circumdederunt autem navim, eamque in magnum adduxerunt discrimen; quia triremes Puteolana, & Surrentina eidem se applicuerant tam strictè, ut ex epibatis undecim in illam transgressi, puppim jam oppugnarent. Alii verò insiliebant, quando subortus vehementior ventus navim à triremibus expedivit; quæ remanserunt spe sua frustratæ, cum jactura tam eorum, qui insilierant in navim, quàm
B qui insilientes ceciderunt in mare; paucique eorum, natare docti, salvari potuerunt.

Die sequenti, misit me D. Jezzolinus de Marra ad triremes, quæ in anchoris stabant juxta pharum Ofanti, ut inde redimeret ejus nepotem filium D. Petrilli Acconciajoci de Ravello cum epistola directa ad D. Joannottum Salvacossa, qui erat navarchus triremis Ischiensis, nec parum affinis illi; Neque stetit per D. Joannottum, quo minùs gratis captivum reciperem; sed aliarum triremium navarchi noluerunt dicentes; D. Petrillum esse divitem: proinde si filium recipere vellet, redimendos vicissim curaret, D. Proculum
C Venatum nobilem Puteolanum, & D. Josephum D. Marini, & Gerium Mastrum-Judicem Surrentinum, qui capti erant in navi prædicta. Convênit ergo, ut D. Petrillus Anconam mitteret celocem, ad redimendos illos tres: quòd ei stetit plusquam quadragintis unciis; quia non potuit omnes tres obtinere, nisi solutis in singula capita unciis decem.

Hoc etiam tempore rescitum fuit, advenisse in Siciliam nuntium, quòd in Alemannia mortuus erat filius Regis Conradi: & Princeps Tarentinus fecit se coronari Panormi, appellarique Regem Manfredum.

11. Septembris transivit Rex Manfredus in
D Calabriam, dimisitque magnam partem Theutonicorum, qui erant in Regno: transiens autem per Calabriam ad Principatum, in omnibus Oppidis per quæ iter erat multas partiebatur gratias, & complures equites creabat.

In Vigilia S. Matthæi, intravit Salernum velut Rex, & Saraceni distributi sunt per viculos suburbanos.

11. Die ejusdem mensis, Comes Jordanus transivit plana Amalfitana (z), ut Luceriam tenderet.

13. Venerunt D. Rogerius San-Severinus, & Pandulfus Fasanella, missi à Neapolitanis, ut colligerent copias dispersas per Provinciam Bariensem, traducerentque Neapolim; ac pri-
E mùm Barlettanas, tum ceteras omnes: sed noluit loco se movere miles, nisi priùs acciperet stipendia debita.

Ad finem hujus mensis, Comes Jordanus discessit cum tribus millibus Saracenorum Lucerìensium, & transiens Crepacorium, ibat ut circa Montem S. Angeli se conjungeret Regi Manfredo, simulque accesserunt Nolam.

Principio Octobris, Rex Manfredus misit Legatos Neapolim, ut ei se redderet.

Die

(y) MS. D. Henrici Spatainfaccia de Constantio.
(z) Non *Amalphitana*, sed *Melphitensia*, atque ita meliùs ex MS. Quæ enim apud Amalphim plana Luceriam versùs?

Alli 6. dello detto mese Mess. Donatiello de Stasio de Matera venne da Napole, & portao la novella, cioè cha li Napolitani non potevano pagare le genti, perchè stanno arredutti ad estrema povertate; & perchè lo Papa stava così friddo, loro non volevano essere destrutti co chilla speranza, come allo tiempo de Papa Innocentio. Lo iorno de Santo Luca venne la Novella a Barletta, che Napole si era arrenduta, che Re Manfredo li havesse promiso di farele buoni trattamenti; & allora tutti li forasciti de lo Reamo restaro afflitti, & disperati.

Alli 26. allo chiano di Canosa vennero li forasciti ad unire tutte le genti de arme de lo Papa, & se partero per la via di Capitanata, & disfecero Fiorentino, Dragonara, & uccisero tutti i Saracini, che se nce trovaro; & dettero dui assauti a Nocera, & non la potero pigliare, & se ne usciro da Apruzzo.

In lo iorno de Santo Simone & Juda se fece lo parlamiento fora Santa Maria de Barletta, & nce foro tutti li Sindici della Provincia a vedere, che se avea da fare; & tutti stavano in paura, che tutti li guai non vengano sopra de loro. Et allora venne la lettera da Mess. Asprene Caracciolo Russo, ch'era frate per parte de mamma di Mess. Jozzolino della Marra. Et scriveva, contando l'intrata di Re Manfredo a Napole, & che havea fatto trentatre Cavalieri, & che stessero de buon' animo, cha isso volea havere buono accordio con lo Papa, & essere buono figlio de Santa Madre Ecclesia. Et se arrecordao de l'Arciprete Caracciolo, che era stato Mastro suo, & addomandao, che n'era de li suoi. Et li fo ditto, cha nce erano dui Neputi; & se li fece chiamare, & li fece Cavalieri, & li donò cinquanta onze de provisione; & l'uno se chiamava Mess. Anselmo, & l'altro Mess. Riccardo Caracciolo; & cha volea fare perduono generale. Et con questa lettera se dette speranza a tutti.

Lo dì de Onnesanto andao a Napole Mess. Coletta Acconciaioco, & Mess. Stefano Pappalettere a dare obedientia a Re Manfredo, come a Sindici di Barletta.

Alli 3. di Novembre si disse, che lo Re avea mandato tutte le genti a svernare in Campagna di Roma.

Alli 6. del detto mese si bandio a Barletta lo indulto generale a tutti & qualsivoglia forasciti de lo Reame; ma poco persune de conto se ne fidaro; perchè de tutti chilli, che erano fora del Regno, non se ne tornao nullo, eccetto che Mess. Pauluccio della Marra.

Alli 14. del detto mese venne la lettera da Messer Stefano Pappalettere, cha haveano trovato lo Re molto gratiuso, & cha havea fatta bona cera a tutti, & cha volea fare chillo dì la festa di Santo Martino; & erano stati convitati assaissimi Napolitani.

Lo dì de Santo Andrea se sappe, cha lo Re Manfredo era iunto a Capua, & a Sessa, & cha fece venire allo Contato de Fundi sette stendardi di gente d'arme, & così levao alla Santa Chiesa chillo Contato, che nce l'havea donato lo Imperatore Federico, & li havea dato lo fiume dello Garigliano per confine.

Chi-

(a) *MS. addit* de Stasio Materanus ab urbe Neapoli.
(b) *MS.* Pro Papa *babet* Rex.

Die 6. vênit D. Donatillus (a), tulitque responsum Neapolitanorum, quòd non possent ampliùs stipendia exercitui solvere, quia erant ad extremam paupertatem redacti: quoniam verò tam frigidè agebat Papa, nolebant iterum devastari propter spem vanam, sicut eis acciderat tempore Papæ Innocentii.

Festo S. Lucæ, vênit Barlettam nuntius de redditione Neapolis, quòdque Rex promisisset omnes benetractare.

Tunc omnes Regno egressi manserunt vehementer afflicti.

26. Octobris, omnes copiæ Papales, & Regno egressorum convenerunt in campestribus Canosæ, discesseruntque per Capitanatam, & Florentinum, ac Dragonaram solo æquarunt, cæsis quotquot ibi invenerunt Saracenis: Luceriam verò duobus assultibus oppugnarunt, sed capere eam non valentes, egressæ sunt Aprutio.

Festo SS. Simonis, & Judæ, factum est Parlamentum apud S. Mariam extra Barlettam, adfueruntque ibi omnes Syndici totius Provinciæ, metuentes ne demum in ipsos reciderent omnes calamitates. Tunc allata est eis Neapoli epistola à D. Asprene Caracciolo Rubeo, qui erat ex parte matris Frater D. Jezzolini de Marra, nuntiabatque, quomodo Rex Manfredus, ingressus solemni pompa Neapolim, creaverit ibi trigintatres equites, jusseratque bono eos animo esse, eo quòd volebat bonam concordiam cum Papa, & esse filius obediens Ecclesiæ. Recordatus autem Archipresbyteri Caraccioli, qui fuerat pædagogus suus, quæsivit, quinam ex ejus familia superessent Neapoli. Intelligens porrò duos superesse nepotes, accersitos ad se creavit equites, cum provisione unciarum quinquaginta: unus eorum appellabatur D. Anselmus, & alter D. Richardus. Denique scribebatur, quòd Rex volebat facere Amnistiam generalem: unde epistola ista bonam spem cunctis indidit.

In Festo Sanctorum omnium, iverunt Neapolim D. Coletta Conciajocus, & Notarius Stephanus Pappalettere, ad profitendam Regi obedientiam tamquam Syndici Barlettani.

3. Novembris, dicebatur, quòd Papa (b) miserat omnes copias suas ad hibernandum in Campania Romana.

6. Publicatum Barlettæ fuit indultum generale cuicumque egresso de Regno, cui pauci admodum alicujus notæ se crediderunt: ex omnibus enim nemo redivit præter Pauluccium de Marra.

14. Vênit epistola à Notario Stephano, significans, quòd invenissent Regem valde gratiosum, quòdque omnes benignè exceperat, volebatque ipso die celebrare Festum S. Martini, ad quod invitati erant plurimi ex Neapolitanis.

Festo S. Andreæ, intellectum est, quòd Rex venisset Capuam, & Sinuessam, fecitque in Comitatum Fundanum venire septem vexilla armatorum, itaque ademit Ecclesiæ Comitatum, quem ei donaverat Imperator Fredericus, flumen Garilianum pro limite statuens.

Eodem anno, Natalem Dominicum celebravit Theate, & per omnia Oppida Aprutii creavit Equites (c).

An-

(c) *Integrum boc caput, & sequentis anni notam non babet MS.*

Chisto Anno Re Manfredo venne in Puglia a fare la caccia de la Incoronata, cha havea sette anni, che non era stata fatta; & nce foro chiù de mille & quattrociento persune. Et lo Re volse, che chi pigliava la caccia, fosse la sua; & fo pigliato uno numero infinito di salvagina.

Alla fine del detto mese Re Manfredo fo a Siponte, & designao di levare la Terra da chillo mal' aere, & di ponerla, dove sta mo, & chiamarla dal nome suo Manfredonia.

Lo dì della Candelora lo Re fece la entrata a Barletta, & li uscirono incontro fino allo Ponte settecento persune in processione con le palme in mano cantando, & dicendo: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Alli 20. di Febraro 1256. vennero in Barletta li Ambasciaturi della Reina moglie del fu Re Corrado, & de lo Duca di Bavera. Et Re Manfredo li ricevette con grande honore.

Alli 24. del detto mese Re Manfredo dette audientia in pubblico alli dicti Ambasciaturi; & uno di loro, che era uno Abbate vecchissimo, fece lo sermone, & disse, cha Corradino figlio del Re Corrado è vivo; & perciò lo pregava la Reina, & lo Duca di Bavera, che voglia lassare chisto Reame, perchè chillo piccirillo è lo Padrone, come è di dovere; & che castigasse chilli, che l'haveano ditto la mensogna della sua morte. Et lo Re Manfredo li fece una sagia risposta, dicendole, cha lo Reame era perduto per chillo figliulo, & cha isso se l'havia recuperato per viva forza da mano di due Papi, come era notorio a tutto lo Munno; & cha lo Papa, & la gente de lo Reame non haveriano comportato di fare chiù signoreiare la natione Tudischa; ma che isso se ne contentava tenere chisto Reame sua vita durante, & poi lassarelo a Corradino; & cha la sua Madre faria assai buono a mandarelo a crescere a quà, & a pigliare i costumi Italiani, perche isso se l'haveria tenuto come a figlio.

Lo primo di Marzo lo Re Manfredo dette l'officio di Giustitiero a Messer Lionello Faiella de Napole, lo quale fece lo ingresso a Barletta.

A questo tiempo lo Re Manfredo fece Commessario per mare e per terra Messer Marino Capece sopra lo apparecchio della fabrica de la Città di Manfredonia, che volea fare; & si è mandato per travi a Schiavonia, & fo condotta gran calce, & arena, & petre, & altre cose, che li boi di Puglia hanno assai che fare.

In questo mese di Marzo lo Re mandao in Sicilia & a Lombardia a far venire dui Astrologhi, perchè esso crede forte alli punti de le Stelle; & questo fece solamente per mettere a buono punto la prima petra.

Lo mese d'Aprile in iorno di Santo Giorgio Re Manfredo fo in persona a designare lo pedamiento de le mura, & a squatrare le strade di Manfredonia.

Et de lo detto mese, Anno Domini 1256. fe posta la prima petra in quella Città, & se accomenzao a fabricare da la banda di Levante; &

(*) Vereor ne Papebrochius venationi nomen tribuat, quod est loci. *Incoronata* templo & sylva celebris est in Apulia plana.

A Anno Domini MCCLVI. Mense Januario vênit Rex in Apuliam, ad venationem, quam vocant Incoronatæ (*), quæ toto septennio celebrata non fuerat: conveneruntque ad eam plures quàm quadringentæ personæ. Et voluit Rex ut quidquid venatu caperetur, suum esset, captaque est multitudo ferarum quasi infinita.

Ad finem dicti mensis, vênit Sipontum, decretumque est, ut Oppidum transferreretur ab illo maligno aëre, in locum ubi modo consistit, & appellaretur Manfredonia.

In die Purificationis, fecit ingressum Barlettæ: egressique ei obviam sunt (d), cum palmis in manibus, ad septingentos, dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

B 20. Februarii venerunt Barlettam Legati è Regina, uxore Regis Conradi, atque à Duce Bavariæ: quos magno cum honore Rex suscepit.

24. Dedit Rex Legatis publicam audientiam, quorum unus, perquam grandævus Abbas, orationem habuit, dixitque, Conradinum filium Regis Conradi vivere; quòdque eum rogabant Regina, & Dux Bavariæ, ut dimitteret Regnum orphano isti, sicut æquum erat: eos verò, qui attulerunt mendax nuntium de ejus morte, castigaret. Cui Rex sapienter respondit, Regnum orphano isti perditum fuisse; se autem illud manu armata C vindicasse à potestate duorum Pontificum, quemadmodum notum erat omni Mundo; Papam verò, & Regnicolas nullo modo consensuros unquam, ut dominarentur Theutonici; se tamen aliud non prætendere, quàm ut sibi relinquatur Regnum ad vitam, morte sua rediturum ad Conradinum; Reginam porrò rectè facturam, mittendo filium educandum istic, & moribus Italicis imbuendum, habendumque à Rege filii loco.

D Primo Martii, discesserunt Legati; cum quibus Rex misit equum generosum, donandum Duci Bavariæ, & quædam monilia Duci Scotiæ, ad valorem mille unciarum eoque amplius. (e) Eodem die 1. Martii, donavit Rex officium Justitiarii D. Leonello Fajellæ Neapolitano, ingressumque fecit Barlettæ.

Eodem tempore, Rex creavit D. Marium Capecium, mari, terraque Commissarium supra fabricam civitatis Manfredoniæ, quam extrui volebat: missumque est in Sclavoniam pro trabibus: & copia grandi calcis, atque arenæ, saxorumque, & rerum aliarum convecta illuc est, adeò ut boves Apuliæ habuerint, in quo occuparentur.

E Eodem mense, Rex misit in Siciliam, atque Lombardiam, accersens Astrologos duos, quia credebat eos Stellarum conjunctionem aptè capere posse: idque tantùm, ut captarent momentum temporis idoneum primæ petræ jaciendæ.

Mense Aprilis, in die S. Georgii, Rex personaliter vênit ad metationem murorum, & platearum quadraturam ordinandam. Eodemque mense positus est primus lapis, & cœptum est fabricari ex parte Orientali, laborantibus in opere pluribus quàm sexcentis (f) hominibus. Majo

(d) *MS. addit* usque ad pontem.
(e) *In MS. prima bujus capitis periodus desideratur.*
(f) *MS. pro* sexcentis *legit* septemcentum.

& nce lavorano chiù de settecento homini. A

Lo Maio sequente lo Re se ne andao a Taranto, & da là se ne passao in Sicilia, perchè se disse, cha erano scoperte rebelliuni in favore della Ecclesia.

Alli 2. di Settembre in Barletta foro a parole Messer Lionello Faiella Justitiero con Raiel Saracino, ch' è Portolano; & da le parole vennero a iochi de mano; & lo Justitiero restao feruto in faccia; & lo Portolano habbe una mala cortellata in capo. Et lo Justitiero ne lo mandao presune così feruto & buono allo Castiello dello Monte.

Alli 13. del detto mese lo Conte di Caserta, che era restato Vicerè di Napole, mandao Mess. Andrea de Capua per Commessario a fare lo B *processo; & come fo a Barletta, vennero li parenti dello Portolano a pregarelo, che lo facesse scapulare, o che mettesse presone lo Justitiero ancora. Et Messer Andrea disse, cha non potea fare niente, finchè non vedeva, chi appe colpa alla impicica; & fece esaminare assai de Barletta. Et uno Saracino se partio subito, & in cinque iorni tornao, & portao ordine, che Mess. Taddeo de Sessa facesse portare lo presone a Barletta, acciò se potesse governare la feruta: & così fu fatto.*

Alli 26. del detto mese se partio Messer Andrea, & mandao la copia dello processo a lo C *Re in Sicilia; & Raiel restao pure presone a Barletta; & così fo publicato, che non era corpa nulla de lo Justitiero, & cha era stata presuntione di chillo Saracino, che tutti dicevano, che non si potea comportar chiù.*

Alli 28. si sappe a Barletta, che Messer Andrea de Capoa era stato arrobbato alla Torre de la Manna, & quattro Alibardieri, & tre famigli suoi foro bastonati da li Malandrini. Et se tene per certo, che foro Saracini, & a pena li lassaro le camise in duosso. Et subito da Barletta li Sindici le mandaro vestiti, & tutte cose necessarie.

Et l'Ottobre sequente in Capitanata se fecero gran processi per trovare, chi erano stati; & D *foro martoriati assai Pecorari de Apruzzo; ma non se ne possette saper niente.*

Lo primo di Novembre venne Messer Marino Capece, che era soprastante alla fabrica de Manfredonia, & mostrao una lettera de lo Re, che lo Justitiero, & lo Portulano facessero pace; & così fece cavalcare lo Portulano, che andava ancora con lo capo infasciato, & insembra andaro ad Andre, dove era lo Justitiero; & là li fece fare pace.

Le Feste di Natale se fece intendere a tutte le Terre de lo Reame, cha lo Re havea maritata la prima figlia sua, & l'havea data allo E *Figlio de lo Re d'Aragona, & che si apparecchiassero a pagare lo maritaggio.*

Lo mese di Jennaro 1257. iero tre Fatturi con gran pressa raccogliendo lo maritaggio, perchè dicevano, cha lo Aprile sequente venevano le Galere de Catalani a pigliare la Zita.

Alli 14. di Febraro stette lo Justitiero Messer Lionello Faiella con molti altri gentili uomini di

(g) *Rectiùs in MS.* ivit.
(h) S. Angeli *desideratur in MS. nostro*.
(i) *MS.* aut ipsum etiam &c.
(K) *MS.* Barlettanis examinatis. Unus verò Saracenorum statim abiit, & quinto post die revertens mandatum attulit, ut D. &c.

Majo sequenti, misit (g) Rex Tarentum, transivitque in Siciliam, ubi dicebatur esse suspicio alicujus rebellionis concitatæ in favorem Ecclesiæ.

11. Septembris, ad verba, indeque ad manus venerunt D. Leonellus Fajella Justitiarius, & Realtus Saracenus, qui erat Præfectus portuum; mansitque Justitiarius læsus in facie, & Portulanus vulnus grande habuit in capite: sic autem vulneratum misit Justitiarius captivum ad Castrum Montis S. Angeli (h).

13. Comes Casertæ, qui Neapoli manserat cum titulo Vice-Regis, inde misit D. Andream de Capua Commissarium, ad formandum illorum processum. Cùmque venisset Barlettam, accesserunt ad eum consanguinei Portulani, rogantes, ut eum faceret vinculis eximi, ipsumque etiam (i) Justitiarium carceri mancipari. Sed D. Andreas respondit, nihil se facere posse, donec cognovisset, penès quem culpa resideret contentionis istius: multisque Barlettanis examinatis, & uno Saraceno, abiit. (K) Quinto autem post die revertens, mandavit, ut D. Taddæus de Sinuessa captivum adduceret Barlettam, curandum à vulnere: quod & factum est.

26. Discessit D. Andreas, & exemplar processus formati misit ad Regem in Siciliam, mansitque Realtus Barlettæ in carcere: ideoque publicatum fuit nullatenus culpandum esse Justitiarium, sed fuisse præsumptionem illius Saraceni, quem ajebant omnes, non posse ampliùs tolerari.

28. Rescitum Barlettæ est, quod D. Andreas fuerit spoliatus à grassatoribus ad Turrim Mandræ (l), quòdque quatuor balistarii, atque tres famuli ejus ab iisdem fuerint cæsi fustibus. Pro certo autem habebatur, eos fuisse Saracenos, qui vix induxium ipsi reliquerant. Statimque à Sindicis Barlettæ missæ sunt vestes, & alia necessaria.

Octobri sequenti, ex parte Capitanatæ magna diligentia adhibita est ad cognoscendos auctores facinoris, nec pauci pecuarii Aprutini ea de causa torti fuerunt; sed nihil unquam resciri potuit.

Primo Novembris, vênit D. Marinus Capecius, præpositus fabricę Manfredonianæ, ostenditque regiam epistolam mandantem, ut Justitiarius, ac Portulanus reconciliarentur. Fecit ergo Portulanum, sicut erat, fasciis obligatum, equum conscendere: simulque iverunt Andriam, ubi erat Justitiarius: & pax confecta est.

Festum Natalis Dominici celebrans idem D. Andreas, divulgari fecit per omnia Oppida, (m) quòd Rex primogenitam suam filio Regis Aragoniæ despondisset; proinde universi se præpararent ad dotem exolvendam.

Anno Domini MCCLVII. mense Januario, egressi sunt exactores tres, magna cum festinatione collecturi prædictam dotem: quia dicebant, Aprili proximo adventuras triremes Catalanas, ad accipiendam puellam (21).

14. Februarii, Justitiarius cum multa nobilitate Barlettana, & Tranensi occupabatur in vena-

(l) *MS.* Mannæ.
(m) *MS.* In festo Natalis Dominici vulgatum est per singula Regni oppida.
(21) *Nomine Constantiam ex priori Regis matrimonio cum Beatrice, filia Ducis Serviæ.*

di Trani & di Barletta a caccia a la Trinitate; & nce intravenne una grande sciagura; & fo, che Messer Azzolino Russo de Napole Nipote de isso Justitiero corriendo appresso a uno Lepore, se spezzao lo cuollo: & era uno bello & valente giovane.

Alli 27. del detto mese venne Bisichavez Saracino Justitiero d'Apruzzo con due Compagnie di Saracini, & portao nove salme di denari à Taranto, per mandarle in Sicilia. Et allhora Messer Lionello Faiella cavalcao per la Provincia recogliendo; & nello primo di Marzo pigliao, & portao a Taranto quattro millia & ducento onze d'oro; in tanto che si dice, che a chisto maritaggio di sua figlia lo Re nce avanza chiù della mitate, perchè non l'ha dato più de trenta millia onze di dote; & ne ha recoverato da questo Reame & da la Sicilia chiù di settanta millia.

La prima settimana de Maio venne la nova, cha erano venute le Galere de' Catalani, per portarene la Zita in Hispagna; & la Reina moglie di Re Manfredo ne sta assai mal contenta di tale parentezza: tanto sono venuti li Catalani male in ordine & scontienti.

Alli 24. di detto mese si sappe, che le Galere erano partute da Palermo, & cha lo Re venc da Sicilia in Calabria.

Lo Giugno sequente lo Re cadio malato a Caserta, & stette in fine di morte.

In chisto tiempo lo Re donao Jovenazzo a Messer Jordano Lanza Piamontese, & ne lo fece Conte; & se dice, che li è frate consobrino per parte di mamma.

Lo Settembre sequente venne Messer Rinaudo de Aquino ditto de la Crotta Justitiero in Terra di Bari, & de Terra d'Otranto, lo quale non era stato mai ad altra Justitieria. Et se partio Messer Lionello Faiella de Napole con multo buono nome, che havea ben governato; & in tiempo suo la Provincia nostra non habbe mai otrasio nullo dalli Saracini; & li foro mandate per fino a Napole chiù di diece onze di presiento.

Al di 10. d'Octubro Re Manfredi venne a Foggia a fare la caccia, & nce vennero assai gentili huomini de Napole.

Alli 27. del detto mese lo Sindico di Barletta andao a presentare lo Re insembra con molti altri della Provincia.

Lo iorno sequente happe a soccedere uno granne errore, cha in presentia de lo Re uno Saracino, che era Capitano della guardia de lo Re, dette una spontonata a Messer Mazzeo Gritto de Napole Cavaliere; & Messer Mazzeo se voltao, & le dette tale schiaffo, che lo scommao de sangue; & se posero mano alle pome li Saracini della guardia & li Napolitani. Et se li Baruni, che erano intorno al Re non se ponevano in mezzo a spartire, nce succedea assai chiù scandalo & morte de molti; ma ne foro feruti assai da l'una & l'altra parte. Lo Re como fo acquetata la briga, commandao, che fosse tagliata la mano a Messer Mazzeo; & subito li gentili huomini di Napole andaro allo Re a pregarlo, che lo avesse per raccomandato,

A venatione circa locum Trinitatis, quando magnum accidit infortunium: quia Jezzolinus Rubeus Neapolitanus, nepos Justitiarii, currendo post leporem, fregit cervicem: eratque juvenis formosus, & generosus.

18. Vênit Bescavettus Saracenus, Justitiarius Aprutii cum duabus cohortibus Saracenorum, conducens Tarentum novem somas denariorum, deportandas in Siciliam. Tunc etiam D. Leonellus equitabat per Provinciam pecunias colligens, & initio Martii accepit Tarenti quatuor millia & ducentas uncias auri; adeò ut diceretur, quod pro hisce sponsalitiis ultra medietatem lucratus sit Rex; nec enim filiæ suæ
B dotem ampliorem fuisse, quam trigesies mille unciarum: & tam ex Sicilia, quàm ex Regno Neapolitano corrasit plusquam septuaginta millia.

Prima hebdomada Maji, nuntiatum est advenisse triremes Catalanas, pro auferenda puella in Hispaniam: quòdque Reginæ displicet affinitas illa, eo quòd Catalani adeò male vestiti, incompositique apparerent (22).

24. Maji, rescitum est, quòd triremes discessissent Panormo, & quòd Rex veniebat de Sicilia in Calabriam.

Junio mense, Rex in morbum Casertæ incidit, non absque gravi mortis periculo. Eodem
C tempore D. Jordano (n) Pedemontano datum est Juvenatium (o) cum titulo Comitis: dicebatur enim esse frater Regis consobrinus ex parte matris (23).

Septembri sequenti, vênit D. Raynaudus (p) de Grottis Justitiarius in Provinciam Bariensem, atque Hydruntinam, quæ nunquam alteri Justitiariæ subjecta fuerat: abiitque ad Leonellum (q) sequente eum bono nomine, ex munere (ut dicebatur) bene administrato: nam ejus tempore nullam violentiam pertulit Provincia à Saracenis: quapropter eis submissæ sunt usque Neapolim, in donum gratuitum, plusquam decem unciæ auri.

D 10. Octobris, vênit Rex Foggiam ad venationem, & multi nobiles Neapolitani eodem accurrerunt.

27. Iverunt Syndici Barlettani ad offerenda ei munera, & multi alii aliarum Provinciarum.

Sequenti die, accidit gravis casus. Etenim coram ipso Rege Saracenus quidam, custodiæ Regiæ Capitaneus, D. Mazzeo Griffo Equiti Neapolitano pugnum impegit: qui, reddita vicissim alapa, copioso ipsum sanguine perfudit: itaque tam Saraceni Custodes corporis Regii, quàm Neapolitani manus admoverunt armis; secuturumque erat gravissimum scandalum, nisi Barones, qui Regem circum-
E stabant, medios sese interposuissent; fuerunt nihilominùs læsi hinc inde aliquammulti. Tum Rex, ut vidit sedatum tumultum, jussit ut D. Mazzeo amputaretur manus: quo intellecto confestim Neapolitani nobiles accesserunt ad Regem, orantes, ne vellet mutilatum virum nobilem, qui fuerat dignus ipsius Regis manu eques

(22) *Helena ea erat, filia Michaelis Despotæ Toessaliæ, quæ deinde Beneventi capta à Carolo Rege, cum unico superstite filiolo Manfredino, apud illum in carcere obiit.*

(n) *MS. addit* Lanzæ.

(o) *Adde ex MS.* à Rege.

(23) *Blancæ scilicet Lanceæ Longobardæ, ex qua Friderico Imperatori similiter nati Entius Rex Sardiniæ, Fridericus Princeps Antiochiæ, Henricus Rex Corsicæ, & Richardus Civitatis, quem credo vocant Austriæ in Folo julio.*

(p) Raynaudus de Aquino, dictus de Crotta *leg. in MS.*

(q) *Corrige ex MS.* abiitque D. Leonellus Faiella Neapolitanus, sequente &c.

dato, & non volesse stroppiare un tale gentil' huomo ad petitione de no cane Saracino, che havea havuta presuntione di ponere la mano aduosso a Messer Mazzeo, che era stato fatto Cavaliero per mano di sua Maestà. Et Messer Liguoro Caracciolo sopra di questo fece da parte di tutti uno longo sermone. Et lo Re li disse, cha non ne poteva fare di manco; ma che per l'amor loro voleva, che li tagliasse la mano mancina. Poi l'altro iorno lo Re addomandao, come stava Mazzeo, & le dissero, che era stato in pericolo di morire de spasimo; & lo Re lo mandao a vedere, & li mandao cento Augustali, & levao chillo Saracino da chillo officio, & fece un' altro per Capitanio della sua guardia.

Da Foggia andao lo Re tre volte a vedere la fabrica di Manfredonia, & ordinao, che se nce facesse una Campana grossissima, che se senta cinquanta millia dentro terra; & tale, che se potesse presto venire a soccurso, se Manfredonia fusse stata assaltata da' nemici, mentre era poco habitata. Et da chilla hora se disse, cha lo Re volea capare dalle Terre grosse de tutta Puglia tante Casate per terra pe fare Manfredonia Terra di tremilia fochi.

Lo secondo di Decembre lo Re venne a Barletta, & nce fece stantia molti mesi; & nelle feste di Natale se nce fece gran triunfo, perchè ogni iorno se ne fecero balli, dove erano Donne bellissime d' onne sorte, & lo Re presentava equalmente a tutte, & non se sapea, quale chiù li piacea.

De lo mese de Iennaro 1258. lo Re mandao lo Conte Iordano Lanza Piamontese, ed octo cento Lanze in Lombardia in favore delli suo confederati.

In chisto anno 1258. de lo mese de Marzo lo Re fece scasare Siponte, & Civitate, & comandare, che andassero ad abitare a Manfredonia. Et lo Re ancora nce andao, & fece salire sopra certi pilieri de fabrica la Campana, che era colata; & perchè non sonava troppo forte, la fece tornare a colare, & aggiognerce chiù metallo.

La notte de li 25. di Marzo a Barletta nce intervenne uno grande caso. Fo trovato da le frati de una Zitella così bella, quanto sia in tutta Barletta, Mess. Amelio de Molisio Cameriero de Re Manfredo, che stava allo lietto con chella Zitella, & era vacancìa; & fo retenuto; & a chella hora chiamaro lo Iustitiero, & fo portato presone. Et la mattina venendo, lo padre & li frati iero a fare quarela allo Re; & lo Re ordinao, che Mess. Amelio se pigliasse per mogliere la Zitella. Et Mess. Amelio mandao a farelo sapere allo Conte de Molisio, che l'era zio; & lo Conte li mandao a dicere, che per nulla maniera la pigliasse. Et Mess. Amelio se contentao de darele ducento onze di dote, & altre tante ne le pagava lo Conte. Et lo padre & li frati della Zitella se ne sariano contentati, perchè erano delli chiù poveri, & bascia conditione de tutta Barletta. Ma lo Re disse,

(r) *Hic MS. sensus*: Rex à Foggia ter in Manfredoniam se contulit, ut ejus fabricam inspiceret, mandavitque &c.
(s) *MS.* Et ex eo tempore dictum est.
(t) *MS.* Sipontum, ac Civitatem, mandans, ut Cives &c.

eques creari, idque ad petitionem unius canis Saraceni. Dominus autem Liguorus Caracciolus, nomine omnium, longam ad Regem habuit orationem. Ille verò respondit, minùs facere se non posse; pro amore tamen supplicantium largiri, ut manus sinistra amputaretur.

Postero die quæsivit Rex, quomodo se haberet D. Mazzeus: responsumque est ei, quòd ex spasmo fuerit in periculo mortis. Tunc misit Rex, qui eum visitarent, unà cum dono centum Augustalium: Saracenum verò, deposuit officio, & alterum custodiæ suæ Capitaneum creavit.

Dum autem ibidem Foggiæ Rex esset, misit, qui fabricam Manfredoniæ inspicerent, (r) mandavitque, ut fieret Campana maxima, quæ per Provinciam audiri posset ad milliaria quinquaginta; ut undique veniri posset ad succursum Urbis, si fortè eam invaderent inimici: erat enim habitatoribus infrequens Civitas. Tum dixit, (s) quòd volebat ex omnibus majoribus Oppidis totius Apuliæ tot familias oppidatim accipere, quot sufficerent ad constituendam Civitatem ter mille focorum.

2. Decembris, vênit Barlettam, & multis ibi mensibus substitit, celebravit etiam ibidem Natalem Dominicum magno cum triumpho. Quotidie enim agebantur choreæ, & omnis conditionis mulieres speciosissimæ eò confluxerant, quibus Rex largiebatur munera æqualiter omnibus, sic ut sciri nequiret, quænam ei præ ceteris placuisset.

Anno Domini MCCLVIII. Mense Januario, misit Rex Comitem Jordanum Pedemontanum, cum octingentis lanceis, in Lombardiam, ad auxilium confœderatis suis ferendum.

Eodem anno mense Martio, jussit Rex desolari Sipontum (t), mandans ut Cives omnes transmigrarent Manfredoniam: ipseque eòdem ivit, & voluit Campanam, quæ fusa jam erat, supra quasdam columnas erigi: sed quia non dabat sonum tam grandem, quantus expectabatur, refundi eamdem fecit, adjecto copiosiori ære.

Nocte diei 22. Martii, accidit Barlettæ casus hujusmodi. D. Amelius de Molisio, Camerarius Regis, à fratribus puellæ cujusdam formosissimæ præ cunctis aliis Barlettanis, inventus est in lecto cum ipsa puella; fuitque retentus ibi (erat enim vacantiæ tempus) (u) & advocato mox Justitiario sequenti mane deductus in carcerem. Tum pater, fratresque querelam suam detulerunt ad Regem: qui jussit, ut juvenis puellam sumeret in uxorem. Misit ergo D. Amelius, qui rem significaret patruo Comiti Molisii: qui respondit, nequaquam uxorem istam acciperet, satis fore si ei daret ducentas uncias, tantumdem sese superadditurum. Acquievissent conditioni oblatæ pater, fratresque, utpote ex infima paupertate, viliorique conditione; sed Rex dixit, quòd nollet puellæ isti perire fortunam, quam sua forlet puellæ isti perire fortunam, quam sua sibi acquisierat. Itaque videns D. Amelius, quòd

(u) Doctissimus Papebrochius, cui minùs nota Dialectus Apula in errorem incidit hoc loco. *Vacancìa*, *vacentìa*, seu *vacantile* Apulis dicitur innupta puella, nihil itaque hìc de vacantiæ tempore infarciendum.

disse, cha non volea fare perdere la ventura a chella Zitella, che per la bellezza soa se l'havea procacciata. Et così Mess. Amelio per non stare chiù presone, poichè vedde lo animo deliberato de lo Re, se la sposao; & lo Re fece fare la festa, & disse a Mess. Amelio, cha era così buon Cavaliero mò come prima; & cha le femmene songo sacchi; & cha tutti li figli, che nascono per amore, riescono huomini grandi. Et li donao Alvarone in Capitanata. Ma con tutto questo se disse, cha lo Conte de Moliso ne stette forte scorrucciato. Et lo Re per chisto atto giustifico ne fo assai ben voluto, & massimamente dalle femmene. Et da l'ora innanti tutti li Cortisciani de lo Re tennero la brachetta legata à sette nodeche.

Lo Re spisso la notte esceva per Barletta, cantando Strambuotti & Canzuni, che iva pigliando lo frisco; & con isso ivano dui Musici Siciliani, ch'erano gran Romanzaturi.

Alli 9. d'Agusto lo Imperatore de Constantinopoli ionse a Bari, che veneva da Venetia; & lo Re lo andao a trovare, & li fece assai cortesie & carizze. Et subito fece ponere in ordine una iostra, & foro quattro manteneturi; cioè lo Conte de Biccario, Mess. Loffredo de Loffredo, Mess. Tancredo de Vintemiglia, & Mess. Corrado de Spatafora.

In iorno di Santo Bartolomeo dello ditto anno 1258. fo fatta la iostra, & foro ventidue aventurieri: cioè Beitunus, & Sanachar Saracini, che vennero ad una divisa pagonazza & gialla; Messer Roberto Piscicello, & Mess. Gotardo Sassane, Mess. Athenaso Puderico, Mess. Balardo Siginulfo, Mess. Stefano Brancazzo tutti da Napole, & tutti con le sopraveste gialle & negre; Mess. Rogiero Stellato, Mess. Mattheo della Porta di Salerno, Cataudo, & Mess. Jacopo Protontini di Taranto; Rienzo de Falcuni, Gasparro di Persona, & Mess. Orlando Maramonte Otrantini; Ricciardo de la Lionessa, Gulielmo d'Evoli, Sarro d'Antignano, & Piero d'Albenavoli di Capua; Simone de Sanguigno, Saccone di Montagano, Lorenzo Torto, & Eleuterio de Valignano d'Abbruzzo. ....

Quì mancano quattro carte, che sono guaste dal tempo e corrose, e non si possono leggere.

Alli 3. di Decembre 1259. venne lo Dispoto de la Morea, che era coinato de lo Re Manfredo, & sbarcao à Vieste, & passao a trovare lo Papa, & lo Re.

Alli 9. di Febraro 1260. tornao Mess. Marino Capece, & disse, che lo Papa volea patto, che Re Manfredo tornasse le robbe alli forasciti dello Reame, & cacciasse li Saracini da lo Riame. Et lo Re li disse, cha ne volea fare venire altri tanti: & così fece. Alli 23. de Maio 1260. venne da le bande di Schiavonia tale tempestate de viento, cha quanto tiene da Castello à Trani, scoperse tutte le case; & per chillo deritto scorse fino alle marine di Principato, & fo tenuto a male segnale. Alli 26. di Maio sbarcaro li Saracini a Taranto, & ne fu piena tutta Terra di Bari & d'Otranto. Alli

(x) *MS.* Meliùs ob justum hunc actum, multum sibi &c.
(y) *In MS. & edito à Carusio* Comes Bicarii.
(z) *In MS. desideratur* D. Joannes Aredus.

quòd aliter non posset evadere carcerem, Rege in proposito persistente, eam sibi desponđit. Rex autem suo sumptu nuptias celebravit, dixitque, quòd æstimabat eum æquè bonum Equitem, quàm antea: fœminas enim saccos esse, ex quibus quotquot nascebantur filii, interveniente amore, viri magni evaderent: deditque ei Alvaronem in Capitanata. Dicitur nihilominus quòd Comes vehementer indignatus manserit: sed Rex eo actu se justificavit,(x) multumque sibi adjunxit amorem subditorum, ac maximè fœminarum. Aulici autem exinde continentiores multò fuerunt, tamquam septemplici nodo adstricti. Rex quoque sæpiùs egrediebatur noctu, captando aërem, & cantando poëmata amatoria in comitatu duorum Musicorum Siculorum, qui erant magni poëtastri.

9. Augusti, appulit Barium Imperator Constantinopolitanus, rediens Venetiis, ivitque Rex, ut eum visitaret, magnas delicias ei faciens. Et statim jussit apparari ludum equestrem; cujus Duces fuerunt quatuor, Comes Bicceari (y) D. Loffredus Loffredi, D. Tancredus de Vintemilia, D. Joannes Aredus (z), & D. Conradus Spadafora.

Festo S. Bartholomæi factum est hastiludium, fueruntque vigintiduo, qui fortunam experirentur; Bettuninus, & Joannottus Saraceni (a), qui venerunt flavo, & purpureo colore distincti; D. Robbertus Piccinellus (b), D. Gottardus Saxo(c), D. Athanasius Podericus, D. Balardus Sigenulfus, D. Stephanus Brancaccius Neapolitani, omnes induti sagum nigrum, & flavum; D. Rogerius Stellatus, & D. Mazzeus à Porta, Salernitani; D. Cataldus, & D. Jacobus Protentini de Tarento, Rienzius Falconi, Gaspar Personæ, & Orlandus Maramonte, Hydruntini; Richardus de Leonissa, Guilielmus de Jevoli, Sarrus de Antiniano, & Petrus de Albenavolis, Capuani; Simon de Sanguine, Sacco de Monte-agano, Laurentius Tortus, & Eleutherius de Valignano, Aprutini.

In Cod. Ital. hoc loco pagellæ quatuor desiderantur.

Die 3. Decembris, vênit Despota Moreæ, qui erat cognatus Regis Manfredi, & exscensionem fecit Vestiæ: (d) transivitque ad Papam, si fortè inter ipsum, & Regem posset pacem componere.

Anno Domini 1260. die 9. Februarii, rediit D. Marinus Capecius, & dixit, quòd Papa vellet in pacis conditionem adduci, ut Rex Manfredus bona erepta Regno egressis redderet, & à Regno expelleret Saracenos; Rex autem Manfredus respondit, quòd duplo plures accersere vellet: itaque fecit.

23. Maji, anni prænotati ex Sclavonia in hæc litora irruit tam violenta tempestas ventorum, ut toto eo, quod inter Castellum, & Tranum est spatio, domus omnes fuerint nudatæ tectis: cucurritque procella per omnem maritimam Principatus: quod in malorum præsagium acceptum est. 26.

(a) *In MS.* Beitunus, & Sanachar Saraceni.
(b) *MS.* Piscicellus.
(c) *MS.* Sassane.
(d) *MS.* seque ad Papam, & Regem contulit.

Alli 29. del detto mese Re Manfredo andao a Napole, perchè se dice, cha v'è stato fatto uno trattato di alzare le bandere de la Ecclesia. Alli 10. de Luglio venne lo Conte de .... & condusse tutti li Saracini in Campagnia di Roma per ordine de Re Manfredo. Andao in Romagnia, & tutta la voltao sottosopra.

Lo Anno sequente, cioè 1261. fo fatto Papa Urbano IV. de natione Francese. Et subito fece conoscere, che era de autro stomaco, cha Papa Alessandro; & mandao a comandare allo Re Manfredo, che se partisse subito da lo stato della Ecclesia.

Alli 7. d'Aprile 1261. venne la novella, cha Mess. Rugiero de Sanseverino Capitanio de li forasciti de lo Regno faceva gente per servitio de lo Papa; & nce concorsero assai Regnicoli.

Lo Maio poi certi Romani della parte di Re Manfredo fecero trattato de dare lo Papa presone in mano de lo Re: ma foro scopierti; & lo Papa se salvao a Viterbo; & all' hora bandio la Cruciata contra Re Manfredo.

Lo mese di Luglio scesero con lo Conte di Fiandra li Franzesi de la Crociata, & in Lombardia ruppero lo campo delli Gibellini, amici di Re Manfredo.

Lo primo d'Agusto Re Manfredo rinchiuse li Saracini dentro lo Regno, & aspettava li Franzesi alli confini, & mandao a dicere alli Baruni, ch'a pena di rebellione venissero con l'armi & cavalli.

Lo iorno proprio de Santo Bartolomeo 1261. Mess. Iozzolino de la Marra cavalcao da Barletta con sette cavalli, & io andai con isso. Et lo iorno sequente alloggiaimo a Sanseverino con lo Conte Ientile de Sangro, & fuimo assai accarezzati.

Et la mattina delli 28. d'Agusto partimmo insembra con lo detto Conte, che portao venti dui cavalli bene in ordine, & la sera alloggiaimo a Gambatesa.

Alli 29. del detto mese d'Agusto andaimo da Gambatesa a Campobascio, & fuimo cortesemente receputi dallo Conte de Molise, che appemo assai carizzi, & tutto lo bene dello munno.

La mattina sequente cavalcaimo, & mangiaimo pure ad una Terra de lo Conte de Molise, che se chiama Bojaro; & la sera andaimo a Sergnia, & là se accompagnaro con nui Mess. Andrea d'Ebulo, & Mess. Bernardo Carbonara, & Mess. Cola de Monte Agano, tutti tre Baruni d'Apruzzo; & portavano venticinque cavalli.

Et all' ultimo d'Agosto alloggiaimo a San Germano.

Et lo primo di Settembre arrivaimo allo campo nello territorio de Fresolone, & fuimo assai cavalli.

Alli 3. di Settembre 1261. vennero tre gentil'huomini mandati da li Napolitani à pregare lo Re, cha facesse pace con lo Papa, perchè Napole stava scomunicata, & l'Arcipiscopo non vole che se nce dica Messa. Et chillo, che fece lo parlamiento allo Re, se chiama Mess. Andrea Faiella, & parlao multo authenticamen-

(e) *In MS. non legitur* Cretariæ.
(f) *In nostro legimus* anno 1261.
(g) *MS.* Severinum.

A 26. Maji, appulerunt Saraceni Tarentum: impletaque iis est tota provincia Hydruntina, & Bariensis.

29. Ivit Rex Neapolim: & dicebatur, quod erat tractatum de efferendis vexillis Ecclesiæ.

10. Julii, vênit Comes Cretariæ (e), deducens omnes Saracenos in Campaniam Romanam, ex mandato Regis Manfredi.

Mense Septembri, Rex ipse ivit in Romaniam, & omnia susdeque vertit.

Anno Domini 1261. creatus est Papa Urbanus, natione Francus: qui subitò declaravit, alterius se stomachi esse, quàm fuerat Papa Alexander: misitque qui Regi mandarent, ut sinè mora excederet è statu Ecclesiæ.

B *Hic fortassis exciderunt gesta annorum duorum.*

Anno Domini 1264. (f) die 7. Aprilis, vênit fama, quod D. Rogerius Sanseverinas. Capitaneus egressorum à Regno, militem cogeret, ducturus eum ad servitium Papæ, nec modicum Regnicolarum concursum haberet.

Majo sequenti, Romani quidam, ex parte Manfredi, pepigerunt cum eo, quòd tradituri essent in manus ejus captivum Papam; sed fuerunt detecti, & Papa se subduxit Viterbium: ubi publicavit Cruciatam contra Regem.

Julio mense, descenderunt Franci cruciati sub Comite Flandriæ, & fuderunt exercitum Ghibellinorum, amicorum Regis Manfredi in

C Lombardia.

Primo Augusti, Rex Manfredus reclusit Saracenos intra Regnum, & expectabat Francos ad confinia, mandans Baronibus venire cum armis, & equis, sub pœna perduellionis.

Ipso die S. Bartholomæi, D. Jezzolinus egressus est Barletta cum septem equis: & ego ivi cum eo.

Die sequenti, hospitati sumus ad S. Severum (g), apud Comitem Gentilem de Sanguine, (h) multumque humaniter habiti.

Mane die 28. Augusti, discessimus simul cum prædicto Comite, secum ducente viginti duos equos optimè instructos, & vesperi di-

D vertimus Gambatesam.

29. Gambatesâ processimus in Campum-Vascium, fuimusque urbanissimè excepti à Comite Molisii, & habuimus affatim deliciarum, ac veluti omnia bona Mundi.

Mane sequenti equitavimus, & pransi sumus in alio Comitis Molisini Oppido, quod dicebatur Bovianū (i): & vesperi pervenimus Sergnyam, comitantibus nos D. Andrea de Jevolis, & D. Bernardo de Carbonaria, & D. Colao de Monteagano, Baronibus Aprutinis, habentibus secum equos vigintiquinque.

Ultima Augusti hospitati sumus ad S. Germanum.

E Primo Septembris, pervenimus ad Castra posita in territorio Freselonensi: & eramus equites satìs multi.

3. Septembris, venerunt tres nobiles, missi à Neapolitanis, rogaturi Regem, ut faceret pacem cum Papa: quia Neapolis manebat excommunicata, & nolebat Archiepiscopus, ut diceretur Missa. Is autem qui verbum ferebat, nominabatur D. Andreas Fajella, & loquebatur cum magna auctoritate. Rex verò res-

(h) *MS.* Sangro.
(i) *MS.* Boviarium.

mente. Et lo Re rispose, che la guerra non è per colpa sua, ma de lo Papa, che lo vuole cacciare da lo Reame suo; & che lo Re volea mandare trecento Saracini a Napole, che facessero dicere le Messe per forza, & che avessero da mandare in galera li Preti & li Frati, se non le voleano dicere. Et tutti chilli Napolitani auzaro voce: Signore non ce li mandati, perchè Napole non ne vuole alloggiare de' Saracini: *de lo che lo Re se ne adirao fortemente.*

A

Alli 5. dello detto mese lo Re mandao a Napole Mess. Joffredo, & se disse, cha havea paura, che Napole non se fosse sollevata.

Et chillo Inverno venne lo Conte de Fiandra con li Franzisi ad accamparsi a vista de lo Campo nuostro.

B

Alli 6. del detto mese se mossero dallo campo nuostro due Compagnie di Saracini, & andaro ad attaccare una terribile impiccia con li cavalli delli nemici; & non ne saria tornato nullo vivo, se lo Conte Falcone de Gesualdo non se fosse mosso con tre squadre di cavalli grossi a darele soccurso; & alla fine ne morero trentadui Saracini, & Filippiello Caraffa di Napole Scutiero dello Conte Falcone, & dui altri suoi homini d'arme de Beneviento. Et chella sera lo Re Manfredo fece mangiare con isso allo paviglione suo lo Conte Falcone de Gesualdo.

C

Alli 11. dello detto mese lo Re Manfredo fece adunare tutti li Signuri a lo paviglione suo, & se tenne parlamiento de chillo, che s'havea da fare, & foro chisti: Lo Conte di Caserta de Casa d'Aquino, lo Conte Jordano Lanza Piamontese, lo Conte d'Agnione de Casa Carbonara, lo Conte Falcone de Jesualdo, lo Conte Bernardo Ruffo, lo Conte Bartolomeo de Jesualdo, Mess. Pandulfo de Aquino ditto de la Grotta, Mess. Gulielmo de Avella, lo Conte de Ventimiglia con tre altri gentil' huomini Siciliani, & quattro Capitanii di Saracini: tutti quelli intraro in consiglio.

La notte sequente lo Re fece ritirare tutto lo suo esercito, & quando appena happe passato lo fiume de lo Garigliano, fece ponere là lo campo; & isso in persona nce andao a fortificare & ponere le guardie a tutti li passi.

D

Alli 8. di Octubro arrivao allo campo lo Conte de Molise con sessanta cavalli buoni, & de buona gente, & chillo inverno venne ancora lo Conte de lo Riao, & tre altri Baruni de Casa Caldora con sessanta altri cavalli.

Alli 9. del detto mese venne d'Apruzzo Mess. Corrado de Acquaviva con trentasci cavalli; & chillo inverno medesimo vennero Mess. Jacobo & Mess. Ramundo Capece con due squadre di cavalli: & con tutto questo stettemo con gran paura.

E

Alli 11. del detto mese, quando pensavamo, che lo Conte di Fiandra volesse fare sforzo de passare lo Garigliano, venne nova, che si ritirava verso Roma. Et lo Re Manfredo per lo primo non lo credette; ma lo iorno appresso se sappe, che era lo vero, & che Roma si era ribel-

respondit, suam culpam non esse, quòd bellum gereretur; sed Papæ, qui ipsum volebat pellere Regno suo: se autem missurum Neapolim trecentos Saracenos, qui curarent per vim ut Missa diceretur: Presbyteros porrò, & Fratres, qui recusarent, ad se mitterent in triremi (K). Omnes autem responderunt: *Domine ne miseris; non enim Neapolis volet hospitio suscipere Saracenos.* Rex verò iratus est vehementer.

5. Mensis, misit Rex Neapolim D. Loffredum de Loffredis: dicebaturque, timere, ne Civitas rebellaret. Eodemque die appulit Comes Flandriæ cum Francis, & Castra in conspectu Castrorum nostrorum collocavit.

6. Cohortes duæ Saracenorum abierunt ex Castris, inieruntque horribilem conflictum cum equitatu inimico: nec ullus eorum vivus evasisset, nisi Comes Falco Gesualdi cum quatuor (l) cohortibus gravioris armaturæ, processisset in eorum auxilium: ubi tandem inventi sunt occubuisse Saraceni trigintaduo, & Philippellus Caraffa Neapolitanus, scutifer Comitis Falconis, alique duo milites Beneventani. Ipso autem vespere voluit Rex Comitem Falconem manere in tentorio suo.

7. (m) Rex cōvocavit Magnates omnes in suũ tentorium, ad consultandum, quid fieri oporteret; erant autem Comes Casertæ ex familia de Aquino, Comes Jordanus (n) Pedemontanus, Comes Agnonis, ex familia Carbonaria, Comes Falco Gesualdi, Comes Pandulfus (o) de Grotta, Comes Bernardus Ruffus, Comes Bartholomæus Gesualdi, Comes Guillelmus Avellanus, & Comes Vintemiliensis, cum tribus Nobilibus Siculis, & quatuor Capitaneis Saracenis. Hi omnes ingressi in Consilium sunt. Nocte autem sequenti, fecit retrocedere Rex totum exercitum: transitoque Gariliano, ibi jussit castrametari, & ipse in persona circuibat ea; munitiones ordinans, & custodias disponens ad singulos passus.

8. Advenit in Castra Comes Molisii cum equitibus exercitatis sexaginta; Eodemque die (p) receptus est Comes Loriti, cum tribus Baronibus familiæ Caldoræ, & sexaginta equis.

9. Appulit ex Aprutio D. Conradus Aquaviva cum triginta sex equis. Eodem die advenerunt D. Jacobus, & D. Raymundus Capicii cum duabus cohortibus equitum: & nihilominus magnus erat timor in Castris.

11. Cùm crederetur Comes Flandriæ vi tentaturus transitum Gariliani, nuntiatum est, quòd retrocedebat Romam versùs; id quod Rex Manfredus initio nolebat credere (q).

Diebus istis miserunt Romani ad Regem, qui orarent, ut deinceps sibi parcitum vellet (r).

14.

(K) *MS.* & Presbyteros ac Fratres, qui recusarent in triremes deportarent.
(l) *MS. non* quatuor, *sed* tres *tantùm exponit* cohortes.
(m) Die 11. *in MS.*
(n) *MS. addit* Lanza.
(o) *MS.* D. Pandulphus de Aquino, appellatus de Grotta.
(p) *MS. pro* die *legit* Eademque hyeme venit etiam Comes de Riao.
(q) *MS. addit*: sed die proxima innotuit id verum esse, Romanosque Papæ rebellasse, ac Flandriæ Comitem a Pontifice evocatum, quamobrem illico discessit.
(r) Diebus istis Romani Legatos ad Regem miserunt, qui orarent, ut cum exercitu ad Urbem accederet.

bellata da lo Papa, & che lo Conte de Fiandra era stato mandato a chiamare da lo Papa, & perciò andao subito subito.

In chisti tiempi li Romani mandaro a pregare lo Re Manfredo, che se spingesse innanti.

Alli 14. del detto mese lo Re disse in publico, cha volea dare favore alli Romani.

Alli 15. del detto mese d'Octubro tutti li Baruni de lo campo se redussero allo paviglione de lo Conte de Molisi, & conclusero de fare uno protesto con dicere, che loro non sono tenuti uscire a fare guerra con lo Papa, ma solamente de defendere lo Regno. Et come lo Re lo sappe, fece trattare modestamente, cha li Baruni se ne andassero alle case loro, ma che imprestassero allo Re chilli denari, che se aveano portati per le spese; & questo lo trattao lo Conte de Caserta, & così fo fatto.

Alli 19. del detto mese, onne uno se pigliao la via sua, & loro se ne andaro verso Roma, & nui nce ne tornaimo in Puglia ....

Quì sono molte carte corrose, che non si possono leggere.

Allo mese d'Octubro 1263. Papa Urbano IV. mandao in Franza per lo frate del Re di Franza, che venesse alla conquista di quisto Reame; & si sappe subito, perchè li forasciti de lo Reame, che stavano à Roma appresso de lo Papa, lo scrissero subito alli parenti sui.

Poco dopo morio Papa Urbano IV. & fo creato Papa Clemente IV. pure Franzese.

Alla fine de Majo 1264. se sappe, che lo Conte di Provenza, che se chiama Carlo d'Angioia, venea per terra in Italia, & era venuto sopra l'armata ad honore & servitio delo Papa; & lo Papa lo ha fatto Senatore di Roma. Et ancho se disse, che lo Re Manfredo restao male contento, cha vedea la rovina, che le venea sopra.

Alli 12. di Settembre 1264. se disse cha lo exercito de lo Conte di Provenza venea per terra in Italia, & fo pigliato presone Mess. Petruccio de Rocco, con dire che aiutava li forasciti de lo Reame.

Allo fine di Settembre Re Manfredo mandao lo Conte Jordano in Lombardia con quattrocento lanze, & assai denari, che adunasse li collegati con Re, & facessero resistenza alli Franzisi; & con esso andao Mess. Lionello Aiossa con una bella Compagnia di Napolitani con Cavalli grossi tutti.

Alli 18. di Octubro 1264. Re Manfredo cavalcao con nove millia Saracini, & andao alla Marca. Et in chisto tiempo tutto chisto Reame sta sollevato ....

Quì sono molte carte consumate dal tempo, che non si possono leggere.

Lo jorno di Santo Mattia 1265. partio lo Re Carlo d'Angioia da Benevento, & la sera fo

14. Rex publicè dixit, quòd vellet Romanis favorem impendere.

15. Omnes Barones, qui erant in Castris, receperunt se ad tentorium Comitis Molisii; concluseruntque protestari, quòd non obligarentur de Regno egredi ab bellum Papæ inferendum, sed solùm ad Regnum defendendum. Quo intellecto, fecit Rex modestè tractari, ut Barones reciperent se in domos suas; sibi autem mutuo darent eam pecuniam, quam secum in expeditionem attulerant. Hujus autem tractatus mediator fuit Comes Casertæ: itaque est factum.

19. Unusquisque abiit in viam suam: & ipsi processerunt Romam versùs, nos verò redivimus in Apuliam.

Desunt hìc aliæ pagellæ vetustate temporis abrasæ, ac sequitur uterque Codex.

Mense Octobri (s) Papa Urbanus misit in Fräciam, qui accersirent fratrem Regis, ut veniret ad conquirendum Regnum Neapolitanum; id quod statim innotuit: quia relegati ex Regno, qui apud Papam erant, id scribebant suis consanguineis. Paulò post mortuus est Papa Urbanus, & creatus est Papa Clemens, Francus etiam ipse.

Anno Domini MCCLXV. (t) sub finem Maji, rescitum fuit, quòd Comes Provinciæ, nomine Carolus (24) exercitum duceret in Italiam, ad servitium, & honorem Papæ: quia Papa fecerat illum Senatorem Romanum. Tunc Rex Manfredus dejectus est animo, prævidens ruinam sibi imminentem.

12. Septembris dictum fuit, quòd exercitus Comitis Provinciæ terrestri itinere veniebat in Italiam. Conjectusque in vincula est D. Petruccius Joccus (u), quia dicebatur, juvare egressos de Regno.

Sub finem Septembris, misit Rex Manfredus Comitem Jordanum (x), cum quadringentis lanceis, sufficientique pecunia, ut colligeret Regis confœderatos, ad resistendum Francis: cum iisque ibat D. Leonellus Ayossa, ducens pulchram cohortem Neapolitanorum equestris, ac gravis armaturæ.

18. Octobris, equitavit Manfredus cum novem millibus Saracenorum versùs Marchiam: & totum Regnum ei rebellavit (25).

Hìc etiam pagellæ plures vetustate interciderunt.

Anno Domini MCCLXVI. (y) (26).
Die S. Matthiæ, discessit Rex (z) Benevento, &

(s) *MS. Ital. addit* anni 1263.
(t) *MS.* 1264.
(24) *Passim dictus Andegavensis.*
(u) *MS.* Roccus.
(x) *MS. addit* in Lombardiam.
(25) *Hìc porrò ingens occurrit hiatus historiæ, transcribenti, vel avulsis ex autographo foliis, imputandus: quis enim credat auctorem huc usque progressum, nihil scripturum fuisse de ingressu Caroli Andegavensis in Urbem Romam, coronationeque in Regem utriusque Siciliæ?*

(y) *MS.* 1265.
(26) *Hujus quoque anni pars prior deficit, qua narrandus erat cruentus ad Beneventum conflictus partium, 24. Februarii; quando Manfredus occubuit. Urbs, irrumpentibus una cum hoste fugiente Francis, capta est, sævitum in omnem ordinem, ætatem, ac sexum. Non subsistit autem diutiùs Beneventi Carolus, quàm ut Pontifici Victoriam nuntiaret per literas. Nam ipso adhuc, quo fuerat pugnatum,* die &c.
(z) *MS.* Rex Carolus Andegavensis Benevento &c.

A *fo alloggiato alla Cerra, che è de lo Conte di Caserta de Casa d'Aquino.*

Lo iorno sequente cavalcao Re Carlo verso Napole, & come fo alle salece, le usciro incontra tutte le gentilhuomene con lo Populo de Napole. Et Messer Francisco de Loffredo li appresentao le chiave de la Cittate, & li fece uno bello parlamiento in lingua Franzese. Et Re Carlo se fermao ad ascoltarlo, & li comandao, che cavalcasse, & se lo portao a suo lato. Et Messer Francisco se conoscea con lo Re, perchè era stato alle Guerre di Soria, a tiempo che lo Re Loise de Franza fece passaggio contro l'Infedeli.

B *Et come fo arrivato a Napole, andao con l'Archiepiscopo di Cosenza a Piscopio. Nell' entrata di Re Carlo vennero con isso quattrocento huomini di arme Franzesi assai buono adobbati di sopraveste, di pennacchi; & una bella Compagnia di Fresoni, pure con belle divise; poi chiù di sessanta Signuri Franzesi con grosse catene d'oro allo cuollo; & la Reina con la carretta coperta di velluto celestro, & tutta di sopra, & dentro fatta con Gilli d'oro, tale che a vita mia non viddi la chiù bella vista.*

C *Quando poi lo Re Carlo happe fatto sua oratione, venne Messer Francesco Loffredo da parte de la Città de Napole, & li cercao in gratia li presuni; & lo Re subito ordinao, che fussero liberati tutti chilli, che si trovavano presuni per ordine de Re Manfredo; & s'andarono tutti allo Cortiglio de lo Castiello & basaro lo pede allo Re.*

Alli 7. di Marzo ne partimmo da Napole tutti li Sindici di Terra di Bari, tra' quali ci era io, ch' era Sindico di Jovenazzo.

Fatte le Feste di Pascha Re Carlo mandao li Justitieri nuovi per tutte le Provincie de lo Reame, & isso andao fora di Regno a trovare lo Papa.

Alli 12. di Maio 1265. venne Justitiero in Terra di Bari Messer Rainero del Buondelmonte de natione Fiorentina.

D *Nella state lo Re Carlo diede favore assai alle cose dello Papa, & de' Fiorentini, & abbassao la parte Gibellina; & se tirao addosso una mala rogna, perchè li Gibellini mandaro a sollecitare Re Corradino, che stava in Lamagna.*

Nello principio dell' Anno 1266. cavalcao per lo Reame lo figlio primogenito di Re Carlo, che se chiamava pure come isso Carlo, & è Prencipe di Salierno.

La Domenica delle Palme Re Carlo tornao a Roma, & lo Papa le dette la Rosa, & lo fece Vicario dell' Imperio, essennosi fatta festa per tutto lo Reame.

E *Chillo iorno medesimo fu uno grande trimociccio, & cadeo lo Campanaro di Bari, & anlora assai case.*

La prima semmana d'Octubro venne a caccia in Puglia Mess. Filippo quartogenito del Prencipe Carlo di Salierno.

Nell' Anno 1267. scese Re Corradino in Italia; & Re Carlo, che era in Franza, se ne venne prestamente in Napole, e trovao che la Reina sua Mogliera era morta.

Lo

& vesperi hospitatus est Cerræ, quod est Oppidum Comitis Casertani (a).

Sequenti die equitavit Neapolim versùs: cùmque pervenisset ad locum dictum Salicis, exiverunt in occursum ejus Equites omnes, & populus Neapolitanus; Dominus autem Franciscus Loffredi obtulit ei claves Civitatis, fecitque pulchram orationem lingua Francica. Rex verò Carolus substitit ad audiendum eum, jussitque ut equitaret sibi ad latus. Dominus enim Franciscus noverat Regem, quia tempore Regis Franciæ Ludovici fuerat cum eo in bello Syriaco, faciens passagium contra infideles. Ut autem ingressi sunt Neapolim, ivit cum Archiepiscopo Cusentino ad Cathedralem Ecclesiam.

In eodem ingressu venerunt etiam quadringenti milites Franci, omnes plumati pulchrè, ac decorè vestiti; & venusta Cohors Frisonum, speciosis similiter insigniis distinctorum: tum plusquam sexaginta Proceres Franci, torquibus grandibus aureis spectabiles; ac denique Regina invecta carpento, quod holoserico villoso cœlestis coloris obtectum, totum liliis aureis conspergebatur, sic ut in vita mea non meminerim rem magìs speciosam vidisse.

Postquam Rex fecerat orationem, accessit D. Franciscus Loffredi ex parte Civitatis Neapolitanæ, & petiit captivis gratiam fieri: mandavit autem Rex, ut ii omnes liberarentur, qui jussu Regis Manfredi detinebantur: & prodierunt universi in atrium Castelli, ad pedes Regis deosculandos.

7. Martii, progressi sumus omnes Syndici Provinciæ Bariensis, & ego qui eram Syndicus Juvenatii.

Post festa Paschalia misit Rex Justitiarios novos per omnes Provincias: & ipse egressus est Regno, iturus ad Papam.

12. Maji, venit Justitiarius in Provinciam Bariensem, D. Rainerus Buondelmonte, Florentinus.

Hac æstate Rex favorem præbuit negotiis Papalibus, & Florentinorum, humiliando partem Ghibellinam: quo facto, grande sibi negotium concivit: quia Ghibellini miserunt, qui Conradinum ex Alemannia accerserunt.

Anno Domini 1267. (b) Principio hujus anni, filius Regis primogenitus nominatus est Princeps Salerni, & ut talis per Regnum equitavit.

Dominica Palmarum, Rex Carolus Romam rediit, ubi Papa ei dedit Rosam, faciens eum Vicarium Imperii: ob quod fuerunt festa per totum Regnum celebrata. Eodem die extitit ingens terræmotus, & corruit Campanile Bariense, atque alia plura.

Ultima hebdomada (c) Octobris, venatum in Apuliam vênit D. Philippus, secundogenitus Regis Caroli (d).

Eodem anno (e) vênit Conradinus in Italiam; & Rex Carolus, qui erat in Francia, confestim redivit Neapolim, invenitque Reginam uxorem suam obiisse.

Pri-

(a) *MS.* addit ex gente Aquinate.
(b) *MS.* Initio anni 1266. filius Regis Caroli primogenitus, qui & ipse ut pater Carolus appellatur, & est Salerni Princeps, Regnum equitavit.

(c) *MS.* prima hebdomada.
(d) *MS.* D. Philippus quartogenitus Principis Caroli Salerni.
(e) *MS.* Anno 1267.

A *Lo primo di Novembre Re Carlo fece chiamare tutti li Baruni, & li Sindici delle Terre Reali à parlamiento per lo iorno de Santa Catharina.*

Lo iorno de Santa Catharina se fece lo parlamiento, & fo concluso, che li Baruni si mettessero in ordine, per sequitare lo Re alla guerra, e che li Popoli pagassero doi collette.

In chisti iorni se disse per Napole, che Messer Piero Pignatello consigliava Re Carlo, che cacciasse da lo Reame tutte chille Casate, che vennero da schiatta Tudischa, che erano suspette alla venuta di Corradino; & lo Re non volse fare. Et Messer Pietro ne fo assai male voluto, & massime da Casa Caracciola, & da Casa Aiossa, & da Casa di Putheolo, che poteano assai alla partenza de Capoana.

B *In iorno di Santo Stefano nce partimmo da Napole con Messer Francesco de Loffredo, che venne Justitiero de Terra de Bari, & d'Otranto, & fummo trentasette cavalli. Et a chillo viaggio mi acconciai con lo ditto Messer Francesco.*

Lo iorno de capo d'Anno 1268. iunsemo a Taranto, & tutta la Provincia stava sollevata; e Messer Francisco mandao Messer Perillo Piumbo ad Oira, & Falcone Cotugnio a Conversano, & Messer Dura a Castellaneta a fare gente, che erano tutti tre gentil' huomini. E mandao me a comandare alli Capitani delle Terre Reali, che stessero attenti per qualche tradimento.

C *Alli 9. di Giugno 1268. Messer Francesco de Loffredo partio de Taranto, & andao ad Altamura; & lo iorno sequente se sappe, che lo Conte de Tricarico venea da Basilicata con gente assai, & mandao a dicere alli Capitani, che scendessero appresso ad isso in Terra de Bari, & se ne scendessero a Quarata.*

Lo sequente iorno venne Pietro Strombone da Napole, & portao la novella, come lo Conte de Tricarico havea rotto Marco de Tura da Napole sotto Castellaneta, & havea fatto alzare le bandiere da sei Terre con l'Aquila Imperiale.

D *Lo Venerdì 15. del detto mese di Giugno 1268. Messer Francisco de Loffredo andao per ritirarse ad Andre; & per la via intese, cha per tutto lo paese erano pure tutti ribelli de Re Carlo. Et poco di poi incontraimo Boffillo Caracciolo, che era stato Capitanio d'Andre, & li Cittadini lo haveano cacciato, & haveano alzate le bandiere di Corradino; & così ce restaimo allo Castello dello Monte, & restaimo solamente quindici cavalli.*

Allo Castiello dello Monte non c'era monitione, se non per quattro compagni, di pane, e di vino, & de lietto, & per li cavalli niente. Et li Massari teneano alle aire li grani, & per questo happemo assai scommodo, e dormiamo tutti a terra.

E *Lo iorno de Santa Maria della Cratia del detto Anno lo Conte de Tricarico mandao lo trombetta a dicere a Messer Francisco de Loffredo, se si volea rendere; & Messer Francisco le disse:* Va, & dì allo Conte, che saria meglio

Primo Novembris, Rex fecit convocari omnes Barones, & Syndicos Provinciarum Regiarum ad Parlamentum, pro die S. Catharinæ. Ipsoque die factum est parlamentum, & conclusum, ut omnes Barones præpararent se ad sequendum Regem in bellum, atque ut populi solverent duas collectas.

Iisdemque diebus dicebatur Neapoli, quod D. Petrus Pignatellus suadebat Regi Carolo, ut expelleret omnes familias ex stirpe Theutonica prognatas, tamquam suspectas in adventu Conradini. Noluit autem Rex, & D. Petrus magnam inde invidiam subiit, maximè apud Caracciolos, Ayossas, & Puteolos, satis potentes in foro Capuano (f).

In die S. Stephani discessimus Neapoli cum D. Francisco Loffredi, eunte ad exercendum Justitiarii munus in Provinciis Bariensi, & Hydruntina: fuimus autem equites trigintasex: (g) & in hoc itinere reconciliatus sum (h) D. Francisco.

Anno Domini 1268. In capite anni pervenimus Tarentum, atque invenimus totam Provinciam in seditionem conversam: & D. Franciscus misit Petrillum Rombum (i), Oriam, & Falconetum Cotugnum, Conversanum; & Marcum de Dura, Castellanetam; ad conscribendum militem. Erant autem tres illi, viri nobiles. Monuit etiam omnes Capitaneos Provinciarum Regiarum (K), ut sollicitè caverent aliquam proditionem.

9. Junii D. Franciscus discessit Tarento, & abiit Altamuram.

Sequenti die, rescitum est, quòd Comes Tricaricensis veniebat ex Capitanata cum multis armatis: mandavitque Capitaneis, ut sibi occurrerent in Provincia Bariensi: venerunt autem Quaratam.

Sequenti die Petrus Strambone vênit ab urbe Neapoli, tulitque nuntium, quòd Comes Tricaricensis fuderat Marcum de Dura sub Castellaneta, feceratque extolli in sex Oppidis vexilla Imperialia Aquilifera.

Die Veneris scilicet 15. Junii, D. Franciscus recepit se Andriã (l): per viam autem intellexit totam illam Regionem esse in potestate rebellantium Regi Carolo. Paulò deinde post occurrimus Bonfilio Carracciolo, qui fuerat Capitaneus Andriensis, pulsus verò à Civibus efferentibus vexillum Conradini. Recessimus ergo in Castellum Montis, ibique mansimus cum solis quindecim equis. Castellum porrò istud carebat munitione, & ægrè pro quatuor sociis suffecisset panis, vinum, ac lecti; equis verò suppetebat nihil, & quamvis villici habebant in areis fruges, satis incommodè tamen habebamur ibi, quia omnes dormivimus super nudam humum.

In die S. Mariæ gratiarum, Comes Tricaricensis misit Tubicinem, qui interrogaret D. Franciscum, utrum se ei vellet tradere; hic verò respondit: *Vade, & dic Comiti, quòd meliùs ex vexillo Conradini faceret stragulum eque-*

(f) *Partenza* vertit Papebrochius *forum*, propriè partitionem significat. Intellige in ea Nobilium virorum classe, cui nomen Capuana. Nota namque Neapolitanæ civitatis partitio.

(g) *MS.* trigintaseptem.

(h) *acconciare*, quod equidem aliquando est componere Latinis, non significat hoc loco discordias compositas, sed operam locatam; sensus itaque est Matthæum in itinere obtinuisse, ut apud Justitiarium munus aliquod exerceret: quod satis indicant ea, quæ ab ipso Justitiario in mandatis habuisse, deinde scribit.

(i) *MS.* Plumbum.

(K) *MS.* Meque misit ad monendos Capitaneos Oppidorum Regiorum, ut &c.

(l) *MS.* discessit, ut in Andriam se reciperet.

glio per isso, che della bandera de Corradino se ne servesse per appannatora de' cavalli, & alzasse la bandera del Re Carlo legitimo & vero Re, & approbato dalla Santa Madre Ecclesia. *La notte venendo alle quattro hore, venne Messer Pietro delle Frotteglie, & disse cha Falconetto Cotugno de Napole, & li altri Capitani delle genti nostre erano entrati a Bitonte, & cha erano in grandi discordie.*

La notte sequente al primo sonno Messer Francesco Loffredo mandao Marco Ferramonte suo figlio primogenito a Bitonte, & andao solamente con Paulo Pacifico de Aversa.

Alli 13. di Luglio 1268. appe lettere da Barletta, che Messer Rogiero de Sanseverino aveva rotto Ruberto de Petra Palumbo, & grande quantitate de' rubelli, & ce ne pigliao molti presuni.

Lo medesimo iorno venne Marco Ferramonte de Loffredo con la massa de la gente nostra, che erano cento & quattordici cavalli, e cinquecento a piedi, tutti quasi abalestrieri.

Alli 6. d' Agosto Messer Francesco de Loffredo uscio dallo Castello del Monte, e volea ire ad affrontare lo Conte, che stea alla Lionessa; ma lo vetaro li Sindici di Andre, & dettero la colpa a Messer Boffillo Caracciolo, ch' aveva fatto perdere la Terra, & lo pregaro che venesse ad Andria; e là andaimo la sera, et recuperaimo chella Cittate.

Alli 8. dello detto mese andaimo a Canosa a scontrare Messer Rugiero de Sanseverino, che era Capitanio Generale contra li rubelli; et Messer Rugiero et Messer Francesco se fecero assai carezze insieme. Et Messer Rugiero portava settecento cavalli, et grande numero de gente accoglietiva a piede.

La sera andaimo a Quarata, & all' hora Messer Ferramonte de Loffredo cercao in gratia allo padre, che lo mandasse con Messer Rugiero in Basilicata, & in Calabria; & Messer Francisco se contentao, e li diede venticinque cavalli. Messer Rugiero lo appe assai a caro, e promise trattarlo da figlio.

Lo Martedì Messer Rugiero de Sanseverino pigliao la via di Melfi, dove s'era retirato lo Conte di Tricarico, et nui andaimo per le Terre della Provincia recuperando quelle Terre, che s'erano ribellate.

Lo iorno di Santo Lorenzo 1268. Messer Francesco de Loffredo mandao Messer Boffillo Caracciolo allo campo de Re Carlo, et nce ne andai io con isso a portare allo Re dui milia e sei cento onze; et fuimo dicidotto cavalli.

Lo iorno di Santa Maria di mezo Agosto arrivaimo allo campo de lo Re, ch'era sotto sora (*); *e Messer Boffillo parlao allo Re, et lo Re appe assai a caro la moneta.*

equestre, & extolleret vexillum Caroli, verè atque legitimi Regis, & ab Ecclesia probati. Nocte sequenti ad horam quartam, vênit D. Petrus de Frottaliis: & dixit, quòd D. Falconettus Cottunius, aliique Capitanei copiarum nostrarum ingressi erant Bituntum perquam malè concordes.

Nocte sequenti ad primum somnum misit D. Franciscus Bituntum D. Fieramonte, filium suum primogenitum: ivitque hic solus cum Paulo Pacifico de Aversa.

20. Junii (m), accepit D. Franciscus litteras Barletta, quod D. Rogerius Sanseverinas cecidisset Robertum de Petra-palumba, & occidisset magnam copiam rebellium, multosque captivos fecisset. Eodem die vênit D. Fieramonte cum parte exercitus nostri, equitibus scilicet centum quatuordecim, peditibus quingentis, omnibus balistariis.

6. Augusti, D. Franciscus egressus est Castello, volebatque ire ad colloquium (n) Comitis de Leonissa: sed videntes eum Syndici Andrienses, accusarunt D. Bonfilium Caracciolum, quod culpa ejus perdebatur Oppidum, rogaveruntque eum, ut veniret Andriam. Ivimus ergo istuc sub vesperam, & recuperavimus Civitatem.

8. Ivimus Canosam in occursum D. Rogerii Sanseverinatis, qui erat Capitaneus Generalis contra rebelles, magnaque cum humanitatis demonstratione exceptus fuit D. Franciscus. Dominus autem Rogerius ducebat secum equites septingentos, magnumque numerum collectitii peditatus.

Vesperi fuimus Quaratæ: & D. Fieramonte pro magna gratia exoravit Patrem, ut mitteretur cum D. Rogerio in Basilicatam, & Calabriam (o). Dominus autem Rogerius id gratum habuit, promisitque ipsum habere ut filium.

Die Martis (p), inierunt viam Amalfim versùs, quò se receperat Comes Tricaricensis: nos autem circuivimus per Provinciam, recuperando Oppida, quæ rebellaverant.

In die S. Laurentii, D. Franciscus misit D. Bonfilium Caracciolum ad Castra Regia, & ego eòdem tuli bis mille sexcentas uncias: eramus autem viri octodecim, omnes in equis.

Ipso die medii Augusti advenimus in Castra, quæ erant turbatissima: & Dominus Bonfilius locutus est Regi: quod ei satis caro stetit (q) (27).

(*) Quidni legendum hoc loco in Italico *sotto Sorra* pro *sottosora*? vertendumque esset: *ad castra Regis, quæ erant ad Soram.*
(m) *MS.* Die 13. Julii anni 1268.
(n) *MS.* D. Franciscus egressus est Castello, volebatque occurrere Comiti (non colloquii, sed inferendi belli causa) ad Lionessam moranti; sed id Andriæ Syndici vetarunt, & accusaverunt D. Bonfilium Caracciolum, quòd ejus culpa oppidum perditum fuerat.
(o) *MS. addit* & D. Franciscus assensum præbuit, & equos 25. dedit.
(p) *MS.* D. Rugerus Sanseverinus inivit.
(q) *MS. addit* Regique moneta caro stetit.
Paucas hasce variantes lectiones, dum emendaturus typographorum errores ephemerides istas percurrerem, notavi Horatius Blancus, Lectorum, præcipuè exterorum, commodo studens.

(27) *Hactenus D. Matthæus, morte verò similiter interveniente probibitus reliqua subinde istius, atque aliorum sequentium annorum plurium gesta, pari fide, & diligentia penè quotidiana annotare. Commissum est enim prælium, in quo forsitan Matthæus occubuit, die 24. Augusti prælio isto victus, fugatusque Conradinus, & cum socio expeditionis Frederico, ultimo in sua linea Austriæ Duce, florentissimo juvene, retractus ex fuga, cum eodem publicè in foro Neapolitano, judicante Carolo, securi percussus est, 26. Octobris anni 1269. Quæ tragœdia cùm suis totis ferè undecim mensibus secuta sit obitum Clementis Papæ IV. apparet evidens calumnia eorum, qui actionis tam inhumanæ, quæque indelebilem maculam inussit famæ Caroli, suasorem, approbatoremque illum faciunt.*

F I N I S.

INDEX GENERALIS
RERUM, ET NOMINUM,
Quæ continentur in hoc Tomo VII.
RERUM ITALICARUM.

A

B

Bene-

C

Con-

D

E

F

Fe-

H

Jaco-

I

Jo-

K

L

Lao-

M

Mari-

Mi-

N

O

Otto

Q

R

Ab

An-

Mi-

S

V

Æ-

FINIS.





